COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS

EX OPERE MORALI

SCAVINI GURY ET CHARMES

CONCINNATUM

ET AD SENTENTIAS CONSTITUTIONIS

APOSTOLICAE SEDIS

AC SACRARUM CONGREGATIONUM RECENTIORUM DECISIONUM

REDACTUM

A FR. GABRIELE DE VARCENO

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

SACRAE FACULTATIS LECTORE

EDITIO TERTIA
ACCURATIUS EMENDATA

AUGUSTAE TAURINORUM
EQ. PETRUS MARIETTI

TYPOGRAPHUS PONTIF. ET ARCHIEP.

MDCCCLXXIII

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

FACULTAS

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS

Nos Fr. NICOLAUS A S. IOANNE
CONSULTOR S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM
TOTIUS ORDINIS
FRATRUUM MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM
GENERALIS MINISTER (*l. i.*)

Cum Opus, cui titulus est Compendium Theologiae Moralis depromptum ex Opere Morali Auctorum Scavini, Gury, et Charmes a Rev.do P. Gabriele a Varceno S. Theologiae Lectore actuali in Coenobio Capuccinorum Urbis, duo Ordinis nostri Theologi, quibus commissum fuit, perlegerint, et in lucem edi posse probaverint; praesentium virtute facultatem facimus typis illud mandandi, servatis servandis.

Datum Romae ex Coenobio SS.mae Immaculatae Conceptionis, die 7 Augusti 1871.

Fr. IOSEPH MARIA a Saleme Procurator
et Commissarius Generalis Ord.

AUCTOR

AD LECTOREM

Maximopere in votis mihi erat, lector benevole, discipulis meis Opusculum Theologiae moralis praebere ex melioribus aetatis nostrae auctoribus omni cum diligentia compendiose extractum. Quis enim non novit, quod compendiorum ope facile potest quisque studiosus ea, quae antea prolixius didicerat, memoriae mandare, et oblita in mentem denuo revocare, et profundius, et arctius figere? Experientia testis exhibetur. Ad hujusmodi praeclarissimum finem opusculum hoc concinnabam, quod licet mole videatur exiguum, rerum tamen, et materiarum moralium reperies ditissimum. Definitiones P. Thomae ex Charmes amplector, quippe quae prae aliis a Moralistis traditis sunt accuratiores: ordinem materiarum, pleraque argumenta ab eo desumo ad sententias breviter probandas; is enim vim scholastice affert, et mathematice ferme probat. Deinde doctrinam fere integram Clarissimi Petri Scavini, ac P. Ioannis Petri Gury sequor, cum mentem Sancti Doctoris Alphonsi de Ligorio fideliter sint secuti. In sententiis vero, in quibus dicti praeclarissimi Moralistae dissident inter se, eam eligo, quae conformior est moralibus principiis, et menti ipsius Sancti Doctoris; et siquam amborum rejiciam, id faciam; quia non satis videtur consona recentioribus decisionibus sacrarum Congregationum. Quaesitis, et notis

doctrinam exponam, capacitati, ac memoriae candidatorum meliori modo consulendi gratia; et in omni quaesito diversitatem sententiarum, si quae sint, paucis verbis absolvam, ac sententiam determino, quae juxta ingenium meum aliis sententiis in praxi videtur praeferenda, ut studiosae juventuti magis tuta praebeatur doctrina moralis, ejusdemque doctrinae, quantum fieri potest, ab omnibus teneatur unitas. Ast quod magis interest, eandem doctrinam Constitutioni *Apostolicae Sedis*, qua Summus Pontifex immortalis Pius IX censuras limitavit, nec non omnibus recentioribus Sacrarum Congregationum decisionibus conformem reddam.

Cum vero sint jam elapsa exemplaria primae hujus opusculi editionis, et quotidie a studiosis alia expostulentur, novam hanc editionem typis demandare lubenti animo aggredior, in qua alia, benigne lector, reperies clarius explicata, alia in melius reformata, multa, quae deerant adjuncta, maculas, quae irrepserant, abstersas, menda, quae effugerant, castigata.

Caeterum inserviet hoc opusculum non solum Theologiae moralis candidatis, sed etiam examinatoribus, cum per dicta quaesita de scientia examinandorum certum judicium ferre poterint. Maxime vero inserviet ad examen Theologiae moralis se se praeparare volentibus, qui definitiones de verbo ad verbum, et conclusiones saltem quoad substantiam memoriter addiscere, et resolutiones matura cum reflexione saepius legere debent. Inserviet quoque non parum Confessariis tam in dubiis pro prompta, ac facili casuum conscientiae occurrentium resolutione, quam pro expeditiori notitia Theologiae moralis.

Quae igitur per varia, diffusaque volumina dictorum Auctorum reperiuntur dispersa, hic tibi paucis modulata

depinget brevitas. Ast cum legeris, ante oculos velim habeas verba Divi Augustini Epist. 19, alias 84: *Si lecta probaveris, et vera pervideris, nostra esse non putes, nisi quia data sunt; eoque te convertas licet, unde tibi quoque est, ut ea probares datum... Quod si falsa aliqua atque improbanda compereris, de humano nubilo irrorata scias, et ea vere nostra esse deputes.* In quibus, et aliis omnibus Ecclesiae judicio me adhaerere profiteor. Vale.

NATURA AC PARTITIO

THEOLOGIAE MORALIS

Q. Quid est Theologia Moralis?

R. Si ipsum vocabulum inspiciamus, *est illa pars Theologiae, quae circa mores versatur.*

Ratione rei definiri potest *illa disciplinae Theologicae pars, quae humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam aeternam.*

Dicitur *humanas actiones*, significandi causa objectum Theologiae moralis, tum materiale, et sunt actiones humanae in se spectatae: tum formale, nempe ratio sub qua objectum attingit, idest ipsarum actionum dirigibilitas ad honestatem.

Dicitur *ad honestatem*, indicandi causà finem proximum, qui est honestas inducenda in mores.

Dicitur *in ordine ad vitam aeternam*, indicandi causa finem ultimum Theologiae moralis.

Q. Ex quibus Theologia moralis sua desumit argumenta? vel clarius, quibus mediis Theologia moralis dirigit actiones humanas?

R. Iisdem, a quibus sua argumenta desumit ipsa Theologia Dogmatica, et sunt Sacra Scriptura; sancti Ecclesiae Patres; Auctoritates Summorum Pontificum, Conciliorum, praesertim generalium; traditio constans, et firma; Jus tum canonicum, tum civile (si tamen canonico non contradicat); Auctoritas Theologorum; et ratio praecipue principiis Theologicis imbuta, quae dicitur Theologica.

Q. Quomodo dividitur Theologia Moralis?

R. Potest tripliciter dividi, seu considerari. Idest juxta causas, quae efficiunt actum humanum; juxta regulas, quae ipsum dirigunt; et juxta motiva, quae ad ipsum alliciunt, et movent. Nam secundum hunc triplicem respectum dividuntur, et ordinantur Tractatus.

TRACTATUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS

CAPUT I.

De fine actuum humanorum.

Q. Quid est Finis?

R. Definitur, *Id cujus gratia aliquid fit.* Hinc dicitur etiam agentis intentio.

Q. Quomodo dividitur Finis?

R. Tripliciter nempe 1° Dividitur in finem *qui*, *cui*, *et quo*. Finis *qui* est objectum, quod per media consequi intendimus. Dicitur pariter *finis objectivus*.

Finis *cui* est suppositum, vel persona cui appetimus finem *qui*.

Finis *quo* est actio, qua finis *qui* possidetur: vocatur etiam *finis formalis*, v. g. Deus est finis *qui*, seu finis objectivus hominis, et visio beatifica est finis *quo*, seu formalis.

2° Dividitur in finem operis seu intrinsecum, et finem operantis seu extrinsecum. Finis *operis* est res illa, ad quam opus ex se ordinatur, v. g. Finis eleemosynae ex se est sublevatio pauperis. — Finis *operantis* est ille, quem sibi proponit operans, v. g. Finis operantis eleemosynam facientis est amor Dei, vel vana gloria.

Finis *operantis* subdividitur in finem primarium, et in finem secundarium. Finis *primarius* est ille, qui principaliter intenditur influens in actum, uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret, v. g. Sacerdos celebrans Missam principaliter intendit cultum Dei.— *Secundarius* est ille, qui allicit tantum ad agendum, quin tamen sit actionis causa efficiens, v. g. Idem Sacerdos secundo stipendium intendit.

3° Dividitur in ultimum et non ultimum, seu intermedium.

Finis *ultimus* est is, qui ita intenditur, ut in eo sistatur. — Finis *non ultimus*, seu *intermedius* est is, qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur, v. g. Pharmacum, quod intenditur propter sanitatem.

Finis ultimus subdividitur in finem absolute ultimum, qui dicitur etiam ultimatus, et in finem respective ultimum.

Finis *ultimatus*, seu absolute ultimus est ille, ad quem omnia alia referuntur, ipse vero ad nihil aliud referri possit, v. g. talis est solus Deus. — Finis *respective ultimus* est ille, qui est talis tantum in uno genere, sed referri potest ad aliud genus, v. g. Sanitas.

Q. Quid intelligitur per effectum finis?

R. Intelligitur *actus, quibus voluntas tendit in finem.*

Q. Quot sunt effectus finis?

R. Sunt octo, scilicet, 1° Volitio, seu amor simplex, et complacentia...

2° Intentio, hoc est desiderium efficax...

3° Consilium, quo inquiruntur media...

4° Consensus, quo approbantur media...

5° Electio, quae ex pluribus mediis approbatis unum prae alio ad finis consecutionem amplectitur...

6° Imperium, quod voluntas imperat usum mediorum...

7° Usus, quo voluntas seipsam, vel alias potentias applicat...

8° Fruitio, qua voluntas suaviter quiescit in boni amati possessione..

Q. Utrum voluntas e duobus mediis possit eligere minus idoneum relicto magis idoneo?

R. Affirmative quia voluntas est libera, et medium magis idoneum non est necessarium. Tamen ut electio sit recta et honesta, debet eligi medium magis idoneum, alias fieret imprudenter.

Q. An homo semper agat propter finem?

R. Affirmative (hic agitur de actibus deliberatis). Nam omnes actus humani pendent, et derivantur a fine, et consequenter fiunt propter finem, cum finis sit principium in operabilibus.

Q. Utrum omnia agant propter finem, et quomodo?

R. 1° Affirmative: quia prima inter omnes causas est finalis, cum agens non agat nisi ex intentione: si vero inter causas ad invicem ordinatas prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi: ergo omnis causa agit ex causalitate finis, seu propter finem.

R. 2° Omnia agentia rationabilia agunt propter finem formaliter, et movendo se. — Alia agunt materialiter, et ut ab alio mota.

Prob. 1ª pars. Homo apprehendit proportionem mediorum ad finem, quod est agere formaliter, et movendo se.

Prob. 2ª pars. Bruta non apprehendunt dictam proportionem.

Q. An actus humani specificantur a fine?

R. Affirmative : quia actiones sortiuntur speciem a principio ; passiones autem a termino : finis, ut est in intentione agentis, est principium actuum humanorum ; et prout est in executione, est terminus illorum.

Q. Utrum malum possit habere rationem finis?

R. Negative, qua malum: 1° quia natura mali est id, quod omnia fugiunt: 2° quia illud solum habet rationem finis, quod est appetibile, prout est bonum sive verum, sive apparens: unde sola bonitas vera, vel apparens potest habere rationem finis.

Q. In quo actu consistit fruitio proprie dicta?

R. In delectatione causata ex amore, et praesentia rei amatae.

Fruitio semper est circa finem.

Q. An quidquid deliberate vult homo, illud velit propter finem ultimum?

R. Illud vult implicite, et virtualiter propter finem ultimum spectatum confuse, et in communi; quia semper operatur, ut bene sibi sit. Et D. Aug. confirmat (lib. XIII, de Trinit. c. 5) : *Verum est, quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc caetera quaecumque appetant.* Non autem illud vult semper propter finem ultimum spectatum in particulari, et determinate ; quia talis finis est Deus: atqui quidquid homo vult deliberate, non semper illud vult propter Deum.

Q. Utrum homo possit simul intendere, et agere propter plures fines ultimos?

Nota. Finis ultimus est adaequatus, vel inadaequatus. Primus est is, qui totus, et seorsim ab alio, sufficienter movet ad agendum. Secundus est ille, qui simul cum alio fine voluntatem movet ad agendum.

R. Homo non potest agere simul et semel propter plures fines ultimos adaequatos et totales : quia de ratione finis ultimi adaequati, et totalis est quod omnia ad ipsum, ipse vero ad nihil aliud referatur. Atqui repugnat simul dari duo ultima hujusmodi. Ergo etc... Bene vero propter inadaequatos.

Q. Quid est finis ultimus hominis?

R. Est Beatitudo, quae definitur *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Beatitudo quatuor modis considerari potest, nempe Beatitudo viae, quae est *status omnium bonorum aggregatione dotatus, sed non plene perfectus.* — Beatitudo patriae, quae est jam definita. — Beatitudo

objectiva, quae est *ipsum objectum beatitudinis.* — Beatitudo formalis, quae est *actio, qua objectum beatitudinis possidetur.*

Beatitudo objectiva hominis est Deus: quia solus potest animam hominis ita satiare, ut nihil amplius ipsi desiderandum supersit, juxta illud Divi Augustini (lib. 19, de Civit. Dei, c. 26): *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Q. In quo consistit Beatitudo formalis?

R. Thomistae eam reponunt in visione Dei intuitiva.— Scotistae in solo amore fruitivo. — Tandem plurimi in gaudio beatifico, quod definitur *Intimus ac suavissimus creatae mentis sensus, quo mens adeo sibi conscia est, sibi bene esse, ut nil ultra expectat;* haec sententia est probabilior.

Q. Quot sint dotes animae beatae?

R. Sunt tres, nempe inamissibilitas gloriae, impeccabilitas, et modus, quo Deum diligit, idest tum necessitate specificationis ita, ut non possint eum odisse; tum necessitate exercitii ita, ut non possint ab ejus amore cessare.

Q. Quot sunt dotes corporis beati?

R. Sunt quatuor, quas refert Apost. (Epist. 1ª ad Corinth. c. 15.) nempe impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas.

Q. Quid est Aureola?

R. Est *animae beatae gaudium accidentale de excellenti victoria sua, in corpus speciali fulgore redundans.*

Q. Quot sunt Aureolae?

R. Sunt tres: 1ª est Martyrum, qui de mundo; 2ª Virginum, quae de carne; 3ª Doctorum, qui de diabolo triumpharunt.

CAPUT II.

De natura actuum humanorum.

Q. Quid est actus humanus?

R. Est *ille, qui procedit a voluntate cum rationis advertentia, et libertate.*

Q. Quid est actus hominis?

R. Est *ille, qui naturaliter procedit ab homine absque rationis advertentia, et libertate.*

Nota. Actus, qui ab homine procedunt, sunt vel actus hominis, seu physici, vel actus humani, seu morales.

Q. Quotuplex est actus humanus?

Nota. In actu humano duo essentialiter spectanda sunt, nempe voluntarium, et liberum. — Tria itaque actuum humanorum principia numerantur: 1° *cognitio*; 2° *voluntas*; 3° *libertas*; sunt enim eorumdem constitutiva.

R. Actus humanus dividitur in elicitum, et imperatum. Actus elicitus, qui etiam dicitur immediatus, est *ille, qui immediate a voluntate procedit*, v. g. amor, odium etc... Actus imperatus, qui dicitur etiam mediatus, est *ille, qui elicitur ab alia potentia ex voluntatis imperio*, v. g. meditatio ab intellectu. Actus imperatus dividitur in internum, et externum. Primus *procedit a potentiis internis*. Secundus *a potentiis externis*, v. g. deambulatio. Actus tam *elicitus*, quam imperatus dividitur in bonum, *qui consonat cum recta ratione*; et in malum, *qui ab ea declinat*. — Actus bonus subdistinguitur in naturalem, et supernaturalem. Bonus naturalis est *ille*, *qui potest fieri ex solis naturae viribus*, et ideo praemio temporali dignus, v. g. miserorum commiseratio. — Supernaturalis est *ille, qui innititur auxilio Divinae gratiae.* — Actus supernaturalis duplex est, nempe meritorius de Condigno, et meritorius de Congruo. Primus est *actus, seu opus bonum, cui praemium debetur ex aliqua justitia*, v. g. actus Justorum, quibus merentur augmentum gratiae, et gloriae. — Secundus est *actus*, seu *opus bonum, cui praemium debetur ex aliqua dumtaxat decentia, et congruitate*, v. g. actus, quibus nos positive ad Justificationem disponimus. — Si hic actus habeat promissionem adjunctam, dicitur de congruo infallibili; si non habeat, dicitur de congruo fallibili.

ARTICULUS I.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

Q. Quid est Voluntarium?

R. Est *id, quod est a principio intrinseco cum cognitione singulorum, in quibus est actio.* — Per *actionem* intelligitur actio vel passio, vel omissio.

Nota 1ª. Principium intrinsecum est voluntas, et intellectus. Unde violenta tractio in carcerem non est voluntaria. Nec est voluntaria v. g. circumstantia aliqua, si ignoretur.

Nota 2ª. Per *singula* intelliguntur objectum, finis, et circumstantiae.

Nota. 3ª Voluntarium differt a spontaneo, et volito. Primo a spontaneo; quia licet procedat a principio intrinseco, tamen procedit cum materiali cognitione, et imperfecta, et sine advertentia ad media, quibus finis ipse obtinetur, v. g. ebrio est spontanea vini potatio. Secundo differt a volito, quia etsi volitum sit voluntatis objectum, non tamen necessario a voluntatis ipsius influxu procedit, v. g. Pluvia est volita, nec tamen dici potest voluntaria.

Q. Quotuplex est Voluntarium?

R. Multiplex, nempe 1° Voluntarium necessarium, et aliud liberum. Necessarium est *illud, quod ita a voluntate proficiscitur, ut positis omnibus requisitis ad agendum non possit non agere.* Sic Beati in Coelo Deum diligunt.— Liberum est *illud, quod sic procedit a voluntate, ut positis etiam ad agendum requisitis adhuc possit non agere.*

2° Perfectum et imperfectum. Perfectum est *illud, quod fit ex plena cognitione rei.* — Imperfectum est *illud, quod procedit a voluntate cum imperfecta cognitione rei.*

3° Voluntarium simpliciter, et secundum quid. Voluntarium simpliciter est *illud, quod procedit a plena voluntatis inclinatione, sine ulla repugnantia.* — Secundum quid est *illud, quod conjunctam semper habet aliquam voluntatis repugnantiam.*

4° Expressum, et tacitum. Primum est *illud, quod verbo, vel aliquo signo declaratur.* Tacitum, *quod colligitur ex aliquo facto, vel facti omissione* juxta hanc regulam *Qui tacet consentire videtur.*

Nota. Taciturnitas aequivalet consensui in duobus casibus: 1° Cum aliquid favorabile proponitur. 2° Cum qui tacet loqui tenetur. Secus valet alia regula *Qui tacet non fatetur.*

5° Voluntarium directum (seu positivum, vel in se); et indirectum (seu negativum, vel in alio). Directum est *illud, quod in seipso est volitum.* — Indirectum, seu negativum, est *illud, quod licet in seipso non sit volitum, est tamen volitum in sua causa.*

Ad voluntarium indirectum tria requiruntur: 1° Ut operans praevideat, aut praevidere possit, et debeat effectum hunc ex hac causa secuturum. 2° Ut effectum hunc impedire possit ejus causam auferendo. 3° Ut hanc causam auferre teneatur, aut saltem nullum jus habeat eam ponendi, quia, nimirum nulla subest eam ponendi necessitas, aut utilitas.

Q. Quomodo dividitur voluntarium directum?

R. Quadrupliciter, nempe in Actuale, Virtuale, Habituale, et in Interpretativum. Actuale est *illud, in quod voluntas immediate, ac directe hic et nunc fertur.* Virtuale est *illud, quod vi actus positi censetur moraliter perseverare.* Habituale est *illud, quod habitum fuit, nec est retractatum, sed non est causa ejus, quod fit.* Interpretativum est *illud, quod nunquam extitit, sed habitum esset, si res agenda, aut omittenda, fuisset nota agenti.* Quare non est vere voluntarium.

Q. Quotuplex est causa, in qua continetur id quod volumus indirecte, idest cui innititur voluntarium indirectum?

R. Est multiplex, nempe causa physica vel moralis. Prima est *illa, quae effectum producit agendo physice.* — Secunda est *illa, quae determinat ad agendum aliam causam libere operantem.*

2° Est immediata, vel mediata. Immediata est *ea, quae effectum producit nulla alia intercedente causa.* Mediata est, *quae producit effectum alia intercedente causa.*

3° Proxima, vel Remota. Proxima est *illa, quae moralem connexionem habet cum effectu.* Remota, *quae parum probabilem connexionem habet cum effectu.*

4° Causa per se, vel per accidens. Per se est *illa, quae aptitudine propria producit effectum, ad quem dirigitur.* Per accidens est illa, *quae operatur alium effectum intercedente aliqua circumstantia, licet ex natura sua non sit ordinata ad illum producendum.*

Q. Quando malus effectus imputari potest agenti voluntario indirecto?

R. In tribus conditionibus, 1ª nempe, ut operans praevideat, aut praevidere possit, et debeat effectum hunc ex hac causa secuturum esse etc. ut supra.

Q. Licet ne unquam ponere causam ad bonum effectum, quamvis praevideatur ex ea sequuturum effectum malum?

R. Licet quando adsunt sequentes quatuor conditiones: 1ª Si finis agentis sit honestus. 2ª Si causa, vel opus sit in se bonum, vel indifferens. 3ª Si bonus effectus aeque immediate, et per intrinsecam connexionem ex causa sequatur. 4ª Si bonus effectus malum saltem compenset. Ratio est, quia hoc non potest esse illicitum neque ratione finis, utpote honestus; neque ratione objecti, utpote bonum, vel indifferens; neque ratione praevisionis pravi effectus: nam malus effectus per bonum compensatur. Revera unusquisque habet jus ad bonum finem obtinendum ex causa honesta ubi bonum

non superatur a malo. Atqui jus ad finem creat jus ad media ; ergo etc... ita D. Thomas (2^a 2^{ae} q. 64, art. 7). Intellige dummodo agens non teneatur ex justitia, aut officio, aut charitate actionem omittere.

Nota. Animadvertendum, quod eo major ratio requiritur ad agendum in tali casu, quo propinquius causa attingit effectum malum, et quo probabilior est malus effectus , vel quo minus jus habetur ad actionem in se spectatam.

Nota 2^a. In foro externo, quia animus inspici non potest a judice, ideo res tota resolvitur ex communiter contingentibus. Quae enim communiter contingunt, praevisa censentur.

Q. Quid est involuntarium ?

R. Est *id, quod est a principio extrinseco*, v. g. quae fiunt ex violentia, vel metu: *Aut quod est a principio intrinseco quidem, sed sine cognitione singulorum in quibus est actio*, v. g. quae fiunt per passionem, vel per ignorantiam.

Q. In quo differt involuntarium a non voluntario ?

R. In hoc, quod non voluntarium est *id, quod voluntas simpliciter non vult, licet propriae inclinationi non repugnet*, v. g. Nolumus solem in Coelo cursum suspendere. — Involuntarium *includit veram repugnantiam ipsimet voluntati*, v. g. Nolumus in carcerem trahi.

Q. Quotuplex est involuntarium ?

R. Duplex est, involuntarium simpliciter, et secundum quid. Simpliciter est *illud, quod voluntati totaliter opponitur, sive actuali sive interpretativae*, v. g. Mors, quae homini infertur, est ipsi involuntaria simpliciter. Secundum quid est *illud , quod repugnat voluntati sub quodam respectu; sed non repugnat totaliter*, v. g. Viator qui metu mortis dat crumenam latroni.

Q. Quot sunt causae involuntarii ?

R. Sunt quatuor, nempe Violentia, Metus, Ignorantia , Concupiscentia. Duae primae opponuntur propensioni voluntatis, aliae duae opponuntur cognitioni intellectus.

ARTICULUS II.

DE INVOLUNTARIO PER VIOLENTIAM ET METUM.

Q. Quid est violentia, vel violentum seu coactum ?

R. Est, *id quod est a principio extrinseco in contrarium resistente passo.* Si passum totis viribus quantum potest, et debet resistit ,

dicitur violentia absoluta. Si vero resistat aliquo modo, sed non quantum potest, et debet, dicitur violentia secundum quid.

Q. Utrum omnis violentia tollat voluntarium?

R. Violentia absoluta omnino tollit voluntarium; quia actio nullatenus procedit a voluntate; violentia vero secundum quid, non tollit voluntarium, sed minuit tantum: quia voluntas non resistit omnimode; ergo actio sic coacta procedit partim a voluntate, partim a principio extrinseco.

Q. Utrum voluntas possit cogi?

R. Non potest cogi quoad actus elicitos; quia actus elicitus voluntatis est essentialiter volitio; ergo est essentialiter voluntarius. Dixi *quoad actus elicitos*; quia potest cogi quoad actus imperatos aliarum potentiarum; sed tunc non sunt a voluntate imperati.

Q. Quid, et quotuplex est metus?

R. 1° Est *trepidatio mentis causa instantis, vel futuri periculi.*

R. 2° Quadrupliciter considerari potest juxta versiculum

Causa, modusque ineunt, tempus natura timorem.

Idest 1° ratione causae est vel naturalis intrinsecus, qui provenit a causa intrinseca, ut est infirmitas; vel naturalis extrinsecus, qui provenit a causa extrinseca. — Haec vel est necessaria, ut pestis, naufragium etc.: vel libera, ut homo: vel supernaturalis, ut judicium Dei etc.

2° Ratione modi, quo incutitur, est vel justus, vel injustus, prout juste, vel injuste incutitur.

3° Ratione temporis, quo incutitur: alius est antecedens, alius concomitans. Antecedens est *ille, qui dat causam actioni*, v. g. Viator, qui dat latroni crumenam, agit metu antecedenti. Concomitans est *ille, qui tantum comitatur actionem.* Sic latro agit cum metu concomitanti.

4° Ratione naturae est vel levis, vel gravis. Metus gravis est *ille, quo timetur grave malum;* levis est *ille, quo timetur leve malum imminens*, vel *etiam grave, sed verisimiliter non imminens.*

Metus gravis subdividitur in absolute gravem, et respective gravem. Absolute gravis, qui dicitur etiam metus cadens in constantem virum; est *metus alicujus mali per se gravis, quo vir fortis commoveri solet*; v. g. metus mortis. Metus respective gravis est *ille, qui non sit gravis per se, et absolute; est tamen gravis relative ad fragilitatem talis personae*, v. g. Foeminae.

Nota. Ad metum gravem praeter gravitatem mali, tria requi-

runtur: 1° ut ex gravi motivo malum imminere credatur — 2° ut nalum impendens nequeat tam facile averti — 3° ut malum illi mmineat, qui timore turbatur, aut consanguineis ejus usque ad quartum gradum.

Ad metum gravem revocatur metus reverentialis, *timor nempe, quo quis veretur resistere ei, cui subjicitur*, v. g. Parentibus, Epicopo, magistratui, tutori, avo, majori fratri, etc.

Q. An metus tollat, vel minuat voluntarium?

R. Si metus sit levis nec tollit nec minuit voluntarium. Hinc llud juris: *Vani timoris justa excusatio non est.* Si metus sit gravis neque tollit voluntarium. Unde quae fiunt ex metu gravi, sunt absolute et simpliciter voluntaria, et secundum quid tantum involuntaria; quia licet consensus detur cum repugnantia, nihilominus datur, ac proinde licet a tanto peccato excusent, non tamen xcusant a toto. Excipias vero casum particularem, in quo ita sit gravis, ut mentem e suo statu dejiciat.

Q. Metus gravis excusatne a culpa?

R. Distinguendum: vel quae metu gravi fiunt intrinsece, et per e mala non sunt, v. g. manducatio carnis tempore vetito; vel sunt er se, et intrinsece mala, v. g. perjurium. Si primum ordinarie oquendo excusat a tota culpa; non quia tollit voluntarium sufficiens, sed quia lex positiva cum gravi incommodo obligari non solet. Exceptis istis casibus, nempe quando adest formalis contemptus legitimae potestatis, vel quando adest grave scandalum proximi, aut amnum publicum: quia tunc non excusat a gravi culpa transgresonis. — Si secundum, certum est, metum (dummodo usum rationis totaliter non tollat) utcumque gravem nunquam excusare a tota ulpa: haec enim cum includant intrinsecam, et essentialem malitiam, si fiant voluntarie, nunquam culpa carere possunt.

Nota. Etiam in istis casibus metus minuit culpam, quia valde edit voluntarium. Ast non reddit culpam venialem, sed minuit tra mortale.

Metus ab intrinseco, vel a causis naturalibus proveniens non impedit, quominus actus sit validus; sic valet votum in gravi morbo, el naufragio emissum. Ita Billuart, Gury, et alii.

ARTICULUS III.

DE INVOLUNTARIO PER CONCUPISCENTIAM ET IGNORANTIAM.

Q. Quid est Concupiscentia?

R. Est *motus appetitus sensitivi bonum sensibile prosequens*, *v malum sensibile fugiens.*

Q. Quotuplex est concupiscentia?

R. Duplex, nempe Antecedens, et Consequens. Antecedens e *illa quae praecedit voluntatis consensum, quem allicit.* — Consequer est *illa quae excitatur a voluntate.*

Nota. Utraque concupiscentia vel gravis est, vel gravissima. Gr vissima poenitus extinguit usum rationis. — Gravis turbat al quantisper usum rationis. Concupiscentia antecedens gravissin causat actus primo-primos: ac proinde non sunt vere actus h mani, seu morales.

Q. Utrum Concupiscentia antecedens tollat voluntarium, et pe catum?

R. Si agatur de Concupiscentia gravissima, ipsa tollit volunt rium, et peccatum. Si agatur de concupiscentia gravi, ista ex u parte auget, ex altera minuit voluntarium. Nam ad voluntari perfectum duo requiruntur, nimirum propensio voluntatis in ob ctum, et cognitio singulorum in quibus est actio. Atqui concu scentia antecedens auget propensionem voluntatis in objectum, r nuit vero cognitionem eorum, in quibus est actio. Ergo etc. . Ideo, ordinarie loquendo, liberum minuit.

Q. Utrum concupiscentia consequens tollat voluntarium?

R. Negative. E contra auget voluntarium, et liberum; quia luntas eam vult, et imperat, ut majori nisu fruatur objecto pra quod insequitur, sive velit concupiscentiam in se eam impelle: in pravum objectum; sive eam velit in causa, fovendo pravos bitus, quibus impellatur in pravum objectum: ex quo sequit peccatum ex pravo habitu perpetratum esse gravius illo, quod t tum semel fuit admissum.

Q. Quid est habitus?

R. Est *quaedam agendi facilitas, ac promptitudo iteratis act comparata.* — Habitus auget voluntarium, et minuit liberum, s concupiscentiam antecedens. Ita Suarez, Scavini etc. At hoc p sice; nam habitus moraliter aggravat peccatum.

Q. An liceat se negative habere circa motus indeliberatos con-piscentiae, idest neque illis positive resistendo, neque illis con-ıtiendo?

R. Cum distinctione, vel ex positiva resistentia didicerit eos ex-rientia fieri majores, tunc melius est, ut se ad alia convertat. ·l non adest hoc periculum, tunc recta ratio vult, ut illis positive ;istatur, saltem per aliquem simplicem displicentiae actum; quia motus faciliter ad peccatum inducunt, et cor subvertunt.

Q. Graviterne, an leviter peccat, qui positive non resistit, sed gative se habet ad motum appetitus sensitivi circa objectum sub ortali prohibitum, quando ex positiva resistentia non timet illam ri majorem?

R. Distinguendum; vel adest periculum consensus; vel non. Si imum certum est, esse mortale motum illum permittere. Nam dem obligatione, qua quis tenetur vitare peccatum, tenetur etiam tare periculum peccandi. — Si secundum, vera sententia cum An-lico D. Thoma docet, non esse mortale, sed tantum veniale; quia nsensus non provenit ex appetitu sensitivo, sed ex voluntate; .ec voluntas non consentit. Ergo, etc.

Utcumque stimulis concupiscentiae nos pulsemur, nunquam pec-tum patramur, nisi aliquo modo nostra voluntas aut eis consen-ıt, aut ipsos, cum possit, et debeat impedire, non impediat. — ı communis, et certa sententia.

Q. Quid est Ignorantia?

R. Est *carentia cognitionis debitae*. — Si cognitio sit indebita, nc appellatur simpliciter nescientia.

Q. Quotuplex est Ignorantia?

R. Multiplex est, nempe: 1° alia est juris, alia facti. Ignorantia ris est *ea, qua lex ignoratur*, v. g. Si quis ignoret affinitatem di-nere matrimonium.

Ignorantia facti est *ea, qua ignoratur aliquod factum particu-re esse legi contrarium*, v. g. Si quis sciat affinitatem dirimere ıtrimonium, sed ignorat eam, cui nubat, sibi esse affinem.

2° Alia est vincibilis, alia invincibilis. Ignorantia vincibilis est , *quae potuit, ac debuit vinci*, v. g. studio ac diligentia adhibita.— vincibilis est *ea, quae adhibita sufficienti diligentia non potuit ıci*.

Nota. Tam ignorantia juris, tam facti possunt esse vel vincibiles, l invincibiles.

3° Alia est ignorantia antecedens; alia concomitans; alia consequens (hoc, respectu voluntatis). Antecedens est *ea, quae praecedit omnem mentis cogitationem, et est causa operis adeo, ut si ipsa non esset, opus non fieret*, v. g. Si quis interficiat hominem putans esse feram adhibita sufficienti diligentia; non interfecturus vero, si sciret esse hominem.

Concomitans est *illa, quae neque est voluntaria, neque causa operis adeo, ut licet abesset, aeque opus fieret*, v. g. Si quis percutit Titium putans esse Cajum, adhuc tamen percussurus, si sciret esse Titium.

Consequens est *illa, quae a libera voluntate procedit*, v. g. Cum quis negligat ea addiscere, quae scire tenetur.

4° Ignorantia consequens subdividitur in directe voluntariam, seu affectatam, et in indirecte voluntariam, seu crassam sive supinam. —Affectata est *illa, qua quis expresse vult ignorare, ut liberius peccet*; juxta illud: *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Crassa sive supina est *illa, qua quis non quidem expresse vult ignorare, sed non curat ea addiscere, quae potest, et tenetur scire.*

Nota. Ignorantia antecedens vocatur etiam invincibilis: quia nulla venit in mentem cogitatio, vel dubitatio ne in confuso quidem de opposito, vel si venit, depelli non potest. Ignorantia consequens vocatur etiam vincibilis, quia facile vinci, seu pelli potest.

Nota 2ª. Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta, et inadvertentia plena. — Si vero non sint perfectae et plenae, ad ignorantiam vincibilem referendae sunt.

Q. An ignorantia tollat, aut saltem minuat voluntarium, et peccatum?

R. 1° Ignorantia antecedens, seu invincibilis, tollit omnino voluntarium, et ideo causat involuntarium simpliciter: quia quod fit ex tali ignorantia, fit absque cognitione singulorum, in quibus est actio, et contra voluntatis propensionem. Hinc ignorantia invincibilis excusat ab omni peccato; quia ex D. August. (*lib. de ver. Relig. c. 4*): *Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

Resp. 2° Ignorantia concomitans non causat voluntarium, neque involuntarium; quia neque inducit ad volendum, neque ad non volendum: sed per accidens omnino se habet.

Resp. 3° Ignorantia consequens, seu vincibilis, si sit indirecte voluntaria, id est crassa, non tollit voluntarium, sed minuit; et ideo

facit involuntarium secundum quid; unde minuit peccatum; quia minuit cognitionem, et fit contra aliquam voluntatis inclinationem, ut patet in eo, qui non facta sufficienti diligentia, putans occidere feram, occidit amicum. Si vero ignorantia sit directe voluntaria, idest affectata, voluntarium et peccatum auget; quia procedit ex majori deliberatione, et affectu liberius peccandi.

ARTICULUS IV.

DE VOLUNTARIO LIBERO SEU DE LIBERTATE.

Q. Quid est libertas?

R. Libertas in genere, idest generatim sumpta, *est immunitas a servitute, et subjectione.*

Nota. Triplex praecipue adsignari solet servitus, et ideo triplex praecipue est libertas, nempe libertas a necessitate, a peccato, a miseria, juxta D. Bernardum (*de grat. et lib. arb.*); nos vero respicimus tantum libertatem a necessitate, sive vocetur coactio, sive vera necessitas intrinseca.

Q. Quotuplex est libertas?

R. Duplex, nempe libertas a coactione, seu spontaneitatis; et libertas a simplici necessitate, seu indifferentiae, vel electionis. Libertas a coactione *est immunitas ab omni violentia contra voluntatis propensionem ab extrinseco illata.*

Libertas a semplici necessitate definitur: *Potentia activa, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest ex se agere, vel non agere, agere hoc, vel aliud.*

Q. Quotuplex est libertas a simplici necessitate?

R. Triplex est, nempe Contradictionis, Contrarietatis, et Specificationis. Libertas contradictionis, seu exercitii (sicut etiam vocatur), est *potentia se determinandi ad unum de contradictoriis*, v. g. amare, vel non amare. — Libertas specificationis est *potentia se determinandi ad unum ex pluribus specie diversis*, v. g. oratio, vel studium, vel ludus. — Libertas contrarietatis est *potentia eligendi unum ex duobus omnino contrariis*, v. g. amor, vel odium.

Nota. Libertas contrarietatis non est vera libertas, sed potius abusus libertatis: ad hoc refertur potentia peccandi: haec enim habet originem a sola debilitate cognitionis, et justi amoris, ideo est imperfectio liberi arbitrii.

Q. In quonam verae libertatis, seu liberi arbitrii essentia sita est?

R. In sola facultate eligendi, vel non eligendi, idest non in immunitate a coactione, ut blasphemabant Bajus et Jansenius; sed in immunitate ab omni necessitate; quia ea sola potentia est libera libertate arbitrii, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere, vel non agere. Ergo ea potentia non est libera, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis non potest suum actum suspendere, sed invincibili necessitate ad unum determinatur. Insuper Summi Pontifices Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII damnarunt has Baii propositiones: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* — *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Q. Utrum nunc homo lapsus, seu post Adam peccatum, sit liber ad bonum, et malum non solum libertate a coactione, sed etiam libertate a simplici necessitate antecedenti?

R. Affirmative; et est de fide. Concil. enim Trident. (*sess.* 6. c. 5, *et can.* 5) definivit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adam peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, anathema sit.*

Prob. ex Scriptura (*Eccl. cap.* 15): *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit. . .* Hic textus non solum respicit Adam ante peccatum; sed etiam post ipsum peccatum. Nam Ecclesiasticus increpans Judaeos, qui dicebant, per Deum stare quominus ipsi bene, ac sapienter vitam instituerent, ait: *Non dixeris, per Deum abest: quae enim odit, ne feceris.* Unde D. Aug. (*lib. de gr. et lib. art. c.* 2) exponit hunc textum, et sic ait: *Apertissime videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium.*

Q. In praesenti statu naturae lapsae quaenam libertas requiritur ad merendum vel demerendum?

R. Requiritur libertas indifferentiae, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione. — Est de fide definitum contra Jansenium. Innocentius X damnavit ut haereticam hanc propositionem Jansenii: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Et Pius V, Gregorius XIII, et Urbanus VIII damnarunt hanc Baii propositionem: *Homo peccat in eo quod necessario facit.* Ratio est, quia, ut quis mereatur, vel demereatur, debet habere dominium suae actionis, et ea disponere prout vult: quod non potest agens ex necessitate.

Q. In quonam fuit sauciatum liberum hominis arbitrium per peccatum Adae?

R. In hoc, nempe 1° In voluntate, propter debilitatem, quam subiit voluntas, fuit enim expoliata dono justitiae originalis, per quam tenebat in sua potestate omnes corporis et animi motus.

2° In intellectu, propter ignorantiam, quam ipse subiit.

3° In concupiscibili, et irascibili propter vitiatum corporis temperamentum, et effraenatam concupiscentiam in malum. — Non vero homo fuit laesus in naturalibus essentialibus, et naturae humanae propriis.

Q. Quodnam est libertatis impedimentum?

R. Est necessarium, seu necessitas; quae definitur: *Determinatio ad unum.*

Q. Quotuplex est necessitas?

R. Multiplex, dividitur enim 1° in Antecedentem, et Consequentem. Necessitas antecedens est *ea, quae rationis et voluntatis usum antecedit*, ut fit in motibus primo-primis; vel *quae, licet fiat ex plena advertentia rationis, tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter exprimat.* Ita definivit Jansenius. — Necessitas consequens est *ea, quae liberam voluntatis determinationem sequitur*, v. g. Posito quod ego jam sim determinatus ad loquendum, et ad actum jam venerim, tali necessitate necesse est me loqui.

2° Dividitur in necessitatem specificationis, quae potest dici etiam contrarietatis, et in necessitatem exercitii. Prima est *ea, qua voluntas ita determinatur ad unum, ut in oppositum ferri non potest*, v. g. Christus hac necessitate ferebatur in bonum. Necessitas exercitii est *ea, qua voluntas ita determinatur ad actum, ut ab illo non possit abstinere*, v. g. Sic Deus ab amore sui non potest se abstinere.

3° Dividitur in physicam, et in moralem. Physica dupliciter potest considerari, nempe vel ut coactio; tunc est ipsa extrinseca violentia, et definitur: *Determinatio ad aliquid contra propriam inclinationem*, v. g. Cum quis nolens in carcerem traditur. — Vel ut naturalis; tunc definitur: *Illa determinatio, qua voluntas ita unum vult, ut aliud hic et nunc velle non possit*, v. g. Hac necessitate amamus beatitudinem in genere, et Beati in Coelo amant beatitudinem in specie.

Necessitas moralis est *summa difficultas vel operandi bonum, vel abstinendi a malo: quae tamen actu, et de facto vinci potest*, v. g. Necessitas inveteratis habitibus comparata.

Nota. Objectum libertatis non est finis ultimus, idest felicitas perfecta; neque bonum in genere: sunt tantum bona particularia.

Licet liberum et voluntarium inter se distinguuntur, ut patet ex definitione utriusque; practice tamen, et ordinarie loquendo in homine viatore reapse uniuntur: quoties enim actus aliquis est vere liber, seu libere positus, est etiam voluntarius, et viceversa. Ita Gury.

CAPUT III.

De moralitate actuum humanorum.

Q. Quid est actuum humanorum moralitas?

R. Est *eorum convenientia cum regulis morum, vel ab iisdem discrepantia.*

Q. Quid est actus moralis?

R. Est *actus humanus conformis vel difformis regulis morum, vel ab eis permissus.*

Q. Quaenam conditiones requiruntur in regulis morum?

R. Morum regulae debent esse rectae, certae, et obligatoriae. Rectae, secus evitandae: certae, secus homo exponeretur periculo peccandi: obligatoriae, secus non valent homines obstringere.

Q. In quo sunt constituendae regulae morum?

R. Non conveniunt Theologi; sed nos illam constituimus in recta ratione juxta illud D. Augustini (*de util. cred. c. 12*): *Rectum factum nullo modo esse potest, quod a recta ratione non proficiscitur.*

Q. Quotuplex est regula morum?

R. Duae sunt, nempe Ratio Dei aeterna, et Ratio humana.

Corollarium I. Igitur morum regula non constituitur a libertate; quia liber concipitur actus, antequam sit moralis.

II. Neque est collocanda in solo utili, et delectabili; quia propria cupiditas tunc modum non haberet, et quanto quis esset audacior, tanto esset honestior: quod rectae rationi repugnat.

III. Essentia moralitatis consistit in relatione actuum humanorum praecipue ad legem Dei aeternam.

ARTICULUS I.

DE SPECIEBUS MORALITATIS.

Q. Quot, et quaenam sunt species Moralitatis?

R. Sunt tres, nimirum Indifferentia, quam lex permittit, Bonitas, quam imperat, et Malitia, quam prohibet.

Q. Quotuplici modo considerari potest actus humanus?

R. Considerari potest in specie, nimirum quatenus dicit ordinem ad solum objectum ad quod ex se tendit: vel in individuo, nimirum quatenus dicit ordinem ad objectum, circumstantias, et finem operantis.

Q. Utrum dentur actus humani indifferentes in specie?

R. Affirmative. Nam varia sunt objecta, quae ex se plane sunt indifferentia ad bonitatem, vel malitiam, ut sunt ambulare...

Q. Utrum dentur actus indifferentes in Individuo?

R. Negative, quoad bonitatem scilicet, vel malitiam in ordine naturali. Nam actus in individuo includit finem operantis: atqui nullus actus spectatus secundum finem, quem sibi proponit operans, est indifferens: nam talis finis est bonum honestum, vel jucundum; neque enim potest amari malum quatenus malum; si sit bonum honestum, actus est bonus; si sit bonum jucundum, actus est malus: neque enim licitum est homini in suis actibus deliberatis operari propter solam delectationem, ut definivit Innocentius XI propositione 8ª, et ideo tenetur referre actus suos deliberatos ad finem honestum.

Dixi *quoad bonitatem, vel malitiam in ordine naturali:* nam quoad meritum vel demeritum in ordine ad vitam aeternam utique dantur actus indifferentes in individuo. Sic actus fidei et spei, quibus impii divina gratia excitati tendunt ad justitiam, nec merentur salutem aeternam; quia impii gratia sanctificante sunt destituti, nec digni sunt morte; quia illi actus sunt dona Dei ac Spiritus Sancti impulsus, non quidem habitantis, sed moventis. Hinc in Concilio generali Constantiensi damnata fuit haec Joannis Huss contraria propositio: *Nulla sunt opera indifferentia; sed haec est divisio immediata humanorum operum, quod sunt virtuosa, vel vitiosa.*

Q. Quaenam sunt conditiones, ut actiones nostrae sint bonae, et honestae, et non peccaminosae?

R. Non requiritur status gratiae, ut docuit Joannes Huss. Damnata est enim haec propositio Baii: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* 2° Neque requiritur virtualis relatio ad Deum ex motivo charitatis sive perfectae, sive imperfectae, ut docuit Jansenius: quia damnata fuit haec sententia ab Alexandro VIII. 3° Non requiritur, quod explicite referatur ad Dei gloriam actio ipsa. — Sufficit ergo ad honestatem actionis, ut velimus opus honestum qua tale cognitum. Nam nulla est obligatio directe dirigendi quamlibet actionem ad ultimum finem; et aliunde hae operae per se honestae sunt.

Q. Quid necessarium est, ut opus sit non solum honestum, sed meritorium vitae aeternae?

R. Conditiones requisitae sunt: 1° Ut opus sit moraliter bonum. 2° Ut sit voluntarium et liberum. 3° Ut sit hominis viatoris. 4° Ut fiat in statu gratiae, et divinae amicitiae. 5° Ut accedat Dei acceptatio et promissio de compensatione, vel retributione facienda. Ita communiter. Utrum vero necessarium insuper sit, ut opus per charitatem ad Deum referatur, communius negant; nam in Scripturis saepe promittitur vita aeterna operibus misericordiae, observationi mandatorum.

Q. Utrum actus externus augeat bonitatem, aut malitiam actus interni efficacis?

R. Non auget per se: nam voluntas efficax bene, vel male agendi pro facto apud Deum reputatur. *Quia*, ait Deus Abrahamo, *quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo*... Et Matth. c. 5° dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

Dixi *per se*, quia actus externus per accidens auget malitiam actus interni: nam experientia operis quandoque actum internum reddit intensiorem, aut diuturniorem: sic, v. g., voluptas actualis, quae percipitur ex fornicatione, affectum intensiorem efficere solet. Insuper scandala interdum nascuntur: contrahuntur censurae: oritur obligatio restituendi.

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIIS MORALITATIS.

Q. Quid intelligitur per principium, vel fontes Moralitatis?

R. Intelligitur *id, unde actus humanus suam desumit bonitatem, aut malitiam.*

Q. Undenam actus humanus desumit suam bonitatem, aut malitiam?

R. Ex objecto, fine, et circumstantiis, quae tria dicuntur fontes moralitatis.

Q. Ex quonam objecto moralitas desumitur?

R. Ex objecto spectato secundum suum esse morale, non secundum suum esse physicum.

Q. Quid est objectum physicum, seu materiale?

R. Est *res illa, circa quam actus versatur*, nempe *quam actus prosequitur, aut fugit.*

Q. Quid est objectum formale, seu secundum suum esse morale?

R. Est *objectum prout ab agente attingitur modo rectae rationi consentaneo, vel dissentaneo.*

Q. Quamnam moralitatem actus humanus desumit ab objecto?

R. Primo desumit moralitatem specificam: quia ratione objecti quaedam virtutes, et vitia a se invicem specie differunt: sic ratione objecti virtutes Theologicae differunt specie a virtutibus moralibus. Secundo desumit moralitatem primariam: quia actus humanus non potest concipi sine moralitate ab objecto sumpta, licet posset concipi sine aliis, v. g. Furtum in loco sacro perpetratum, licet possit concipi sine malitia sacrilegii, non potest tamen concipi sine malitia injustitiae.

Q. Utrum moralitas actuum humanorum desumatur etiam a fine extrinseco, seu a fine operantis?

R. Affirmative. Nam 1º Facit actum ex indifferenti bonum, vel malum; sic studium ad vanam gloriam est malum; et ad lucrum animarum est bonum. 2º Facit actum ex malo pejorem, v. g. Si quis furetur ad moechandum. 3º Facit actum ex bono malum, v. g. Si quis det eleemosynam ob vanam gloriam.

Q. Utrum moralitas, quae desumitur a fine extrinseco sit specifica, et essentialis?

R. Si actus spectetur ut est imperatus a fine ex cujus efficaci intentione procedit, desumit specificam moralitatem a fine; quia praecipue, et essentialiter respicit finem operantis. Si vero spectetur ut est elicitus a voluntate, tunc desumit moralitatem specificam ab objecto; quia praecipue, et essentialiter respicit solum objectum. Sic actus eleemosynae ad satisfaciendum pro peccatis, si spectetur ut est elicitus, suam specificam bonitatem desumit a misericordia; si spectetur ut est imperatus a poenitentia, suam specificam bonitatem desumit a virtute poenitentiae.

Q. Utrum idem actus possit habere duplicem speciem bonitatis?

R. Affirmative; si nempe idem actus prosequatur unum idemque objectum materiale propter duos diversos fines, v. g. Qui vult petere divinae gratiae auxilia tum propter praeceptum, tum ad Deo cultum exhibendum, ponit actum et obedientiae, et Religionis.

Q. Quid dicendum quando diversae actiones malae ad unum eundemque finem ordinantur?

R. Si illae actiones sunt contra eandem virtutem, et suapte natura ad unum eundemque actum completum diriguntur, et uno impetu voluntatis ad unum ordinantur, tunc communior ac probabilior sententia tenet, unam tantum esse malitiam ex illo actu completo, ut, v. g., dici solet de actibus impuris antecedentibus, concomitantibus, et consequentibus copulam. Si vero illae actiones non sunt contra eamdem virtutem, sed contra diversas, etsi coordinentur ad unum finem etc... plura erunt specie peccata.

Q. Quid censendum est, si actus externus habeat duplicem finem, unum nempe bonum, alterum malum?

R: Distinguendum; vel ratio mali finis superveniat actioni jam bonae, quin substantialiter in ipsam influat; vel antecedenter se habet, et influit in totum operis corpus ipsum causando. Si primum, bonitas actionis minuitur quidem aliquantisper, sed non tollitur substantialiter; quia finis malus se habet tantum concomitanter. Si secundum, actus erit totaliter malus; quia tunc ideo actus ille eligitur, ut sit instrumentum ad malum.

Q. Ad contrahendam malitiam necessarium ne est eam intendere, et ab ea moveri?

R. Sufficit eam in actu ipso deprehendere; ratio est, quia actio quae aliqua ex parte judicatur contraria regulae morum, eo ipso aberrat ab honestate.

Q. Quid requiritur ad actus bonitatem contrahendam?

R. Non sufficit deprehendere bonitatem in ipso actu; sed ait Angelicus: *Ut sit voluntas bona requiritur quod sit bona sub ratione boni, idest quod velit bonum, et propter bonum* (1, 2, q. 19, ar. 7). Ceterum sufficit, ut eam intendat in actu exercito, et non requiritur in actu signato.

Q. Quid sit circumstantia actus humani?

R. Definitur: *Accidens quoddam, moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tam physico, quam morali.*

Q. Utrum moralitas actuum humanorum desumatur etiam a circumstantiis?

R. Affirmative: quia subjacent regulis morum, idest ab eis praecipiuntur, vel prohibentur; ergo etc...

Q. Quotuplicis generis sint circumstantiae?

R. Duplicis, aliae enim sunt mutantes, vel addentes speciem, et sunt *illae, quae actum humanum trahunt in speciem diversam ab ea, quam ab objecto suo immediato desumit;* talis est circumstantia loci sacri in furto, et vanae gloriae in eleemosyna: circumstantia loci sacri in furto dicitur addens speciem; circumstantia vanae gloriae in eleemosyna dicitur proprie mutans speciem. — Aliae sunt aggravantes, vel minuentes, seu attenuantes speciem, et sunt *illae, quae augent, vel minuunt malitiam actus intra eandem speciem*, v. g. Incestus in primo vel in tertio gradu.

Nota. Circumstantia, quae peccatum transfert de veniali in mortale, mutat speciem Theologicam, non speciem Moralem, v. g. Furtum unius assis specie morali non differt a furto assium mille: sed differt specie theologica; quia secundum furtum meretur privationem gratiae, et gloriae.

Q. Utrum circumstantiae conferant actui humano moralitatem specie diversam a moralitate, quae provenit ex objecto?

R. Hanc conferunt circumstantiae speciem mutantes vel addentes, non vero eae, quae speciem dumtaxat aggravant.

Q. Quandonam circûmstantia speciem mutet?

R. 1° Quando efficit, ut actus opponatur alicui virtuti, cui alioquin non opponeretur; vel efficit, ut ei sit conformis: quia tunc sunt multae conformitates vel difformitates ad rectam rationem. 2° Quando circumstantia efficit, ut actus diverso modo eidem virtuti sit conformis vel difformis.

Q. Utrum circumstantiae debeant esse cognitae, et volitae, ut ad peccatum imputentur?

R. Debent esse cognitae, et volitae saltem interpretative; idest requiritur saltem, ut agens illas cognoscere debuerit, ac potuerit: ratio est; quia alias actus non esset voluntarius quoad circumstantiam incognitam.

Q. Quot sunt circumstantiae actuum humanorum?

R. Sunt septem, versu sequenti contentae

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Nota 1ª. *Quis* designat qualitatem, et conditionem accidentalem

personae operantis, v. g. si sit Sacerdos. — *Quid* denotat qualitatem objecti, v. g. an sit res sacra vel non, levis vel gravis. — *Ubi* denotat qualitatem loci, v. g. an in Templo, vel extra, an in pubblico vel non. — *Quibus auxiliis* denotat media vel instrumenta, quibus operans usus est. — *Cur* denotat finem extrinsecum operantis. — *Quomodo* denotat modum accidentalem, quo fit actio, v. g. an ex malitia aut ignorantia etc. — *Quando* denotat durationem et qualitatem temporis accidentalem.

Nota 2ª. Animadvertendum, quod dictus finis sit plerumque essentialis, et non accidentalis actui humano, ideo non potest dici pura circumstantia, nisi quando actus praecipue, et essentialiter respicit solum objectum.

ARTICULUS III.

DE AFFECTIONIBUS MORALITATIS.

Q. Quid intelligitur per affectionem moralitatis?

R. Intelligitur *ejus multiplicatio in eodem actu.*

Q. Utrum actus ex objecto malus in finem bonum relatus desinat esse malus?

R. Hunc actum esse simpliciter malum juxta illud Theologiae effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Et ad Rom. cap. 4: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Q. Utrum saltem intentio boni finis minuat malitiam actus ex objecto malo?

R. Minuit per se, quia qui malum operatur ex intentione boni finis minorem habet affectum ad peccatum; ergo minus peccat.

Q. Utrum unus idemque actus, v. g. eleemosyna ob vanam gloriam, possit esse bonus ex objecto bono, et malus ex fine malo?

R. Negative. Matth. c. 6 dicitur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Coelis est.* Ergo etc.

Q. Utrum circumstantia venialiter mala, quae in decursu operis boni, et in bonum finem directi, irrepit, totum ejus bonitatem auferat, et meritum?

R. Negative. Nam illa circumstantia nullo modo influit in actum bonum, neque ut causa efficiens, neque ut causa finalis, sed eum tantummodo extrinsece comitatur.

CAPUT IV.

De prima regula moralitatis.

Q. Quaenam est prima regula moralitatis?

R. Non conveniunt Theologi, quia alii assignant naturam rationalem. — Alii lumen rationis ab aeterna ratione nobis derivatum. — Alii voluntatem Divinam, et legem aeternam. — Sed nos dicimus, quod ratio humana sit regula proxima: lex aeterna sit regula remota, juxta illud D. Thomae: *Regula voluntatis humanae est duplex: una propinqua, et homogenea, scilicet ipsa ratio humana: alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei* (1, 2, q. 11, art. 6).

Q. Quotuplici modo possimus voluntatem nostram voluntati Divinae conformare?

R. Duplici, nempe 1° positive per actum expressum: 2° negative per non repugnantiam seu per approbationem.

Q. Quotuplex est volitum in Deo?

R. Duplex, nempe materiale quod *est objectum quod Deus vult;* et formale quod *est motivum, quo Deus vult objectum materiale.*

Q. Quomodo voluntatem nostram voluntati Divinae teneamur conformare tum in volito formali, tum in volito materiali?

R. Tenemur conformare positive dum agitur de praecepto: quia tenemur adimplere praeceptum Divinum, et hoc propter motivum, quo Deus dedit praeceptum. Tenemur negative tantum conformare voluntatem nostram voluntati Divinae dum agitur de consilio: sic non tenemur velle positive, seu amplecti virginitatem, quam Deus nobis consulit, sed tenemur eam approbare.

Q. Utrum semper, et in omnibus teneamur voluntatem nostram voluntati divinae negative conformare?

R. Tenemur in volito formali; quia motivum agendi in Deo est aequissimum. Non tenemur in volito materiali; quia plura vult Deus, quae non vult nos velle nisi saltem voluntate conditionata nempe, si Deus voluerit v. g. Deus ut causa prima, et universalis vult bella, quae tamen non vult, nos velle.

TRACTATUS SECUNDUS

DE CONSCIENTIA

—

Q. Quia est Conscientia?

R. Est *actus intellectus practici dictantis quid hic et nunc, spectatis omnibus circumstantiis, faciendum sit ut bonum, vel omittendum ut malum.* — Juxta etymologiam est *cordis scientia.*

Nota. Dicitur *intellectus practici*, quia versatur circa actiones humanas, ut eas dirigat in particulari. Unde ejus judicium vocatur practice practicum.

Synderesis est *judicium habituale speculativum principiorum generalium*, v. g. malum esse vitandum.

Prudentia generalis est *judicium*, *quod ex primis principiis deducit tantum conclusiones generales*, *abstrahens eas a circumstantiis.*

Inter ista tria sic proceditur: Synderesis dicit « Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. » Prudentia generalis concludit « Ergo non est retinendum id, quod est alterius. » Conscientia subsumit « Atqui haec pecunia, quam casu inveni, est aliena; » deinde concludit « Ergo eam retinere non debeo. »

Q. In quo Conscientia differt a sensu intimo?

R. In hoc, nempe Sensus intimus est perceptio, qua mens de praesenti suo statu admonetur, quin tamen intercedat ullum judicium practicum de liceitate, vel illiceitate actionis. — Conscientia vero exercet judicium circa moralitatem actionis.

Q. An conscientia habeat vim obligandi, et undenam habet?

R. 1° Affirmative. *Secundum hoc* (ait D. Thomas, quaest. 17 de ver. art. 4) *enim ligare conscientia dicitur*, *quod aliquis*, *nisi conscientiam impleat*, *peccatum incurrat.*

R. 2° Habet vim a Deo. D. Bonavent. (in 2 dist. 39, a. 1, q. 3) ait: *Conscientia est sicut praeco Dei*, *et nuntius; et quod dicit non mandat ex se*, *sed mandat quasi ex Deo.*

Q. Quomodo dividitur Conscientia?

R. Ratione objecti dividitur in veram, et in erroneam, seu falsam, et in perplexam. — Ratione assensus dividitur in certam, et dubiam; in scrupulosam, et latam; in probabilem, et improbabilem.

Nota. Conscientia potest dici etiam Antecedens, et Consequens: haec est vel Psycologica, vel Moralis. Psycologica *testificatur aliquid nos fecisse, vel non fecisse.* — Conscientia consequens Moralis est illa, *per quam judicamus rem, quae a nobis facta est, esse bene, vel male factam.* Haec accusat, vel excusat.

Per conscientiam antecedentem *judicamus aliquid esse faciendum.* Haec ligat, quare bonitas, vel malitia actuum non a consequenti conscientia desumitur; sed ab antecedenti.

Q. An plus obliget conscientia, quam Superioris Praeceptum?

R. Affirmative; sed si constet Superiorem non recte praecipere. Secus praesumptio stat pro illo.

CAPUT I.

De Conscientia vera, erronea, et perplexa.

Q. Quid est Conscientia vera, seu recta?

R. Est *ea, quae dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera licitum, vel illicitum est.* — Haec est certissima morum regula, cum sit recta synderesis, et legis applicatio ad actum particularem hic et nunc agendum. Licet vera, et recta promiscue accipiantur; tamen verum est id, quod revera in se est tale; rectum est id, quod fit juxta prudentiae regulas. Unde in se distinguuntur.

Q. Quid est Conscientia erronea, seu falsa?

R. Est *ea, quae dictat aliquid esse licitum, vel illicitum, quod revera non est tale.*

Q. Quotuplex est conscientia erronea?

R. Duplex, invincibiliter, et vincibiliter erronea.

Conscientia invincibiliter erronea est *ea, cujus error, omni diligentia adhibita depelli non potuit, aut non debuit,* ideo est inculpata.

Conscientia vincibiliter erronea est *ea, cujus error, adhibita diligentia necessaria depelli potuit, ac debuit.*

Q. Quotuplex est conscientia vincibiliter erronea?

R. Duplex, nempe vel est affectata, vel crassa pro ratione ignorantiae, ex qua nascitur.

Q. Conscientia erronea est ne regula morum?

R. Non est per se, sed est tantum per accidens, si sit invincibiliter erronea. Non est per se; quia debita legis, et synderesis applicatio ad actum particularem est regula per se. — Est vero per accidens; quia inculpate, et firmiter existimatur vera, quando est invincibiliter erronea.

Q. Potest ne agi contra conscientiam erroneam?

R. Qui agit contra conscientiam erroneam dictantem aliquid hic, et nunc esse praeceptum, vel prohibitum, peccat, sive error sit vincibilis, sive invincibilis. Nam non agit ex fide; quod autem non est ex fide, peccatum est. Ergo etc.

Q. In qua specie erit peccatum agentis contra conscientiam erroneam?

R. Erit in ea specie, et contra illam virtutem, ex cujus motivo actio putatur praecepta vel prohibita.

Q. Si conscientia ex errore dictet aliquid esse praeceptum, vel prohibitum sub aliqua censura, an operans contra ejusmodi conscientiam incurrat censuram?

R. Negative; quia poenae humanae non imponuntur nisi ob transgressionem legis de facto existentis. Sic qui percutit laicum, putans esse Clericum, non incurrit excommunicationem.

Q. Peccat qui operatur secundum conscientiam erroneam?

R. Distinguendum; si error sit invincibilis non peccat: quia ibi nullum potest esse peccatum, ubi nulla malitia apprehenditur. Quare si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitae, putans inculpabiliter, se ex charitate ad id teneri, actum bonum facit: et si non mentiatur, contra charitatem peccat. Idem dicendum si invincibiliter putet esse jejunium, et non jejunet.

Si error sit vincibilis peccat. Quia errat voluntarie, cum saltem indirecte, seu in negligentia inquirendi veritatem sit volita.

Nota. Laborans conscientia vincibiliter erronea semper peccat sive agat juxta conscientiam praecipientem, sive agat contra eam. Proinde ante actionem illa conscientia per inquisitionem veritatis deponenda est.

Nota 2ª. Si praeceptum urgeat, et non suppetat satis temporis ad consulendum, et inquirendum, tunc eliciendus est actus contritionis de priori ignorantiae peccato, eaque pars eligenda in qua minus

apparet esse mali: et sic culpa ulterior non imputabitur; quia error vincibilis fit invincibilis.

Nota 3ª. Licet in dicto casu non peccet, tamen si cum illa sua actione damnum proximo attulerit, tenetur ad restitutionem: contritio enim subsequens non facit, ut illa ignorantia non fuerit primitus libere posita, neque ex illa damnum non fuerit secutum.

Q. An teneamur sequi conscientiam invincibiliter erroneam?

R. Tenemur eam sequi in iis, quae dictat esse praecepta, vel prohibita. Quia cum deponi nequeat, neque agi contra illam, tenemur sequi.

Q. An mereamur illam dictam conscientiam invincibiliter erroneam sequendo?

R. Licet nonnulli negent; tamen sententia probabilior, et communissima docet, operantem mereri non quidem ratione objecti, quod malum est, et in Deum referri non potest; sed ratione finis, qui est bonus. D. Thomas (Quodlib. 3, art. 13) ait: *Actus humanus iudicatur virtuosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus.*

Q. Utrum gravius sit agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam eam sequi?

R. Gravius est absolute, et caeteris paribus, agere contra, quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam. Qui enim contra conscientiam agit, scienter operatur; qui eam sequitur, ex ignorantia operatur. Ita D. Thomas.

Q. Quale sit peccatum contra conscientiam agere an mortale, an veniale?

R. Tale, quale a conscientia existimatur; quia hujusmodi peccata specificantur ab objecto, ut apprehenditur.

Q. Quale sit peccatum agere contra conscientiam erroneam, quae dictat aliquid esse malum, sed non determinat, an sit mortaliter malum, an venialiter tantum?

R. Judicandum juxta dispositionem: si agens sit dispositus illam actionem facere, etiamsi sit mortale, faciens peccat mortaliter. Si vero non faceret, si sciret illam esse mortaliter malam, tunc peccat venialiter.

Q. Utrum poenitens teneatur obedire Confessario, Parocho, Superiori, cum praecipiant, ut dictamen conscientiae contemnetur tamquam erroneum?

R. Ordinarie teneri. — Dixi ordinarie, nam si poenitens noverit

se scientiam habere parem vel superiorem scientiae Confessarii etc... non tenetur scientiam mutare; sed debet actionem suspendere, donec diligentius rem indagaverit.

Q. An Confessarius monere tenetur poenitentem, qui conscientia laborat vincibiliter erronea?

R. Semper tenetur; etiamsi praevideat monitionem ob ejus malitiam non esse profuturam, quia secus ille semper culpabiliter peccabit.

Q. Utrum Confessarius teneatur monere poenitentem, qui conscientia invincibiliter erronea laborat?

R. Aliquando debet, aliquando non debet.

Debet 1° Si error invincibilis vergat in dispendium boni communis, quidquid sit de monitionis successu.

2° Debet eum monere, si error sit de necessariis ad salutem necessitate medii.

3° Si spes emendationis effulgeat sine periculo majoris incommodi.

Non debet poenitentem monere, si non speretur fructus: imo si monitio nociva magis, quam utilis futura esse praevideatur.

Unde 1° Non est monendus poenitens, si error sit in praejudicium temporale tertii particularis: si per ignorantiam retineat pecuniam alienam, quia Confessarius magis praecavere debet spirituale damnum poenitentis, quam damnum alterius temporale.

2° Non est monendus poenitens de nullitate matrimonii, si noverit nullo modo ei profuturam hanc monitionem. Sed debet a Confessario peti dispensatio, et si urgeat necessitas suscipiendi Sacramentum eum absolvat.

Q. Ex quibus signis colligere potest Confessarius, conscientiam poenitentis erroneam esse invincibiliter, aut vincibiliter?

R. Ex quinque signis. 1° Si poenitens sit vir probus, ac timoratae conscientiae.

2° Si advertens, se per ignorantiam violasse praeceptum dolet etc.

3° Si nunquam scrupulus, aut dubium aliquod praecessit: neque aliquam indecentiam in hoc actu unquam advertit.

4° Si res ignorata sit juris humani, vel positivi divini: et non sit circa obligationes proprias.

5° Si res ignorata sit quidem juris naturalis, sed difficillima, vel inter ipsos Theologos. — His contrarium indicat conscientiam vincibiliter erroneam.

Q. Quid est Conscientia Perplexa?

R. Est *ea, qua quis putat se peccare tam si hanc, quam si illam contradictionis partem elegerit.*

Q. Quid agere debet qui laborat conscientia perplexa?

R. Tenetur actionem suam suspendere, donec peritos consulerit. Si suspendere nequeat, tunc tenetur amplecti id quod vere judicat minus malum: alioquin peccat in excessu, quia in eo liber est.

Q. Quid si nesciat discernere quodnam sit minus malum?

R. Tunc quamlibet partem eligat non peccat. *Quia peccatum non est in eo, quod nullo modo caveri potest* (S. Aug. lib. 3, de lib. arb.).

CAPUT II.

De Conscientia scrupulosa, et lata.

Q. Quid est Conscientia scrupulosa?

R. Est *ea, qua mens, levibus nixa fundamentis, cum anxietate judicat aliquid subesse mali, vel timet, ne aliquid mali subsit in actione bona, vel indifferenti.*

Q. Quid est Conscientia lata?

R. Est *ea, qua mens ex levissimis, et quidem cupiditati faventibus rationibus licitum esse putat quod malum esse facile deprehendi potest, aut pro levi peccato habet, quod graviter communiter reputatur.* Utraque conscientia ad erroneam pertinet.

Conscientia lata tripliciter consideratur, nempe laxa simpliciter, quae libertatem plus justo extendit.— Conscientia pharisaica, quae magna parvi, et parva magni facit. — Cauteriata, quae ex habitu peccandi etiam gravissima nihil pendit, judicando bonum malum, et malum bonum sine ullo remorsu.

Q. Utrum Conscientia scrupulosa, et lata sint regula morum?

R. Non sunt, quia sunt improbabiles, et imprudentes, cum vanis, et futilibus nitantur rationibus.

Q. Utrum scrupulosus possit ac debeat contra scrupulos agere?

R. Si scrupulus sit verum judicium de malitia operis, non potest scrupulosus contra scrupulum non depositum agere; quia scrupulus sic sumptus est conscientia practice erronea. Si vero scrupulus sit timor, ne aliquid mali subsit in opere junctus cum judicio practico de liceitate actionis, tunc potest agere contra scrupulos.

Nota. Causae scrupulorum sunt: Permissio divina: Daemonis operatio: Complexio melancholica, et phlegmatica: Imbecillitas capitis, vel pusillanimitas: Nimia sollicitudo id omne vitandi, quod habet speciem mali: Consortium cum scrupulosis.

Signa scrupulorum sunt: Pertinacia iudicii: Frequens inconstantia in agendo: Timor peccandi in omnibus conjunctus cum mentis pertinacia: Reflexiones impertinentes circa circumstantias: Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum in confessione: Anxietas continua circa confessiones praeteritas, non obstante opposita admonitione confessarii.

Q. Quomodo Confessarius cum scrupuloso se gerere debet?

R. Debet 1° Causas scrupulorum explorare, et remedia magis utilia applicare.

2° Non debet pati, ut Scrupulosus saepius ad eum recurrat.

3° Debet ei inculcare necessitatem obedientiae.

4° Moneat eum quod ipsi sufficiat examen valde mediocre.

5° Non permittat repetere praeteritas Confessiones.

6° Non permittat eum abstinere a frequentandis Sacramentis.

7° Caveat, ne transeat ab uno extremo ad aliud.

Q. Quaenam sunt causae, effectus, et remedia Conscientiae latae?

R. 1° Causae sunt vita mollis: neglectus orationis: nimia sollicitudo rerum temporalium: peccandi consuetudo: familiaritas cum vitiosis: luxuria.

R. 2° Effectus hoc versu exprimuntur:

Caecutiens, durum, pia spernens, neque dolens cor.

R. 3° Remedia sunt recessus spiritualis per aliquot dies: frequens oratio: discussio quotidiana conscientiae: meditatio novissimorum: diligens Confessio: fuga improborum, et conversatio cum bonis.

CAPUT III.

De Conscientia certa, et dubia.

Q. Quid est Conscientia certa?

R. Est *judicium firmum, et sine formidine saltem rationabili de bonitate, aut malitia operis hic, et nunc faciendi.*

Q. Quid est Certitudo moralis?

R. Est *assensus veritati, quae nititur legibus, quibus homines in suis actibus tuto reguntur.*

Nota. Certitudo moralis potest esse perfecta, et imperfecta. Prima ita fundatur legibus moralibus, ut clare percipiatur, propositionem falsam esse non posse. Imperfecta est ea, quae errorem certe non excludit, quamvis rarissime contingere possit.

Q. Quotuplex est Certitudo moralis?

R. Duplex, nempe directa, et reflexa. Directa *oritur ex principiis propriis et intrinsecis rem ipsam afficientibus.*

Reflexa est *illa quae habetur ex principiis generalibus rem ipsam afficientibus tantum extrinsece.*

Nota 1ª. Sola conscientia certa, et recta est regula morum; quia omne, quod non est ex fide, peccatum est.

Nota 2ª. Ad recte agendum sufficit conscientia moraliter certa etiam imperfecta; quia agens cum tali conscientia vere ex fide agit. Insuper certitudo absoluta plerumque haberi nequit.

Q. Quid est Conscientia dubia?

R. Est *suspensio judicii circa bonitatem, aut malitiam operis hic et nunc agendi.*

Nota. Conscientia dicitur negative dubia, si pro neutra parte sint rationes. — Positive dubia, si pro utraque parte adsint rationes.

Q. Quotuplex est Dubium?

R. Dividitur in positivum et negativum; in dubium Juris et facti.

Positivum est *quando pro utraque parte occurrunt graves rationes.* Negativum *quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves.* Unde pro nihilo habendum est.

Dubium Juris est *illud, quo dubitatur, an aliquid sit praeceptum nec ne, vel an existat obligatio, vel lex.*

Dubium facti est *quando dubitatur, an satisfactum fuerit praecepto.*

Dubium Juris subdividitur in Speculativum seu (ut alii dicunt) speculative practicum; et in Practicum, seu practice practicum. Speculativum est *illud, quo quis dubitat de rei veritate, vel de bonitate, vel malitia actionis in se, abstrahendo a praesentibus circumstantiis.*

Practicum, seu practice practicum, seu simpliciter practicum est *illud, quo dubitatur de liceitate alicujus actionis hic et nunc cum omnibus suis circumstantiis faciendae.*

Q. Utrum stante dubio speculativo possit haberi moralis certitudo de honestate actionis, idest conscientia practice certa?

R. Affirmative: quia dubium speculativum non excludit practicam hanc moralem certitudinem: nam aliae sunt rationes, quibus judicamus de rei veritate, v. g. an bellum hoc sit justum: et aliae sunt rationes, quibus judicamus de honestate actionis, v. g. an in bello praedicto liceat subditis praeliari, imperante principe.

Q. Stante dubio practico de honestate actionis, licet ne agere?

R. Negative: quia nefas est agere; sed prius dubium deponi debet; non enim esset ex fide.

Q. Quid si quis apprehendat quidem id quod agit, esse peccatum, sed non advertat mortale ne sit, an veniale?

R. Licet diversae sint sententiae; tamen nos cum Scavini dicimus, si neque in confuso advertat ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, nec objectum sit ex se mortale, non peccat nisi venialiter. Mortale tamen erit, si secus esset; quia periculo se exponit peccati mortalis, ait D. Thomas.

Q. Quomodo practice dubitans de honestate suae actionis se gerere debet, ut conscientiam practice certam sibi valeat efformare?

R. Si dubium sit inane, illud despiciendo deponat.— Si sit grave, tunc vel dubitans est rudis, et consulat confessarium vel peritum; vel est excultus, tunc rem examinet ad dubium vincendum, vel deponat per principia reflexa. — Si nihil ex dictis potest facere, et velit agere; eam partem debet eligere, quae ab omni periculo peccati removet. Quod si neutra pars a peccato removeat, tunc ab actione abstinere debet. Si non possit abstinere, eligat quod minus malum ipsi apparet. — Si utrumque appareat aeque grave, eligat quod vult.

Q. Utrum conscientia practice dubia sit regula morum?

R. Negative. Nam regula morum debet determinare ad assensum. Atqui conscientia dubia non determinat ad assensum, sed suspendit judicium.

Q. Quomodo conscientia dubia possit deponi, et fieri moraliter certa?

R. Per principia reflexa.

Q. Quaenam sunt haec principia reflexa?

R. Principium 1. et coeterorum principalissimum est: *Lex dubia non potest inducere obligationem certam.*

2. *In dubio melior est conditio possidentis.*

3. *In dubiis pro eo standum est, pro quo stat praesumptio.*

4. *In dubio omne factum praesumitur recte factum.*

Vel *In dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum erat.* Sive *In dubio standum est pro valore actus.*

5. *In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus.*
6. *In dubio nemo praesumitur malus nisi probetur.*
7. *In dubio favores ampliandi, odia restringenda.*
8. *In dubio favendum est reo.*
9. *In obscuris minimum est sequendum.*
10. *In dubiis pars tutior est eligenda.*

Nota. In nonnullis casibus adest etiam aliud principium: *In dubiis praesumptio stat pro Superiore.*

Q. Quare ista principia dicuntur reflexa?

R. Quia a proprio immediato, et directo eorum objecto ad aliud per ratiocinationem quasi flectuntur, ut per ea possit recte definiri pro praxi proposita controversia. S. Ligorius.

Q. Quid est Praesumptio?

R. Est *suppositio, quae fit, vel fieri debet ex communiter contingentibus.* Sic v. g. qui semper fuit bonus, in dubio, an commiserit peccatum, praesumptio militat in ejus favorem.

CAPUT IV.

De probabilitate.

Q. Quid est probabile?

R. Juxta etymologiam, est *illud quod potest probari.* — Juxta significationem, Probabilitas definitur: *Motivum grave, sed absolute fallibile, reddens opinionem verosimilem.*

Q. Quotuplex est probabilitas?

R. Praecipue est quadruplex, nempe ratione motivi, est intrinseca, et extrinseca.—Intrinseca est *illa, quae innititur rationum momentis desumptis ab ipsa natura rei, de qua agitur.* — Extrinseca est *illa, quae praetermissis rationibus intrinsecis, tota fundatur in testimonio, et auctoritate Doctorum.*

Ratione objecti est probabilitas Juris, et facti. — Juris est *illa, quae versatur circa liceitatem, et honestatem actionis.* — Facti est *illa quae versatur circa rei veritatem, seu substantiam.* Dixi *praecipue;* quia probabilitas consideratur etiam absoluta, et in se, vel re-

lativa. — Absoluta est *illa quae apparet probabilis in se sola spectata.* — Relativa est *illa, quae est probabilis comparatione instituta cum alia contradictoria.*

Q. Quotuplex est Probabilitas comparativa, seu relativa?

R. Dividitur per gradus, quos habet, nempe in probabilitatem majorem, minorem, et aequalem.

Ex hoc oritur divisio in probabilem, aeque probabilem, probabiliorem, et probabilissimam.

Probabile *est id, quod innititur gravi motivo, sed fallibili.* — Probabilius *est id, quod innititur graviori fundamento, seu motivo.* — Probabilissimum est *id, quod innititur gravissimo motivo, sed cum aliqua formidine de opposito.*

ARTICULUS I.

DE OPINIONE.

Q. Quid est Opinio?

R. Est *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.*

Nota. Opinio differt a dubio, ab errore, et a scientia, ut patet.

Q. Quid est Opinio probabilis?

R. Est *ille actus intellectus nostri, quo gravi quidem, sed fallibili fundamento innixi, judicamus, aliquid esse in se licitum, vel illicitum cum formidine oppositi.*

Q. Quid requiritur, ut opinio sit vere probabilis?

R. Requiritur, ut nec rationi evidenti, nec Scripturae, nec traditioni, nec communi Patrum consensui, nec Ecclesiae definitionibus, nec communi Doctorum sententiae adversetur.

Q. Quid est opinio Improbabilis?

R. Est *actus, quo intellectus ob motivum nullius, vel levis momenti judicat, actionem esse licitam, vel illicitam.*

Q. Quotuplex est opinio probabilis?

R. Dupliciter considerari potest, nempe vel in se, seu in sua probabilitate tantum spectata: vel respective, seu comparative ad aliam.

Q. Quotuplex est opinio probabilis in se spectata?

R. Duplex; nempe vel est leviter probabilis; vel vere, et graviter probabilis juxta majus, vel minus motivum, quo innititur.

Q. Quotuplex est opinio probabilis respectiva, seu comparativa ad aliam opinionem?

R. Multiplex est; nempe: 1° Dividitur in opinionem minus probabilem, in aeque probabilem, in probabiliorem, et in probabilissimam.

2° Dividitur in opinionem communem, in communiorem, in minus communem, et in communissimam.

3° In opinionem tutam, in tutiorem, in minus tutam.

Opinio aeque probabilis est *ea, cujus rationes, et auctoritates sunt ejusdem, aut fere ejusdem ponderis cum rationibus, et auctoritatibus opinionis contradictoriae.*

Opinio minus probabilis est *ea, cujus rationes, et auctoritates minus praeponderant rationibus, et auctoritatibus partis oppositae.*

Opinio probabilior est *ea, cujus rationes, et auctoritates praeponderant rationibus, et auctoritatibus partis oppositae.*

Opinio probabilissima est *ea, cujus rationes, et auctoritates sunt gravissimae prae oppositae opinionis rationibus.*

Opinio communis est *ea, quae multos habet pro se Auctores.*

Communior est *ea, quae multo plures.*

Minus communis est *ea, quae pauciores.*

Communissima est *ea, quae fere omnes pro se habet Auctores.*

Opinio tuta est *ea, quae removet a periculo peccandi.*

Tutior est *ea, quae magis removet a periculo peccandi.*

Minus tuta est *ea, quae minus removet a periculo peccandi.*

Nota 1ª. Opinio tutior favet legi: minus tuta favet libertati.

Nota 2ª. Parvus excessus, ac tenuis praeponderatio in moralibus vix aestimari potest. Unde D. Thomas dicit: *Quod parum est, quasi nihil habet ratio*

Q. Ut opinio dici possit vere, et satis graviter probabilis probabilitate extrinseca sufficit ne auctoritas tantum unius Auctoris?

R. Sufficit auctoritas unius, et solius auctoris gravis magni nominis in Ecclesia, et omni exceptione majoris ut, v. g. D. Thomas, Bonavent. etc. Non sufficit vero auctoritas cujuscumque auctoris, et cujuscumque notae.

Q. Potestne dari casus, in quo opinio tutior sit minus probabilis, et opinio probabilior sit minus tuta?

R. Affirmative. Quia securitas opinionis desumitur ex ejus distantia a peccato: probabilitas vero ex majoris veritatis apparentia.

Q. In conflictu duarum opinionum quot hypotheses possunt exoriri?

R. Tres, nempe 1° Ut una opinio sit minus tuta, simul et minus probabilis; altera vero tutior, et probabilior, v. g. Mercatores ex professo gabellas fraudantes non teneri ad restitutionem, haec opinio est minus tuta, et minus etiam probabilis. Contraria opinio, quae docet tales mercatores peccare, et teneri ad restitutionem, est magis tuta, et probabilior.

2° Ut una sit minus tuta, sed magis probabilis, v. g. Beneficiatum habentem bona patrimonialia ex hisce vivere debere, non vero ex ecclesiasticis reditibus, est opinio tutior. Sed contraria opinio, quae docet Beneficiatum ad id non obligari, est minus tuta, sed probabilior.

3° Ut ambae sint aeque probabiles, sed una minus tuta favens hominis libertati; altera magis tuta favens legi, v. g. Ecclesiasticum, qui de reditibus alicujus beneficii accipit pensionem, non teneri ex justitia ad eroganda pauperibus superflua suae pensionis, est opinio, aeque probabilis opinioni contrariae. Sed illa favet libertati, ideo minus tuta; haec contraria favet legi, ideo magis tuta.

Q. An usus opinionis probabilis in se, et in sua probabilitate consideratae sit licitus?

R. Distinguendum: non est licitum in re morali facere usum opinionis illius, quae est leviter, et tenuiter probabilis. Adest enim propositio damnata ab Innocentio XI, idest: *Generatim dum de probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeàtur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*, licitum vero est facere usum opinionis vere satis graviterque probabilis: quia meretur assensum viri prudentis.

Q. Estne instituenda differentia inter veritatem opinionis. et usum ejusdem opinionis?

R. Affirmative; maxima imo est differentia. Nam aliud est quaerere, utrum, haec opinio vera sit objective, an non? Et aliud est quaerere, utrum liceat hac opinione uti in praxi, licet sit dubia. Potest enim contingere, ut principium directum de veritate opinionis relinquat ipsam opinionem in statu dubii quoad veritatem obiectivam, idest in se: et principium reflexum constituat eandem ipsam opinionem in statu certitudinis quoad honestatem subjectivam, idest in subjecto agente.

Objicies. Ex hoc sequeretur absurdum, quod nempe de eodem objecto haberi posset dubium simul, et certitudo.

Resp. Negatur sequela: dubium enim, et certitudo in hoc casu

non sunt de eodem objecto. Quia dubium respicit veritatem opinionis in se, certitudo respicit honestatem actionis in illo, qui tali utitur opinione.

ARTICULUS II.

DE CONSCIENTIA PROBABILI, ET IMPROBABILI.

Q. Quid est Conscientia probabilis?

R. Est *actus, quo intellectus ob motivum grave, quamvis fallibile judicat, actionem hic, et nunc exercendam esse licitam, vel illicitam.*

Q. Quid est Conscientia improbabilis?

R. Est *actus, quo intellectus ob motivum nullius, vel levis momenti judicat, actionem hic, et nunc exercendam esse licitam, vel illicitam.*

Q. Adestne differentia inter Opinionem probabilem, et Conscientiam probabilem?

R. Magna, imo maxima est differentia. Nam opinio probabilis judicat aliquid esse licitum vel illicitum abstrahendo a praxi, nempe a circumstantiis actualibus. — Conscientia vero judicat actum ipsum in praxi, nempe cum omnibus suis circumstantiis hic, et nunc ponendum.

Q. Conscientia probabilis est ne regula morum?

R. Negative: quia sola conscientia certa est regula morum.

ARTICULUS III.

DE VARIIS SYSTEMATIBUS CIRCA PROBABILITATEM.

Q. Quot sunt systemata Moralistarum circa hanc probabilitatem?

R. Sunt sex, nempe: 1° Tutiorismus absolutus, seu Rigorismus, juxta quem pars tutior semper sequenda est.

2° Tutiorismus mitigatus, juxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem.

3° Probabiliorismus, juxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior.

4° Aequiprobabilismus, juxta quem licitum non est, sequi opinionem minus tutam, nisi sit aeque probabilis ac opposita, vel fere aeque probabilis.

5° Probabilismus, juxta quem licet sequi opinionem minus tutam,

et minus quoque probabilem, modo vera, et solida probabilitate gaudeat.

6° Laxismus, ex quo semper fas est sequi opiniones etiam tenuiter probabiles. Sed hoc systema fuit damnatum etc.

Nota 1ª. Theologi pro variis circa valorem probabilitatis opinionibus varia sortita sunt nomina: nempe vel Tutioristae seu Rigoristae vocantur, vel Tutioristae mitigati; vel Probabilioristae, vel Aequiprobabilistae; vel Probabilistae, vel Laxistae.

Nota 2ª. Rigorismus fuit reprobatus ab Alexandro VIII, qui damnavit hanc propositionem: *Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam.*

Systema quod nobis amplecti arridet.

Q. Quodnam est Systema hodie tenendum?

R. Est Systema S. Alphonsi de Ligorio, nempe Probabilismus moderatus. Quare omnes, qui hoc Systema amplectuntur, vocantur Probabilistae moderati, vel Aequiprobabilistae.

Q. In quo consistit hoc morale Systema?

R. Fulcrum hujus systematis est, quod non licet operari cum conscientia probabili, seu cum opinione practice dubia, vel cum dubio practico de bonitate vel malitia actionis; quia cum tali conscientia non ageretur ex fide. Ideo juxta hoc systema debet fieri conscientia certa per applicationem principiorum reflexorum.

2° Quando dicit, *licet sequi opinionem probabilem, vel probabiliorem* etc. indicat, opinionem probabilem speculative acceptam, vel, ut alii dicunt, speculative practicam: non vero indicat opinionem practicam, vel, ut alii dicunt, practice practicam; quia opinio probabilis practice practica faceret agere cum conscientia probabili, quod est damnatum ab Innocentio XI illa prop. *Qui probabiliter agit, prudenter agit.*

3° Hoc systema Probabilismi moderati respicit tantum probabilitatem juris; idest liceitatem, et honestatem actionis; non vero probabilitatem facti, idest veritatem seu substantiam rei. Quare circa opinionem probabilem probabilitate juris sic proceditur.

Propositio 1ª. Non licet sequi Conscientiam probabilem, eo quod sit probabilis; quia operans non agit ex fide.

Prop. 2ª. Licet sequi opinionem vere, solide, graviterque probabilem in concursu alterius probabilis oppositae, dummodo agens efformet sibi conscientiam moraliter certam de honestate actionis

suae ex principiis reflexis. Ratio est; quia lex dubia non obligat; sed cum tali principio, stante dicta probabilitate, potest excludi, et revera excluditur omne dubium practicum in agente. Ergo etc...

Prop. 3ª. In concursu duarum opinionum aeque probabilium probabilitate juris, homo licite potest eligere, et sequi opinionem minus tutam, relicta alia aeque probabili, sed tutiori, quae favet legi: dummodo stante tali probabilitate sibi efformet conscientiam certam de honestate suae actionis ex principiis reflexis. Ratio est; quia in tali casu lex evadit dubia. Sed lex dubia non obligat. Ergo licet homini etc....

Prop. 4ª. Licet sequi opinionem minus tutam, sed magis probabilem in concursu tutioris, sed minus probabilis probabilitate juris. Ratio est, quia ut ait D. Antoninus: *Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis; sed ex probabilibus conjecturis grossis, et figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus.*

Prop. 5ª. Non licet sequi opinionem probabilem, quae hominis libertati favet in concursu probabilioris, quae favet legi. Ratio est; quia qui agit cum tali opinione, non agit prudenter. Cum non possit efformare sibi conscientiam certam, quatenus assensus semper magis tendit ad partem contrariam.

SYSTEMA MORALE

De Opinione probabili probabilitate Facti.

Prop. Non licet sequi opinionem probabilem, imo probabiliorem probabilitate facti in his quatuor casibus, nempe:

1° Quando agitur de periculo damni proximi.

2° Quando agitur de fine, quem absolute curare tenemur, et ad quem major probabilitas non conducit: ita est in materia fidei, et in iis, quae sunt necessaria necessitate medii ad salutem, ubi unice attenditur factum.

3° Quando agitur de iis, quae requiruntur ad valorem Sacramentorum: quia Sacramenta non pendent ab hominis opinione, sed ab institutione Divina.

Nota. Nisi urgeat casus necessitatis, quia cum Sacramenta sint propter homines, hominibus in gravi periculo vitae ea ministranda sunt meliori modo, quo fieri potest.

4° Quando agitur de illo, qui ad tutiora adhibenda tenetur vel ex conventione tacita, aut expressa, vel voto, vel praecepto Superioris; quia pacta, promissiones, et praecepta servari omnia jura clamant.

Nota. Ista quatuor sequenti versiculo exprimuntur: *Si damnum, finisque, valor, si tutius urget.*

Q. Quare in his non licet uti opinione probabili?

R. Quia si error forte subsit opinioni, quamvis probabiliori, perdita sunt omnia; neque enim major probabilitas immutat rerum naturam.

Q. Quaenam sententia igitur in his casibus debet amplecti?

R. Debet amplecti sententia tuta, vel tutior. Quare semper viget illud principium: *Tutior pars est eligenda.*

Sic debet facere medicus, tenetur adhibere medicamenta tutiora etc. Sic in administratione, et susceptione Sacramentorum etc. Judex tenetur judicare juxta sententiam probabiliorem etc. Propositio contraria damnata fuit ab Innocentio XI.

Q. In quo conveniunt, et in quo differunt Probabilistae moderati a Tutioristis, seu Rigidistis?

R. Conveniunt in hoc, idest ut recte agi possit requiritur conscientia certa. — Differunt autem in hoc nempe, Tutioristae dicunt, quod haec conscientia certa possit efformari tantum a sententia tuta, tutiori, et probabiliori. Probabilistae docent, quod possit recte efformari per principia reflexa, dummodo opinio speculativa de liceitate actionis sit graviter, et solide probabilis.

Nota. Illud dictum: *Qui probabiliter agit prudenter agit*, est falsum, si intelligatur, quod possit operari recte cum probabilitate practica. — Est verum, si intelligatur, quod cum probabilitate speculativa per principia reflexa facta conscientia certa de licitate actionis prudenter operatur.

TRACTATUS TERTIUS

DE LEGIBUS

CAPUT I.

De legibus in communi.

Q. Quid sit lex?

R. Est *rationis ordinatio stabilis ad bonum publicum promulgata ab o, qui curam Communitatis habet, cum intentione obligandi subditos.*

Q. Quotuplex est Communitas?

R. Duplex: perfecta et imperfecta. Perfecta est *ea, quae sibi sufícit ad conciliandam, et conservandam pacem, ac tranquillitatem pulicam:* ut Ecclesia, Regnum, Provincia sui juris, Dioecesis etc. — mperfecta est *ea, quae ad praedictum finem sibi non sufficit:* ut faailia, parochia etc.

Q. An idem sit lex, et praeceptum?

R. Etsi aliquando indistincte accipiantur; differunt tamen sicut enus a specie; omnis enim lex est praeceptum; sed non omne praeeptum est lex. Unde differunt in hoc. 1° Lex fertur in Communiatem; praeceptum etiam in personam privatam. 2° Legislator est ersona publica; praecipiens potest esse persona privata. 3° Finis egis est bonum commune; finis praecepti bonum privatum. 4° Lex fficit immediate territorium; praeceptum immediate personam. ° Praeceptum cessat morte praecipientis; lex vero non extinguitur um legislatore.

Q. Quales sint proprietates, seu conditiones legis humanae?

R. Ex parte objecti 1° debet esse honesta, vel in se, vel saltem atione boni communis ad quod licito modo ordinatur. 2° Debet esse ıoraliter possibilis. Ex parte legislatoris non debet excedere suam otestatem. Ex parte subditorum debet esse aequa, idest servare equalitatem proportionis in onerum distributione: secus subditi non

obligantur quoad excessum injustum, nisi per accidens, idest ratione scandali.

Q. Quinam leges condendi facultate pollent?

R. Illi omnes, qui Communitatis perfectae curam habent. Communitas perfecta est illa, quae sibi sufficit ut, v. g., Regnum, civitas ab aliena jurisdictione exempta, et alia hujusmodi.

Q. Quid sit promulgatio?

R. Est *authentica illius notificatio, iis facta a quibus legislator vult eam impleri.*

Q. Utrum promulgatio sit de essentia legis?

R. Est complementum essentiale legis, prout actu, et de facto obligantis; quia voluntas legislatoris per promulgationem constituitur formaliter in esse regulae, cui subditus se conformare debet, juxta illud Augustini apud Gratianum dist. 4, c. 3: *Leges instituuntur, cum promulgantur.*

Q. Utrum lex prioris revocatoria debeat promulgari?

R. Si sit lex revocatoria prioris legis favorabilis debet promulgari. Nam lex revocatoria est vera lex. — Si sit revocatoria prioris legis odiosae, non debet promulgari; quia illa lex est favorabilis.

Q. Quinam sunt actus legis?

R. Sunt quatuor hoc versiculo contenti:

Praecipit, ac prohibet, permittit, denique punit.

Q. Quinam sunt effectus legis?

R. Duplex est, nempe 1° Obligatio subditorum. 2° Bonitas ipsorum subditorum.

Q. Quotuplex est praeceptum legis?

R. Duplex, nempe vel affirmativum, quod obligat ad actum bonum eliciendum, et dicitur obligare semper; vel est negativum, quod obligat ad omittendum actum, et dicitur obligare semper et pro semper.

Nota. Omnia fere legis praecepta etsi secundum expositionem videantur esse vel tantum affirmativa, vel tantum negativa, prout vel aliquid praecipiunt simpliciter, vel prohibent; attamen in se includunt utrumque.

Q. Quomodo leges promulgantur?

R. Lex Divina tripliciter promulgari potest, nempe: 1° Per internam revelationem. 2° Per externam locutionem absque solemnitate; sic Christus mandata sua tradidit Apostolis. 3° Per externam locutionem cum solemnitate; sic lex mosaica in monte Sinai etc.

Lex humana debet solemniter promulgari, idest debet publice proponi, ut facile possit ad subditorum notitiam pervenire, quocumque modo fiat.

Q. Cur lex humana solemnitatem promulgationis requirat, non vero divina?

R. Quia legislator humanus duplicem sustinet personam; unam privatam, et unam publicam; condit leges, ut persona publica, et ideo debet cognosci per solemnitatem, quando loquitur, ut persona publica.

Q. An obliget lex dubie promulgata?

R. Negative: quia non est sufficienter manifestata.

Q. Quotuplex est lex?

R. Praecipue dividitur in legem aeternam, in Naturalem, in Divinam positivam, et in humanam.

Lex humana subdividitur in ecclesiasticam et civilem. — In moralem, aut poenalem, vel mixtam. — In prohibentem, vel irritantem, vel permittentem. — In favorabilem, et odiosam. — In scriptam, vel usu servatam.

CAPUT II.

De lege aeterna.

Q. Quid sit lex aeterna?

R. Definitur a D. Aug. *Ratio Divina, vel voluntas ordinem naturalem servari jubens, et perturbari vetans.*

Nota. Lex praesuppositive consistit in actu intellectus, et formaliter in actu voluntatis.

Q. Utrum omnia subjiciuntur legi aeternae?

R. Affirmative. Quia creaturae rationales ipsi subjiciuntur ut praecipienti vel prohibenti; irrationales vero illi subjiciuntur, ut ordinanti, et moventi illas in suos fines, non vero ut praecipienti; quia non sunt capaces praecepti, et obedientiae.

Q. Utrum omnes leges a lege aeterna derivantur?

R. Affirmative. Nam de lege aeterna dicitur (Proverb. c. 8): *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Ratio

est; quia in omnibus moventibus ordinatis virtus secundi moventis derivatur a primo.

Q. Quomodo leges ab aeterna derivantur?

R. Derivantur diversimode. Nam lex divina ab aeterna immediate profluit — lex naturalis, mediante lumine rationis — lex humana mediànte potestate principibus communicata.

CAPUT III.

De lege naturali.

Q. An detur lex naturalis?

R. Affirmative, dicente Apost. (2 ad Rom. c. 11): *Gentes quae legem* (revelatam) *non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt.*

Q. Quid est lex naturalis?

R. Definitur a D. Thoma (1, 2, q. 91, ar. 2): *Participatio legis aeternae in rationali Creatura dictans, et praescribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum.*

Q. Utrum sit aliquod discrimen inter legem naturalem, Synderesim, et Conscientiam?

R. Affirmative. Nàm lex naturalis est ipsa ordinatio, et intimatio divinae voluntatis nobis impressa. — Synderesis est habitualis cognitio, et conservatio illius ordinis. — Conscientia est ejusdem ordinationis applicatio actualis alicui particulari hic, et nunc agibili.

Q. In quo lex naturalis differat a jure gentium?

R. In hoc, nempe lex naturalis sit quid inditum in homine. — Jus gentium sit communi gentium consensu, et usu introductum.

Q. Utrum lex naturalis contineat plura praecepta, vel unum tantum?

R. Continet plura, sed omnia fundantur in uno, idest: *Bonum est faciendum, et prosequendum; malum fugiendum.*

Q. Quodnam est objectum legis naturalis?

R. Est omne id quod rationali creaturae vel convenit, vel disconvenit ita, ut ab ipsius naturae Conditore praecipi, vel interdici necesse sit. — Quare lex naturalis versatur 1° Circa prima morum

principia, v. g. *bonum est faciendum* etc. 2° Circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque praecepta Decalogi. 3° Circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

Q. Utrum omnes actus virtutum pertineant ad legem naturae?

R. Si spectentur secundum rationem genericam, qua sunt virtuosi, affirmative. — Negative, si spectentur secundum proprias suas species.

Q. Utrum pertineat ad legem naturalem, ut actus virtutis fiat ex motivo honesto, et virtuoso?

R. Affirmative; quia lex naturalis praecipit, ut actus hominis sint semper rectae rationi consentanei.

Q. Utrum lex naturalis praecedat libertatem, an potius libertatem subsequatur?

R. Si consideretur ratione suae originis prior est lex; si consideretur ratione suae obligationis, qua refertur ad hominem, est posterior lex naturalis. — Idem dicendum de lege Dei aeterna.

Q. An lex naturalis obliget omnes, et universalis sit?

R. Affirmative, etiam pueros obligat, statim ac pervenerunt ad usum rationis. — Insuper obligat independenter a quacumque alia lege scripta.

Q. An lex naturalis possit invincibiliter ignorari?

R. Certum est inter Theologos non dari ignorantiam invincibilem circa primaria praecepta legis naturae, seu primaria morum principia: neque circa secundaria in semetipsis spectata, nisi forsan aliquando in rudibus ad breve tempus. — Unanimis vero sententia, est dari ignorantiam invincibilem circa conclusiones remotas, seu praecepta remota.

Q. An detur ignorantia invincibilis in obligationibus proprii status, vel officii?

R. Negative; quia tenetur scire, vel in iis instrui. Sed si quis in suo munere sufficienter se curaverit instrui, et nihilominus per ignorantiam invincibilem, vel inadvertentiam erraverit, liber est a culpa.

Q. An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo, qui cognoscit malitiam actus?

R. Negative saltem quoad desideria efficacia; quia velle quod malum est formaliter, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur. Gury.

Q. An lex naturalis sit indelebilis?

R. Affirmative. Cum enim sit ingenita hominibus, non potest funditus deleri, quin ipsa hominum natura deleatur.

Q. Utrum lex naturalis possit mutari?

R. 1° Non potest mutari proprie; quia proprie mutari importat legem desinere vel per seipsam, vel per abrogationem, et irritationem: sed non per seipsam, secus de justa fieret injusta: non per abrogationem et irritationem; quia est ipse radius indefectibilis legis aeternae: ergo....

Resp. 2° Potest mutari improprie nempe per subtractionem materiae; nempe id, quod erat materia legis naturalis desinit esse ejusdem materia, v. g. res aliena, quae apud possessorem subiit legitimam praescriptionem, cessat esse aliena.

Q. Utrum simplex interpretatio locum habeat in lege naturali?

R. Affirmative; nam simplex interpretatio nihil aliud est, quam simplex terminorum legis expositio. Sic v. g. *Non occides*, exponi debeat de occisione facta auctoritate privata, vel extra casum justae defensionis.

Q. Utrum Epikeja locum habeat in lege naturali?

R. Negative; quia lex naturalis excipit omnes casus excipiendos etc.

Q. Utrum Deus possit dispensare in lege naturali?

R. Non potest; quia non potest facere ut, quod est intrinsece malum sit honestum, et licitum.

Nota 1ª. Quando dicitur Deus dispensasse in lege naturali, debet intelligi improprie dispensasse, nempe subtrahendo materiam legis naturalis, v. g. permisit Hebraeis, ut vasa Aegyptiorum mutuo accepta non amplius restituerent, in ipsos nempe transferendo dominium.

Nota 2ª. Quando Deus per Summum Pontificem dispensat in voto, et juramento, dispensat improprie; votum nempe et juramentum relaxando et tollendo: unde facta ea relaxatione, tollitur obligatio juris naturalis de reddendo promisso. Nam Pontifex divinae interpres voluntatis declarat, hanc, vel illam causam sufficientem esse, ut a Deo remittatur contracta obligatio.

Nota 3ª. Principia secundaria sunt mutabilia, quando in eis non salvatur ratio primorum principiorum; et ideo simul duo concurrere possunt, quorum unum alio est praeferendum; v. g. Praeceptum *non occides* cessat obligare, si debes vim vi repellere ex alio principio de vita propria servanda.

CAPUT IV.

De lege positiva Divina.

Q. Quid est lex positiva Divina?

R. Cum D. Thoma definitur: *Ordinatio divinae rationis signo aliquo exteriori* (revelatione) *libere a Deo promulgata, per quam homo certe dirigitur in omnibus actionibus suis ad finem beatitudinis aeternae.*

Q. Quotuplex est lex positiva Divina?

R. Duplex, nempe Vetus seu Mosaica, et Nova seu Evangelica.

Nota. Potest dici haec lex pure positiva, et non pure positiva. Prima praecipit vel prohibet, quae a lege naturae non praecipiuntur, vel prohibentur. — Alia praecipit, vel prohibet, quae ab ipsa lege naturae praecipiuntur; ut praecepta Decalogi.

Q. An lex vetus fuerit bona?

R. Affirmative, juxta illud Apost. ad Rom. c. 7: *Lex quidem sancta et mandatum sanctum etc.*

Nota. Quando dicitur Ezech. c. 20: *Dedi eis praecepta non bona*, intelligitur de praeceptis tyrannicis gentium colendi Moloch, quae praecepta Deus tantum permisit. — Pariter ad Rom. c. 3: *Lex culpa non vacavit*, intelligitur quod esset imperfecta respectu novae legis; non vero quod aliquid mali contineret.

Q. Quot genera praeceptorum complectebatur lex vetus?

R. Tria, nempe moralia, et continentur in Decalogo. — Caeremonialia, quibus praescribuntur ritus ad Dei cultum ordinati. — Judicialia, quibus praescribitur modus justitiae servandae.

Q. Quosnam obligavit lex vetus?

R. Solos alligavit Judaeos. Psal. 147: *Non fecit taliter omni nationi.*

Q. Utrum lex vetus sit abrogata?

R. Affirmative; Apost. enim ad Hebr. c. 7: *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.*

Nota. Praecepta Decalogi tenemur observare vi legis naturalis, et Evangelicae; non vero vi legis Mosaicae.

Q. Quandonam lex vetus fuerit abrogata?

R. Secundum se in ipsa Christi morte; nam Christus novus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech se ipsum Patri obtulit. — Sed *translato Sacerdotio*, ait Apost., *necesse est*, *ut legis translatio fiat*. Ergo etc.

Quoad vim obligandi fuit abrogata in die Pentecostes; quia tunc coepit obligare lex nova; nam tunc fuit promulgata.

Q. Quo praeciso tempore lex vetus evaserit mortifera?

R. Quadragesimo circiter post Christi mortem anno, cum eversum fuerit a Tito, et Vespasiano imperatoribus romanis templum hierosolymitanum; quia tunc non erat amplius opus deferre honorem Synagogae penitus sepultae.

Q. Quid sit lex nova?

R. Dicitur: *Lex per se justificativa a Christo condita*, *ab Apostolis die Pentecostes promulgata*, *et ad finem mundi duratura*.

Q. Utrum lex evangelica sit vera lex?

R. Affirmative; dicente Christo: *Qui habet mandata mea*, *et servat ea*, *ille est qui diligit me* (Joan. c. 14).

Q. Quotuplicis generis sunt praecepta novae legis?

R. Triplicis, nempe Moralia, quae licet non sint a Christo instituta (excepto praecepto charitatis), ab eo tamen sunt confirmata, explicata, et ab erroribus vindicata. 2° Praecepta fidei, quae sunt a Christo clarius explicata. 3° Praecepta Sacramentalia, quae sunt a Christo de novo instituta, ut sint in loco veterum, quae sunt ab eo abrogata.

Q. In quo differt lex vetus a lege nova?

R. In sequentibus, nempe vetus fuit umbra, et figura: nova est lux, et veritas.— Vetus lex timoris erat: nova lex gratiae et amoris. — Vetus erat imperfecta relate ad novam; lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quibus nota est.— Lex nova habet vim justificandi; non vero lex vetus, quae non justificabat nisi per fidem Christi venturi.

Q. In quo conveniunt?

R. In hoc, quod 1° utraque fuit promulgata in die Pentecostes, Mosaica in monte Sina, Evangelica in monte Sion. 2° In neutra fieri possit dispensatio, nisi per auctoritatem a Deo acceptam.

—

CAPUT V.

De lege humana in genere.

Q. Quid sit lex humana?

R. Est *rationis ordinatio stabilis ad bonum publicum condita, et promulgata ab homine, qui curam communitatis politicae, aut Ecclesiasticae habet cum intentione obligandi subditos.*

Q. Quales sint proprietates, seu conditiones legis humanae?

R. Ex parte objecti 1° debet esse honesta, vel in se, vel saltem ratione boni communis ad quod licito modo ordinatur. 2° Debet esse moraliter possibilis. — Ex parte legislatoris non debet excedere suam potestatem. — Ex parte subditorum debet esse aequa, idest servare aequalitatem proportionis in onerum distributione: secus subditi non obligantur quoad excessum injustum, nisi per accidens, idest ratione scandali.

Conclus. Principes saeculares sive boni, sive mali habent potestatem condendi leges civiles. — Est de fide, definitum in Concil. Constantiensi (sess. 8 et 15) contra Wicleff.

Prob. ex Apost. ad Rom. c. 13: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo.*

Q. Quinam principes saeculares potestatem condendi leges habent?

R. Omnes ii, qui suprema gaudent auctoritate, nec sunt alterius delegati.

Conclus. Praelati Ecclesiae habent potestatem ferendi leges Ecclesiasticas. — Est de fide, definitum in Concil. Tridentino (sess. 7, can. 8 de Baptismo) contra Lutherum.

Prob. Praelati acceperunt potestatem a Deo regendi, ac docendi fideles ad finem supernaturalem (Matth. c. 16, v. 19): *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis etc...* (Act c. 20, v. 28): *Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei* etc.

Unde in Ecclesia leges condendi facultate pollent Papa, Concilium generale, Episcopi, et Concilia particularia, Legati Summi Pontificis, et Cardinales. — Papa pro tota Ecclesia, ipsi enim dictum fuit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Joan. c. 21, v. 15).— Con-

cilium generale itidem pro tota Ecclesia, dummodo adsit consensus Romani Pontificis. Quia est Ecclesia docens, et obligat sub gravi, juxta illud: *Qui vos audit me audit. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* —Episcopi pro Dioecesi.— Legati Summi Pontificis pro territorio suae legationis. — Cardinales in Ecclesia proprii tituli.

Archiepiscopi vero, et Patriarchae leges ferre nequeunt pro Dioecesibus suffraganeorum; quia non sunt superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas dirimere possint.

Q. An leges condere possint Capitulum Cathedralis, Sede vacante, Praelati Regularium, et Abatissae, seu Monialium superiorissae?

R. Capitulum nihil innovare, aut abrogare potest; sed Dioecesim juxta leges existentes gubernare debet. — Tantum statuta, quae pro circumstantiis necessaria essent, ferre posset.

Praelati Regularium veras leges condere valent sive in congregatione generali Ordinis, sive alio modo etc.

Abatissae, vel Superiorissae non possunt; cum jurisdictionis ecclesiasticae non sint capaces. Tamen possunt in conscientia exigere obedientiam circa ea, quae ad profectum Monialium juxta regulas conducunt.

Q. Quaenam sit materia legum humanarum?

R. Materia legum civilium est bonum communitatis temporale.— Propria vero legis canonicae materia est bonum communitatis spirituale.

Nota. Dicitur: *Lex non respicit retro;* quia lex non se extendit ad actus praeteritos.

Q. An actus heroici sub lege cadant?

R. Lex naturalis, et positiva Divina utique possunt obligare cum discrimine vitae. — Lex humana generatim videtur non posse, nisi in aliqua circumstantia, exigente bono communi, vel ob aliquem peculiarem statum libere electum, v. g. Si Milites non possint stationem servare absque imminenti periculo vitae, debent nihilominus servare, si detrimentum Respublica captura sit.

Q. Utrum lex civilis possit praecipere actus internos?

R. Potest praecipere actus internos, qui per se conjuncti sunt cum actibus externis, et dicuntur actus mixti; sic potest praecipere juramenti praestationem etc....

Non potest praecipere actus mere internos; quia non sunt neces-

sarii ad finem, ad quem instituta est, nempe ad conservandam pacem, et tranquillitatem reipublicae.

Q. Utrum lex ecclesiastica possit praecipere actus internos?

R. 1° Potest praecipere actus internos, qui per se conjuncti sunt cum externis: unde Innoc. XI damnavit hanc propositionem : *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Dominici Corporis manducationem.* Non vero potest praecipere actus internos, qui per accidens conjuncti sunt cum externis; quia, ait D. Thom., hic actus interior nullam habet connexionem cum actu exteriori, ut sit actus virtutis.

2° Licet Alasia, Charmes, et nonnulli alii dicant probabilius Ecclesiam posse praecipere actus mere internos; tamen D. Thom. 1, 2, q. 100, ar. 9; S. Lig. lib. 1, n. 100; Suarez, de leg. l. 4, c. 12; Benedictus XIV, Scavini etc. docent, Ecclesiam actus mere internos praecipere non posse. Unde, quod homo debeat actus etiam mere internos ad salutem suam ponere, est de ordinatione Dei, non de potestate legislativa Ecclesiae.

Nota. Probabile est, fieri posse, quod Praelati sub peccato praecipiant suis religiosis actus mere internos. Quia verosimile est, quod religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant. Scavini. Sed hoc non fiat, nisi specialissima ratione.

Q. An Confessarius injungere possit actus mere internos?

R. Affirmative. Quia munus dirigendi poenitentes in via salutis hanc facultatem exigit. — Unde confessarius est particeps divinae potestatis in peccata delendo, ideo potest praecipere istos actus. Scavini.

Q. An lex humana praecipere possit actus externos occultos?

R. Affirmative. Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Quod autem hi actus puniri nequeant, id per accidens contingit. S. Lig., Gury.

Q. An leges humanae sint necessariae?

R. Attenta hominum pervicacia, certum est, leges humanas esse necessarias.

Q. An in Ecclesia praeter legislativam adsit alia potestas?

R. Affirmative. Adest etiam potestas Judiciaria, et Coercitiva per poenas tum spirituales, tum corporales.

Q. Quid notandum circa leges civiles?

R. Tria, nempe 1° Adprobatae expresse a jure canonico sine dubio obligant etiam in foro conscientiae.

2° A jure canonico correctae non amplius obligant in conscientia.

3° A canonico jure non reprobatae videntur eo ipso tacite adprobari. Quare ait Benedictus XIV cum communi Theologorum: *Judicem ecclesiasticum in quaestionibus, in quibus de jure canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare juri civili.*

CAPUT VI.

De legis humanae vi, obligatione, et executione.

Nota 1ª. Per modum legis intelligimus ea, quae actui sunt nenessaria ut per eum vere lex adimpleatur.

Nota 2ª. Per finem legis intelligimus finem a legislatore intentum.

Q. Utrum lex humana tam civilis, quam ecclesiastica obliget in conscientia et sub peccato, quandoque etiam sub mortali?

R. 1° Affirmative. Quia lex humana est verum praeceptum; atqui verum praeceptum obligat in conscientia. D. Aug. enim ait: *Illud est praeceptum, cui non obedire peccatum est* (lib. de S. Virg. c. 15).

R. 2° Quod lex ecclesiastica obliget in conscientia est de fide definitum in Concil. Trid. (Sess. 7, can. 8, de Baptis.): *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctae Ecclesiae praeceptis... ita ut ea observare non teneantur etc., anathema sit.*

R. 3°. Quod lex civilis obliget in conscientia est omnino certum. Ex Apost. (ad Rom. c. 13): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit etc.*

Q. Quot requirantur, ut lex humana obliget sub mortali?

R. Duo requiruntur: 1° Ut materia sit gravis; quia secus esset injusta. 2° Ut intentio legislatoris sit graviter obligandi; quia actus agentium libere non operantur ultra intentionem eorum.

Q. Quomodo dignosci possit legislatorem velle obligare sub mortali?

R. Ex quadruplici capite: 1° Ex materia gravi absolute praecepta. 2° Ex gravitate verborum, quibus utitur, v. g. sub indignatione Dei, in virtute s. obedientiae, ex tota potestate etc. 3° Ex gravitate poenae transgressoribus impositae, v. g. poena excommunicationis etc. 4° Ex communi prudentum judicio, et bene fundata consuetudine, quae est optima legum interpres.

Q. An Usurpator Regni possit obligare in conscientia?

R. In ipso invasionis actu non potest obligare per se, ac proinde non est illi obtemperandum. — Si vero injuste jam occupato alieno Statu, deinde illum pacifice teneat; tunc distinguendum, vel agitur de legibus ad tranquillitatem, et prosperitatem regni conducentibus; vel de legibus, aut mandatis contra legitimum Principem directis. — Si primum, subditus tenetur leges observare. — Si secundum, non licet obedire; dummodo ei non immineat gravissima poena; tunc enim non peccaret arma sumendo etc. donec tuto fugere posset. Pariter non posset ferire defensores legitimae auctoritatis, praeciso casu purae defensionis propriae vitae.

Nota 1ª. Factum usurpationis de se nullum jus tribuit invasori, qui cum sit in mala fide non potest praescribendo sanare possessionem suam. Scavini.

2ª. Non licet praestare juramentum illimitatum implicando infidelitatem, et flagitium erga Principem legitimum. Quare Pius VII an. 1809 declaravit illicitum, ac irritum juramentum sic praestitum. Permisit vero, ut fieret hac formula: «*Io prometto, e giuro di* « *non prender parte in nessuna conspirazione, complotto, o sedizione* « *contro il governo attuale: siccome altresì di essere sommesso, ed* « *obbediente in tutto ciò, che non sarà punto contrario alle leggi di* « *Dio, e della Chiesa.*» Sic etiam nunc fieri potest juramentum.

3ª. « *Vietava ai Vescovi, ed altri Pastori ecclesiastici di prestarsi* « *al canto dell'Inno Ambrosiano ecc.* » Ita et nunc debet fieri; praesertim in usurpatione provinciarum Ecclesiae.

Q. An obligent in conscientia leges Principis tyranni?

R. Affirmative. Tyrannus dicitur qui justo titulo possidet regnum, sed illud male administrat, plures injustitias et immanitates committendo. Quare de isto etiam loquitur D. Petrus: *Subditi estote non tantum bonis, sed etiam discolis* (cap. 2).

Q. An modus legis, ut quis agat scienter et voluntarie cadat sub praecepto?

R. Affirmative. Quod per legem praecipitur, non potest impleri nisi per actum humanum.

Q. An modus legis, ut quis agat cum intentione implendae legis cadat sub praecepto?

R. Vel lex est negativa, vel affirmativa. — Si primum, omnes conveniunt, quod haec intentio non cadat sub praecepto. — Si secundum, licet aliqui affirment, requiri intentionem saltem interpretativam; tamen cum Theologis recentioribus, Scavini etc. dicendum,

nullam requiri intentionem satisfaciendi ad legem implendam. Nam praeceptum non obligat, ut res fiat, quia praecipitur.

Nota 1ª. Aliud est quod pendet a voluntate operantis, ut juramentum etc. Aliud, quod pendet a voluntate legislatoris. In primo casu requiritur intentio operantis; quia a jurantis, vel promittentis voluntate pendet, et non in secundo.

2ª. Actus simpliciter liber, tametsi metu gravi positus, est adimpletivus praecepti. — Sic satisfacit praecepto, qui positive nolens satisfacere audit Missam. Non satisfacit vero, si actus sit adeo coactus, ut non sit humanus.

Q. An modus legis, ut quis agat ex fine honesto cadat sub praecepto?

R. Certum est apud omnes, non cadere sub praecepto legis civilis. — Quoad legem ecclesiasticam, quidam affirmant, quia praecipit actus ad salutem aeternam conducentes. Unde Clericus, qui divinum celebrat officium principaliter propter retributionem, non satisfacit. Sed verior, et communior sententia cum Scavini negat, dummodo praeceptum positum non sit in illo actu virtutis, v. g. praecepto Confessionis, et Communionis. Ita tenendum est.

Quare est axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.*

Nota. Implere praeceptum non propter finem honestum peccatur contra legem naturalem, quae praecipit, ut bonum bene fiat.

Q. Utrum finis legis extrinsecus, seu a legislatore intentus cadat sub praecepto?

R. Cadit si praecipiatur a legislatore. — Non cadit, si non praecipiatur.

Q. An satisfacit obligationi legis, qui in ea implenda peccat?

R. Affirmative. Modo actus sit honestus in se, et tantum malus ex circumstantia extrinseca ita, ut substantia rei praeceptae ponatur. Hinc satisfacit, qui inter Missam audiendam cogitationibus vanae gloriae etc. occupatur.

Q. An sufficiat, ut leges episcopales promulgentur in Civitate episcopali - et Papales Romae?

R. Affirmative; quia hoc sufficit, ut populo Christiano manifestari possint.

Nota. Certum est, decreta Concil. Trident. ad fidem, et mores spectantia obligare etiam in iis locis ubi specialiter non sunt promulgata. — Quoad matrimonia clandestina obligant tantum ubi est promulgatum ipsum Concilium. — Quoad alia, quae reforma-

tionem respiciunt, sententia sanior affirmat ubique obligare, licet non sit promulgatum. Gury, Scavini.

Q. Utrum Episcopi teneantur promulgare, aut curare, ut alii servent omnia statuta Pontificia Romae promulgata?

R. Negative, si Pontifex id expresse non praescripserit. — Interdum qui illius notitiam habent, eam servare debent, si legitima non obstat causa. Ita Sylvius, Diana apud S. Ligorium, etc.

Q. An ut lex obliget, requiratur aliquod temporis spatium a promulgatione?

R. Si legislator aliquod tempus determinaverit, patet, quod lex non obliget, donec illud effluxerit. — Si nullum tempus determinavit, triplex est sententia: prima cum Gury dicit legem statim omnes obligare, quia lex jam in suo esse integro constituitur. — Secunda docet statim obligare eos, qui in Curia sunt, non alios nisi post sufficiens tempus. — Tertia probabilior tenet legem nullos obligare nisi post sufficiens tempus, quod taxatur communiter ad duos menses, nisi agatur de locis transmarinis; huic nos subscribimus.

Nota. In hoc spatio temporis non comprehenditur lex seu constitutio in materia fidei, et morum; quia nihil novi continent hujusmodi constitutiones; sed sunt tantum declarationes juris naturalis, et divini jam promulgati.

Q. An lex dubia obliget?

R. Negative, ut probavimus in tractatu de conscientia.

Q. An lex fundata in praesumptione obliget in conscientia?

Nota. Duplex est praesumptio, altera periculi, altera facti.— Prima est *ea, qua legislator praesumit in tali actu posse esse aliquid repugnans substantiae ejusdem actus*, v. g. dolum etc.— Secunda est *ea, qua actus praesumitur tali modo factus.* — Porro nulla lex videtur fundari in praesumptione facti, sed bene vero praeceptum.

R. Si lex fundetur in praesumptione periculi semper obligat in conscientia, licet praesumptio in quibusdam casibus particularibus falsa reperiatur.

Si praeceptum fundetur in praesumptione actus tali modo facti, quo reipsa factus non est, non obligat in conscientia; quia Superior obligare non intendit.

Q. An lex humana obliget cum gravi damno seu incommodo?

R. Ordinarie loquendo non obligat cum gravi damno; leges enim

debent esse possibiles secundum ordinariam hominum capacitatem.— Sed nonnulli sunt casus, in quibus lex obligat etiam cum periculo vitae: nempe 1° per se, cum id exigit Reipublicae civilis, sive ecclesiasticae conservatio. 2° Per accidens, dum violatio legis cederet in contemptum fidei, aut legitimae auctoritatis. 3° Dum lex humana non potest violari sine gravi scandalo.

Q. Quale peccatum est legis contemptus?

Nota. Contemptus duplex est, nempe materialis et formalis. Materialis est *violatio legis indulgendi causa cupiditatibus.*— Formalis est *violatio legis; quia lex est; vel ideo, quia aspernatur ipsa auctoritas, a qua procedit.*

R. Contemptus materialis (seu late sumptus) est mortalis, vel venialis pro modo materiae. — Frequentia tamen peccandi inducit ad contemptum, secundum illud: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (Proverb. c. 18).

Contemptus vero formalis est semper per se mortalis; quia contemnitur directe ipsa praecipientis auctoritas. — Excipe 1° si contemnatur res ipsa praecepta quatenus parvi fiat. 2° Si contemptus non sit quatenus Superior, sed quatenus persona est revera contemptibilis, idiota, vilis. 3° Si actus non sit satis deliberatus, sed subitus.

Q. Quaenam excusant a transgressione legis?

R. 1° Ignorantia invincibilis. 2° Timor gravis; lex enim humana ex se cum gravi incommodo non obligat. 3° Vera impotentia sive physica, sive moralis.

Q. An peccat contra legem, qui non tollit, aut ponit impedimentum executioni legis?

Nota 1ª. Impedimentum apponi potest vel directe, vel indirecte.

Nota 2ª. Duplici modo potest quis impediri a legis observantia: 1° apponendo causam eximentem, seu qua subtrahatur a legis obligatione. 2° Apponendo causam impedientem, qua excusetur a legis observantia, remanendo tamen sub potestate legis.

R. 1° Non peccat contra legem, qui causam ponit directe, qua ab illius obligatione totaliter subtrahatur, si aliqua lex specialis non obstet; quia utitur jure suo. — Peccat contra legem, qui directe apponit vel non removet impedimenta etiam remota; quia remanens legi subjectus non potest velle eam infringere.

Resp. 2° Peccat contra legem, qui eo tempore, quo urget praeceptum, vel paulo ante directe, vel indirecte ejus executioni ponit,

vel non tollit impedimentum; nisi illud sit vel necessarium, vel tam utile, ut melius sit illud non tolli, quam legem servari. Quia qui praecipit finem, simul praecipit media necessaria ad assecutionem illius finis.

Diximus *paulo ante*, *vel tempore, quo urget praeceptum;* quia probabilius licet etiam sine causa impedimentum remotum, et indirecte impediens apponere longe ante tempus, quo urget praeceptum.

Q. An qui non potest totum opus praeceptum implere, teneatur ad partem quam potest?

R. Affirmative, si praeceptum sit de re divisibili; quia praeceptum de re divisibili obligat ad omnes et singulas partes etiam seorsim sumptas. Innoc. XI damnavit hanc propos.: *Qui non potest recitare Matutinum etc. ad nihil tenetur, licet recitare possit alias horas.*

Nota. Quando dubium est, an valeat observare partem, ad nihil tenetur. Ita S. Lig. et alii.

Q. An eodem tempore duobus praeceptis satisfieri possit per plures actus?

R. Affirmative; modo unus actus non impediat alium, nec aliter mentem suam expresserit legislator; quia fit id, quod lege praescribitur.

Q. An per unum eundemque actum possint impleri plura diversa praecepta?

R. Affirmative, si illo unico actu totum ponatur, quod per diversas leges, vel praecepta praecipitur, nec alia sit legislatoris mens.

Nota 1ª. Per unum actum censetur impleri totum, quod praecipitur quando praecepta cadunt in eandem materiam ob idem motivum, ut jejunium vigiliae incidens in quatuor tempora. Dummodo non agatur de materia justitiae, quia in hac attenditur aequalitas rei ad rem, ideo quando multiplicatur materia, et solutio multiplicanda est.

Si vero cadant in diversam materiam, vel in eandem quidem, sed ob motivum diversum, ut jejunium ex poenitentia, et ex lege ecclesiastica debitum, non satisfacit jejunando in vigilia: bene tamen satisfaceret, si illud jejunium ex voto, vel ex poenitentia statutum esset per mensem, in quo incidit vigilia: quia in hoc talis censetur voluntas imponentis. Unde non teneretur alia die curare compensationem. Ita S. Lig.

Nota 2ª. Mens legislatoris colligi potest ex natura operis praecepti, ex circumstantiis, consuetudine, communi piorum sensu etc.

Q. Quid agendum, cum duo occurrant praecepta aeque urgentia, si simul impleri non possint?

R. Tunc praeceptum gravius anteponendum est, et observandum: nempe praeceptum negativum anteponendum est affirmativo; naturale praecepto positivo divino; divinum humano. — Lex superioris anteponenda est legi inferioris. — Caeteris paribus; lex habens pro materia actus virtutis strictioris, anteponenda est legi cujus materia est virtus minus stricta. Sed ob aliquam circumstantiam urgentem ordo potest, et quandoque debet inverti.

Q. An, qui uno actu violat plura praecepta, committat plura peccata?

R. Distinguendum: vel illa praecepta, licet sint plurium legislatorum, habent tamen idem motivum formale, et versantur circa eandem numero materiam cum iisdem circumstantiis ita, ut eorum diversitas sit tantum materialis; vel sunt formaliter diversa propter motiva specie diversa, vel propter materiam diversam.— Si primum, unum tantum peccatum committit; quia non adsunt malitiae, et obligationes diversae. — Si secundum, committit plura peccata, ob rationem contrariam.

Nota. Esse formaliter diversa cognoscitur cum leges ipsae trahant actum ad aliam virtutem specialem.

Q. An possit quis renuntiare legibus in sui favorem latis?

R. Si leges primario latae sint in bonum communitatis, nemo potest illis renuntiare. — Si vero leges respiciant primario bonum privati, hic utique potest legibus illis renuntiare.

Q. An legislator possit praecipere sub levi in materia gravi, et viceversa?

R. Ad 1um affirmative saltem probabilius, quia obligatio pendet ab ejus voluntate, sicut lex ipsa. Ita communiter.

Ad 2um negative. Quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia respiciat gravem finem in mente legislatoris ut v. g. prohibitio fructus in paradiso deliciarum etc. Ita S. Lig., Gury.

Q. Quaenam materia legis censenda sit gravis, vel levis?

R. Colligendum est 1° ex verbis legis. 2° Ex ejus objecto, fine, et circumstantiis. 3° Ex gravitate poenae inflictae. 4° Ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere, materia gravis est, quando finis legis sit prorsus magni momenti. Gury.

Q. An lex humana possit aliquando impedire ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?

R. Affirmative; quia aliquando bonum commune id exigit, nec prohibet lex naturalis, ut bono communi exigente, apponantur conditiones ut. v. g., testamenta destituta praescriptis solemnitatibus non valent etc.

CAPUT VII.

De subjecto legis.

Q. Quodnam est subjectum legis humanae?

R. Omnes, et solos subditos rationis usum habentes, vi sua complectitur lex humana.

Q. An Clerici obligantur legibus civilibus?

R. 1° Certo non obligantur legibus, quae repugnant immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris canonibus. 2° Certo obligantur ad omnes leges, quae bonum commune immediate spectant. 3° Quoad alias leges videntur teneri sicut et caeteri; quia sunt pars communitatis etc.

Q. An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sint, licet septennium nondum expleverint?

R. Duplex est sententia. — Sed licet affirmans videatur in se probabilior: tamen in praxi contra Gury tenenda sententia negans, secus maximis agitationibus via conscientiae pateret.

Q. An delirantes ad tempus, et ebrii obligentur legibus humanis?

R. Affirmative; quia sunt in statu habitualis rationis, usu licet per accidens ad tempus impediti.

Q. An excommunicati, haeretici, et schismatici obligentur legibus Ecclesiae?

R. Affirmative; quia per baptismum sunt subditi Ecclesiae, secus ex malitia propria commodum reportarent.

Nota. Attamen per accidens in praxi non videntur peccare in singulis casibus, si has vel illas leges non observent. Ita Gury, Scavini. Addit Tarquini Ecclesiam aliquando nolle legibus suis, vel certa aliqua lege haereticos obligare, ne ipsi haeretici magis magisque peccatis inquinentur.

Q. Quinam dicitur peregrinus, quinam advena, et quinam vagus?

R. Peregrinus est, qui extra proprium territorium per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem versatur animo ad sua redeundi, v. g. mercatores etc. — Advena, qui extra proprium territorium posuit domicilium vel quasi domicilium. — Vagus est, qui nullibi fixum ac determinatum domicilium habet, sed de uno in alium locum se transfert.

Q. An peregrini, advenae, et vagi teneantur legibus patriis?

R. Si sermo sit de praeceptis, quae personas immediate afficiunt, et leges personales appellantur, certum est, eas obligare peregrinos, advenas, et vagos ubicumque. — Si sermo sit de illis legibus, quae afficiunt loca, et dicuntur locales, tunc sententia communissima docet, eos minime ligari nisi fictione juris in proprio territorio adhuc censeantur. Ratio est: quia legislatoris jurisdictio ita est proprio territorio affixa, ut extra illud se extendere non possit.

Diximus *fictione juris in proprio* etc., sic v. g. Si quis extra proprium territorium rem suam venderet in suo territorio extantem, servare tenetur ejusdem leges in tali conditione.

Q. Quid dicendum, si peregrinus a proprio territorio ideo egrediatur, ut se a legis obligatione subducat?

R. Alii contendunt cum Antoine etc. peregrinum illum adhuc territorii legibus teneri. — Sed alii cum Salmantic. Sanchez etc. contra sentiunt. Quia lex non prohibet exire a proprio territorio; sed tantum prohibet praecepta violari; unde peregrinus utitur jure suo.

Decisio Sac. Congreg. illegitimum, imo nullum declarans matrimonium clandestine contractum ab illo, qui discedit a proprio territorio eo animo praecise, ut ibi clandestine etc., non valet in casu nostro; quia est poena particularis, et potius exceptio legis. Ita Scavini. Secundam nobis amplecti arridet.

Q. Qui discedit a proprio territorio ubi lex viget, teneturne ante discessum eam implere, si eo venturus sit ubi illa non viget?

R. Alii affirmant ipsum teneri, si eam implere commode possit. — Alii negant, quibus subscribimus, nisi lex continuatim obliget: unde non tenetur, v. g., quis mane audire Missam etc. modo perveniat extra locum ubi viget praeceptum antequam tempus obligationis cesset. Si tamen ibidem unum tantum esset sacrum, ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illud audire. — Diximus

nisi lex continuatim obliget; si enim lex proprii territorii omnibus momentis urgeat, omnibus momentis implenda est, v. g. lex jejunii specialis alicujus civitatis etc. licet postea queat carne vesci in loco, quo perveniet.

Q. Peregrini erunt ne obligandi legibus loci, quo venerunt, ne dicantur sine lege vagari?

R. Obligantur : 1° cum esset periculum scandali, si peregrinus a legis obligatione subduceretur. 2° Cum agatur de legibus Juris communis, a quibus per privilegium peregrinus suo in territorio esset exemptus, nam per discessum privilegium prorsus amitteret. 3° Cum agatur de contractibus et de delictis, quia delinquens sortitur forum, ubi deliquit.

Exceptis hisce casibus, quoad alia disputant Theologi; et triplex est sententia. Prima probabiliter affirmat; quia qui sentit commodum, sentire debet etiam incommodum. Secunda distinguit cum Suarez, si peregrinus illuc advenerit tamquam terminum itineris sui, tunc ipse tenebitur ad omnes leges illius loci; quia fit quasi subditus. — Si ille tantum pertransit non tenetur ad praecepta positiva; sed tenetur ad praecepta negativa. Tertia probabilius et communius indistincte negat cum S. Antonino, Laymano etc. quia leges non obligant nisi subditos. Hanc nos tenemus.

Nota 1ª. Si vigeat eadem lex patriae in loco, quo peregrinus pervenit, tenetur illam observare, quia utrobique manet sub influxu illius legis; contra Gury qui contrariam sententiam probabilem vocat.

2ª. Qui legi communi jam in suo territorio satisfecerit probabilius non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi idem praeceptum serius urget ; dummodo fiat sine scandalo. Scavini, Gury etc.

Q. Utrum legislator suis legibus obligetur?

Nota 1ª. Certum est duces Rerumpublicarum teneri legibus, quas cum Republica tulerunt; Generales Ordinum legibus in Capitulo generali latis, quia sunt inferiores Communitati, a qua leges feruntur.

2ª. Hic agitur de materia legis, quae convenit principi, et subditis.

R. 1° Legislator non tenetur proprie suis legibus: 1° neque quoad vim coactivam; quia non est sibi, nec praedecessoribus suis subditus. 2° Non tenetur quoad vim directivam propter eandem rationem, secus nempe esset superior et subditus sibi.

R. 2° Ad leges servandas tenetur vi legis naturae dictantis, ut Su-

perior suis subditis praeat exemplo, hoc tamen sub levi tantum praeciso scandalo, et alterius damno. Quia ratio naturalis dictat, principem debere vita et moribus concordare cum subditis in iis, quae ipsi aeque ac subditis conveniunt. Unde illa utriusque juris axiomata: *Justum est principem legibus obtemperare suis* (cap. Justa dist. 9): *Digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri* (lib. 4, eod. de leg.).

Diximus *sub levi*, quia ex honestate tantum probabiliter obligatur. — Diximus *praeciso scandalo*, quia tunc peccaret juxta rationem scandali. — Diximus *praeciso alterius damno*, quia in rebus justitiae commutativae obligatur ex aequitate.

Superior etiam publice delinquens non incurrit poenam, quam ipse transgressoribus imposuit, nullus enim proprie cogitur a seipso. Ita D. Thomas.

CAPUT VIII.

De acceptatione legis

Nota. Certum est, posse Communitatem civilem, cum ipsa aliquem suo regimini praeficiat, potestatem legislativam ei conferre cum hac limitatione, ut leges ferre non possit vel sine consensu majoris partis optimatum, ut in regimine aristocratico, vel majoris partis populi, ut in regimine democratico, de quo intelligi debet illud Justiniani: *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt* (cap. 3, §§ de leg.).

Q. Utrum requiratur consensus, seu acceptatio populi, ut lex humana obliget?

R. Negative. Nam Apost. ad Rom. c. 13, ait: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Unde damnata est ab Alexandro VII haec propositio: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*

Q. An obliget lex, si major et sanior pars populi eam non acceptaverit?

R. Negative, si princeps non urgeat, quamvis enim peccaverint

priores legem non acceptantes, alii tamen culpa vacant ob praesumptum Superioris consensum. Gury.

Q. An obliget lex in dubio, an sit acceptata?

R. Affirmative; quia praesumi debet acceptata; nisi de contrario constet.

Q. An obliget Ecclesiae lex, quae, aliquo gubernio civili prohibente, acceptata non fuit?

R. Affirmative per se; quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili; et proinde est ab ea omnino independens.

Q. An Episcopi possint leges Pontificias non admittere?

R. Negandum est. Quia Episcopi Romano Pontifici totius Ecclesiae capiti et gubernatori subjiciuntur. — Excipe tamen si graves obstent rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent Episcopi has rationes Sedi Apost. exponere, deinde vero ejus definitioni acquiescere tenentur. Vide Bened. XIV, de Synod. l. 9, c. 8.

CAPUT IX.

De variis speciebus legum humanarum.

Q. Quotuplex est lex humana?

R. Duplex, nempe scripta, et non scripta, seu consuetudinaria.— Utraque vel est mere praeceptiva, vel prohibitiva, vel poenalis, vel favorabilis, vel irritans.

Q. Quotuplex est lex scripta?

R. Duplex: Civilis, quae Jus civile, et Ecclesiastica, quae Jus canonicum appellatur.

ARTICULUS I.

DE LEGE CIVILI, ET ECCLESIASTICA.

Q. Quid est lex Civilis?

R. Hodie definitur: *Collectio legum, vel decretorum principum temporalium, quibus ad bonum commune societas dirigitur.*

Diximus *hodie;* quia Jus Civile Romanum ad nostra usque tempora

fuit in usu apud gubernia; nunc autem fere singula gubernia (excepto Pontificio) proprium ipsis constituerunt jus civile.

Jus Romanum, quod etiam dicebatur commune, *est corpus Juris, quod constat quinque partibus, nimirum Institutionibus, Digestis, Codice, Novellis, seu authenticis, et Libro feudorum.*

Q. Quid sit Jus Canonicum?

R. Definitur *Jus, quod civium* (Christianorum scilicet) *actiones ad finem aeternae beatitudinis dirigit.* Constat ex partibus nempe Decreto, Decretalibus, Sexto decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joan. XXII, et Extravagantibus communibus.

Q. Quid de Bullis, et Brevibus, et Rescriptis Pontificiis?

R. Quaecumque sunt in Bullis, Brevibus et Rescriptis decretoriis plenam habent vim obligandi, cum per eadem jus pontificium exercetur, atque suprema Ecclesiae jurisdictio. — Alia vero summo pretio haberi debeant; ast non obligant.

Q. An vim legis habeant Epistolae Pontificiae, et responsa in corpore Juris non inserta?

R. Affirmative, si de earum authenticitate constet, et sufficienter promulgatae sint.

Q. Utrum vim legis habeant SS. Congregationum declarationes, et decreta?

R. Decreta et declarationes Sac. Congregationis Rituum, ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt; hujusmodi decreta etiam in similibus casibus obligare tenet communissima sententia, cui Sac. Congregationis, et Tribunalium Urbis favet jurisprudentia.

Caeterarum vero Congregationum declarationes ac decreta tamquam leges obligant in casibus particularibus, pro quibus fiunt. — Sed utrum obligent in similibus casibus; controvertitur. — Sed nobis arridet distinguere cum nonnullis quibus favet etiam Ballerinus; vel sunt declarationes mere comprehensivae, idest quae legem tantum interpretantur; vel extensivae, idest quae aliquid aliud decernunt, prohibent, dispensant etc. Si primum, vim legis habent non solum quoad eos, quibus responsa dentur, sed etiam quoad alios. Quia haec declaratio non condit jus novum, sed jam conditum, et promulgatum mere explicat. — Si secundum, v. g. decreta de celebratione Missarum, de Reformatione Regularium etc., vim et auctoritatem legis non habent, nisi fiant ex speciali Pontificis mandato, et omnibus legitime promulgentur. Ballerini apud Gury.

ARTICULUS II.

DE LEGE CONSUETUDINARIA.

Q. Quid est Consuetudo?

R. Definitur a D. Isidoro: *Jus quoddam, moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex.*

Dicitur *moribus institutum*, idest frequentatione actuum ejusdem rationis a majori, et saniori parte communitatis exercitorum, cum animo se obligandi. — Dicitur *cum deficit lex*, idest cum circa aliquid lex non est lata, vel cum est inutilis, vel cum est dubia, aut obscura.

Q. Quotuplex est consuetudo?

R. Triplex: alia est *secundum legem*, quae interpretatur legem, vel est legis existentis executio. — Alia *praeter legem*, quae nec lege praecipitur, nec legi adversatur. — Alia *contra legem*, quae legi adversatur; talis est consuetudo, quae viget in quibusdam Dioecesibus vescendi carnibus Sabbatis a Nativitate Domini usque ad festum Purificationis inclusive.

Q. Quot sint effectus consuetudinis?

R. Tres, nempe: 1° Legem dubiam interpretari. 2° Legem novam inducere. 3° Veterem abrogare.

Q. Quot conditiones requirantur, ut consuetudo vim legis habeat, aut legem abroget?

R. Requiritur: 1° Ut sit honesta, et bono communi utilis, alias esset corruptela. 2° Ut adsit consensus legislatoris, saltem tacitus, idest ut non contradicat, cum facile contradicere possit. 3° Ut sit legitime praescripta, idest continuata toto tempore ad praescribendum requisito, quod est spatium 10 annorum pro legibus civilibus; et 40 annorum pro legibus ecclesiasticis: ratio est, quia leges sunt jura: atqui ad praescribenda jura ecclesiastica requiruntur 40 anni: ergo etc. Sed multi rationabiliter dicunt sufficere 10 annos pro utraque lege; nunc haec sententia tenetur, juxta communem praxim. 4° Ut introducatur a majori parte Communitatis cum intentione se obligandi, vel consuetudinem introducendi.

Nota. Vel consuetudo inducitur via conniventiae, legislatore nempe sciente et connivente; vel inducitur ordinaria via prae-

scriptionis, legislatore ignorante. — Si primum, nullum temporis spatium est necessarium, ait Benedictus XIV. — Si secundum, tempus praescriptionis requiritur.

Q. An consuetudo possit abrogari per subsequentem legem?

R. Affirmative: consuetudo enim suam habet vim obligandi ab ipsa principis auctoritate: ergo eadem auctoritate potest abrogari.— Ast non abrogantur per legem contrariam generalem consuetudines particulares, nec immemorabiles nisi exprimantur in lege.— Exceptis legibus Episcopi, quae omnes alias abrogant pro sua Dioecesi. Ita Salmantic., Scavini etc.

Necesse est inductas consuetudines evellere, si consuetudo sit contra fidem, ac bonos mores; quia nulla dari possit hac de re legitima praescriptio. — Expedit, ut evellatur quae inutilis est, atque minus ad pietatem fovendam conducit; quia Superioris est bonum subditorum curare. Sed ratio habenda temporis, loci, et personarum, ut enim observat Augustinus: *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat* (ep. 2, ad Jan. c. 5). — Si consuetudines sint laudabiles, quam maxime fovendae sunt: *Si tamen*, ait idem August., *aliquorum infirmitas non ita impediat, ut amplius detrimentum sint* (ep. 55, ad Januar. c. 19).

Si dubium sit, an consuetudo introducta foveat pietatem, vel non, praesumenda rationalis, ait Reinffenstuel, ac bono publico expediens: *In dubio enim favor consuetudinis velut in possessione existentis erit firmandus.*

Initio introducentes consuetudinem contra legem omnes peccant; quia adhuc viget lex. In progressu non peccant, qui ea jam a majoribus inducta utuntur bona fide; sed adhuc possunt a principe puniri; quia nondum est legitimata. In fine neque peccant, neque amplius puniri possunt, cum jam sit vera lex. Ita Salm., Scavini, et alii.

Q. Quandonam consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?

R. 1° Si Doctores in id consentiant. 2° Si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata. 3° Si Superiores graviter reprehendant consuetudinis violatores. S. Lig. n. 107., Gury.

Q. Quid in dubio, an consuetudo legis vim habeat?

R. In dubio, facta inquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.*

Circa desuetudinem speciatim notandum, quod debeat esse tum rationabilis, ideo non contra divinum jus; tum legitime praescripta, spatio nempe decem annorum. Effectus autem ipsius desuetudinis est derogare legi, etiamsi in lege apposita sit clausula *Non obstante quacumque consuetudine;* talis enim clausula praeteritas tantum respicit consuetudines.

ARTICULUS III.

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIO.

Q. Quid sit Privilegium?

R. Definitur ab Innoc. III: *Lex privata, aliquid speciale concedens.* 1° Est *lex* respectu communitatis, quae tenetur non impedire usum privilegii. 2° Est *privata;* quia licet ejus motivum formale sit bonum commune; tamen objectum ejus materiale respicit bonum alicujus vel aliquorum particularium. 3° *Aliquid speciale indulget* praeter, vel contra jus commune.

Q. Quomodo dividitur privilegium?

R. Dividitur: 1° In reale, quod immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, dignitati etc., hoc transit ad successores; et in personale, quod immediate conceditur personae ratione sui: hoc extinguitur cum persona.

2° In gratiosum, quod gratis et sine meritis conceditur; et remuneratorium, quod pro meritis datur.

3° In favorabile, quod privilegiato confert commodum, nullique affert incommodum; unde est latae interpretationis, quia favores ampliandi; et in odiosum, quod uni confert commodum, et alteri praejudicium; talis est exemptio a tributis, et est strictae interpretationis, quia odia sunt restringenda.

Porro privilegium datum motu proprio semper censetur favorabile.

Q. Utrum quis privilegio contra legem concesso uti possit extra territorium concedentis?

R. Non potest si privilegium sit locale; quia adnexum est territorio concedentis: potest vero si personale, quia afficit personam, eamque sequitur, quocumque eat. Modo non sit contra particulares leges alterius territorii, v. g. habens facultatem legendi libros prohibitos, non potest legere librum prohibitum per statutum Episcopi illius loci.

Constat ex consuetudine generali, quod peregrini possint gaudere privilegiis locorum, quae peragrant; etsi privilegia sint contra legem communem. Ita etiam Gury.

Q. Quot modis privilegium amittitur?

R. 1° Lapsu temporis si sit temporale. 2° Per liberam renuntiationem privilegiati. 3° Per non usum spatio ad praescriptionem sufficiente si alios gravet; quia est tacita illius renuntiatio. 4° Per usum privilegio formaliter contrarium, si gravet alios, est enim praesumpta renunciatio. 5° Per abusum post sententiam judicis declaratoriam. 6° Per revocationem concedentis, vel ejus successoris, privilegiato significatam.

Q. An privilegiatus teneatur uti privilegio?

R. Per se loquendo non teneri. — Per *se;* quia excipiuntur duo casus: 1° Cum privilegium detur ad aliquid alias praeceptum. 2° Cum privilegium Canonis proxime respicit bonum commune.

Nota 1ª. Gratiosum, quia datur sine ratione, sine causa revocare licet. — Remuneratorium revocari non potest nisi ex justa causa, ac gravi.

2ª. De se non extinguitur privilegium per mortem concedentis, cum sit gratia facta in favorem ejus, qui privilegium obtinuit; dummodo non sit facta sub clausula *Quamdiu vixero.* Quod si privilegium datum sit sub clausula *Donec voluero.* Nonnulli dicunt quod extinguatur morte concedentis; alii negant; haec secunda videtur rationabilior; quia debet concurrere actus positivus, ut revocetur.

ARTICULUS IV.

DE LEGE POENALI.

Q. Quid, et quotuplex sit lex poenalis?

R. Est *ea, quae poenam transgressoribus expresse constituit.*

Duplex est, nempe alia pure poenalis, quae praecipit tantum disjunctive vel ut fiat aliquid, vel ut certa poena luatur: unde unicum continet praeceptum disjunctivum.— Alia poenalis mixta, quae praecipit aliquid faciendum vel omittendum, et simul pöenam transgressoribus imponit. Unde duo praecepta continet, alterum absolutum faciendi quod praecipitur, vel omittendi quod prohibetur: alterum conditionatum, nimirum subeundae poenae, si non fiat quod praecipitur, aut si fiat quod prohibetur.

Q. Utrum dentur leges pure poenales?

R. Distinguendum; nequit dari lex pure poenalis hoc sensu, ut nullo modo obliget in conscientia; quia praeceptum Superioris, si nullimode obligaret, non esset verum praeceptum. Ita Scavini, Gury, et omnes.

Potest dari lex pure ac mere poenalis, quae obligat in conscientia non ad aliquid faciendum, vel omittendum; sed tantum ad poenam acceptandam et solvendam, si lex violata fuit et poena applicata. Quia tota obligatio legis pendet a voluntate legislatoris: ergo si velit obligare tantum ad poenam potest; ergo etc.

Q. Quomodo cognosci possit voluntatem legislatoris esse obligare tantum ad poenam?

R. Tribus modis: 1° Ex communi sapientum interpretatione. 2° Ex verbis legislatoris quibus declaret, se nolle obligare ad culpam. 3° Ex ipsa legis forma, v. g. Qui frumentum e regno transtulerit, solvet centum libras; vel disjunctive, v. g. Nemo frumentum etc., vel solvat etc.

Q. Utrum leges mixtae obligent etiam sub culpa?

R. Licet nonnulli negaverint; tamen sententia verior et probabilior, quam amplectimur, docet, has leges obligare et sub poena, et sub culpa; alioquin nulla esset differentia inter legem mixtam, et pure poenalem: et impositio poenae non tollit obligationem ad culpam, sed potius indicat, et confirmat illam.

Q. Quotuplicis generis sunt poenae?

R. Triplicis generis, nempe poenae, quae possunt executioni mandari sine actione rei; tales sunt mere passivae, v. g. Censurae, irregularitas, privatio vocis activae et passivae etc.

Poenae, quae non possunt executioni mandari absque actione rei levi, vel non difficili; vel gravi et valde difficili, hujusmodi sunt: 1° Positivae, v. g. Exilium, mutilatio, incarceratio. 2° Privativae, v. g. Privatio beneficii juste possessi, confiscatio bonorum etc.

Poenae, quae irritant actum lege prohibitum, v. g. Inhabilitas, vel poena conditionalis etc.

Q. Quotuplex est sententia judicis?

R. Duplex, nempe condemnatoria, per quam reus a judice ad certam poenam condemnatur. — Declaratoria, per quam judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod poena ipso facto incurritur.

Q. Utrum leges poenales obligent ad subeundam poenam ante sententiam judicis declaratoriam?

R. Poenae quae executioni mandari possunt absque actione rei,

nt censurae; vel cum actione rei non valde difficili, suum sortiuntur effectum ante sententiam judicis declaratoriam; quia illae leges sunt moraliter possibiles; dummodo possint exequi sine infamia. E contra si non possint executioni mandari sine actione rei valde difficili, non sortiuntur suum effectum ante sententiam declaratoriam judicis; quia sunt moraliter impossibiles. Et hoc etiamsi apponatur clausula: *Nulla declaratione secuta.*

Ast post sententiam tenetur reus in conscientia poenam exequi, si ea nihil contineat inhumani, aut inhonesti.

Q. Quid de poena conventionali apposita in contractibus?

R. Alii affirmant, esse solvendam ante sententiam. Alii negant. Sententiam negantem amplectimur; quia nemo censetur sibi imponere poenam, nisi secundum dispositionem juris circa leges poenarum, quae requirit sententiam etc.

Q. An ignorantia poenae reum excusat a poena?

R. Si excuset ab omni culpa, excusat etiam ab omni poena saltem gravi. — Si non excuset a culpa, aut saltem a gravi, non excusat a poena proportionata, nisi aliter statuatur a lege (intellige in foro interno).

Nota 1ª. Dicitur proportionata; quia si esset exorbitans, vel extraordinaria, v. g. exilium etc., non incurritur, quia talis poena nec supponi, nec praevideri potest.

2ª. Nisi aliter statuatur a lege, sic non incurruntur censurae, irregularitas ex delicto, privatio vocis activae, et passivae.

Q. An sint leges aliquae Ecclesiae mere poenales?

R. Negative, si excipiantur regulae multorum Ordinum religiosorum; quia omnes poenae canonicae culpam et plerumque gravem supponunt.

Verum est, ait Ballerini cum multis Theologis, leges mere poenales etiam in ecclesiasticis decretis locum habere; quia non caret Ecclesia potestate coactiva, ideo potest uti poenis temporalibus tantum. — Apud Gury.

Q. An lex, v. g. circa gabellas, imponens poenam exorbitantem obliget in conscientia?

R. Negative, quia injusta.

ARTICULUS V.

DE LEGE IRRITANTE.

Q. Quid sit lex irritans?

R. Est *ea, quae actum aliquem, cui desunt aliquae conditiones, nullum et invalidum facit vel explicite, vel implicite.*

Nota. Distinguitur a simpliciter prohibente; quia haec prohibens reddit actum illicitum, sed non invalidum. — Distinguitur a lege praecipiente irritationem per judicem faciendam; quia haec praecipiens irritationem, omni usu et utilitate morali non privat ante sententiam irritatoriam judicis.

Q. Quotuplex sit irritatio?

R. Duplex, nempe poenalis, quae fit in poenam peccati; et legalis, quae irritat actum ob bonum commune, v. g. Irritatio matrimonii clandestini.

Q. An ignorantia invincibilis legis irritantis impediat irritationem?

R. Ignorantia invincibilis, et quaelibet alia causa, quae excusat a culpa, impedit irritationem poenalem; quia poena proprie dicta necessario supponit culpam; sed non impedit irritationem legalem; quia non supponit culpam, sed fundatur in praesumptione periculi, fraudis, et aliorum incommodorum.

Q. An lex inhabilitans sortiatur effectum ante sententiam?

R. Affirmative, nisi aliter statutum sit per aliquam particularem legem, vel legitimam consuetudinem.

Q. An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?

R. Affirmative, si sit simul irritans, et prohibens, ut est lex matrimonii impedimenta statuens. — Secus, seu tantum in foro externo, si sit irritans tantum; quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus.

Q. An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?

R. Affirmative, nisi agatur de damno communi: ratio est, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae; sed de bono communi.

Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis sine dispensatione initum. Gury etc.

CAPUT X.

De cessatione legum humanarum

Q. Quid est cessatio legis?

R. Est *pura, et simplex legis per seipsam extinctio.*

Cessare potest duobus modis, nempe: 1° Ab intrinseco; quando scilicet propter mutationem materiae, aut circumstantiarum fit inutilis bono communi. Item quando cessat respectu totius communitatis causa adaequata, propter quam lex fuit lata, quia legislator non censetur amplius velle obligare. 2° Cessat ab extrinseco per Interpretationem, Dispensationem, Derogationem, Abrogationem, et Irritationem.

ARTICULUS I.

DE INTERPRETATIONE, ET MUTATIONE LEGIS.

Q. Quid est interpretatio legis?

R. Est *genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.*

Q. Quotuplex est interpretatio legis?

R. Duplex, nempe simplex, et per epikeiam. Interpretatio simplex est *terminorum legis, qui obscuritatem patiuntur, simplex expositio.* Interpretatio per epikeiam est *benigna et rationabilis declaratio, qua decernitur, casum aliquem particularem ob suas circumstantias non comprehendi lege, quamvis lata sit per verba generalia.*

Q. Quotuplex est interpretatio simplex?

R. Ratione modi. Alia est Declaratoria, quae verba legis obscura declarat. — Alia Ampliativa, quae legem ad similes casus extendit. — Alia Restrictiva, quae legem restringit ad designatos casus, quamvis ipsa generalis videatur.

Ratione causae. Alia est Authentica, quae fit ab ipso legislatore, vel successore. — Alia Usualis, quae petitur ex consuetudine. — Alia Doctrinalis, seu Didascalica, quae fit per Doctorum explicationem, et Jurisperitorum oracula, et haec non habet vim legis, sed magnam habet probabilitatem etc.

Q. An omnis authentica interpretatio semper indigeat nova promulgatione?

R. Vel est pura legis declaratio, quae dicitur etiam Comprehensiva; vel est mera legis interpretatio, quae dicitur etiam Extensiva; quia explicatur sensus, qui in lege non erat clare imbibitus. — Si primum non indiget. — Si secundum promulgatio est necessaria, cum nova constituatur obligatio.

Q. An lex de casu ad casum extendi debeat?

R. Ordinarie lex non debet de casu ad casum extendi, etsi eadem ratio currat; quia non ratio legis, sed legislatoris voluntas vim legis habet.

Diximus *Ordinarie;* quia valet illud juris: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio:* 1° In correlativis. 2° In aequiparatis. 3° In connexis. 4° In contentis.

Q. Quot et quaenam sunt regulae interpretationis?

R. Sunt quatuor, nempe: 1ª Verba legis accipienda sunt juxta propriam, et usu receptam significationem, nisi quid absurdum, aut injustum inde sequatur.

2ª Lex generaliter et indefinite loquens omnia significata propria comprehendit, quia: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

3ª In dubio de vero sensu attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes, vel consequentes.

4ª Lex poenalis, et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis amplam interpretationem poscit.

Q. An licitum sit uti epikeia?

R. Licitum est in lege positiva; quia lex non obligat ultra voluntatem legislatoris.

Q. In quibus casibus licet uti epikeia?

R. In tribus. 1° Cum observatio legis sit peccaminosa. 2° Cum observatio legis cedat in damnum Reipublicae. 3° Cum observatio legis adversetur legi Superioris, vel est nimis onerosa.

Q. Quando dubium est, an lex casum aliquem comprehendat, quid faciendum?

R. D. Thomas (1, 2, q. 66, ar. 6, ad 2) ait: *Dubitans debet vel secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere.*

Nota. Juxta Salmantic. epikeia locum habere potest etiam in lege naturali, et divina positiva, si actio possit ex circumstantiis a

malitia denudari, v. g. Res suo domino reddi debet, tamen negari potest gladius eo abusuro etc.

Q. An leges humanae mutari possint?

R. Possunt utique juste mutari.

Q. Quot modis possint mutari?

R. Sex modis, nempe: Per Dispensationem. — Per Derogationem. — Per Abrogationem. — Per Cessationem.— Per Privilegium. — Per Consuetudinem.

ARTICULUS II.

DE LEGIS DISPENSATIONE.

Q. Quid est dispensatio?

R. Est *relaxatio legis, legitima auctoritate ad tempus facta in aliquo casu, in quo alioquin lex obligaret.*

Q. Utrum dispensatio concessa sine causa sit illicita?

R. Affirmative, quia non est in aedificationem, sed in destructionem.

Q. An valida sit dispensatio concessa sine causa?

R. Est valida, si concedatur ab ipso legislatore: quia sicut lex ab eo pendet in fieri, ita etiam in conservari. — Est autem omnino invalida, si concedatur a delegato, quia Superior non censetur, suam delegasse auctoritatem peccando: sed non potest concedere potestatem dispensandi sine causa, quin peccet. Ergo etc.

Q. Quotuplex est dispensatio?

R. Multiplex, nempe alia est totalis, quae a toto, alia partialis, quae a parte legis dispensat. — Alia tacita, quae ab aliquo facto deducitur. — Alia expressa, quae verbis expressis declaratur. — Alia necessaria, quae in jure a Superiore decernitur tribuenda tali exstante causa; alia libera, quae Superioris voluntati relinquitur.

Q. Quinam habent potestatem dispensandi a lege?

Nota. Duplex est potestas, nempe Ordinaria, quae alicui competit ex vi officii sui; Delegata, quae datur inferiori ex concessione illius qui habet primam.

R. Papa potest dispensare in omni jure ecclesiastico tam universali, quam particulari; et in iis etiam Apostolicis constitutionibus

ab Apostolis inclusive editis. — Episcopus potest dispensare in omnibus statutis sive Episcopalibus, sive Synodalibus independenter a Capitulo, et a Clero etiam a statutis Concilii Provincialis, et nationalis cum Concilium non sibi reservavit. Pariter in legibus communibus cum singulis quoad casus, qui saepe accidunt, v. g. jejuniis etc., in casibus tantum particularibus.

A statutis Episcopalibus et Synodalibus valet dispensare etiam Capitulum Cathedrale, Sede vacante.

Q. An Parochi in aliquibus dispensare valeant?

R. De jure ordinario ratione consuetudinis possunt dispensare cum suis subditis pro casibus particularibus in jejuniis, in operibus die festo prohibitis etc. et aliis hujusmodi, quae frequenter occurrunt, et indigent prompta dispensatione. Ita communiter.

Q. An Papa dispensare possit in lege divina?

R. Potest dispensare ex justa causa in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis, et in juramentis. — In caeteris num ex gravissima causa, vere dispensare possit, an tantum declarare jus divinum tunc cessare, controvertitur. Sed in praxi est unum et idem.

Q. An Superior possit in suo territorio legitime dispensare cum iis, qui non sunt sui subditi?

R. Certum est vagos dispensari posse a Superiore loci, in quo hic et nunc resident. — Item advenae possunt dispensari a Superiore, cum per domicilium, vel quasi domicilium sint ejus subditi.

Quoad peregrinos duplex est sententia: prima probabiliter affirmat saltem ratione consuetudinis. — Secunda communissima, cui subscribimus cum Salmantic., Suarez, Scavini etc., negat, quia non sunt subditi. — Conniventia, et Consuetudo non habetur pro talibus dispensationibus; sed tantum pro absolutione peccatorum, et censurarum eis adnexarum.

Q. An legislator possit in sua lege secum dispensare?

R. Cum D. Thoma dicimus, posse legislatorem secum dispensare, sed improprie, et interpretative, explicando nempe casus, in quibus non tenetur vi legis naturalis conformare se membris communitatis.

Q. An inferior possit dispensare in lege sui Superioris?

R. Per se non potest, nisi ex Superioris consensu expresso, vel tacito; quia dispensatio est actus jurisdictionis.

Diximus *per se*, quia inferior potest dispensare: 1° Si vel communi Doctorum sensu, vel consuetudine id ipsi permittatur. — 2° Dum necessitas dispensandi saepe occurrit. — 3° Cum urget dispensandi necessitas, difficilisque est ad Superiorem recursus, et est periculum in mora sive infamiae, sive scandali, sive gravis alterius mali. — 4° Cum casus sit dubius, quia praesumitur quod Pontifex non nisi casus certos sibi reservaverit.

Nota. Circa haec omnia Episcopi possunt etiam delegare facultatem dispensandi.

Q. Utrum delegatio expiret morte delegantis?

R. Distinguendum; si data sit per modum gratiae factae, idest quando imponitur delegato praeceptum exequendi mandatum, si preces veritate nitantur, tunc non perit, quantumvis res sit adhuc integra. — Si vero data sit per modum gratiae faciendae, idest quando non praecipitur delegato eam exequi; sed datur ipsi licentia faciendae gratiae, si vera sint exposita, tunc delegatio expirat morte concedentis, re integra. — Secus, si res non amplius integra.

Nota. Dicitur res non integra, si delegatus primum actum exercere coepit.

Q. An delegatus subdelegare possit?

R. Negative; exceptis delegatis a principe, et a Papa, et delegatis ad universitatem causarum per modum officii.

Nota. Haec subdelegatio non potest esse ad totam, sed ad unam, vel alteram causam tantummodo, ut commune est cum D. Thoma (Quodlib. 1. 12, art. 31): *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem.* Scavini.

Q. Quaenam sunt justae causae a lege dispensandi?

R. Tres vulgo adsignantur, nempe 1° Pietas. 2° Utilitas. 3° Necessitas.

Q. An liceat petere, vel concedere dispensationem ex causa dubia?

R. Affirmative in primo et secundo. In primo, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae judicare — in secundo, quia secus onus dispensandi esset nimis onerosum.

Q. Quandonam cessat dispensatio legis?

R. Per renuntiationem dispensati, quilibet enim cedere potest juri suo. — Per revocationem dispensantis: *Per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* — Per totalem cessationem causae finalis, cum haec tota sit ratio illius.

In dubio vero, an totaliter causa cessaverit, standum est pro ipsa dispensatione, quae possidet.

Q. Quot modis cessare potest causa finalis dispensationis?

R. Quadruplici modo. 1° Tempore, quo litterae dispensatoriae expediuntur. 2° Post earum expeditionem, sed ante executionem, seu fulminationem. 3° Post earumdem executionem, sed antequam sortitae sint suum effectum. 4° Postquam litterae dispensatoriae sortitae sunt suum effectum.

Q. An cessante dispensationis causa, cesset dispensatio?

R. 1° Si cesset causa finalis dispensationis, tempore, quo litterae dispensatoriae expediuntur, cessat dispensatio, id enim definivit Bonifacius VIII; quia Superior dispensaret sine causa, et consequenter peccando.

Si cesset causa finalis post litterarum dispensatoriarum expeditionem, sed ante earum executionem, seu fulminationem a Commissario factam, cessat dispensatio; quia Commissarius dispensat sub conditione, *si preces veritate nitantur.*

Si causa finalis cesset post earum executionem a mandatario, sed antequam dispensatio suum sortita sit effectum, distinguendum; vel dispensatio est absolute concessa, vel sub expressa, aut tacita conditione, *si causa duret.* — Si primum non cessat dispensatio; quia semel ablata obligatione, non redit, nisi iterum a Superiore imponatur. — Si secundum cessat dispensatio.

Nota. Dispensatio censenda est absolute concessa, si causa finalis judicatur perpetua, etsi postea per accidens cesset. Judicatur perpetua, si dispensatio uno veluti actu tota consumetur, v. g. Dispensatio ab irregularitate ob paupertatem parentum etc. — Censenda est concessa sub tacita conditione, *si causa duret*, si dispensatio ipsa de se habet tractum successivum, v. g. Dispensatio a jejunio propter infirmitatem. Quia tot sunt virtualiter dispensationes, quot sunt dies, ideo dispensatio in illis diebus, in quibus non est infirmitas, fieret sine causa.

Q. An peccet graviter Superior dispensans sine causa in re gravi?

R. Negative probabiliter per se quoad legislatorem; quia, praeciso scandalo, vel aliorum damno non apparet in hoc tanta deordinatio. Ita communiter.

Affirmative quoad inferiorem, quia non censetur delegatus nisi justa de causa.

Q. An liceat uti dispensatione tacita?

R. Affirmative; modo ex aliquo signo prudenter colligi possit. — Ita communiter.

Q. An liceat uti dispensatione praesumpta?

R. Negative: quia scire debet Superior id, de quo agitur. — Advertendum, quod licentia facile praesumi possit, cum agitur de rebus minoris momenti, et justis etc; quia licentia non tollit obligationem legis, sed tantum conditionem ponit, sub q̃ua lex non obligat. Sed dispensatio, cum sit vulneratio legis, stricte est accipienda.

Q. Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?

R. Non requiritur dispensatio in dubio positivo. — In dubio vero, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione controvertitur; sed sententia negativa est rationabilior.

Q. An sit valida dispensatio metu extorta?

R. Affirmative; modo 1° existat causa dispensandi; 2° nec constet in Superiore omnino dispensandi animum defuisse, quia metus non tollit voluntarium; 3° quod aliunde non existat ulla causa nullitatis.

Q. An dispensatio cesset per mortem dispensatoris?

R. Non cessat extra materiam justitiae; etiamsi res sit adhuc integra; quia dispensatio est gratia. — Sed in materia justitiae, *mandatum re integra, domini morte finitur.* Quia rescriptum justitiae non est gratia, sed mandatum de justitia facienda.

Q. Quid est dispensatio Subreptitia, et quid Obreptitia?

R. Subreptitia est *ea, quae obtinetur per reticentiam veritatis alicujus, quae per se, et intrinsece ad rem pertinet.*

Obreptitia est *ea, quae obtinetur per narrationem falsi, quae sit causa motiva dispensationis.*

Q. An dispensatio Subreptitia, vel Obreptitia sit valida?

R. Quando aliquid tacetur, vel falso narratur, quo cognito, Superior non dispensasset, invalida est dispensatio. — Si nihilominus Superior dispensasset, licet difficilius, tunc valida est.

Nota. Innocentius III (cap. Super litt. de Scriptis) statuit, ut in omni malitiosa subreptione, vel obreptione, rescripta, et dispensationes prorsus sint invalida.

Q. An, existente causa, teneatur Superior dispensare?

R. Distinguendum; si causa sit tantum sufficiens, Superior potest vel dispensare, vel non, vel concedere uni, et alteri negare. — Si causa reddat dispensationem necessariam; tunc Superior tenetur, alioquin peccaret, vel mortaliter, vel venialiter, juxta materiam.

Q. An Episcopi possint extra Synodum Dioecesanam abrogare leges ipsas Synodales, et novas condere contrarias?

R. Affirmative sive leges a se, sive a suis antecessoribus factae fuerint. — Unum excipe, nempe non possunt Episcopi dispensare in lege Synodali taxativa congruae pro Ordinandis sive sit lex scripta, sive non scripta ex consuetudine regionis. Ex Bulla Innocentii XII: *Speculatores etc.*

Nota 1ª. Valet dispensatio alicui improbo concessa, quem dispensator probum putavit; etsi cognita improbitate, ipse certo non fuisset dispensaturus. Quia probitas reputatur causa impulsiva.

Valet etsi concedatur mala fide. Item valet si causa finalis tempore petitionis sit falsa, sed vera fiat tempore concessionis.

Valet dispensatio, licet plures causae falsae etiam motivae per se, cum causis veris, et sufficientibus expositae sint.

Valet dispensatio concessa a Superiore, licet ab inferiore jam fuerit negata, nec hujus negationis mentio fiat. Imo probabiliter valet, etsi a primario negata fuerit, et a secundario concessa, nisi hic expresse eam restringat.

Valet dispensatio pro aliquo inscio, aut etiam invito obtenta.

Nota 2ª. Advertunt Salmanticenses non bene se gerere Praelatos, qui in dubio pro dispensatione remittunt conscientiae subditorum etc. Scavini.

Nota 3ª. Sacerdotes in Synodo Dioecesana gaudent voto consultativo, et non definitivo, ait Benedictus XIV (lib. 13. c. 1. n. 11): *Caeteri Praesbyteri proponere quidem poterunt, et consulere quae definitione indigent, haud vero definire.*

ARTICULUS III.

DE IRRITATIONE, ABROGATIONE, ET DEROGATIONE LEGIS.

Q. Quid sit Irritatio legis?

R. Est *abolitio legis nondum perfecte obligantis, facta ab eo, cujus est illam habere ratam.* Sic Papa quando non approbat Concilium irritat.

Q. Quid est Abrogatio legis?

R. Est *abolitio totius legis perfecte obligantis.*

Nota. Abolitio fieri potest 1° Per Superioris revocationem. 2° Per

contrariae consuetudinis praescriptionem. 3° Per legem posteriorem universalem priori legi universali repugnantem.

Q. Quid sit Derogatio legis?

R. Est *imminutio legis adhuc vigentis secundum aliquam sui partem.*

Q. An lex possit valide, et licite per legislatoris revocationem abrogari?

R. Legislator supremus potest valide etiam absque justa causa suam, aut praedecessoris legem abrogare; quia per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur. — Non potest licite, nisi adsit justa causa, quia potestas est data in aedificationem, non in destructionem.

Q. An legislator possit legem propriam abrogare, si a Superiore confirmata fuerit?

R. Non potest, si lex sit confirmata in favorem Communitatis, quia Superior sic fecit suam. — Potest vero, si lex sit confirmata in favorem inferioris legislatoris, nempe legi ejus accederet magis splendor etc.

Q. An cesset lex, cessante causa finali in casu particulari tantum, idest respectu aliquot personarum?

R. Si lex in eo casu reddatur nociva, vel valde difficilis, communis est sententia eam in dicto casu non obligare. — Si causa finalis, seu finis adaequatus cesset, seu reddatur inutilis in illo casu particulari, vel persona controvertitur; tamen D. Alphonsus cum multis tenet, quod illa lex adhuc obligat; quia adest periculum hallucinationis. Scavini, Gury etc., et haec sententia tenenda videtur.

Q. An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?

R. Negative ob rationem hallucinationis, et quia lex fundatur in praesumptione juris.

TRACTATUS QUARTUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

Q. Praecepta Ecclesiae obligantne sub peccato mortali?

R. Affirmative; sunt enim res maximi momenti. Insuper Tridentinum definivit: *Si quis hominem... dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, et Ecclesiae... anathema sit* (sess. 6, can. 20).

Q. Quot sunt praecepta Ecclesiae?

R. Sex specialiter in Catechismo proponuntur, quae ab universo fidelium coetu, ubique gentium sunt necessario observanda: et sunt: 1° *Auditio Missae diebus Dominicis, et festivis.* — 2° *Annua Confessio.* — 3° *Communio Paschalis.* — 4° *Jejunium quatuor Temporum, Vigiliarum, et Quadragesimae, et abstinentia a carnibus Feria sexta, et Sabbato observanda.* — 5° *Solemnitas Nuptiarum certis temporibus interdicta.* — 6° *Decimae Ecclesiae solvendae.*

Nota. De Sanctificatione diei festi agemus in tractatu de virtute Religionis; de annua Confessione, et Communione Paschali in tractatibus de Poenitentia, et de Eucharistia; de Nuptiis in tractatu de Matrimonio.

CAPUT I.

De Missae auditione.

Q. Quosnam obligat praeceptum Missam audiendi die festo?

R. Omnes baptizatos rationis usum habentes, etiam Sacerdotes non celebrantes, surdos, mutos, caecos etc.

Nota. Non obligat infantes, amentes, caecos simul et surdos, quia praesentiam solum physicam, et materialem praebere possunt.

Q. Quodnam peccatum committit, qui absque rationabili causa omittit auditionem Missae die festo?

R. Peccatum mortale ex genere suo. — Diximus *ex genere*

suo, quia inadvertentia, aut inculpabilis ignorantia a peccato excusat etc.

Q. Quaenam requirantur ad Missam rite audiendam?

R. Requiruntur praesentia corporis, intentio, attentio mentis, et locus debitus.

Q. Quaenam praesentia requiritur?

R. Praesentia moralis, nempe illa, per quam quis possit moraliter conjungi cum illis, qui Missam audiunt, et dici unus ex illis.— Ita communiter. Pariter requiritur praesentia continuata, idest perseverans ab initio ad finem Missae.

Nota 1ª. Probabilius satisfacit, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram, vel januam altare, aut assistentes videat, aut partes Missae distinguat; dummodo parvum sit spatium (v. g. via intermedia) inter ecclesiam, et locum in quo est. — Secus autem si magnum spatium, aut magna platea intercedat, ut communius docetur.

Nota 2ª. Spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat quominus quis Sacro adsit. Intellige de eo, qui e domo prospiciat, non de interno ipsius templi, quatenus sufficit, ut sit in templo ipso. Scavini, Gury etc.

Q. Quaenam omissio reputanda sit gravis in Missa?

R. Juxta omnes Theologos peccat graviter, et ideo praecepto proprie non satisfacit, qui omittit audire Consecrationem, et Communionem. — Imo et solam Consecrationem, quia in ipsa saltem praecipue consistit ratio Sacrificii. — Imo probabilius unam tantum Consecrationem, quia est pars praecipua Sacrificii.

Pariter est gravis omissio Canonis a Consecratione usque ad Pater exclusive; quia est pars notabilis dignitate etc.

Pariter juxta omnes grave est omittere omnia ante Evangelium, et simul omnia post Communionem.

Pariter grave est omittere usque ad Offertorium inclusive.

Nota 1ª. Utrum solam Communionem praeterire sit grave, controvertitur. Affirmativa sententia est S. Alphonso, et Scavini probabilior.

Nota 2ª. Omittere omnia usque ad Epistolam, aut Evangelium inclusive; vel omittere omnia post Communionem est leve. — Pariter leve est omittere Offertorium tantum, vel Praefationem, vel Symbolum etc.

Q. An praecepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis Sacerdotibus?

R. Negative si audiat simultanee. Adest enim propositio damnata ab Innoc. XI: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul diversis celebrantibus audit,* (prop. 53). Si vero successive, distinguimus cum Gury et aliis, si Consecratio, et Communio in eadem Missa reperiatur, probabiliter satisfacit; quia tunc ratio integra Sacrificii in eadem parte habetur; tamen peccat venialiter ob quandam inordinationem, ait Scavini.— Si vero Consecratio sit in una Missa, Communio in altera, non satisfacit, quia Ecclesia praecipit fidelibus, ut intersint integro, et perfecto Sacrificio.

Q. An debeat audire reliqua qui ante Consecrationem veniret, nec posset aliam Missam audire?

R. Affirmative: quia remanent ea in quibus consistit Sacrificium. — Imo docet Scavini, cui subscribimus contra Gury, teneri audire reliqua eum, qui post Consecrationem veniret; quia probabile est, essentiam Sacrificii consistere in sumptione; unde tenetur saltem probabiliter praeceptum implere.

Q. An qui omittit levem partem Missae teneatur supplere, si possit?

R. Tenetur probabilius sub levi supplere, quia Missam integram audire tenetur. Excipe, si de parte valde exigua agatur.

Nota. Unicam Missam sufficere etiam Nativitatis die, est unanimis sententia cum Bouvier.

Q. Qualis intentio requiritur in auditione Missae?

R. Cum Scavini dicimus, non esse necessariam intentionem explicitam, sed tantum implicitam, quae consistit in auditione Missae ut actionis sacrae. Hanc intentionem habent, qui petunt templum volentes implere officium Christiani; vel Missae interesse generatim tamquam rei sacrae ad cultum divinum pertinenti.

Q. Qualis attentio requiritur in Missa audienda?

Nota. Duplex est attentio; interna nempe, et externa. — Interna est ea, qua quis advertit, et animum applicat vel ad verba, et actiones Sacerdotis ex fine bono; vel ad sensum, et mysteria, quae per actiones et verba significantur; vel ad Deum precibus, ac meditatione adorandum, laudandum etc. — Externa in eo consistit, quod qui Sacrum audit, non ponat actionem externam impedientem mentis suae applicationem.

R. Certum est, necessariam esse attentionem externam, cum illius defectus impediat Missae attendere humano modo.

Quoad internam attentionem, sententia communior, probabilior, et consulenda cum D. Thoma (in 4, dist. 15, q. 4, a. 2), Scavini etc. docet ipsam sub gravi quoque requiri, saltem virtualem, et confusam ita nempe, ut aliquo saltem modo advertatur quid fiat: nam ita sufficienter applicatur mens ad divinum cultum.

Q. Quando dici potest, quod quis praecepto de Missa audienda minime satisfecerit?

R. Ad hoc requiritur non solum, ut voluntarie se distrahat per notabile tempus, v. g. per tertiam partem Missae; sed etiam ut plene advertat se in Missa audienda distrahi, et tamen adhuc in illa mentis divagatione moretur. Scavini.

Nota. Satisfaciunt collèctores eleemosynae, musici, ministrantes etc.

Suarez docet (cui subscribimus) pravam intentionem adjunctam voluntati audiendi Missam, non esse contrariam impletioni hujus praecepti, si aliunde non excludat sufficientem attentionem (de Euch. disp. 88, sect. 3).

Q. An satisfaciat, qui tempore Missae peccata sua discutit, vel illa confitetur?

R. Ad primum affirmative; quia non impedit attentionem in Missa etc. Ad secundum negative, et est sententia communis; quia confitens tunc adesset ut reus, non ut offerens Sacrificium.

Nota. Croix excipit famulos, qui aliter non confiterentur.

Sacerdos qui celebrat, potest audire Missam alterius Sacerdotis celebrantis eodem tempore. Non sic, Sacerdos confessiones audiens.

Q. An satisfaciat praecepto Ecclesiae recitans Breviarium tempore Missae?

R. Affirmative; quia non impedit, quominus possit advertere Missae etc.

Q. An requiritur aliqua Oratio vocalis in auditione Missae?

R. Negative; quia assistentia religiosa Deum honorat.

Q. An qui ab audienda Missa legitime excusatur, alium religionis actum in compensationem elicere teneatur?

R. Certum est, ad nihil teneri vi praecepti ecclesiastici, quo Missae assistentia praecipitur.

Q. Utrum fideles diebus Dominicis, et majoribus festis teneantur audire Missam Parochialem?

R. Negative; ut fert communis usus.

Nota. In Oratorio privato satisfaciunt huic praecepto domini,

eorum conjuncti, qui habitant in eadem domo, eorumque expensis vivunt; nec non servi, qui a dominis aluntur, et quidem familiares necessarii. Pro istis omnibus vero festa principaliora excipiuntur. Tunc solum nulla dies excipitur, quando Oratorium privatum a Pontifice infirmitatis causa conceditur; vel sunt Oratoria erecta in palatiis Episcoporum, ac Cardinalium, ut habetur ex S. Concilii Congregatione.

Q. An teneatur dominus uti privilegio, si ecclesiam adire non possit?

R. Affirmative juxta D. Alphonsum, si Sacerdotem commode habere valeat. — Licet alii negent.

Q. Quaenam sint causae excusantes ab auditione Sacri?

R. Duae, nempe impotentia physica, et impotentia moralis.

Nota. Impotentia moralis vocatur, cum non possit audire Sacrum sine gravi incommodo sui, vel proximi, sive corporis, sive animae, sive honoris, sive etiam boni temporalis.

Excusantur ab auditione Missae Viatores, qui non possunt iter interrumpere. — Qui infirmos custodire debent. — Qui custodiunt gregem, vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia, quando aliter fieri non poterit. — Matres, et nutrices, quae neminem habent, cui relinquant parvulos. — Famuli, qui ministerium suum omittere non possunt sine gravi detrimento domini. — Qui ab ecclesia longe distant. — Uxor timens indignationem mariti.

Q. Quaenam distantia excuset a Missa?

R. Non potest absolute assignari, sed ex adjunctis personarum, locorum, et temporum determinanda. — Regulariter autem excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horae cum quadrante, atque quid minus si plueret, aut ningeret, aut alia causa adesset.

Q. An excusatur a Missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit grave?

R. Standum est consilio medici, Superioris, Confessarii etc. — Sed si non possit habere consilium, ad Missam non tenetur; judicandum hoc casu, Matrem Ecclesiam non obligare.

Q. An excuset occasio lucri notabilis faciendi?

R. Affirmative; quia praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo valde gravi. — Sed hujusmodi lucrum extraordinarium esse debet. Ita Gury; ideo rarissime potest dari hic casus.

Q. An excusentur mulieres non habentes vestes convenientes?

R. Excusantur, si non possint eidem interesse summo mane, vel in ecclesia remota. Idem dicendum de puella inhoneste praegnante: vel si una sit tantum Missa, et fiant in ea banna ipsius, ex quo magno rubore suffunderetur.

CAPUT II.

De jejunio ecclesiastico.

Q. Quotuplex sit jejunium?

R. Triplex: Spirituale, Naturale, et Ecclesiasticum. — Spirituale est *abstinentia a peccatis.*— Naturale est *omnimoda abstinentia cibi et potus a media nocte praecedente.* — Ecclesiasticum, de quo hic agimus, definitur: *Abstinentia a quibusdam cibis cum unica in die refectione, hora competenti sumenda.*

Q. An haec tria, quae formam constituunt jejunii ecclesiastici, sint de essentia jejunii?

R. Duo priora, nempe abstinentia a quibusdam cibis, et unica comestio, sunt de essentia jejunii ecclesiastici. Quoad tempus controvertitur: sed sententia negativa est communior.

Q. Quae res intelligi debeant per *to a quibusdam cibis?*

R. Intelliguntur carnes animalium, quae a piscibus vere distinguuntur, et ea quae ad veram carnem reducuntur, vel ut partes, qualia sunt animalium intestina, sagina, et adeps; vel ut substantiam carnis continens, quale est jusculum e carnibus expressum. — Pariter intelliguntur ova, et lacticinia, idest lac, butyrum, et caseus.

Nota. Fulices, anates ferae (*anitre selvatiche*), et corvi marini inter carnes adnumerantur.

Q. Quosnam obligat jejunium Ecclesiae?

R. Omnes obligat baptizatos rationis compotes, nisi speciali aliqua causa, aut praescripta consuetudine eximantur. Sed advertendum, quod adolescentes nondum habentes 21um annum completum non teneantur a lege quantitatis, sed tantum a lege qualitatis, unde non possunt vesci carnibus etc.

Q. An abstinentia a carnibus, ovis, lacticiniis graviter obliget?

R. Quoad carnes certum est obligare sub gravi omnes baptizatos

ratione utentes non solum in omnibus jejuniis; sed qualibet sexta feria, et singulis Sabbatis.

Quoad ova, et lacticinia distinguendum: vel agitur de jejunio in Quadragesima; vel de jejunio extra Quadragesimam. Si primum, certum est, obligare sub gravi, ut colligitur ex Alexandro VII in damnata propos. 32 etc. Si secundum, sententia communis docet, non vetari vesci in unica refectione lacticiniis, et ovis de jure communi. — Diximus *de jure communi*, quia contingere potest, ut adsit aliqua lex particularis, vel consuetudo peculiaris etc.

Q. An dispensati ad carnes, adhuc teneantur ad jejunium?

R. Affirmative: ex Benedicto XIV Bulla *In suprema* anno 1741. Insuper dispensati ad carnes his tenentur legibus: 1° Ut in unica comestione possint vesci carnibus; et in vespertina refectiuncula debeant uti cibi quantitate, qua uti possunt jejunantes bonae conscientiae. 2° Non possint permiscere in eadem refectione carnes et pisces. Pisces tamen iis non prohibentur, qui habent tantum facultatem super ova, et lacticinia. 3° Ut observent horam jejunantibus praescriptam in comestione.

Q. Utrum praeceptum de utroque epularum genere non permiscendo intelligatur extendi etiam ad dies dominicos Quadragesimae?

R. Affirmative, et etiam ad caeteros pro jejunio destinatos extra Quadragesimam.

Q. An chocolatum frangat jejunium?

R. Affirmative, si manducetur non dilutum in notabili quantitate; vel dilutum ad instar densae pultis, et in magna quantitate. Negative si sumatur in parva quantitate, nempe unus ciathus ordinarius, ut de more solet. Scavini.

Nota. Qui habet privilegium sumere caseum in collatiuncula, non potest sumere lac. Scavini.

Q. An peccet mortaliter contra ecclesiasticum jejunium, qui saepe in die parum cibi suscipit?

R. Affirmative; qui sine gravi causa saepius in die parum cibi suscipit tempore jejunii, peccat mortaliter, cum pervenerit ad notabilem quantitatem.

Nota. Aliquid sumere, ne potus noceat, vix semel, atque iterum potest permitti in die. Scavini.

Q. Quaenam quantitas reputatur notabilis, seu apta ad jejunium frangendum extra refectionem, et coenulam?

R. Sententia, quam tenent Salmanticenses, Scavini et alii, quoad carnes, est quantitas notabilis seu gravis illa, quae excedit octavam circiter partem unciae, cum nimium nutriant. — Quoad alios cibos, non est quantitas notabilis, nisi materia illa, quae excedit uncias duas. — Sed pro ovis, et lacticiniis videtur debere dici, sicut dictum fuit de carne, vel ad summum aliquanto plus.

Q. Quoties peccat, qui saepe in eadem die jejunium culpabiliter frangit sumendo cibos in notabili quantitate?

R. Distinguendum: vel iste jejunium frangit saepius in die sumendo carnes, aut ova, et lacticinia; vel jejunium frangit plures tantum agendo comestiones de rebus esurialibus. — Si primum, certum est eum toties peccare mortaliter, quoties manducat; quia praeceptum abstinendi a carnibus, ovis etc. est negativum, ideoque obligat semper et pro semper, idest toto jejunii tempore. Scavini.— Si secundum, unum dumtaxat mortale committit; quia jejunii natura in ea unica comestione consistit ex D. Thoma (2, 2ae q. 142). Ideoque semel destructa formaliter ejus essentia, cessat jejunium, neque alia amplius superesse potest illius obligatio.

Nota. Hinc poenitens si peccaverit primo modo, debet explicare quoties id egerit, cum tot sint peccata, quot comestiones. Non autem in secundo modo; quia post primam vicem remanet deobligatus. Ita communiter.

Q. Si quis inculpabiliter bis jam in die comederit, tenebiturne se abstinere a tertia refectione?

R. Duplex est sententia: prima probabiliter negat; quia jejunium *semel fractum, semper fractum.* — Secunda sententia probabilior, quam amplectimur, affirmat, quia qui fregit jejunium sine culpa, fregit quidem materialiter, sed non formaliter; unde cum primum advertat, legem tenetur servare, et curare, ut ab ejus formali violatione abstineat. Scavini.

Nota. Qui carnes comedit in loco, ubi non viget jejunium, tenetur se abstinere a carnibus, si eodem die redeat ad domicilium proprium, ubi jejunium est.

Q. An liceat cauponi in die jejunii omnibus indiscriminatim petentibus praebere cibos et carnes?

R. Quamvis adsit sententia absolute negans, quia esset concurrere ad malum alterius: attamen probabilius nobis cum Sanchez, Scavini et aliis, satis communiter videtur distinguendum, si caupo timeat aliquod incommodum, vel notabile damnum licite potest;

etiamsi sciat illas personas carere dispensatione. Quia ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille paratus est committere, occasione nobis praestita, sufficit gravis causa, quae nos deobligat a praecepto charitatis. — Si non adsit hoc incommodum etc. licite non potest.

In prax. semper consulenda observantia legis.

Nota. Non potest excusari ab observantia legis caupo oppiduli propter rationem, quod urgeat periculum diminutionis concurrentium. Scavini.

Q. An electuaria frangant jejunium?

R. Electuaria (vulgo *conserve*) non frangunt jejunium; quia non assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: dummodo vero in magna quantitate non sumantur ad modum cibi.

Q. Quamdiu durare potest unica refectio in jejunio?

R. Nonnulli extendunt ad duas horas, alii ad tres, imo nonnulli ad quatuor horas; sed standum ad usum regionum, et timoratorum judicium. Quare potest extendi usque ad duas circiter horas.

Q. An liceat refectionem interrumpere sine gravi laesione jejunii?

R. Si interruptio duret per integrum horae spatium sine causa, consentiunt omnes non posse refectionem resumi sine jejunii violatione. — Si fiat ex gravi causa, tunc potest resumi.

Si interruptio sit unius quadrantis, vel sesquiquadrantis (22 minuti) potest resumi refectio absque ulla culpa, etiamsi hoc fiat sine ulla causa. Scavini.

Q. Si quis mane, itineris causa, jentaculum sumpserit, an teneatur jejunare si postea non proficiscatur?

R. Affirmative per se.

Q. An frangatur jejunium, si coenula meridie, refectio autem vespere sumatur?

R. Si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale.

Q. An tempore Quadragesimae liceat in refectione comedere panes ovis confectos?

R. Negative, nisi ova fuerint permissa.

Q. Quaenam cibi quantitas in coenula sumi possit?

R. Ex hodierna, et communi consuetudine octo circiter cibi unciae, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt.

Q. Qualis excessus censeatur gravis in coenula?

R. Omnes conveniunt excessum duarum unciarum (supra octo) esse materiam levem.—Non pauci requirunt excessum supra coenulam al-

teri dimidiae coenulae aequivalentem. Sed nos primam amplectimur.

Nota. Circa hanc quantitatem advertenda loca, et dispositiones personarum etc.

Q. Quaenam panis decocti quantitas permitti possit, aqua praecisa?

R. Dissentiunt Theologi, sed relictis opinionibus relaxioribus, et severioribus, dicimus cum Gury, permitti posse quinque vel quatuor uncias panis decocti, non computata aqua, neque oleo. — Idem dicendum de aliis decoctionibus, v. g. ex farre etc.

Q. Quot, et quaenam sunt causae a praecepto jejunii excusantes?

R. Sunt quatuor: 1° Superioris dispensatio. 2° Impotenia tum physica, tum moralis. 3° Labor. 4° Pietas.

Ratione impotentiae physicae excusantur *Infirmi* et *Convalescentes*. — *Mulieres* foetum utero gerentes, vel prolem lacte nutrientes, et possunt vesci carne, si proles aegrotet, aut mater sit valde debilis. — *Pauperes*, qui frustatim eleemosynas mendicant, et qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat. Ita D. Thom. (2, 2, q. 147, a. 4), et alii.

Ratione impotentiae moralis excusantur *illi*, quibus jejunium affert grave incommodum, v. gr. dolorem capitis etc. — *Milites* sive in castris, sive in hospitiis. — *Uxores*, quibus a maritis jejunium interdicitur, nisi interdicatur in contemptum Religionis: item *Mariti*, qui jejunantes nequeunt debitum conjugale uxoribus solvere. Ita Layman, Salmant., et alii. — *Adolescentes* usque ad annum 21 completum. — Tandem *Senes*.

Adolescens, qui hora tertia annum 21 complevit, probabilius tenetur ad jejunandum reliqua die; quia praeceptum statim obligat etc. Ita Scavini.

Ratione laboris excusantur *Fossores - Agricolae - Lapicidae - Figuli - Textores lanarii - Fullones - Bajuli - Aurigae - Nautae - Remigantes - Fabri - Lignarii - Ferrarii - Muratorii - Percurrentes urbem ad mercedem vendentes - Ornantes templa scalas circumferendo - Magna horologia conficientes - Cursores - Sutores - Furnarii - Pistores - Coqui - Typographi* praelum versantes - *Famuli* tota die magnis laboribus incumbentes.

Non excusantur a jejunio *Barbitonsores*, *Sartores*, *Pictores*, *Notarii*, *Molitores*, et *Sculptores*.

Ratione pietatis excusantur *Concionatores - Cantores - Lectores scientiarum - Judices - Medici - Advocati - Hospitalibus inservientes* -

Confessarii etc. Sed tantum per accidens excusari possunt, nempe si aliter non valeant suis muneribus satisfacere.

Q. Quinam a jejunii praecepto dispensare possunt?

R. Summus Pontifex in Ecclesia universali. — Episcopus in sua Dioecesi, sed non pro tota Dioecesi sine Pontificis venia, tantum pro casu particulari cum uno, vel altero Dioecesis loco, et cum causa.

Parochus (ipso praesente Episcopo) cum suis subditis particularibus potest dispensare.

Nota. Confessarii non dispensant, sed possunt declarare in foro conscientiae poenitentem in tali circumstantia ad jejunii praeceptum non obligari. — Idem dicendum de Medicis etc.

Q. An dispensati possint comedere epulas cum jusculo carnis simul et pisces?

R. Affirmative. Righetti.

Q. An excusentur a jejunio senes sexagenarii?

R. Quamvis Theologi communiter respondeant si sint viribus debiles non tenentur jejunare; secus tenentur: attamen dicimus absque distinctione non teneri; quia licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum, et inconstans etc.

Q. Si jejunium subrogatum sit voto castitatis, an vovens teneatur jejunare post annum 60?

R. Disputant Theologi, sed in praxi obtinenda est dispensatio. Scavini.

Q. Qui vovit jejunare semel in hebdomada toto vitae suae tempore, teneturne jejunare in aetate sexagenaria?

R. Affirmative, quia votum comprehendit totum spatium vitae. — Idem dicendum de Religiosis, si ex regula expresse promittatur observantia usque ad mortem: secus non.

Q. Quid dicendum de illo, qui ideo praecise laborem suscipit, ut a jejunio liberetur?

R. Postquam, labore suscepto, graviter defatigatum se sentit, est liber a jejunio, cum evaserit moraliter impos: ast peccavit operando in fraudem legis.

Q. An excusentur a jejunio fabri, artifices etc. si sint adeo robusti, ut jejunare sat facile possint?

R. Affirmative probabiliter juxta Gury. Sed potius pro certo affirmandum; quia ipsis jejunium dispensatur intuitu laboris; unde debent cibo sese conservare robustos.

Q An excusentur a jejunio opifices iis diebus, quibus a labore abstinent?

R. Affirmative si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendae laxitudinis. Ita communiter.

Q. An excusentur artifices divites, qui a labore diebus jejunii cessare possunt?

R. Affirmative probabilius. Quia interest Reipublicae, ne causa jejunii operarii intermittant exercere artes etc. Ita communiter.

Q. Quale iter justa de causa pedibus susceptum a jejunio eximat?

R. Communiter sentiunt requiri, ac sufficere iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum; quod si vel perardua foret via, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum. Ita Gury etc.

Q. Utrum patres familias, cum in familia adsit aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiae personas indiscriminatim extendere possint?

R. S. Poenitentiaria ad hunc quaesitum respondit, veram infirmitatem etc. eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

Q. Utrum cum pater familias a lege abstinentiae a carnibus tempore Quadragesimae dispensatus, non potest, aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet, et carnes parare, ejus filii, aut familiares carnes edere possint?

R. Sac. Poenitentiaria (die 16 jun. 1834) respondit posse personis permitti etc.

Q. Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium cum per indultum carnes permittantur?

R. Duae sunt sententiae inter Theologos: Scavini docet teneri legi de non permiscendis etc.; quia lex omnes rationis usu utentes obligat.— Alii, quibus subscribit Righetti, contrarium tenent; quia Encyclicae Bened. XIV, quibus ea mixtio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur; ergo non ultra sunt extendendae. Hanc secundam nos tenemus.

—

APPENDIX

De abstinentia a carne extra jejunium.

Nota. Hoc praeceptum viget in die Veneris et in die Sabbati, nisi legitima consuetudo alicubi aliter praescripserit; et obligat sub gravi.

Q. Quinam a lege abstinentiae excusari censeantur?

R. 1° Pauperes mendicantes, non habentes alia, quibus in illo die possint supplere. Ita communiter Theologi.

2° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent, nisi carnem etc.

3° Aegrotantes, vel qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeunt.

4° Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis etc. ut aegrotantium instar famem non experiantur, cibosque respuant.

5° Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil a cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Ast serio huic attendendum, ne hallucinatio locum habeat.

6° Milites etc.

Nota. In diebus Veneris et Sabbati ille, cui facta est dispensatio a carne, potest permiscere epulas carnis et piscium, ex resp. Sacrae Poenitentiariae die 15 feb. 1834.

CAPUT III.

De Decimis.

Q. Quid sunt Decimae, et quotuplicis generis?

R. 1° *Pars illa fructuum juste acquisitorum, quae juxta locorum usum Ecclesiae Ministris tribuitur, quaeque in Veteri Testamento erat adamussim decima pars fructuum.*

R. 2° Triplex est Decimarum genus, nempe aliae sunt *Prediales*, quae e fructibus, et proventibus praediorum persolvuntur. *Personales*, quae persolvuntur ex rebus, quas quisque sibi opera, et industria sua acquirit *Mixtae*, quae oriuntur ex rebus, sed fructum exhibentibus sola industria hominum, ut foetus pecorum est.

Nota. De oblationibus in Oratorio rurali Beatae Mariae Virginis,

vel alterius Sancti factis, vel alicui Immagini miraculosae, nulla portio debetur Parocho, uti declaravit Sac. Congreg. Concilii 22 apr. 1799.

Q. Quonam jure Decimae sunt persolvendae?

R. Vel Decimae spectentur materialiter, quatenus nempe sunt Ecclesiae stipendium suis Ministris debitum etc.; vel formaliter, nempe si spectetur quantitas determinata fructuum etc. — Si primum, sunt persolvendae jure divino positivo: Christus dixit: *Dignus est operarius mercede sua.* Si secundum, jure ecclesiastico, ut patet.

Q. Quot, et quaenam peccata committit ille, qui fraudat decimas?

R. Duo, nempe contra Religionem, quia Decimas praecipit Ecclesia in signum universalis dominii; et contra justitiam, quia sunt stipendium debitum Ministris Ecclesiae.

Nota. Decimas non solvere non est sacrilegium; quia donec ab Ecclesia non possidentur, sacrae non sunt. Ita Croix, et alii.

TRACTATUS QUINTUS

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS

Q. Quid est obligatio et quomodo dividitur?

R. Juxta etymologiam: *Est ligatio ob*, idest *ob aliquam causam.* Definitur: *Vinculum accommodatum naturae intelligenti validum, et internum, quo adstringimur ad aliquid faciendum, vel omittendum.* Duplex est, nempe una ligat hominem in societate religiosa; alia ligat eum in societate civili: quia homo dupliciter consideratur, idest quatenus est membrum Ecclesiae, et quatenus est membrum Reipublicae.

CAPUT I.

De obligationibus laicorum in societate religiosa.

Q. Quaenam sunt laicorum obligationes in societate religiosa?

R. Omnes obligationes generales laicorum in societate religiosa eo reducuntur, ut praecepta Dei, et Ecclesiae fideliter observent, si velint ad societatis religiosae scopum pervenire, qui est salus aeterna.

CAPUT II.

De obligationibus Clericorum communibus.

Q. Unde oriuntur, et ubi continentur Clericorum obligationes?

R. 1° Ex duobus, nempe 1° ab excellentia status, quem profitentur: status enim Clericalis est status perfectionis. 2° Ex ratione boni exempli laicis exhibendi, juxta illud Pauli: *In omnibus praebe teipsum exemplum bonorum operum* (c. 2 ad Tit.).

R. 2° Continentur 1° implicite in jure naturae, et publico, quatenus praecipiunt, ut omnes proprii status officia fideliter impleant.

— 2° Explicite, praeterquam in Scriptura, et Traditione, continentur in Jure canonico, in Bullis Pontificum, in Conciliis generalibus, et maxime in Tridentino. Item in Synodis Provincialibus, et Dioecesanis, in statutis Superiorum et in consuetudine legitime praescripta.

Q. Quot, et quaenam sunt obligationes Clericorum?

R. Sunt duplicis generis, nempe aliae positivae, et aliae negativae.

Positivae praecipue sunt quatuor, idest: 1° Vitae sanctitas. 2° Caelibatus. 3° Habitus ecclesiasticus, et tonsura. 4° Horarum Canonicarum recitatio.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS POSITIVIS.

§ 1. *De vitae sanctitate.*

Q. An Clerici teneantur ad vitae sanctitatem?

R. Affirmative. Nam Apost. Paulus Timotheum monet dicens: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (Ep. 1, c. 5): idest ante experimentum sanctitatis, ut exponunt Patres, et interpretes. S. Chrysostomus (hom. 10 in 1 Ep. ad Tim.) ait: *Sacerdos debet vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplum excellens, intueantur.* S. Hieronimus (Ep. 58) ait: *Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem.*

Sanctitas quam habere debent Clerici, est breviter indicata a Concilio Trid. (sess. 22, c. 1 de Réform.): *Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant.*

Media ad vitae sanctitatem in Clerico praecipua sunt: 1° Quotidiana lectio spiritualis. 2° Frequens oratio tum vocalis, tum mentalis. 3° Quotidianum conscientiae examen. 4° Sacramentorum frequentia. 5° Custodia cordis, et sensuum. 6° Exercitia spiritualia. 7° Pia, ac fervens devotio in Beatam Mariam Virginem, dicente divo Bernardo: *Totius boni plenitudinem posuit Deus, ut proinde si quid spei nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare* (serm. Dom. infr. oct. Assumpt.).

§ 2. *De caelibatu.*

Clerici omnes, sacros Ordines suscipientes, ipso facto obligationem caelibatus contrahunt, constat ex variis juris canonici decretis; item ex Conc. Trid. sess. 24, c. 9, sic definitum est: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.*

Q. An obligatio caelibatus sit de jure divino?

R. Negative, sed est ex mera institutione ecclesiastica: quia caelibatus tantum ex praecepto Ecclesiae, vel Apostolorum fuit introductus. — Potest itaque Ecclesia ab illa obligatione dispensare. Sed numquam dispensat cum constitutis in sacris, ut matrimonium inire possint, nisi ea lege, ut ab officiis clericalibus omnino arceantur; sic Pius VII convalidavit sacrilega matrimonia nonnullorum sacerdotum.

Q. An haec obligatio castitatis oriatur ex mero Ecclesiae praecepto, an vero etiam ex voto sacris Ordinibus adnexo?

R. Ecclesia vult, tum ut Clerici servent castitatem, tum ut castitatem ex voto profiteantur. Quare Ecclesia praecipit et castitatem, et simul modum profitendi castitatem. Ita Ballerini in not., Gury.

In Ecclesia Orientali sacerdotes nunquam matrimonium inire possunt post Ordinationem sacerdotalem, vel etiam post diaconatum: sed conjugati ante diaconatum possunt ad Ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum uxoribus conversari: excipiuntur Episcopi, qui omnes perfectam castitatem constanter servare debent.

Q. An teneretur ad castitatem, qui expresse nollet castitatem vovere?

R. Affirmative, sin minus ex voto (cum nemo invitus voto ligari queat), sed certe ex praecepto Ecclesiae, quae, deficiente voto, eum adstringeret ad castitatem ex motivo Religionis. Ita communiter cum S. Lig. n. 809.

Q. An, vel quandonam conjugatus, vivente uxore, sacros Ordines suscipere valeat?

R. Requiritur licentia uxoris expressa, et omnino spontanea, et ipsa debet castitatem vovere. *Nunc autem ex consuetudine tantum recepta, non admittitur vir ad sacros Ordines, nisi uxor, quae juvenis est, religionem ingrediatur, et profiteatur, et quae senex est, voveat continentiam.* Ita Pontius, de Matr., lib. 7; Ballerini etc.

Si vir fiat Episcopus, uxor etiamsi sit senex debet religionem ingredi, ex Decreto Alexandri III: *Auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxoratum praesumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat.* C. Sane 6, De conver. conjug.

Si vir fiat Religiosus, uxor, si juvenis, debet ingredi religionem, et profiteri; si senex, debet in saeculo vovere continentiam. Ita ex Alexandro III ut supra.

Q. An uxor, quae vovit castitatem extra religionem post viri Ordinationem, possit, eo defuncto, valide matrimonium contrahere?

R. Duplex est sententia: prima communis, et valde probabilis negat; quia Ecclesia ob reverentiam Ordinis a primo viro assumpti reddit uxorem inhabilem ad subsequens conjugium. — Secunda, quam D. Ligorius vocat probabilem affirmat; quia tale matrimonium non est irritum ratione voti simplicis castitatis emissi a tali uxore; neque ratione legis Ecclesiae. Sed prima sententia est amplectenda; quia innititur jure can. C. *Quia sunt*, 10, D. 28, in quo dicitur: *Qui male consociati sunt, disjungantur.* Insuper est recepta communi Theologorum, et Canonistarum suffragio adeo, ut contrariae opinionis vix, aut ne vix quidem mentio fiat. Ita Schmalzgr. lib. 4, Ballerini, et alii.

§ 3. *De gestatione habitus, et tonsurae.*

Proprius Clericorum habitus est vestis talaris (excepta itineris causa, aut quando quis rure versatur) nigri coloris, collare, pileum triangulare, et tonsura Ordini congruens: ast standum est tum consuetudini, tum particolaribus loci statutis. Item vestes omnes, quibus Clerici publice incedunt, sint coloris nigri, atque evitent femoralia genu praeter gredientia. — In vestibus non appareat elegantia studiosius quaesita, ut exclamabat D. Hyeronimus: *Omnis eorum cura de vestibus est, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat... tales cum videris, sponsos magis existimato quam Clericos* (ep. ad Nepotianum).

Q. An peccent graviter Clerici non deferentes habitum, vel tonsuram?

R. 1° Clerici beneficiati, aut in sacris constituti, mortaliter peccant, si per notabile tempus sine rationabili causa clericalem habitum non deferant, ut colligitur ex Tridentino, sess. 22. c. 1 de Re-

form.: *Oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut ecc.*

Quantum temporis spatium requiratur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex solis circumstantiis potest determinari.

Quare semel, aut iterum ad breve tempus absque justa causa habitum relinquere veniale est: dummodo non fiat ad malum finem.

Nota. Causa itineris per loca, ubi toleratur habitus Clericalis, non est sufficiens ad habitum dimittendum; permittitur vero habitus contractior, sed nigri coloris etc.

R. 2° Clerici, qui non sunt in sacris, nec beneficiati, non peccant graviter non deferentes tonsuram: imo neque leviter; quia obligatio videtur imposita tantum Clericis in sacris constitutis. Ita communissime.— Clerici beneficiati, aut in sacris, peccant graviter, si per notabile tempus, quod extendi potest ad integrum annum, ut communius affirmant Theologi, non deferant tonsuram.

Q. In quas poenas incurrunt non deferentes habitum, ac tonsuram?

R. Clericus in sacris, vel beneficiatus si tertio admonitus ab Episcopo, non emendetur, amittit privilegium fori, et canonis. Ita S. Alph. lib. 6, n. 827.— Clericus vero in minoribus amittit privilegium fori. — Si vero cum vestibus dimittat animum clericandi; non ideo amittit privilegium canonis, aut competentiae, ut declaratum fuit a S. Concilii Congreg.

Nota. Sacerdotes qui annulum in Accademia, vel per rationem officii consecuti sunt, et deferunt, debent deponere in Missae sacrificio. Ita Bened. XIV.

Non potest Sacerdos celebrare cum adscititia (*parrucca*) sine dispensatione Romani Pontificis ex prohibitione Urbani VIII et ex Inn. XII: vide Scav. adnot. pag. 419, decima aeditione; et communiter docent, id esse grave. Extra Sacrificium pariter est valde indecora, ac vanitosa ait Benedict. XIV, *De Syn.* l. 11.

Disputatur, an sit grave celebrare cum pileolo (*calotta*), sed videtur esse tenenda cum Layman, Sylvio, Croix sententia, quae docet, esse graviter illicitum, si fiat per totam Missam: at grave non est, imo potest fieri sine peccato, et sine dispensatione, excepto Canone, et praecluso scandalo, ut si fiat in loco privato, vel ob causam justam, v. gr., ob nimium frigus etc.

---

§ 4. *De Horarum Canonicarum recitatione.*

Q. Quid sunt Horae Canonicae?

R. Sunt *preces vocales ab Ecclesia institutae, ejus nomine quotidie, statutis horis, Deo persolvendae a personis ad id specialiter deputatis.*

Horae Canonicae septem numerantur, nempe: *Matutinum* cum *Laudibus*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vesperae*, et *Completorium.* — *Matutinum* cum *Laudibus* et *Vesperae* dicuntur Horae majores; caeterae Horae minores vel parvae.

Origo harum Horarum quoad substantiam est apostolica; in Actis enim Apostolorum legitur: *Petrus autem, et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam.* — Quoad formam, qua hodie solent recitari, est opus Summorum Pontificum, nempe S. Damasi saeculo IV opera D. Hyeronimi; et saeculo V Gelasii in Concilio Romano, dein saeculo VI S. Gregorii M. etc. sic aliorum.

Obligatio Horas recitandi oritur ex immemorabili consuetudine, quae vim gravissimae legis obtinuit, prout ait Benedictus XIV. Hanc vero inter alia Concilia confirmavit Conc. Romanum anno 1216, quod praecipit Prelatis, et Clericis *in virtute obedientiae ut divinum Officium nocturnum pariter, et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote.*

Q. Quinam Horas Canonicas recitare tenentur?

R. Alii vi Ordinis sacri; alii vi Beneficii; alii vi professionis in religione approbata. Subdiaconus, quo die ordinatur, tenetur recitare horam, quae respondeat tempori, quo Ordinem suscepit; et si ante recitaverit, probabilius non censetur satisfecisse; quia nemo potest obligationem legitime implere, quae nondum contracta est. Excipe, si sit beneficiatus; nam tunc verificatur, quod recitaverit nomine, et praecepto Ecclesiae.

Clerici suspensi, excommunicati, degradati, et interdicti tenentur ad recitandum Divinum Officium sub gravi, sicut alii Clerici. Sed degradati, et excommunicati non possunt dicere *Dominus vobiscum;* ejus loco debent dicere: *Domine exaudi orationem meam.* — Plures Theologi excipiunt a recitatione Divini Officii damnatos ad triremes. Sed dicendum, quod si ipsis non sit valde grave propter circumstantiam loci, debent illud recitare, secus ex delicto patrato magnum sentirent commodum.

Non tenentur ad recitationem Officii Ordinati in infantili aetate ex Bened. XIV: vel ante pubertatem, si postea non consenserint;

habentur enim ut Ordinati per metum gravem, quos Ecclesia non vult obligare ad tale onus.

Q. Quomodo Horae sunt recitandae?

R. *Studiose* pariter et *devote*, ut praescribit caput *Dolentes de celeb. Miss.*

Q. Quaenam requiruntur, ut Horae recitentur *studiose?*

R. Quinque: 1° Ut in debito recitentur Breviario. 2° Ut omnia distincte proferantur. 3° Ut recitentur debito tempore. 4° Ut recitentur ordine praescripto. 5° Ut recitentur absque interruptione, nisi adsit justa causa.

Q. Quaenam sit materia gravis in omissione Officii?

R. Communissime conveniunt Theologi, omissionem unius parvae horae, vel Completorii, vel partis Nocturnorum parvae horae aequivalentis, esse materiam peccati mortalis.

Q. An sit grave omittere Vesperas in Sabbato Sancto?

R. Negative saltem probabilius; quia materia est levissima tum in se, tum respectu totius Officii. — Sed aliqui contra sentiunt, sed non sunt audiendi, ait Ballerini.

Q. An unum vel multiplex peccatum grave committat, qui omittit integrum Officium?

R. Unum solum peccatum grave committit. Ita communiter Theologi cum S. Lig.

Q. An, si quis dubitet utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id recitare?

R. Negative, si probabiliter judicet se satisfecisse. Ita S. Lig. n. 150. Sanchez, et alii.

Q. An obligati ad Officium teneantur supplere ea, quae omittunt in choro ob functiones chori, v. g., pulsando campanas, vel organa, aut perquirendo psalmos etc.?

R. Negative; modo nimia non sit, quia per socios suppletur: probabiliter etiam si integer Psalmus omittatur. Gury.

Q. An obligati ad Officium sub gravi recitare debeant Officium defunctorum in die Commemorationis omnium defunctorum, nec non Litanias die festo S. Marci, et triduo Rogationum?

R. Affirmative juxta omnes. — Sed quoad dictas Litanias S. Alphonsus non audet appellare improbabilem sententiam contrariam. Nos autem cum ipso sententiam affirmantem tenemus.

Q. Quo tempore Horae canonicae recitandae sunt?

R. Ad vitandum peccatum mortale sufficit, si Horae persolvantur

a media nocte usque ad aliam mediam noctem. — Ut vitetur veniale recitatio fieri debet tempore ab Ecclesia adsignato, nisi obstet rationabilis causa. Horae dici possunt ab aurora, etiam ante auroram usque ad meridiem. Ita S. Lig. *Homo Ap.* tom. 3 app. 3, n. 74, Gury etc. — Vesperae et Completorium a meridie ad mediam noctem. — Matutinum cum Laudibus potest anticipari in die praecedente post Vesperas juxta consuetudinem, et Rubricam.

Ast quoad tempus recitandi Horas non praetereundum illud D. Alphonsi (l. 4, n. 173): *Ut quis licite possit anticipare*, *vel postponere debitum tempus Horarum*, *sufficit quaevis causa utilis*, *vel honesta.... major devotio*, *sive quies*, *tempus aptius ad studendum*, *et simile.*

Q. An obligatio recitandi Matutinum ante Missam urgeat sub gravi?

R. Negative, saltem probabilius. Ita communiter cum S. Lig.; quia nulla est connexio inter Officium et Missam: non excusatur vero a culpa veniali, quando fit sine convenienti causa; sed sufficit quaelibet mediocris, vel levis, modo rationabilis causa, ut ab omni culpa excusetur.

Q. An debeat iterari recitatio Matutini, si ante tempus praedictum habita fuerit?

R. Duplex est sententia: prima probabilius affirmat, quia Breviarium est onus diei. — Secunda sententia juxta Salmanticenses probabilissima, docet posse Matutinum etc. immediate recitari hora secunda diei post meridiem: et ideo ab iterando Breviario excusari posset, qui dicta hora secunda recitaret. Ita etiam Sanchez, Diana, Navarius, Turrecremata, et alii. Ex his plures *nec veniale peccatum esse dicunt hanc antecipationem*, *etiam sine causa factam:* alii vero *esse veniale asserunt*, *sed quamlibit causam excusare ab eo.* Vide Ballerini in not. Gury. Nec obstat horarium ab Ecclesia praefixum; quia est directivum, et potius in choro servandum, quam extra chorum.

Est mortale, nisi adsit publica et gravis causa, canere Missam conventualem solemnem antequam Matutinum dicatur in choro; quia est contrarium consuetudini. Ita D. Lig. op. mor. l. 6, n. 348, Suarez, et alii.

Nota. Litaniae S. Marci etc. affixae sunt diei, quare anticipari non possunt. Gury, Lacroix etc.

Q. An praevidens impedimentum recitandi Officium ipsa die obligationis teneatur recitare Matutinum et Laudes vespere vigiliae?

R. Negative: quia licet possint recitari pridie, tamen non debent.

Q. An praecepto recitandi Horas satisfaciat, qui ex errore vel inadvertentia aliud Officium pro Officio diei recitat?

R. Affirmative: quia Ecclesia non praesumitur uno die bis ad hoc onus obligare. Nulla igitur est obligatio, completa recitatione, aliud Officium recitandi. Ita communiter cum Gury.

Q. Si ex errore recitaverit aliquam partem tantum Officii indebiti, et ad errorem advertat, an possit prosequi inceptum Officium, an vero teneatur recitare reliqua de Officio diei?

R. Juxta communem sententiam Theologorum datur libertas, potest igitur vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio, finito tamen psalmo, vel oratione. — Sed melius est, Officium statim mutare, juxta illam regulam: *Error corrigitur, ubi deprehenditur.* Intellige hoc de mero consilio, non de praecepto.

Q. An cum jam dixeris unum Officium pro altero, possis Officium omissum recitare die, qua occurret Officium jam a te recitatum?

R. Negative; sed Officium recitatum iterum est recitandum: quia Ecclesia tunc solum praescribit Officium transferri, quando non recitatur propter Dominicam, vel Officium majus. — Hoc pro certo est habendum ex Decreto S. R. Congreg. die 17 junii 1674 apud Gardellini n. 263 (ediz. terza).

Q. An, vel quomodo peccet, qui scienter aliud Officium pro Officio diei recitat?

R. Si ex rationabili causa id faciat, nullum peccatum facit. Seclusa ratione, facit peccatum veniale, si Officium in aequale vel fere aequale mutetur; quia satisfit obligationi quoad substantiam. Ita S. Lig. contra Roncaglia, et Sporer. — Si Officium notabiliter brevius recitet, graviter peccat; quia tunc non satisfacit substantiae obligationis, ut patet in prop. damnata ab Alex. VII, quae sic sonat: *In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto.*

Nota. Si recites cum socio, ejus ritui potes te conformare etiam ex sola causa societatis, ut ait S. Lig.; modo socius non sit privilegiatus in Officio breviori.

Q. Quale sit peccatum ordinem invertere in recitatione Horarum?

R. In recitatione privata nunquam excedit veniale; quia non est gravis inordinatio. In recitatione publica controvertitur, utrum sit peccatum grave. Sed sententia negans est probabilior, quia de gravi praecepto non constat. Ita S. Lig. n. 171.

Q Quomodo debet esse pronuntiatio?

R. Debet esse vocalis, integra, continuata.

Nota. Probabilius recitans Officium non tenetur se audire, ut satisfaciat; sed sufficit, quod conscius sibi sit, se verba pronuntiare.

Q. Quaenam sint causae justae Officium interrumpendi?

R. Quaelibet causa rationabilis sufficit ad Horam quamcumque interrumpendam.

Q. An Matutinum separari possit a Laudibus?

R. Affirmative juxta communem sententiam. Sed finito Matutino dicendum est Pater noster. — Oratio probabiliter non requiritur, nisi in nocte Nativitatis. Ita D. Ligorius, Salmant. etc. contra Gavantum, Navarrum, qui dicunt esse probabilem obligationem recitandi orationem festi.

Q. An Nocturni separari possunt sine causa?

R. Affirmative; constat ex praxi, quam olim habebat Ecclesia: si igitur prius, cur nunc separari non possunt? Ita Salm. et alii communius.

Q. An, vel quomodo ille peccet, qui recitato uno, vel altero Nocturno in vigilia, reliquam Matutini partem, tota nocte interjecta, recitat?

R. A peccato mortali semper eximendus; quia substantiae praecepti satisfacit. — Peccat venialiter si id peragit sine rationabili causa.

Nota. Per se loquendo nihil est necessarium repetendum, etiamsi interruptio in medio psalmo fiat, modo non sit in medio versiculo, vel in media oratione. Ita S. Lig. n. 168.

Q. An in recitatione Officii liceat aliquid miscere, vel apponere ex devotione?

R. Negative; nihil est addendum, vel omittendum, nisi a Sede Apostolica fuerit concessum.

Nota. Recitans Horas cum socio, vel cum Choro, debet alternis versibus dicere, et quae ab uno dicuntur, ab alio audiantur. Ita communissime.

Q. An tenearis repetere, quae recitasti cum imperfecta, seu mutilata pronuntiatione?

R. Affirmative, si mutilatio sit valde notabilis. — Negative, si ita syllabas mutiles, ut sensus verborum non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate.

Q. Quid requiratur, ut Horae devote recitentur?

R. 1° Intentio virtualis, vel saltem interpretativa recitandi Horas. 2° Attentio externa, et sufficit virtualis.

Nota. Attentio actualis non est necessaria. — Attentio habitualis non sufficit, quia non est vera attentio.

Q. An attentio interna sub gravi requiratur?

R. Duplex est sententia: prima communior affirmat; quia oratio sine attentione interna non est oratio. — Secunda ex rationibus intrinsecis probabilior negat; hanc tenet D. Antoninus (3 par. lit. 13, q. 7) dicens: *Attentionem vero, et devotionem in praecepto non ponimus; secus non satisfaceret, qui involuntarie est distractus.* Huic secundae sententiae nos adhaeremus.

Q. Quaenam attentio interna requiritur juxta primam sententiam?

R. Attentio triplex est, nempe spiritualis, quae ad Deum; litteralis, quae ad sensum verborum; materialis, quae ad verba tantum dirigitur. Sufficit una ex istis.

Q. Quot sunt causae excusantes a recitatione Horarum, et restitutione?

R. Sunt quatuor, nempe legitima Papae dispensatio. — Gravis infirmitas.— Gravis occupatio honesta, et necessaria. — Impotentia tum physica, tum moralis.

Unde excusatur qui non habet Breviarium; quia, v. g., illud, iter suscipiendo oblitus est, aut in itinere perdidit. Hic graviter, vel leviter peccat, prout omissionis causa graviter, vel leviter culpabilis extitit. Ita Gury, Ballerini etc.

Qui juste timet, ne ex recitatione Horarum subsequatur grave incommodum.

Convalescens ex gravi morbo per aliquot dies excusari potest juxta arbitrium prudentis; etiamsi iste Missam celebret. S. Lig., Gury etc.

Qui tempore persecutionis timet, ne ex recitatione Breviarii prodatur. S. Lig. n. 156, et alii.

Excusat gravis occupatio, quae sine scandalo, aut notabili detrimento proximi omitti nequeat. Quare excusantur Parochi, qui occupantur tota die in cura infirmorum, cum eam non possint differre. Item Confessarii, qui per totam diem confessiones excipiunt, quas omnino non possunt ad aliud tempus protrahere ut, v. gr., in *missionibus*. Item concionatores, si tamen nequeant omittere concionem sine scandalo, aut infamia.

Non vero excusantur qui studio vacant. Ita Scavini etc.

Q Ad quid teneatur infirmus, si certus sit, se integrum Officium persolvere non posse, dubitet vero an partem recitare valeat?

R. Probabiliter ad nihil tenetur; ne scrupulis angatur.

Q. An utcumque impeditus a recitando integro Officio, teneatur ad partem, quam recitare potest?

R. Affirmative. Constat ex propos. 54 damnata ab Innoc. XI: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur.*

Q. An tenearis socium adhibere, si non valeas solus Horas recitare?

R. Affirmative si facile, et commode possis. — Negative, si alium commode invenire non possis, vel non, nisi aliquo stipendio; quia medium hoc est omnino extraordinarium. — Est communius beneficiatum teneri.

Nota 1ª. S. Ligorius cum La Croix dat hanc regulam: Si potes recitare quantum est parva hora, teneris sub gravi id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris; quia talis modica pars seorsim sumpta, non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum.

Nota 2ª. Qui non recitat commemorationes juxta ordinem per Rubricam assignatum probabilius non peccat, quia illa rubrica in divino Officio mere directiva videtur. Ast probabilius peccat, si in Missa; quia omnes rubricae in Missa servandae sunt praeceptive: quamvis nonnulli Theologi contrarium sentiant. Ita Gury.

Nota 3ª. Episcopus non dispensat valide ab Officio sine causa. — Cum causa tantum potest dispensare subditum in aliquo particulari ad tempus. Causa erit, quando dubitatur de morali Clerici impotentia. Episcopus hanc facultatem potest exercere per Vicarium suum generalem, modo speciale mandatum de hoc illi dederit.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM NEGATIVIS.

Q. Quaenam sint specialiter prohibita Clericis?

R. Vera negotiatio ex cap. 6: *Ne Clerici, vel Monaci.* — Administratio negotiorum alienorum ex Concil. Chalced. his verbis: *Decrevit itaque.* — Habitatio cum mulieribus ex Concil. Nic. I. — Venatio clamorosa ex Concil. Later. IV. *Venationem...* — Armorum gestatio sine gravi necessitate ex Concil. Aquens.: *Nec ensem...* — Interesse choreae, comoediae etc. ex Concil. Trid. sess. 24, cap. 12 de Reform. — Ludus alearum ex Concil. Gener. VI. — Po-

pinarum ingressus, nisi necessitatis causa in itinere ex Concil. Later. IV, can. 16: *Tabernas....* — Pro Clericis in Sacris exercitium chirurgiae, cap. 9: *Ne Clerici...*

Quoad habitationem cum mulieribus Tridentinum statuit quod Clerici, qui a Superioribus moniti concubinas, aut alias mulieres de quibus suspicio haberi possit in domo, vel extra detinent, aut cum illis habent consuetudinem, priventur tertia parte fructuum Beneficii, aut officii: si perseverent, licet secundo moniti, suspendantur ab ipsa Beneficiorum, seu officiorum administratione: si pergant inemendati, debent privari Beneficiis, et inabiles declarantur ad alia possidendi, donec emendentur. Si iterum ad vomitum redeant, gladio excommunicationis plectantur. Sess. 25, c. 14 de Reform.

Nota 1ª. Medicina Clericis licet, sed obtento prius indulto Apostolico. — Si tamen ex gravi defectu peritiae sufficientis mortem alicujus promoveant, mortale peccatum, et irregularitatem incurrunt.

Nota 2ª. Venatio clamorosa, secluso scandalo, non est peccatum mortale, ut docet D. Alphonsus.

Nota 3ª. Theologi unanimiter docent cum Bened. XIV, Clericos in majoribus constitutos mortaliter peccare, si militiam libere amplectantur. Ita Scavini.

Nota 4ª. Si peritus non adsit, et casus urgeat circa vitam proximi, Clericus sine peccato, proinde sine poenae, aut irregularitatis periculo incisionem, vel adustionem agere poterit. — Item Ecclesiastici aliis praesto esse possunt, ac subvenire optimis artis salutaris consiliis. Ita Scavini.

Nota 5ª. Non est prohibita negotiatio oeconomica, et artificialis qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur. Ita Scavini post D. Thomam, 2; 2, q. 77. Oeconomica est ea, qua emuntur necessaria ad sustentationem, et superflua venduntur. — Artificialis, qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur. — Quando vero aliquid emitur animo illud idem non mutatum carioris vendendi, haec est vera negotiatio, et haec sola sub gravi culpa, et poena prohibetur.

Nota 6ª. Non auderem damnare de mortali Clericum, qui ob administrationem bonorum alienorum sua ministeria non negligeret ait Scavini, cui subscribimus.

—

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS ECCLESIASTICORUM IN PARTICULARI.

—

§ 1. *De Episcopis, Vicariis Generalibus, et Capitularibus.*

Q. Quaenam sunt Episcoporum obligationes?

R. Praecipuae sunt: 1° Eligere dignos, ac debita scientia instructos ad altaris ministerium, et ad confessiones excipiendas, praesertim ad curas animarum. 2° Accessum ad se patentem assidue tenere debet subditis, et esse omnium patrem, atque magistrum omnibus omnia factum. 3° Residere in propria Dioecesi. 4° Orare. 5° Praedicare per se, vel per alios. 6° Visitare Dioecesim. 7° Praebere bonum exemplum in omnium genere virtutum.

Nota. In Ordinatione Clericorum attendant Episcopi potius ad eorum bonitatem positivam, quam negativam, idest potius ad eorum bonos mores, ac virtutes, quam ad rationem, quia nihil sciant mali de Clerico.

Tridentinum concedit Episcopis posse quolibet anno abesse tres menses a Dioecesi ex causa tamen aequa, et non oblectationis gratia. Ut autem ultra tres menses possint abesse, requiritur juxta Trident. vel *christiana charitas*, v. gr. componendi causa graves inimicitias; vel *urgens necessitas;* vel *debita obedientia* Romano Pontifici; vel *evidens Ecclesiae*, vel *Reipublicae utilitas.* Sed ex Benedicto XIV semper a Papa approbandae sunt istae causae.

Frequenter, et saltem diebus Dominicis, ac festis etiam reductis a Pio VI Sacrum pro Dioecesi universa facere debent. Ita S. Lig. Hom. Ap. tract. 7, n. 65, 66; Gury.

In omnibus, quae ad visitationem, et morum correctionem pertinent, Episcopi jus habent ea ordinandi, moderandi, puniendi, exequendi juxta Canonum sanctiones, prout in Domino expedit. Ita ex Conc. Trid. sess. 24, c. 10 de Reform.

Sixtus V Constit. *Romanus Pontifex* statuit, ut Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, licet Cardinales antequam consecrentur, pallium assequantur, de una in aliam Dioecesim transferantur, jurent se statutis temporibus limina SS. Apostolorum personaliter visitaturos, et si impediti fuerint, hoc se impleturos esse

per aliquem de sui Capituli gremio, vel per alium ecclesiastica dignitate, aut Beneficio praeditum, qui interim faciat fructus suos.

Itali debent visitare singulo triennio: Galli singulo quadriennio: Episcopi Asiae, et Hiberniae singulo decennio, sic et alii aliarum regionum. Isti possunt etiam per procuratorem, etiam per Sacerdotem Romae existentem, dummodo de rebus illius Dioecesis sit probe instructus. Ita Bened. XIV, de Syn. Dioec. l. 13, c. 6 et l. 2, c. 7.

Q. Quomodo se gerere debet Episcopus cum suo Clerico, qui declaret se ad aliquod religiosum institutum vocari?

R. Si Ecclesia nullum grave damnum patiatur, non potest Episcopus impedire, imo ipso contradicente, potest ingredi in religionem. Ita ex cap. *Duae sunt leges*, caus. 19, qu. 2, ex Bened. XIV Bulla *Ex quo*, 14 jan. 1747. — Si grave damnum Ecclesia patiatur potest impedire, imo, cum pauci sint Clerici adeo, ut non sufficiant ad ministeria etc., potest eum revocare a religione. Ita Bened. XIV confirmans quod statuit Innoc. IV cap. *Licet.*

Si Clericus sub conditione inserviendi suae Dioecesi fuerit educatus, non potest ingredi in religionem, contradicente Episcopo: quia ingredi religionem est de consilio; pacta servare est de justitia.

Episcopus administrator dum cantat Missam, et Vesperas in pontificalibus uti debet solo faldistorio: nequit indulgentiam 40 dierum elargiri. Assistens Missae solemni sedet in primo stallo chori, nec Canonici tenentur ad circulos. Nequit celebrare anniversarium suae consecrationis, neque ejus nomen memorari debet in Canone. Non ei competit septimum candelabrum in Missa pontificali. S. R. Cong. 22 aug. 1722.

Q. Quid dicendum de Vicario Generali Episcopi?

R. In arbitrio Episcopi est Vicarium sibi non constituere; sed semel ab ipso constitutus Vicarius *per se loquendo* habet a jure ordinariam, et liberam potestatem gerendi ea, quae potest ipse Praelatus, et alios etiam delegandi. Hinc dispensat in proclamationibus matrimonii, fert censuras, approbat ad Confessionem, absolvit percussorem Clerici etc., instituit praesentatos a patronis, et judicat causas beneficiarias de jure patronatus, et ejus quasi possessione.

Diximus *per se loquendo:* nam excipiuntur ea, quae peculiare mandatum postulant. Hinc sine speciali mandato non potest cognoscere causas criminales, in quibus gravius in reum est animad-

vertendum: nec conferre Beneficia, neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum praebere: non visitat Dioecesim: neque Synodum cogit: non indicit Collegium Canonicorum: non absolvit a casibus, qui a jure canonico uni Episcopo reservantur; imo neque a casibus, quos sibi reservat Episcopus sine speciali commissione, ut commune est: non tollit irregularitates ex delicto occulto: non concedit literas dimissorias, nisi Episcopus diu in longinquo versetur: non dispensat in juramentis nec in votis. — Item neque in statutis episcopalibus, et synodalibus. Demum nihil potest eorum, quae sunt ordinis episcopalis.

Nota. In Vicario Generali Episcopi requiritur aetas 25 annorum inchoatorum. Licet sit de stylo S. C. Episcoporum mandandi de Episcopo, ut habeat Vicarium Doctorem; attamen non requiritur necessitate absoluta. Devoti, Salzano admittunt etiam non Doctorem.

Vicarius Generalis si deliquerit tanquam persona privata potest Episcopus eum punire. Si deliquerit circa jurisdictionem, seu officium Vicarii, puniendus est ab Archiepiscopo: quia Episcopus non potest esse judex in causa sui Vicarii, qua talis est; cum sit unum, et idem tribunal. V. Laurenius, *De Episcop. Vicariis.*

Q. Quid de Vicario Capitulari?

R. Ordinaria Episcopi jurisdictio remanet penes Capitulum Ecclesiae Cathedralis. Capitulum tenetur intra octiduum eligere Vicarium Capitularem: et recte eligitur etiam extraneus a Capitulo, si nemo ex Canonicis habeatur aptus. Semel electus, non potest amplius dimoveri, nisi a Congregatione Episcoporum probata causa; totamque ordinariam Episcopi jurisdictionem accipit; cujus nullam partem sibi Capitulum reservare potest.

Quare ipse solus judicat causas matrimoniales, absolvit a censuris etc., uno verbo jurisdictionem exercet episcopalem. Ast haec excipienda, idest non visitat monasteria exempta: non confert Beneficia specialiter uni Episcopo reservata: non concedit non arctatis dimissorias, nisi post annum luctus, secus erit interdictus: non dat indulgentias: neque potest facere quae sunt ordinis episcopalis, sed ad hoc vocare potest exteros Episcopos. — Item prohibetur aliquid innovare: ideo non potest de juribus Ecclesiae detrahere, bona ecclesiastica permutare, dividere, alienare. Tandem tenetur futuro Episcopo de administratione rationem reddere, et si deliquerit potest ab ipso puniri.

Nota. In Vicario Capitulari requiritur aetas 25 annorum inchoatorum. Insuper ex Tridentino requiritur, *ut saltem in jure canonico sit doctor*, vel *licentiatus*, vel *alias quantum fieri poterit idoneus.* Ex S. C. C. *non potest in locum sui quempiam substituere nisi tribus casibus*, *idest infirmitatis*, *ad modicum tempus*, *et in delegatis*, idest alium delegando in aliquo casu particulari. Ita Barbosa etc.

Si Capitulum intra octiduum Vicarium non fecerit, jus eum constituendi ad Metropolitanum devolvitur, et ipsius defectu ad antiquiorem suffraganeum. Ita statuit Conc. Trid. sess. 24, c. 16 de Reform. Idem dicendum si intra dictum tempus facta fuerit electio, sed rite, et regulariter facta non fuerit. Ita Ballerini.

APPENDIX

De privilegiis Episcoporum.

Nota. Privilegia Episcoporum respiciunt: 1º Censuras 2º Irregularitates. 3º Impedimenta matrimonii. 4º Vota, et juramenta. 5º Alios diversos casus.

I. Circa censuras

1º Possunt absolvere proprios subditos ab omnibus casibus, et censuris occultis Papae reservatis, exceptis iis speciali modo Papae reservatis. Expresse enim innuit ipsa Pii IX Constitutio inquiens *Apostolicae Sedis*, dicit enim: *Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam sess.* 24, c. 6 *de reform.*, *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione servatis*, *iis tantum exceptis*, *quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.*

Delictum, quo contracta fuit censura, censetur occultum, si non cognoscatur, nisi ab octo, vel decem personis.

2º Ab istis censuris papalibus occultis possunt absolvere etiam peregrinos, qui inveniuntur in eorum Dioecesi. Ast vigore hujus privilegii non possunt Episcopi absolvere a casibus occultis reservatis ab aliis Episcopis.

3º Possunt absolvere ab omnibus censuris, et casibus papalibus simpliciter, et speciali quoque modo reservatis etiam notoriis, seu publicis omnes fideles, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt, ne ex dilatione absolutionis, animabus periculum immineat. Ita ex jure can., et ex regula a Doctoribus communiter recepta *Casus papalis*, *superveniente impedimento a-*

deundi Papam, fit episcopalis. Neque per Constitutionem *Apostolicae Sedis* revocatum fuit quod Episcopis communiter ex jure competebat.

Ejusmodi impedimentum habere censentur: *Pueri impuberes* etiamsi peterent absolutionem post pubertatem, *filii familias*, *senes septuagenarii*, *servi*, *pauperes*, *infirmi seu valetudinarii*, *mulieres*, *Regulares*, et a fortiori *Moniales*, *carceribus, vel triremibus perpetuo damnati*, *Milites*, *Seminaristae*, *demum quicumque adstringuntur officio alendi, seu administrandi familiam, vel publicum munus gerendi, quod sine publico, aut gravi detrimento relinqui non possit. Pariter omnes, qui Romam adire nequeunt absque gravi damno temporali, vel spirituali.* Ita S. Lig. lib. 7, n. 88; Gury, Ballerini, et communiter alii.

Nota. Advertendum cum S. Alphonso (lib. 7, n. 89) communem, probabiliorem, ac tutam sententiam esse doctrinam, quod is qui habet dictum impedimentum comparendi coram Pontifice, non tenetur absolutionem quaerere per internuntium, vel per epistolam etiam a S. Poenitentiaria, 1° quia ex jure communi potestas absolvendi, stante illo impedimento, inest Episcopis. 2° Quia nulla adest obligatio, nisi comparendi personaliter. 3° Quia consequutio absolutionis per S. Poenitentiariam est privilegium; nemo autem, ex communi axiomate, privilegiis uti tenetur. Neque audiendus est Albitius referens casum specialem decis. Cong. S. Inq.; quia dispositio casus particularis verti in generale principium nec debet, nec potest. Nobiscum sentit Ballerini cum omnibus aliis.

Si hoc impedimentum per sex menses duraret, vel per aliquod aliud tempus; tunc Episcopi possunt absolvere dummodo promittant cum juramento postea se sistendi Apostolicae Sedi : ast proderit petitio facultatis per literas, ut poenitens ab onere aliquando comparendi liberetur. Si impedimentum sit perpetuum vel censetur fere perpetuum, non requiritur dicta promissio sistendi etc.

Adverte, quod verior (ac proinde tuto potest teneri) est sententia illorum, qui cum Sporer, Diana, Navarro et aliis, non exceptis D. Alphonso, Gury etc., docent obligationem se praesentandi Superiori adesse solum, quando excommunicatio est notoria, vel deducta ad forum externum, vel lex ipsa talem obligationem statuit. Id locum habet, ait Ballerini juxta mentem D. Alphonsi (lib. 7, n. 87), non modo si absolutus quis fuit a censuris reservatis in mortis articulo; sed etiam quando ob diuturnum impedimentum adeundi Superio-

rem ab alio absolutionem recepit, et ea praestitit, quae Superior exacturus ab eo fuisset.

4° Possunt absolvere subditum, qui communicavit in eodem crimine criminoso cum excommunicato a suo Episcopo, quando est ei difficile ad excommunicatorem accedere (c. *Nuper* 29 de sent. Excom.).

5° Possunt absolvere eos, qui leviter percutiunt Clericos (sed, ut incurratur censura, injuria debet esse gravis).

6° Possunt absolvere Fratres Minores, qui Tertiarios ad officia divina admittunt. Ita D. Lig. lib. 7, n. 213. Verum haec reservatio in desuetudinem abivit.

Nota. Episcopi etiam alios possunt delegare in absolvendo ab omnibus recensitis casibus, et censuris sive papalibus occultis, et publicis sicut dictum est; sive tantum episcopalibus.

Omnia quae de Episcopis dicta sunt, pertinent etiam ad Vicarium Capitularem, et ad Abbates habentes jurisdictionem Episcopalem.

II. Circa irregularitates

1° Possunt dispensare ab omnibus irregularitatibus, et absolvere ab omnibus suspensionibus ob delictum occultum, dempta irregularitate ex homicidio voluntario injusto non casuali sed ex proposito patrato. Ita ex cap. *Sane Sacerd. de Cler. conjug. etc.*

2° In irregularitatibus etiam dubiis ex defectu. Ita Gury, et alii.

3° In irregularitatibus non occultis ex defectu natalium ad Ordines Minores, et Beneficia simplicia. Trid. sess. 24, c. *Liceat.*

Nota. Ab irregularitatibus, et suspensionibus nequeunt absolvere nisi subditos stricte sumptos, habentes nempe in Dioecesi verum domicilium. Hos probabilius possunt dispensare, etiamsi extant extra Dioecesim.

4° Possunt dispensare a bigamia similitudinaria, dummodo matrimonium attentatum non sit cum vidua, vel corrupta, vel si habuisset aliam uxorem ante Ordinationem.

III. Circa impedimenta matrimonii

1° Episcopi dispensare possunt in impedimentis impedientibus, excepto voto castitatis perpetuae, voto ingrediendae religionis, sponsalibus, et impedimento disparitatis cultus inter catholicos, et haereticos.

2° In impedimentis supervenientibus contracto matrimonio, in ordine ad debitum petendum, v. gr. si affinitatem ideo contraxerint, quod alteruter commercium carnale cum consanguineis alterius habuerit, vel si unus castitatem voverit. Imo etiam dispensare pos-

sunt conjugem a voto perpetuae castitatis, quod ante matrimonium emisit, ut jura matrimonialia exercere queat.

3° Per accidens in impedimentis dirimentibus certis, tum ante, tum post contractum matrimonium, quando recursus ad Papam est valde difficilis, vel quando adest periculum in mora; seu ubi instat periculum scandali, infamiae, incontinentiae etc. Ita S. Lig., App. n. 56 et seg.

4° In bannorum publicationibus.

IV. Circa vota, et juramenta

1° Dispensare possunt in omnibus votis simplicibus privatis, exceptis quinque Papae reservatis, nempe castitatis perpetuae, religionis, et peregrinationum ad Jerusalem, ad limina Apostolorum, et ad S. Jacobum Compostellanum.

2° In omnibus juramentis, si juramenta excipias a tertio acceptata, quae metu, aut fraude non fuerunt extorta. Ita S. Lig.

V. Circa casus alios particulares

1° Episcopi dispensare possunt in rebus omnibus levioris momenti tum ex consuetudine, tum quia recursus ad Papam esset nimis incommodus.

2° In omnibus, quae communiter eveniunt, v. gr., in jejunio, in abstinentia, in Officio divino pro casibus particularibus (*intellige cum personis particularibus; nam cum tota Communitate dispensandi facultatem Episcopi non habent*), vel ad breve tempus etc.

3° In omnibus statutis, quae habeant clausulam: *Donec dispensetur.*

Nota. Utrum possit Episcopus dispensare in statutis canonicis non expresse reservatis? Sententia affirmans innititur Glossae cap. *Nuper* de sent. excom., ubi Pontifex sic fassus est: *Quia tamen conditor canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* Sententia negans innititur capiti *Dilectus*, de temp. Ord., ubi quidam Episcopus, cum contulisset uni plures Ordines eodem die, suspensus fuit ob hanc rationem. Sed hoc non obstante, S. Alphonsus satis probabilem appellat primam. Quia in primo textu videtur verba generaliter loqui, in secundo specialiter de Ordinatione cum adhibeatur verbum illud *hujusmodi* (Hom. Apost. tr. 2, c. 6, n. 58). Igitur si excipias sacram Ordinationem; alias leges canonicas potest dispensare.

4° Possunt celebrare per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, et possunt communicare hanc facultatem Sacerdotibus. Ita Gury.

5° Possunt sibi eligere Confessarium, modo sit eorum subditus, extra Dioecesim; et eum possunt secum ducere in diversa loca. Idem possunt Cardinales, sed Romae tantum, etsi illum, quem elegerint, secum possint extra Romam educere. Ita S. Lig.

6° Possunt ab interstitiis dispensare ad Ordinationem. Ita S. Lig.

7° In casu necessitatis, vel ob justam causam, et per modum actus transeuntis, idest per unam, vel duas vices possunt dare facultatem celebrandi in domibus privatorum, et in Oratorio privato. Ita S. Congreg. Conc. 20 decemb. 1856. — Frassinetti asserit, posse Episcopum dare hanc facultatem, durante infirmitate praesertim Sacerdotis, si hic Sacerdos secus non poterit Missam audire. Sed cum hic casus esset nimis ordinarius, et non esset verae, ac urgentis necessitatis; pariter non esset verus actus transiens, sed per aliquod tempus permanens, nos ejus opinioni non subscribimus.

Episcopi Pontificio solio assistentes possunt celebrare Missam, et etiam permittere, ut alius, post vel ante quam ipsi celebrent, sit celebraturus in Oratoriis privatis ad Catholicorum domus vel propriae, vel alienae Dioecesis (tametsi ibi non hospitaverint) sine ulla dierum exceptione, dummodo tamen Oratoria ipsa ex Apostolico indulto erecta fuerint, nec verum tempus in indultum concessum expiraverit. Satisfaciunt praecepto audiendi Missam tum familiares ipsorum, tum omnes illi, qui in illa domo simul habitant, et etiam famuli modo ipsi Missae intersint. Ita S. P. Greg. XVI in Brevi Episcopo Tolos. concess. etc.

8° Possunt transferre ad aliam Ecclesiam Beneficia simplicia, creare Paroecias, et in unam conjungere divisas.

Nota. Nequeunt Episcopi mutare ultimas voluntates, nisi superveniat causa ignota testatori, qui si eam novisset, pro certo diverso modo disposuisset. Neque potest imminuere Missarum numerum; ideo ad S. Sedem recurrendum.

§ 2. *De obligationibus Canonicorum, et Beneficiatorum.*

Canonici dicuntur; quia olim communi regulae subjiciebantur; nunc institutum canonicum servant quoad varia munia in Ecclesia obeunda.

Q. Quaenam sunt Canonicorum obligationes?

R. Tres notantur praecipuae, nempe sollicitudo Chori, Residentia, Missa perennis.

Nota 1ª. Juxta communem sententiam Theologorum et Canonistarum, tenentur sub gravi Missam Conventualem quotidie canere. Item sub gravi eam applicare pro fundatoribus, et Ecclesiae benefactoribus in genere. Ita Bened. XIV Const. *Cum semper.*— Omnes Canonici Missae interesse debent. Ita S. Lig. etc.— Quando Episcopus pontificaliter celebrat, Hebdomadarius illam dicat, et applicet lectam. Ita S. C. Conc. 12 nov. 1831.

Obligatio applicandi reduci posset a S. Congr. Conc. ad dies festos, si Canonici sint adeo pauperes, ut retributionibus Missarum indigeant ad vivendum. Ita Bened. XIV in Const. citata.

Nota 2ª. Peccant mortaliter qui a Choro absunt notabiliter ultra dies permissos; quia assistentia est de primaria institutione Beneficii ipsius. — Et venialiter si per breve tempus, v. g. tres, aut quatuor dies. Ita communiter cum S. Ligorio, lib. 3, n. 675.

Qui sine justa et gravi causa non intersunt Choro, distributiones lucrari non possunt, etiamsi consocii eas iisdem condonent. Ita expresse statuit Conc. Tridentinum sess. 24, c. 12 de Ref.

Insuper statuit: *Primo anno delinquens privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia... expolietur tertio anno iisdem Beneficiis.*

Q. Quaenam sunt justae causae, quae excusant a Choro?

R. Praeter tres menses unicuique Canonico a Tridentino, vel consuetudine permissos, quibus fructus Beneficii, non vero distributiones percipiuntur; tres sunt determinatae causae a Bonifacio VIII, quae excusant, quin fructus praebendae amittantur, aut distributiones; nempe Infirmitas, Rationabilis corporis necessitas, Ecclesiae utilitas. Diximus, *aut distributiones*: quia hi Canonici fictione juris censentur praesentes.

Nota. Non ultra tertiam partem Capituli abesse possunt. Tempus vero vacationis incidere non debet in majores solemnitates Paschae, Pentecostes, Nativitatis Domini etc., neque in earum Octavas, neque in tempus Adventus, vel Quadragesimae.

Q. An Episcopus possit longiorem absentiam tribus mensibus permittere?

R. Si adsit legitima causa, potest permittere absentiam quatuor mensium, imo et diuturniorem ob causam extraordinariam.

Canonici absentes non tenentur aliquem sibi substituere. Ita declaravit S. Congr. Conc. Trid.

Qui sibi morbum procuravit, ut abesset e Choro, peccat graviter; excusatur tamen a Choro, et percipit distributiones; quia lex non ad intentionem, sed ad ipsam infirmitatem respicit.

Item percipiunt etiam distributiones qui ab hostibus capiuntur, aut patiuntur injustum exilium, vel carcerem. Pariter qui injuste esset censura percussus, si ei absolutio negetur, percipit fructus et non amittit distributiones. Similiter si absque ejus culpa ecclesia fuit interdicta, vel polluta, usque dum impedimentum auferatur. Imo absentes, si non sint etiam Parochi, ob metum belli, vel pestis excusantur.

Ast irregularis recipiens Beneficium, nequit percipere fructus. Ita communissime.

Q. An suae obligationi faciant satis Canonici, qui Choro intersunt, sed minime canentes, vel canentes voce tantum submissa?

R. Etsi satisfaciant oneri divini Officii; attamen non satisfaciunt Choro, nec lucrantur distributiones, neque fructus praebendae respondentes. Servitium enim Chori in eo consistit, ut Clerici conveniant simul ad psallendum, ut definitum est a Bened. XIV, 1744, Bulla *Cum semper*.

Q. An Episcopus permittere possit, ut non omnes Horas cantentur?

R. Negative, juxta responsionem S. Congreg. an. 1822.

Q. An Officium Defunctorum, B. Mariae Virginis, et Psalmi graduales debeant ex obligatione recitari in Choro?

R. Negative. Quia non sunt de praecepto, sed de rubrica directiva, seu de consilio. Ita communiter Canonistae.

Nota. Habentur uti praesentes Choro Vicarius Capitularis (sed hic attendenda statuta loci). — Canonicus Curatus, dum in Paroeciae cura versetur. — Poenitentiarius, dum in sua ecclesia confessiones audit. — Theologus die, quo fidelibus sacram Scripturam exponit. Item assistentes Episcopo solemniter in civitate celebranti, vel missi ab Episcopo, vel comitantes ipsum ad limina Apostolorum. Ast accessus ad limina, mansio, et regressus est trium mensium.

Amittunt distributiones, et non praebendas, Canonici Examinatores Synodales: deputati ab Episcopo ad visitanda hospitalia, et ecclesias Dioecesis: pariter duo servientes Episcopo in visitatione: Vicarius Generalis: qui inservit Tribunali S. Officii: Administri Camerae Apostolicae: assistentes Seminario: Magistri sacrae Theo-

logiae, et etiam alii Magistri in scholis publicis: Studentes per triennium, modo obtineant Episcopi licentiam.

Nota. Quod dictum fuit de Canonicis circa Chorum, dicendum venit etiam de Beneficiatis, qui Beneficii causa obligantur ad Chorum. Verum excludatur tum Coadjutor, licet instituatur; quia nondum est beneficiarius: tum Pensionarius; tenetur tamen ex Bulla Pii V ad Officium parvum B. Mariae Virginis sub eadem poena, sub qua Beneficiarii tenentur ad Horas canonicas.

Q. Cuinam conceditur indultum jubilationis?

R. Jubilationis indulta cum habeant rationem praemii et remunerationis, conceduntur illi Beneficiario, qui jugiter et laudabiliter cuivis peculiari ecclesiae per quadragenarium chorale servitium inservierit. Ita disciplina S. Congreg. confirmata a Gregorio XIII; vide Gargiam, *de Benef.* p. 3, c. 2, § 1, n. 244.

Nec obstat quod in diversis ecclesiis (modo sint ejusdem dioecesis, secus non) fuerit Beneficiatus; nec quod difforme servitium praestitisset, v. gr. partim uti Mansionarius, partim uti Canonicus etc. fuerit. Ita in Romana 12 decemb. 1699, quae allegatur in Derthonen. 14 maii 1768.

Q. Quae distributiones debentur jubilato?

R. Jubilatus percipere debet omnes fructus, omnesque distributiones, omniaque emolumenta, quae percipiunt reliqui chorales per suam praesentiam in quibusvis functiönibus. — Excipe distributiones in anniversariis fixis, si resistat disponentium voluntas: vel in functionibus omnino adventitiis, in quibus emolumenta indole sua conferenda sunt tantum actu praesentibus. Ita Sac. Congreg. Concilii 3 septemb. 1870.

Nota. In ejusmodi adventitiis functionibus maxime valere statuta capitularia, vel consuetudinem. Ita eadem Sac. Congr.

Q. An jubilatus sive per se, sive per alium explere debeat Missas quas antė jubilationis indultum celebrare adstringebatur per turnum?

R. Negative pro Missis de turno. — Sed Canonicus jubilatus, qui sit Capituli Dignitas, vel Personatus, vel Archipresbyter etc. per jubilationem non est exemptus ab iis peragendis peculiaribus functionibus, quae taxative inhaerent Dignitati, vel Personatui sive ex statutis sive ex consuetudine; sunt enim peculiaria onera, quae gravant tantum Dignitatem. Ita eadem Sacra Congregatio 3 sept. 1870.

§ 3. *De Vicariis Foraneis, et Parochis.*

Q. Quinam dicuntur, et ad quid tenentur Vicarii Foranei?

R. 1° Sunt Praesbyteri illi, quos in oppidis Dioecesis Episcopi solent constituere ad certos actus, certasque vices pro bono Dioecesis regimine.

R. 2° Praecipuae sunt: 1° Ut diligenter inquirant in omnes Clericos Vicariatus, utrum ea, quae de cultu divino, et de vita, ac honestate Clericorum praescripta sunt, observentur.

2° Ut delinquentes admoneant, et corrigant.

3° Ut dissidia, si quae sint in Vicariatu, maxime si inter viros ecclesiasticos componere studeant, si possint. Secus judicis personam agant, servatis tamen limitibus, quibus coercetur eorum potestas.

4° Ut suo tempore Congregationes indicant, iis praesint, atque omnia praescripta adimpleant etc.

Quotannis vero (omni posthabito respectu) Episcopum certiorem faciant de omnibus.

Q. Quaenam sunt obligationes Parochorum?

R. Praecipuae sunt morum bonitas; oratio; studium; residentia in Parochia; praedicatio Verbi divini; administratio Sacramentorum; correctio ovium; visitatio aegrotorum, et Parochiae.

Nota. Parochus semel canonice constitutus, ordinaria gaudet jurisdictione in populum sibi demandatum, et sine nova Episcopi approbatione jus habet ad omnia munia parochialia obeunda.

Parochi sub gravi tenentur ad residentiam tum materialem, tum formalem, seu utilem in Parochia. Nam Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de Ref. postquam definiverit residentiam esse graviter Episcopis praescriptam, adjungit: *Idem esse affirmandum de Curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent.*

Diximus *tum materialem:* quia ex S. Concilii Congregatione Parochus debet habitare in domo suae ecclesiae, si adsit; secus intra Parochiae fines, ut facile adiri possit. *Tum formalem:* quia si resideret inutiliter, et otiose, non esset vera residentia; nam Benedictus XIV Bulla *Grave* declaravit non esse veram residentiam, nisi ea sit formalis, seu utilis.

Si neque materialiter, neque formaliter resideat, non solum peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad integram fructuum restitutionem. Haec restitutio fieri debet vel fabricae ecclesiae, vel pauperibus

loci. Si vero materialiter resideat, et alia munia non impleat; vel alia munia adimpleat, et materialiter non resideat, ex parte tantum tenetur restituere. Quia videtur juri naturali consentaneum, quod qui duplici onere gravatus est, non debeat privari mercede utrique assignata eo quod unum omisit; si tamen aliud adimplevit. Ita sentiunt Scavini, Barbosa, Bonacina, et Viva cum communi, ut hic asserit. Hanc sententiam amplectimur; quamvis nonnulli contra opinantur.

Ad assignandam vero partem, quae debet restitui, ego prudentiae et sapientiae Episcopi remitterem.

Tridentinum ob quamlibet honestam causam Parochis liberam facultatem facit discedendi a propria Parochia duorum mensium spatio; sed sub gravi requiritur 1° licentia Episcopi (et non est necessarium, ut sit in scriptis): 2° ut Vicarius idoneus relinquatur ad satis Parochiae providendum. Si tamen gravis occurrat causa, quae dilationem non patiatur (relicto semper Vicario idoneo), discedere poterit etiam absque Episcopi licentia; quia *necessitas non habet legem:* sed quamprimum certiorem faciet Episcopum. Ita definivit S. Conc. Congr.

Item excusari potest Parochus, saltem a mortali ex parvitate materiae, si inconsulto Episcopo, discedat per unam hebdomadam, et juxta alios etiam per duas: modo tamen Vicarium substituat. Ita etiam Scavini.

Parochus bona fide existimans se habere justam causam discedendi a Parochia non tenetur restituere fructus, quos percepit (dummodo per Vicarium idoneum suppleverit), quando cognoscit illam causam non fuisse justam. Nam vel Vicarius accepit a Parocho aliquod stipendium, vel supplevit ad gratiam ejus. Si primum, non tenetur Parochus restituere; secus bis satisfaceret. Si secundum, neque tenetur; quia Vicarius intendit stipendium Parocho donare. Ita etiam Viva, Garcia, et Frassinetti etc., licet D. Alphonsus videatur contrarium sentire.

Q. Quale absentiae tempus requiritur in Parocho ad inducendam gravem restitutionis obligationem?

R. Si absit sine causa, communiter Doctores censent absentia ultra 15, vel 20 dies materiam gravem constituere; ideoque obligationem adesse restitutionis sub gravi. Si absit cum causa, sed absque consensu Episcopi, et si tantum absit per duos menses a Tridentino concessos, ad nullam ipse tenetur restitutionem fru-

ctuum relicto Vicario idoneo; quia Concilium jus naturale interpretando, illud temporis spatium non reputat grave cum causa. Ita Viva et alii; quibus subscribimus.

Q. Quaenam sunt legitimae causae, quibus ex episcopali licentia Parochus abesse possit a Parochia ultra bimestre?

R. A Concilio adsignantur 1° charitas Christiana. 2° Necessitas urgens. 3° Obedientia debita. 4° Evidens Ecclesiae, vel reipublicae utilitas.

Nota. Quoad necessitatem non intelligitur periculum commune ut bellum etc., sed periculum particulare ipsiusmet Parochi, v. g. si ab inimicis vexetur; in quo casu S. C. Congregatio concedit sex menses; quae licentia potest prorogari, si inimicitia perduraret; sed, transacto anno, debet Parochus induci omnino ad resignandam, vel permutandam ecclesiam.

Gregorius XIII decrevit (6 dec. 1576): *Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis; et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini*, sess. 23, c. 1 de Reform.

Q. An Parocho liceat in templum inducere vexilla profana; ibique celebrare solemnitates clamorosas ad solum finem celebrandi festa saecularia, atque in rebus pure politicis?

R. S. Congregatio Episcoporum respondit negative (15 jan. 1848).

Item maxime dedecet, ut saecularis homo in ecclesia laudationes funebres, vel publicas conciones habeat.

Q. Quomodo se gerere debet Parochus circa publicas preces ab auctoritate civili praescriptas (v. g. *Te Deum, processiones solemnes, et similia*) ob habitam a principe victoriam, vel aliam publicam popularis laetitiae causam?

R. Benedictus XIV Bulla *Quaemadmodum* 1743 expresse prohibuit, ne iis per Parochum fiat locus sine Episcopi consensu, declarans nullius ponderis esse hac in re magistratuum civilium ordinationes; quia *Deus imperium principi commisit, Episcopis autem ea, quae sunt Ecclesiae, concredidit.*

Q. Quomodo se gerere debeant Clerici in rebus publicis, quae inconditos clamores, et strepitum in populo excitant?

R. Id 15 jan. 1848 declaravit S. Congregatio Episc. et Reg. sic inquiens: « *Non conviene agli Ecclesiastici il prendere parte nelle* « *clamorose dimostrazioni popolari... e molto meno estendere queste* « *fin dentro al Santuario destinato alla preghiera ecc.* »

Q. Quid dicendum de praedicationis obligatione?

R. Maxime est obligatio in Parochis praedicandi Verbi Dei: et deducitur ex Tridentino: *Mandat Sancta Synodus...* Sess. 22, c. 8 et sess. 24, c. 4 de Ref.

Quare commune est a mortali non excusari: 1° Qui per tres menses etiam discontinuatos vel per se, vel per alios non praedicant. 2° Qui praedicationem agunt capacitati audientium minime proportionatam, adhibendo nempe conciones ita ornatas, ut major audientium pars eas non valeat intelligere. Hinc Trid. Parochis expresse praecipit, *ut plèbes pascant pro earum capacitate.* 3° Qui nullam, aut fere nullam praeparationem praemittentes ita loquuntur, ut omnia sine ordine, multa inutilia, alia falsa proferentes, in auditoribus fastidium, et erga sanctum ministerium contemptum excitent.

Pariter tenentur sub gravi catechizare. Nam Conc. Trid. praecipit: *Quicumque parochiales, vel aliàs curam animarum habentes.... per se, vel per alios (si legitime impediti fuerint) diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sui, et earum capacitate pascant... docendo etc.* Sess. 5, c. 2 de Reform.

Q. Quid de Parochorum obligatione corrigendi oves suas?

R. Sub gravi tenentur corrigere oves suas in peccato mortali, vel in proximo ejusdem periculo existentes etiam cum discrimine vitae propriae; et non solum in extrema, sed in gravi quoque earum necessitate spirituali; si quae tamen adsit spes emendationis, secus non tenetur; et attendat meliorem opportunitatem, dispositionem etc.

Quando nimius est delinquentium numerus (ut hodie accidit) sufficit profecto, si correctio fiat passim in catechesibus, et publicis concionibus. Ita pariter Scavini.

Imo non obligantur solum ad impedienda gravia, quae vident peccata; sed etiam ad inquirendum, num aliquis in iis versetur: Parocho enim commissa est salus uniuscujusque ovis. Ast in omni agendi ratione maximam prudentiam praeseferant, scientes non omnia semper expedire, quae licent, et in se bona sunt.

Si Parochi videant correctione se nihil proficere, et malum sit grande, delinquentes, seu contumaces Episcopo indicet; nihil enim intentatum relinqui debet ad bonum animae curandum. Neque valet dicere id fieri plerumque inutiliter; quia saltem inserviet Episcopo ad regimen Ecclesiae, et ipsi Parocho pro consilio, et securitate.

Debent Parochi impedire apud Episcopum, ne habitus clericalis

conferatur adolescentulis, aut pueris, qui suis moribus non sunt aliis exemplo, aut saltem indolem ecclesiasticam non praeseferunt. Ita S. Alph. Hom. Ap. tr. 7, n. 33.

Q. Quaenam sunt Parochorum obligationes quoad Sacramenta?

R. Parochi tenentur per se Sacramenta ministrare, non modo instante tempore praecepti, et gravis necessitatis; sed etiam, quod spectat ad Sacramenta, quae possunt iterari, toties, quoties oves debite, seu non intempestive petunt, nisi sint legitime impediti, vel possunt per alium sine incommodo, et offensione petentium ipsis consulere.

Nota. Parochi curare debent, ut adolescentes praesertim a decem annis usque ad quatuordecim instruantur, ut possint admitti ad Sanctissimam Eucharistiam; sunt enim obligati ad praeceptum adimplendum. Unde non est in libertate Parochi illos admittere, vel non; et negligentia in hoc est grave peccatum.

Q. An Parochi teneantur omnia Sacramenta administrare suis parochianis tempore pestis?

R. Duplex est sententia; prima docet teneri administrare dumtaxat Baptismum, et Poenitentiam, juxta responsionem S. Conc. Congr. datam S. Carolo, et postea confirmatam a Gregorio XIII, 12 octob. 1576. — Secunda plurium Theologorum docet, Parochum teneri per se tempore pestis, etiam extra casum absolutae, ac particularis necessitatis, etiam cum vitae periculo, non solum Baptismum et Poenitentiam, sed ipsum Viaticum, et Extremam Unctionem suis parochianis administrare; cum ob periculum corporis non videantur privandae animae. Insuper secus adesset scandalum maximum. Praeterea in renovatione illius decreti loco *dumtaxat* appositum fuit *omnino* ut non viderentur exclusa alia Sacramenta. Imo censet Bened. XIV, et post ipsum Ballerini supradictum S. Congregationis responsum nequaquam fuisse transmissum, cum nullum exstet de hac re indicium. Hanc secundam sententiam nos tenemus. Excipe si Parochus sit solus, et sani indigeant poenitentia etc.

Q. Quomodo ministranda Sacramenta peste infectis?

R. Quoad Baptismum, subito rite baptizatur, aliis omissis caeremoniis... Postea supplebuntur, si superstes erit. Ita Bened. XIV de Synod. Dioec.

Quoad Poenitentiam, si Confessarius probabiliter vereatur, ne et ipse pestem contrahat, vel ex nimio foetore, vel ex diuturna mora cum aegroto potest audire tantum unum, vel duo peccata, et excitet

eum ad dolorem, et admoneat de obligatione iterum faciendi confessionem integram, si fiet sanus. Ita Bened. XIV de Syn. Dioec. lib. 13, c. 19.

Quoad Viaticum, Sacerdos deponat sacram particulam in loco apto, v. gr. in patena, vel alio instrumento, ut nitido cochleari, et protendat aegroto, qui ore admoto, illam sumat.

Quoad Extremam Unctionem, sufficit ungere organum illius sensus, qui patentior offertur injunctioni cum integra forma.

Si moribundus peste infectus careret sensibus, et probabiliter judicaretur esse in statu peccati mortalis, deberet ei dari Extrema Unctio.

Peccant graviter Parochi, qui fere habitualiter exspectant ad administrandam Extremam Unctionem, quando infirmi incipiunt deesse sensibus.

Q. Quid dicendum quoad obligationem applicandi Missam pro populo?

R. Vi praecepti divini, ut Tridentinum docet, omnes, qui curam animarum habent, tenentur pro populo Sacrificium offerre. — Controversiam vero in quibus diebus Parochi debebant applicare dirimit Pius Papa IX Encyclica *Amantissimi* 3 maj 1858, hisce verbis decretoriis... *Celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum aliis etiam, qui ex hujus Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrerentur...*

Si tantum Officium transferratur, tunc Missa applicari debet in die, quo currit festum. Si transferratur festum et Officium, transfertur etiam applicatio Missae.

Nota. Festa a Pio VI suppressa sunt festa Apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duae feriae, quae Pascha, et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis, festa S. Annae, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis, et S. Josephi. Sed a Pio IX festum Sancti Joseph ut Patroni universae Ecclesiae fuit iterum statutum.

Etiam Cappellani, Beneficiati, Canonici etc., qui ex lege fundationis tenentur applicare Missam diebus festis, debent adhuc applicare in festis reductis uti Parochi: nam festa reducta semper habentur in Ecclesia ut festa de praecepto. Res resoluta est a S.

C. Cong. die 15 decemb. 1856. — Hinc sententia negans in praxi nequit amplius sustineri: neque appellari privilegio, aut consuetudini.

Q. Si Parochus infirmetur, et nequeat per se Missam pro populo in festis celebrare, tenebiturne per alium?

R. Divus Alphonsus, et Scavini affirmant: nam ista obligatio est tum personalis, tum realis, cum sit una ex suis obligationibus a Tridentino indicatis. Frassinetti negat dicens, id esse legem incertam, et lex dubia non obligat. — Sed prima sententia est tenenda; quia hoc in casu non valet principium *lex dubia non obligat;* agitur enim de damno tertii, idest de maximo bono spirituali, quo populus privaretur non recipiens fructum Sacrificii. Hoc bonum spirituale debet praevalere damno temporali, idest stipendio quod dat Parochus celebranti, et pro populo applicanti.

Si Parochus ita pauper sit, ut congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum Episcopi consensu eleemosynam acceptare, celebrando pro populo intra eandem hebdomadam. Ita Bened. XIV Bulla *Cum semper.*

Q. An possit Parochus, accedente justa et legitima causa, Missam pro populo per alium Sacerdotem applicare facere?

R. Affirmative respondit S. Rituum Congregatio 22 jul. 1848.

Si die, quo Parochus debet celebrare pro populo, sit etiam canenda Missa pro defuncto, praesente cadavere; ipse potest celebrare Missam pro populo, et alteri Sacerdoti Missam pro defuncto decantandam committat, cui tribuat eleemosynam, quae solet pro manualibus, et aliquid amplius pro incommodo. Non enim stricto jure totum quod accipit, tenetur dare Parochus; cum et ipse gaudere possit privilegio ceterorum Beneficiatorum, dum Missas proprii Beneficii alteri tribuunt celebrandas.

Q. Quid dicendum de Parochi obligationibus erga pauperes, et infirmos?

R. Ex Tridentino debet *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere* (sess. 23, c. 1 de Reform.); sed maximam curam gerere debet eorum, qui mendicare rubore impediuntur. Quoad infirmos: crebro debet infirmum invisere, benevolis suasionibus consolari; piis etiam quoad potest eleemosynis recreare; tempestive Sacramentis munire; ceterisque officiis juvare.

Alia pertinentia ad Parochos vide Tract. de Eucharistia parte 2ª, cap. III.

§ 4. *De Presbyteris simplicibus, ac ceteris Clericis.*

Q. An simplices Presbyteri teneantur ecclesiae, cui addicti sunt, inservire, atque ad salutem fidelium incumbere?

R. Affirmative: quia si Sacerdotes constituuntur a Deo, ut ad gloriam ipsius, et ad salutem animarum incumbant; si a Christo missi sunt, ut succedant in ejus officium; certum est hanc eis gravem obligationem inhaerere.

Nota. Simplex Sacerdos tenetur se aptum reddere ad excipiendas sacramentales fidelium confessiones; et hoc sub gravi, si in loco versetur, ubi incolae gravi laborant necessitate spirituali; secus in vacuum gratiam Dei recepisset.

Q. An simplex Sacerdos debeat sub gravi Missam celebrare?

R. Duplex est sententia; prima negat (praeciso scandalo); quia nullum adest hac de re positivum praeceptum neque divinum, neque humanum. — Secunda cum D. Thoma (3 p. q. 82, a. 10) affirmat; *quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum.* Et Tridentinum (sess. 22, c. 1) declarat verum continere praeceptum illa verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nos huic sententiae uti longe communiori, et tutiori subscribimus.

Quoties in anno debet celebrare disputatur. Sed S. Ligorius habet multo probabiliorem sententiam, quae docet Sacerdotem per se loquendo non teneri sub mortali pluries, quam ter, aut quater in anno, idest in solemnioribus festis celebrare. At non excusat a culpa levi qui cum possit quotidie celebrare, ob desidiam se abstinet. Sacerdos enim non tantum pro se celebrat; sed etiam pro bono totius Ecclesiae. Hanc sequimur sententiam.

Q. Quaenam sunt praecipuae dotes inferiorum Clericorum?

R. Duo, nempe scientia, et bonitas. — Quoad scientiam ait D. Bernardus (De conv. ad Cler. n. 38): *Zelus absque scientia dum prodesse festinat, invenitur obesse.* — Quoad bonitatem Tridentinum ait (sess. 23, c. 12), eos tantum debere assumi ad sacros Ordines, *quorum probata vita senectus sit*, nempe qui sint senes in virtute.

Unde ex communi sententia *regulariter* loquendo absolutio deneganda est Clerico in occultis peccatis lasciviae habituato, qui ad sacros Ordines aspirat, quin prius sufficiens exhibuerit emendationis experimentum.

Quod dicitur de vitio turpi, idem sit affirmandum de aliis vitiis sanctitati clericali oppositis, servata proportione.

Q. Quid si Clericus affirmet, se ab Ordine sacro abstinere non posse sine gravi scandalo, et sine infamia; quia jam probatus, et jam domo receptus ad exercitia spiritualia, et instat dies Ordinationis, et jam omnia parata sunt?

R. Si non viderem extraordinaria signa, non absolverem; quia aufertur scandalum, et infamia dicendo, se velle maturius de tanto statu eligendo cogitare. Si non acquiescat, ipse videat. Ita Scavini, et sic faciendum propter commune bonum Ecclesiae.

APPENDIX

De privilegiis Clericorum.

Hodie privilegia Clericorum possunt restringi ad haec tria tantum, nempe: 1° Ad privilegium *Competentiae*, quo Clericus impar solvendo debitis, nequit ad id obstringi, nisi prius deductis ad honestam sustentationem necessariis. 2° Ad privilegium *Canonis*, ratione cujus, excommunicationem incurrunt, qui manus in Clericos injuste inferunt. 3° Ad privilegium *Fori*, in eo consistens, ut Ecclesiastici nonnisi in foro ecclesiastico conveniri possunt.

Nota. Hodie viget ubique privilegium quod vocatur Canonis. Quoad alia, attendenda sunt Concordata inter S. Sedem et diversa Regna.

Ut tamen Clericus gaudeat privilegio fori, requiritur, ut prima saltem tonsura sit insignitus, habitum, et tonsuram clericalem deferat, alicui ecclesiae sit addictus, vel in Seminario aut alia schola de licentia Episcopi versetur. Ita Trid. sess. 23, c. 6 de Reform.

CAPUT III.

De Beneficiis.

Q. Quid sit Beneficium?

R. Est *jus perpetuum competens Clerico percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum.* — Idest auctoritate Papae, vel Episcopi.

Q. Quomodo dividitur Beneficium?

R. Dividitur: 1° In saeculare, quod pro Clericis saecularibus, et in regulare, quod pro Regularibus jam professis est constitutum, ut est Prioratus etc. Hoc saecularibus dari nequit nisi in Commendam.

Nota. Differentia horum Beneficiorum dignoscitur ex fundationis lege, vel institutione, vel praescriptione. In dubio Beneficium praesumitur saeculare; quia status saecularis est antiquior.

2° In Beneficium simplex, et in duplex. — Simplex est illud, quod obligationi divini Officii non habet adnexam aliam qualitatem; talis est Canonicatus simplex, Cappellaniae etc. Tamquam dignitates habentur omnes Canonici cathedralis. Ideo Canonicatus in odiosis inter simplicia Beneficia non adnumerantur. Ita Devoti.

Duplex dicitur illud, quod obligationi divini Officii adnexam habet aliam qualitatem; scilicet vel praeminentiam, et curam, et dicitur Curatum; vel solam praeminentiam, et dicitur Personatus; ut est *Primiceriatus*, *Lectoratus;* vel aliquam administrationem, et est Officium, ut *Thesauraria*, *Cantoria;* vel praeminentiam, et jurisdictionem in foro externo, et est Dignitas, ut *Episcopatus*, *Praepositura*, *Prioratus*, *Guardianatus etc.*

3° In residentiarium, et non residentiarium; prout inhaereat, vel non, obligatio residendi personaliter in loco Beneficii.

4° In compatibile, quod simul possideri potest ab uno, eodemque Clerico. — In incompatibile, quod e contrario non potest ab uno simul possideri.

5° Ratione modi, quo conferuntur, alia Beneficia sunt electiva; alia patronata; alia collativa. Electiva, si Clericus assumitur per simplicem electionem. — Patronata, si conferantur per patroni praesentationem. — Collativa, si obtineantur per collationem libere factam ab eo, qui potestatem habet.

His additur etiam Beneficium titulare, quod cum plenitudine juris confertur juxta ejus fundationem. — Commendatum, quod solius administrationis, aut custodiae gratia traditur: si tradetur ad vitam aequivalet Beneficio titulari.

Nota 1ª. Ad rationem Beneficii requiritur: 1° Ut soli Clerico sit tradendum. 2° Ut semper interveniat auctoritas Praelati ecclesiastici in erectione, et collatione. 3° Ut inter jura ecclesiastica recenseatur, et ideo ejus titulus, et administratio semper maneat penes auctoritatem Praelati ecclesiastici.

Beneficia considerata ut directa ad honestam sustentationem Cle-

ricorum repetunt originem ab Apostolis. Considerata ut adjudicatio certae bonorum portionis facta certo ecclesiastico ministerio originem repetunt a saeculo v.

Quare Beneficia impropria sunt *Patrimonia clericalia*, quae in titulum ecclesiasticum constitui permittuntur in subsidium tituli ordinarii: *Coadjutoriae Beneficii*, quae nudam importat facultatem alterius onera supplendi: *Beneficia manualia*, quae in alterius manu ita remanent, ut possint ad nutum auferri, et ideo dicuntur ad nutum patroni *amovibilia*, quia patronus pro arbitrio, potest Cappellanum (qui non sit passive vocatus) amovere, et alium eligere, quin debeat probare causam; nisi tamen remotio aperte probetur facta ex irrationabili causa, aut vindictae impulsu: *Legata pia*, quae nihil aliud sunt, quam certa bonorum dispositio ad pium opus. — Hinc Beneficia impropria sunt etiam Cappellaniae laicales, seu non collativae, licet perpetuae, quae non aliud sunt, quam piae fundationes sub onere aliqua ministeria obeundi in certa cappella, vel altari.

Nota 2ª. Cappellania laicalis etiam laico, imo etiam foeminis, et pueris tradi potest, per alios implendo onera. Unde hujus Cappellaniae bona sunt mere laicalia, et lites, quae suboriuntur inter patronos, et passive vocatos, res profanae habentur.

Cum tamen pias fundationes contineant, jus erit Episcopis eas visitandi, inquirendo quoad Missarum celebrationem, aliarumque piorum dispositionum executiônem; nisi expresse id fuerit vetitum in tabulis fundationis. — Item quando agitur de immutatione, ac reductione onerum spiritualium ad Apostolicam Sedem omnino recurrendum est. Excipe nisi e fundatione ipsa hoc jus habeat Episcopus.

Cappellania laicalis differt ab anniversariis, et legatis piis; quia in Cappellania certi fundi assignantur, et a patrimonio segregantur, quasi dos; sed in legatis piis, et anniversariis praecipua habetur obligatio personalis; etsi sint designati certi fundi. Ex quo fit, ut Cappellania prorsus extinguatur, pereunte fundo; at non pereunt caetera pia legata, pereuntibus fundis.

Requiritur Episcopi adprobatio, si agatur de acceptandis ab Ecclesia perpetuis oneribus Missarum, ut fit in anniversariis et aliis legatis.

Ad Beneficium improprium revocatur *Praestimonium* et est stipendium laicale si a Beneficio laicali; ecclesiasticum si ab ecclesiasticis redditibus abstrahatur.

ARTICULUS I.

DE MODIS ACQUIRENDI BENEFICII ECCLESIASTICI.

Nota. Semper prae oculis habeatur vulgare illud: *Beneficia sine diminutione, vacantia, dignioribus, gratis, solicite conferantur.*

Q. Quot modis Beneficia ecclesiastica acquiruntur?

R. Tribus modis : 1° Per electionem, qua Clericus a Capitulo, vel ab alio eligitur. — 2° Per praesentationem , qua quis offertur Superiori. — 3° Per collationem, cum gratis solo jure Praelati datur alicui : et fit per symbola, v. g. per bireti impositionem.

Q. An necessario requiratur titulus ad acquirendum Beneficium?

R. Affirmative ; qui enim absque titulo invadit Beneficium non solum illud amittit ; sed insuper fit inhabilis ad illud postea obtinendum, prout definivit Alexander III.

Tituli sunt septem : 1° Collatio libera. — 2° Praesentatio, et subsequa institutio. — 3° Electio , et subsequa confirmatio. — 4° Postulatio, et subsequa admissio. — 5° Resignatio acceptata in favorem. — 6° Permutatio approbata. — 7° Subrogatio.

Nota. Si Beneficiatus bona fide cum aliquo titulo colorato Beneficium obtinuerit , fiet legitimus illius possessor post triennalem possessionem pacificam : modo Beneficium fuerit obtentum absque simoniaco ingressu ; et is ad illud ipso jure non fuerit inhabilis, v. g. propter censuram aliquam ante Beneficium contractam. Ita Cancellar. de trien. poss.

Q. Quid est nominatio, et electio ad Beneficium ?

R. 1° Nominatio est *actus ille, quo exhibetur Superiori persona aliqua ad Beneficium vacans occupandum.* — Fit per literas; sic hodie communiter eliguntur Episcopi.

R. 2° Electio est *personae eligibilis prae aliis assumptio ad Beneficium vacans.*

Q. Quotuplici modo fieri potest electio ?

R. Triplici : 1° Per *scrutinium:* est cum quilibet suum suffragium secreto tribuit. — 2° Per *compromissum :* est cum facultas eligendi in unum , vel plures designatos ex consensu transfertur. — 3° Per *inspirationem :* est cum subito quodam motu omnes eligentes in unum conspirant. — Id si accidat in eligendo Pontifice, dicitur facta *per adorationem.* — Ita Conc. Lat. IV, cap. 24.

Nota. Si Papa vellet nominare illum, qui post ejus mortem debeat esse Pontifex, et hunc eligendi modum tamquam ordinarium praescribere, non valeret; quia vergeret in perniciem Ecclesiae. Attamen si in casu raro, urgente aperta necessitate faceret, juste ageret, legitimaque uteretur potestate. — Ita Suarez (*De fide*, disp. x, s. 4). Vide etiam Fagnanum etc.

Electio absoluta offerenda est electo, qui intra mensem a notificatione consensum dare debet; et intra menses tres a consensu dato debet a Superiore confirmationem petere. Et si agatur de electione Episcopi intra tres menses a confirmatione impetrata, consecratio suscipienda est.

Q. Quot requiruntur ad validam electionem?

R. Quatuor: 1° Ut omnes, qui jus eligendi habent, rite vocentur. — 2° Ut intra trimestre a die vacationis Beneficii fiat electio, nisi adsit legitimum impedimentum. — 3° Ut electores sint saltem subdiaconi si agatur de electione virorum, nisi speciali privilegio aliud concessum sit. — 4° Ut electorum pars major consentiat.

Q. Quid est praesentatio ad Beneficium?

R. Est *exhibitio personae idoneae facta coram Episcopo ab eo, qui habet jus patronatum, ut in Beneficio instituatur.*

Q. Quid est jus patronatus?

R. Est *facultas praesentandi idoneum clericum, ut ei conferatur ecclesiasticum Beneficium vacans.*

Q. Quae faciunt patronum?

R. Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus (V. Trid., sess. 25, cap. de Ref.)

Q. Quotuplex est jus patronatus?

R. Praecipue triplex est, nempe Ecclesiasticum, si ex aliquo ecclesiastico titulo ortum sit. — Laicale, si ab aliquo laico per fundationem fuerit acquisitum. — Mixtum ex utroque, cujus praesentatio pertinet, partim ad clericum ratione ejus officii sacri, partim vero ad laicos.

Diximus *praecipue*: quia dividitur etiam in haereditarium, quod transit ad quoscumque vocatos haeredes, etiam extraneos. — In gentilitium, quod relictum est iis, qui sunt de tali familia. — In mixtum, seu ex haereditario, et gentilitio. — In activum, quod est jus praesentandi aliquem ad Beneficium. — In passivum, per quod aliquis a Patrono necessario debet presentari. — Activum est personale, si competat personae tantum; reale, si sit adnexum ali-

cui certae rei, vel loco. Hoc transit ad quemcumque, qui sive emptione. sive alio modo rem acquirit.

Nota. Patronus laicus si donet jus patronatum Ecclesiae, hic induit naturam Beneficii ecclesiastici. Ita R. Rota, cap. *Dilectus* 34.

Q. Quomodo jus patronatus acquiritur?

R. Originaliter, et derivative. — Originaliter : 1° Fundatione canonica. 2° Sufficienti dotatione ecclesiae jam constructae, et ab Episcopo approbata. 3° Pontificis privilegio. — Derivative acquiri potest per successionem ; per donationem ; per permutationem ; per venditionem loci, vel fundi, cui jus patronatus est adnexum.— Intellige jus patronatus per se, et solitarie sumptum non potest vendi.

Q. Utrum praescriptione acquiritur jus patronatus?

R. Affirmative tum originaliter, tum derivative.

Q. Quandonam facienda est praesentatio?

R. Si ecclesiasticus; intra menses sex computando a die, quo Beneficii vacatio ad patroni notitiam potuit pervenire. — Si laicalis; intra menses quatuor. — Si mixtus; sufficit intra semestre.

Nota 1ª. Patronus laicus potest mutare voluntatem antequam Episcopus confirmet praesentatum, et ita non habet praesentatus ex sola electione plenum jus. — Ita Glossa 1° in cap. *Dilectus de offi. deleg*. Currit tempus si litis sit inter ipsos patronos, nempe si non conveniant etc.

Nota 2ª. Si laicus praesentat indignum, jubetur alium praesentare. — Si ecclesiasticus, ea vice jure praesentandi privatur. — Patronus nequit seipsum praesentare; rogare tamen potest Episcopum, ut si credat, ei conferat.

Nota 3ª. Si patronus ecclesiasticus presentet primo unum, postea alterum, prior est instituendus: sic de mixto. — Si laicus, tunc praelatus potest eum instituere, quem maluerit. Si ex duobus patronis alter unum, alter vero alterum praesentet, Praelatus conferre potest suo arbitrio. — Si multi sint discordes, est instituendus ille, in quem convenit eorum pluralitas.

Q. Quot modis amittitur jus patronatus?

R. Rei interitu. — Facto ipsius patroni, ut si suo jure abdicet, aut illud alteri concedat. — Ejusdem patroni crimine. — Praescriptione, nempe si spatio 40, vel 30 annorum patronus neglexerit Beneficium conferre non impeditus; modo tamen interea Ordinarius illud bis saltem contulerit non jure devolutivo, sed jure sibi tamquam proprio.

Patronus ecclesiae non privatur jure suo propter reaedificationem illius ab alio factam, nisi ecclesia sit omnino diruta, et ipse requisitus reaedificare noluerit.

Ecclesia, vel cappella de jure patronatus non potest immutari, vel alterari sine consensu patroni. R. Rota 23 junii 1673.

Patronorum filii licet abstineant ab haereditate, non ideo perdunt jus patronatus. Ita Glos. in cap. consid. 16, q. 7.

Q. Quid est collatio?

R. Est *attributio Beneficii facta a Praelato jure pleno independenter a jure patronatus* etc.

In Dioecesi Episcopus est collator ordinarius Beneficiorum; quia in ipsa est sacrorum moderator. — Papa est collator universalis; quia est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum. — Collatio scripto fieri debet.

Q. Quot modis Episcopus et Papa conferunt Beneficia?

R. Episcopus tribus, nempe concursu, reservatione, et jure devolutionis, id est quando inferiores collatores sunt negligentes. — Papa quatuor modis, nempe *jure praeventionis* — *jure reservationis* — *jure concursus* — *jure devolutionis*.

Acquiruntur per concursum Paroeciae et alia Beneficia, quae curam animarum habent, ut praescribit Tridentinum. Item praebenda Theologalis et Poenitentiaria (cum aliqua diversitate) ex Bened. XIII Bulla *Pastoralis*.

Verum sine concursu conferuntur Paroeciae si sint valde pauperes, aut factionibus, et rixis expositae. — Vicariae perpetuae Parochiarum, seu incorporatarum aliis Ecclesiis, monasteriis, collegiis, locisque piis, ex Pio V *Ad exequendum*. — Item possunt esse dignitates, curam animarum habentes unitis Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis. Ita Fagnanus cap. *Cum sit ars*, num. 19 et 22. Hoc valet etiam in permutationibus Ecclesiarum Parochialium, vel si Parochus sit amovibilis.

Q. Quid si Beneficium parochiale sit juris patronatus?

R. Vel laicalis est, vel ecclesiasticus. Si primum, nullus requiritur concursus; sed praesentatus erit probandus a tribus examinatoribus synodalibus; ita ex Trid. sess. 24, c. 18. — Item ex S. C. Congr. si Beneficium sit juris patronatus mixti. Verum si plures aequaliter praesententur, concursus erit indicendus, et ab Episcopo magis idoneus est eligendus. Si secundum, patronus digniorem eligere debet ex approbatis in concursu ab examinatoribus;

et eum Episcopo offerre, si institutio ad Episcopum spectet; si institutio pertineat ad alium, tunc electio dignioris fit ab Episcopo ex Tridentino. Patroni vero est tantum digniorem sic electum ei praesentare, cujus est illum instituere. Ita Bened. XIV, *De Synod. Dioec.* lib. 13, c. 24.

Nota. Quoad concursum Tridentinum praecipit, *ut Episcopus, et qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo praescribendum examinandos vocet.* Pius V determinat hoc tempus ita, ut nequeat ultra viginti dies protrahi.

Si nullus omnino, vel nullus idoneus comparuerit, novus erit concursus indicendus: si secundo fuerit frustra tentatus, tunc ex S. Conc. Cong. licet Episcopo tertium concursum omittere, et ipse poterit (adhibitis tribus synodalibus, vel prosynodalibus examinatoribus) privatim probare eum, qui ad examen se exhibuerit.

Habito concursu, sed sine effectu vel ob inscientiam concurrentium, vel ob fraudem (v. gr. ut si scriptis usi fuerint etc.) non potest emendari defectus; sed novus est indicendus concursus, quia prior est jam consummatus.

In examine, vel concursu parochialis Beneficii requiruntur saltem tres synodales examinatores, qui sint magistri, doctores, aut licentiati, vel etiam Regulares, qui videbuntur magis idonei; et necessario jurare debent ad SS. Dei Evangelia, se fideliter munus executuros; et S. C. Cong. censuit 2 dec. 1628 concursus factos, non praestito hoc juramento, esse nullos.— Sed sufficit, ut singulis annis, quibus deputentur, juramentum emittant.

Prosynodales ex jure synodalibus aequiparantur. Si non sint tales, vel sint pauciores tribus, vel non jurati, nulla est provisio. — Electi in Synodo (qui non debent esse pauciores quam sex, neque plures quam viginti) durant usque ad novam Synodum. Si primo anno Synodi moriantur ita, ut sex non supersint, Episcopus de consensu Capituli potest eodem anno alios eligere ex indulto Clem. VIII, et post annum illi cessant. Sed, transacto primo dicto anno, facultas alios examinatores deputandi, habito de necessitate consensu Capituli, a S. C. Congregatione est postulanda.

S. C. Congregatio 1578 declaravit Episcopum, vel Vicarium habere votum decisivum in eligendo ex approbatis; non autem in approbando concurrentes, cum hoc sit examinatorum. Excipe, si examinatores sint pares; aut singulares in votis suis. Ita ex Trid. sess. 24, c. 18, de Reform.

In conferenda Theologali et Poenitentiaria ex Benedicto XIII uti debet Episcopus quatuor examinatoribus; etsi neque prosynodales sint, modo sint in Theologali facultate saltem licentiati, et valde periti, etsi Regulares.

In examine illorum, qui Ordines petunt, vel ad confessiones sunt approbandi, Episcopus potest uti quibus, et quot maluerit examinatoribus.

Q. An examinatores debeant tantum judicare de scientia concurrentium, an etiam de caeteris dotibus moralibus?

R. S. C. Congregatio expresse declaravit, examinatores *graviter deesse muneri suo, si doctrinae tantum judices sint; nec inquirant qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito ante Ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus ad officium parochiale cumulate obeundum necessariis sint idonei, et commendabiles.*

Probabilius, ac communius examinatores tenentur (nisi agatur de jure patronatus) denuntiare non solum omnes idoneos, sed etiam magis idoneos.

Si Beneficium parochiale sit Apostolicae Sedi reservatum, Episcopus inter approbatos eligit magis idoneum, et illum Datariae significat. — Si vero Beneficia curata non sint Papae reservata ratione mensium, sed ex alio capite, attenta Constitutione Benedicti XIV *Cum illud*, peracto concursu, Episcopus abstinere debet a judicio, sed acta Datariae exhibebit.

Q. Quid dicendum de jure reservationis?

R. Est jus, quod Papa sibi ipsi tribuit circa Beneficia; ut ea ipse solus conferre possit certis in casibus, quae ceteroquin essent liberae collationis.

Beneficia vocantur *affecta*, si in iis conferendis manus apposuit Pontifex per se, vel per S. Congr. per aliquod speciale factum. Dicuntur *reservata*, quorum collatio Pontifici expresse in jure jam est reservata. Sed ambo communi usu dicuntur reservata.

Nota. Reservantur Papae cuncta Beneficia, quae vacant mensibus *Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris.* Ita Reg. Canc. — Excipiuntur Beneficia, quae vacant, licet in dictis mensibus, per renuntiationem in manibus Ordinarii, vel per permutationem.

Si Episcopo concedatur alternativa, tunc *Februarius, Aprilis, Junius, Augustus, October et December* assignantur ipsi Episcopo; ceteri menses Summo Pontifici. Alternativa conceditur tantum ad

vitam concedentis Pontificis, et quidem sub expressa conditione. ut Episcopus *vere*, et *personaliter* resideat in Dioecesi; unde si quando vacat Beneficium non sit in Dioecesi, eo privilegio non gaudet; etsi impeditus, vel injuste expulsus etc. Sed sufficit, ut die vacationis, et in ipso mensis papalis initio resederit. — Attamen conditio residentiae non afficit Beneficia vacantia mensibus *Junii*, et *Decembris;* quia menses isti sunt Episcopales. Ita Garcias et Marenco.

Episcopus pro iis solum Beneficiis alternativa gaudet quae (sublata papali reservatione) ad liberam ipsius collationem pertinerent: nec sunt de jure tertii, puta Capituli, Congregationis, aut alicujus Patroni.

Q. Quid de jure praeventionis, et concursus?

R. 1° Jus praeventionis dicitur *jus conferendi alicui gratiam exspectativam ad primum Beneficium non patronatum vacaturum.*

R. 2° Jus concursus dicitur *jus, quod Papa habet cum quolibet alio collatore concurrendi, si velit.* Necesse tamen est, ut in hoc casu conferat Beneficium ante Ordinarium.

Papa hodie nunquam, vel raro utitur jure praeventionis, et concursus, ut vitentur confusiones, et lites, quae inde oriri possent.

Q. Quid dicendum de jure devolutionis?

R. Si ii, ad quos pertinet, non provideant Beneficiis minoribus vacantibus intra quatuor menses a notitia vacationis, si agatur de patronatu laicali: intra menses sex, si agatur de patronatu mixto, vel ecclesiastico; jus Beneficium conferendi, pro ea vice devolvitur de ipsis patronis ad Episcopum, de Episcopo ad Metropolitam, de hoc ad Papam.

Attamen communi usu receptum videtur, ut adhuc sustineatur collatio si fiat, antequam, qui jure devolutionis gaudet, eo utatur.

Q. Quomodo obtinetur jus in exercitium Beneficii?

R. Sola confirmatione, quam electus (secluso impedimento) intra tres menses a notitia electionis acceptatae, petere tenetur; alias electio est irrita (cap. 6 de elect. in 6).

Q. Quid est confirmatio?

R. Est *concessio juris in Beneficio facta a Superiore ei, qui electus est.*

Nota. In quibusdam Beneficiis praeter possessionem ad fructus percipiendos requiritur etiam fidei professio; quam qui facere omiserint, saltem intra duos a possessione menses fructibus perceptis privantur, nec alios possunt percipere.

Q. Quid est postulatio?

R. Est *obsecratio ab electoribus facta Superiori, ut ad Beneficium vacans admittere velit aliquem, qui alias eligi non poterat ob impedimentum canonicum.*

ARTICULUS II.

DE BENEFICIATORUM QUALITATIBUS, JURIBUS ET ONERIBUS.

Q. Quaenam esse debent dotes Beneficiati?

R. 1° Debet esse probus. 2° Edoctus quoad munus Beneficio adnexum. 3° Caelebs; secus jure canonico admitti non potest, et collatio ei facta invalida est. Si in minoribus constitutus contrahat matrimonium, illud ipso jure perdit. 4° Legitimis ortus parentibus; secus nulla electio. Tamen Episcopus potest dispensare ad obtinendum Beneficium simplex, sed ad annum tantum; modo pater illegitimi non habuit idem Beneficium. 5° Insignitus saltem prima tonsura. Sed si Beneficium requirit Ordinem sacrum, necesse est ut intra annum a possessione ordinetur. 6° Praeditus aetate praescripta, secus esset nulla. 7° Praeditus intentione perseverandi in ecclesiastico statu, et Ordinem sacrum suscipiendi, qui ad Beneficium requiritur. 8° Tandem non sit provisus alio Beneficio.

Q. Quaenam aetas requiritur ad Beneficia suscipienda?

R. Pro Episcopatu 30 anni requiruntur. — Pro Abbatiis, Parochiis, dignitatibus cum cura 25 inchoati. — Pro dignitatibus sine cura 22 completi. — Pro Poenitentiaria 40. — Pro Canonicatu Ecclesiae Cathedralis 21 completi. — Pro Beneficiis simplicibus, et Cappellaniis 14 inchoati. — Pro arctatis, idest qui ex fundatione ad Beneficium simplex vocantur, modo septennio sint majores, tonsura insigniri possunt, et Beneficium acquirere; quia Tridentinum his non derogavit.

Q. Quid dicendum de illo, qui suscipit Beneficium sine intentione perseverandi etc.?

R. Peccat graviter, quia decipit Ecclesiam. — Si Beneficium esset parochiale ipso jure privatur, et tenetur ad restitutionem; nisi intentione mutata, ante anni finem initietur Sacerdos.

Q. Quid dicendum de pluralitate Beneficiorum?

R. 1° Beneficia sunt incompatibilia ex tribus capitibus, idest: 1° Si requirant residentiam personalem, ut Beneficia curata. 2° Si sint uniformia sub eodem tecto, ut duo canonicatus in eadem Cathedrali.

3° Si unum ad congruam Clericorum sustentationem sufficiat; secus esset bona Ecclesiae dissipare, non dispensare. Ita Felix Potestas.

R. 2° Quamvis Beneficia sint compatibilia; attamen sine justa causa est omnino prohibitum jure canonico, imo jure naturae; quia piam fraudat fundatorum intentionem.

Q. Quaenam sit justa causa possidendi, aut conferendi plura Beneficia sine Pontificis dispensatione?

R. Conc. Tridentinum (sess. 24, c. 17) assignat tantum tenuitatem Beneficii, nempe si non sufficiat ad vitam honeste sustentandam.

Q. Quaenam sint justae causae dispensandi a pluralitate Beneficiorum, etiam residentiam requirentium?

R. Tres: 1° Tenuitas Beneficii. 2° Necessitas Ecclesiae. 3° Ecclesiae utilitas. Cui etiam adjungi potest evidens praerogativa meritorum.

Nota. Si nulla ex dictis causis intercedat, plura Beneficia in conscientia retineri nequeunt; quamvis sit obtenta dispensatio Pontificia: quia Pontifex sine justa causa, quae turpitudinem tollat, non potest dispensare in iis, quae sunt juris divini naturalis. Ita Bellarminus, et alii communiter.

Q. Quid de illo, qui sine legitima facultate, secundum Beneficium est consecutus?

R. Si Beneficia sint compatibilia, statim a pacifica possessione secundi (ad hoc assignatur bimestre) vacat ipso jure primum: quod si ad sex menses illud retinere praesumpserit, privatur ipso jure utroque. Ita Trid. sess. 7, c. 4.

Q. Quodnam est peccatum conferre Beneficium indigno?

R. Est mortale quodvis Beneficium, etiam simplex non solum conferre, sed etiam praesentare, aut eligere, et curare ut promoveatur; quia cedit in grave Ecclesiae damnum. Ita ex Conc. Trid., et Lateran.

Q. An sit obligatio eligendi digniores ad Beneficia?

R. Quoad Beneficia majora, et curata adest gravis obligatio; quia id Ecclesiae bonum postulat. — Quoad Beneficia non curata, et simplicia etiam probabilius, et communius adest gravis obligatio.

Nota. Electio minus digni non excedit veniale, si excessus dignitatis sit parvus; vel Beneficium sit parvi momenti; vel si dignior brevi sit cessurus; vel si id postulet charitas; vel si ex lege fundationis indicetur persona eligenda, modo indigna non sit.

Major dignitas non est accipienda absolute, sed respective ad utilitatem Ecclesiae. Unde caeteris paribus, censetur dignior se-

nior ob experientiam — Qui de bonis suis Ecclesiam donavit in gratitudinis titulum; vel laudabiliter officium suum tenuit. — Originarius respectu extranei. — Sacerdotio donatus in comparatione Diaconi. — Potens. et nobilis respectu aliorum etc. — Pauper respectu divitis. — Qui de Ecclesia benemeritus est, respectu illius, qui per breve tempus Ecclesiae inservivit. — Graduatus in aliqua scientia respectu non graduati. — Praeditus majori sanctitate, et prudentia respectu illius, qui tantum scientia pollet.

Q. An electio digni ad Beneficium, relicto ipso digniori, sit valida?

R. Quamvis multi Theologi faciant distinctiones; tamen nos indistincte cum Croix, Lugo, Gury, et aliis tenemus in omni casu hanc electionem esse validam.

Q. An eligentes minus dignum teneantur aliquid restituere?

R. Dicimus cum Gury et Scavini, probabilius per se non tenentur, quamvis adsint aliae duae sententiae probabiles, quarum una docet restitutionem fieri Ecclesiae: altera digniori praetermisso. — Sed non debet restitui digniori; quia cum Beneficia sint instituta ad bonum publicum, sufficit ut istud obtineatur sive ab uno, sive ab alio; ideo neque digniores, neque digni in particulari habent jus strictum et rigorosum ad ea. Pariter non Ecclesiae, quia haec non intendit electores ad aliud obligare, quam ad ministros non indignos eligendos. — Diximus *per se;* quia si electio fiat per concursum communiter et multo probabilius tenemus, quod dignior habeat jus, ut ab eligentibus sibi damnum compensetur. Ita Ballerini; quia acquirit jus in Beneficium ratione pacti saltem impliciti.

Q. Quid de electo ad Beneficium, si digniori se praelatum cognoscat?

R. Probabilius non peccat; modo non sit indignus: si enim esset indignus, electio esset nulla, non faceret fructus suos, et tenetur illos restituere.

Q. Utrum, praetermissis dignioribus, liceat interdum conferre Beneficium simplex dignis?

R. Affirmative, nempe: 1° Cum id postulet charitas. 2° Cum id postulet majus bonum Ecclesiae. 3° Cum patronus praesentet dignum.

Circa electionem Superiorum Regularium notandum: « Si videam Petrum esse digniorem, et tamen major pars communitatis est inclinata infallibiliter ad Franciscum minus dignum, sed tamen di-

gnum; possum suffragari Francisco minus digno, quia tunc frustraneum est suffragari Petro digniori, et nemo tenetur ad actum frustraneum. » Ita Vega, Felix Potestas etc. At si major pars inclinet ad indignum, nunquam licet illi suffragari.

Q. Quaenam sunt jura Beneficiatorum?

R. Sunt: 1° Quando anni spatio retinuit, inde dimoveri non possit, nisi lis petitorio judicio finita sit. 2° Si procul a vitio simoniae triennii spatio Beneficium ecclesiasticum obtinuerit, quovis titulo etiam colorato, is amplius ab ipso dimoveri non possit. Ita regula de triennali possessione Rom. Cancellariae.

Q. Quaenam sunt onera Beneficiatorum?

R. Alia sunt spiritualia, quae debent desumi ex tabulis fundationis, vel ex lege scripta, aut ex natura Beneficii. — Alia temporalia et sunt: 1° Ut bona Beneficii pro viribus teneantur custodire, vindicare etc. 2° Ut praedia redigant ad statum semper meliorem etc. 3° Ut opes ex Beneficio non congerant ad augendum patrimonium parentum, et in causas profanas sumptus faciendos. Sed quae honestam vitae sustentationem excedunt, ea in usus pios sub gravi convertenda.

Nota. Quando agitatur litis pro Beneficio, vel fit aliquid ad ejus incrementum, si expensae sint modicae, sunt possessoris; si sint magnae, solvendae sunt de proprietate ipsius Beneficii.

ARTICULUS III.

DE MODIS BENEFICII AMITTENDI.

Q. Quot modis Beneficia amittuntur?

R. Tribus, nempe: 1° Juris potestate; idest si Beneficiatus moriatur; quia ad haeredes transire non potest: si Religionem profiteatur: si uxorem ducat: si assequatur Beneficium novum cum ipso primo incompatibili. Ita Cap. *Si quis Clericorum* 1°, et Tridentinum sess. 7, c. 4 de Ref.

2° Sententia judicis ob crimen commissum, ut homicidium simplex, adulterium, perjurium, induratio in excommunicatione ultra annum, defectus residentiae, haeresis, sodomia, simonia, electus si ante confirmationem in Beneficium se ingerat, et alia; sed requiritur sententia declaratoria, quia nemo per se abdicare dicitur.

3° Facto ipsius Beneficiati, idest per *renuntiationem;* vel *resignationem* in favorem; vel *permutationem.*

Q. Quid est Beneficii renuntiatio, et quid ad eam requiritur?

R. Simplex resignatio est *spontanea sui Beneficii dimissio facta coram legitimo Superiore eam acceptante.*

Ad validitatem requiritur, ut acceptetur a Superiore, et libere fiat actu legitimo. — Ad liceitatem requiritur aliqua causa. Unde peccat Parochus, qui sine rationabili causa renuntiat curam; quia quoddam veluti matrimonium cum ea contraxit, et ejus vinculum sine causa approbata disrumpi nequit.

Nequeunt acceptari renuntiationes Beneficiorum curam animarum habentium sine Pontificis dispensatione, si Beneficiatus saltem tribus annis Beneficium illud non possederit. Ita Berardi, *de Renuntiat.*, Layman, et alii.

Beneficia sine ulla conditione renuntiata, si sint liberae collationis conferri nequeunt personis, quae sint consanguinae, vel affines, vel familiares tum renuntiantis, tum collatoris: et valet etiam pro Beneficiis parochialibus per concursum providendis. Ita S. Cong. Conc. — Si sint juris patronatus conferri possunt omnibus. Ita Gregorius XIII, ut refert Gargias, *de Benef.* t. 2, n. 268.

Q. Quotuplex est resignatio?

R. Duplex, nempe simplex, quae fit sine conditione ut supra. — Conditionata, quae fit vel in favorem alterius, vel cum pensionis reservatione.

Nota 1ª. Conditionata a solo Papa admitti potest.

Nota 2ª. Ad validam resignationem in favorem requiritur: 1° Ut resignatio fiat libere, et acceptetur a Superiore. 2° Ut cui Beneficium confertur, illud acceptet; alias resignans non perdit Beneficium. 3° Ut adsit consensus patroni, vel electorum si Beneficium sit patronale, aut electivum. 4° Ut resignans infirmus supervivat adhuc viginti dies a resignatione; alias Beneficium censetur vacare. 5° Ut Beneficium non sit litigiosum; quia tunc tantum in alterum litigantem conferri potest. 6° Ut intra sex menses a die supplicationis computando publicetur in loco Beneficii, si resignatio fiat in Curia Romana; intra mensem si extra.

Q. Quid est permutatio?

R. Est *reciproca Beneficiorum resignatio in Beneficiatos.* Ad validitatem requiruntur eaedem conditiones, quae requiruntur ad resignationem in favorem. — Insuper requiritur, ut spiritualia cum

spiritualibus permutentur, et jus in re cum jure in re, v. g. Non valet permutatio nominis ad Beneficium cum Beneficio. — Item non potest fieri permutatio cum jure spirituali alterius generis, v. gr. Jus patronatus cum Beneficio. Ita Rebuff.

Q. Quid sit regressus?

R. Est *jus resumendi Beneficium resignatum, aut permutatum etiam post admissam a Praelato resignationem aut permutationem.*

Regressus est illicitus, quia adversatur sacris canonibus a Tridentino confirmatis.

Q. Quid est subrogatio?

R. Est *unius vocatio in jus et locum alterius.* Solummodo locum habet inter duos de Beneficio litigantes, quorum si unus moriatur, lite pendente, superstes in jus, et locum ipsius sufficitur.

Nota. Transactio est *pactio non gratuita de re dubia, et de lite incerta, ad dirimendam litem.* — Requiritur Episcopi auctoritas. Si vero in transactione laxatur pars aliqua rei jam ab Ecclesia possessae requiritur auctoritas Pontificis: cum sit vera alienatio. Ita Lig.

Potest Praelatus transigere in rebus, in quarum perfecta possessione nondum extitit Ecclesia, v. g. Super delatam haereditatem, legatam etc., quia nondum sunt Ecclesiae incorporatae. Ast non potest fieri cessio totalis. Ita Suarez, de Relig. l. 4, c. 51, et alii.

Q. Quid est pensio, et quid de ipsa dicendum?

R. 1° Est *jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio.*

R. 2° Triplex est, idest temporalis, quae datur propter ministerium temporale, v. g. Cantoris, advocati etc. — Spiritualis, quae datur Clerico ob spirituale ministerium, v. g. Concionatoris, coadiutoris etc. — Mixta, seu Media, quae datur Clerico ob impotentiam, vel paupertatem.

Controvertitur, an media possit conferri ab Episcopo; ideo recurrendum ad Papam juxta Salmantic. et alios. — Episcopus potest eam constituere, si deputet vicarium imperitis, aut malis rectoribus; et si agatur de lite finienda inter duos contendentes de Beneficio. Trid., sess. 21, c. 6 de Ref. et *Ex Nisi de praeb.*

Conditiones sunt: 1° Ut detur justa de causa. 2° Ut non excedat tertiam partem, aut dimidiam fructuum. Ita Sylvius, Sotus, Scavini, et alii.

Pensionarius, si pensio Clericalis sit, ex Bullis Sixti V et Pii V debet habitum et tonsuram deferre, ac Officium B. Virginis quo-

tidie sub onere restitutionis recitare, nisi jam ad Officium majus obligetur.

Extinguitur pensio modis omnibus, quibus Beneficium ipsum amittitur; nisi legitima auctoritas aliter disposuit.

APPENDIX

De bonis Ecclesiae non alienandis.

Q. An bona Ecclesiae alienari possint?

R. Negative juxta Pauli II Extravagantem *Ambitiosae de rebus Ecclesiae non alienandis*, confirmatam a Pio IX Const. *Apostolicae Sedis.* — Requiritur igitur consensus Romani Pontificis non excluso consensu Episcopi, Canonicorum (si ad Capitulum, vel mensam Episcopalem pertineant), et possessoris rei alienandae. Non tamen requiritur consensus patroni ex S. Concilii Congregatione; unde non est audiendus Frassinetti.

Q. Quaenam sunt, quae alienari possunt sine hac licentia?

R. 1° Ea, quae servando servari non possunt ad triennium sine notabili deterioratione, v. g. fructus, vestes, singularia jumenta etc.

2° Terrulae, et vineolae non fertiles, et res ceterae exiguae, seu parvi valoris.

3° Ea bona, quae a patronis sub hac conditione relicta sunt, ut alienari possint. — Item si casus urgeat, vel si facienda remuneratio pro aliquo beneficio Ecclesiae collato.

4° Bona, quae relicta fuerunt incapaci possidendi (ut Capuccini etc.); poterit enim hoc pretium expendi in Ecclesiae utilitatem. Ita de Croix, Barbosa, et alii, qui explicant *Extr. Ambitiosae.*

Q. Quid venit nomine bonorum Ecclesiae, et alienationis?

R. 1° Omnia bona immobilia; jura, et actiones ad immobilia; annui reditus perpetui; et summa pecuniae donata, et destinata ad immobilia emenda. 2° Omnia mobilia, ut vasa aurea, argentea, gemmae, bibliothecae copiosae, ornamenta pretiosa, et similia; sed debent excedere valorem romanorum scutatorum 41 et 15 assium ex dec. Sac. Cong. Concilii 22 martii 1711. — Item armenta totaliter considerata; incisio sylvarum, si fiat cum deterioratione; et Reliquiae insignes ex S. Cong. 14 jan. 1702.

Nomine alienationis veniunt venditio, donatio, permutatio, emphytheusis, pignoratio, et omne pactum, quo dominium sive dire-

ctum, sive etiam utile transferatur, immutetur, imminuatur obligetur ut in mutuo etc.

Nota. Contractus locati conducti (*affitto*), si fructus percipiantur singulis annis, permittitur ad triennium; hoc elapso, sine nova renovatione contractus iterum durat ad triennium; et sic successive usque ad quartum triennium. Si fructus percipiantur singulo biennio, vel triennio permittitur per annos sex in primo casu, per novem in altero, absque ulla permissione, ac speciali solemnitate. Ita cit. Extr. Vide Reinffenstuel.

Benedictus XIV sub nullitate actus prohibuit vendere universos fructus Beneficii ad vitam, aut ad longum tempus recipiendo una, vel pluribus solutionibus certam pecuniae quantitatem. Const. *Universalis Ecclesiae*, 20 aug. 1744.

Solemnitates sunt: 1° Prudens communis deliberatio. 2° Consensus S. Sedis. 3° Subscriptio eorum, ad quos spectat. — Probabilius alienatio facta sine istis solemnitatibus est nulla.

Q. Quaenam sunt poenae in alienantes bona Ecclesiae sine licentia?

R. Praeter nullitatem actus, sunt: 1° Excommunicatio nemini reservata, quae illico incurritur a praesumentibus tam alienare, quam alienata recipere, vel illis subscribere. 2° Si Episcopi sint, vel Abbates subjacent interdicto ab ecclesiae ingressu, quod si absolvi non curaverint intra sex menses suspensi manent a Beneficii, vel dignitatis administratione. 3° Si vero fuerint Praelati inferiores, vel Ecclesiarum Rectores ipso jure amittunt Beneficium, et dignitatem, cujus bona alienarunt.

Regulares insuper privantur Officiis suis, et ad ea inhabiles fiunt, vocemque activam, et passivam amittunt ex Const. *Decretali* Urbani VIII.

Nota. Hospitalia, Montes pietatis, confraternitates, legata, aliaque loca pia a laicis administrari solita, etsi ab Ecclesiastica auctoritate approbata; si tamen etiam auctoritate S. Sedis, vel Episcopi erecta non sint, non comprehenduntur sub *Extravaganti Ambitiosae*. Nihilominus visitationi Ordinarii subjacent. Ita ex Trid. sess. 22, c. 9 de Reform.

—

ARTICULUS IV.

DE SIMONIA.

§ 1. *De simoniae natura, et divisione.*

Q. Quid est simonia?

R. Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum.

Q. Quot modis aliquid potest esse adnexum spirituali?

R. Tripliciter: 1° *Antecedenter*, ut vasa sacra, altaria, quae antecedenter ad consacrationem valor ipsis inest. 2° *Concomitanter*, ut labor intrinsecus in celebratione Missae. 3° *Consequenter*, ut jus percipiendi proventus Beneficiorum, quod supponit, et sequitur ex officio spirituali.

Q. Quid intelligendum per verba emendi, vel vendendi?

R. Sub istis terminis comprehenduntur omnes contractus onerosi, sive temporale detur, ut pretium rei spiritualis; sive ut motivum ad acquirendum spirituale, sive tanquam gratuita rei spiritualis compensatio, prout definivit Innoc. XI.

Nota. Non comprehenduntur omnia pacta gratuita. Pariter Episcopus conferens indigno, vel alteri Beneficium, sola ratione consanguinitatis, amicitiae, sed gratis, non committit simoniam juxta D. Thomam, 2, 2, qu. 100, ar. 5 ad 2.

Q. Quid intelligitur nomine rei spiritualis?

R. Intelliguntur: 1° Omnes res, quae sunt ex se, idest essentialiter spirituales, uti v. gr. dona Spiritus Sancti, gratia, virtutes etc. 2° Ex institutione Dei, vel Ecclesiae, seu causaliter spirituales, uti Sacramenta, sacramentalia, orationes etc. 3° Effective spirituales, uti absolutio a censuris, dispensatio in voto etc. 4° Spirituales per adnexionem uti dictum fuit.

Nota. Patrimonia ecclesiastica, legata pia, praestimonia laicalia, laicales Cappellaniae et pensiones laicales non sunt materia simoniae, ideo pretio aestimari possunt. — Sed pensiones ecclesiasticae, et ecclesiastica praestimonia, vicariae et coadjutoriae, item Beneficia manualia ab Ecclesia inducta, etsi Beneficii naturam non induant, sunt materia simoniae; quia sunt adnexa clericali officio, et postulant ministerium spirituale. Ita S. Lig. Op. M. lib. 3, n. 112, Sua-

rez et alii. — Sed qui ea vendit, poenas simoniae non incurrit; quia poenae sunt latae pro veris Beneficiis.

Item transactio est simonia, si fiat privata litigantium auctoritate; non vero si fiat auctoritate Episcopi.

Pariter non est simonia vendere ceram benedictam, rosaria, vel numismata, quibus adnexae sunt indulgentiae etc. — Pluribus tamen decretis S. Congr. Indulg. interdictum est, ne rosaria, cruces, aut numismata benedicta venditioni exponantur.

Q. An committat simoniam, qui tradit aliquod temporale, pro omissione rei spiritualis?

R. Distinguendum: si omissio sit actus jurisdictionis, et fiat ob pretium, erit simonia, ut qui omittit absolvere a peccatis, vel a censura ob pecuniam; quia hoc est exercitium spiritualis jurisdictionis. — Si vero omissio non sit exercitium jurisdictionis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis pretio aestimetur, quamvis haec omissio sit actus spiritualis, ut omissio orandi, celebrandi, confessionem audiendi, aliquem ordinandi etc., non erit simonia pro illa dare, vel accipere pretium; etsi possit esse turpe lucrum: quia cessando a tali opere, non exercetur ullus actus spiritualis. Excipe si talis omissio intuitu rei spiritualis pretio aestimaretur: v. gr. si quis omittat audire Missam pro pretio; quia existimat illud pretium aequivalere bono spirituali Missae. Scavini.

Sed si sit Parochus, vel teneatur ex debito sui officii ad actum non omittendum; tunc nos tenemus contra Suarez et Croix, illum simoniam committere; quia tunc fit quasi venditio juris, quod tertius habet ad illum actum exigendum, et hoc jus spirituale est. Ita Scavini.

Q. Quotuplex est simoniae pretium?

R. Triplex, scilicet munus a manu, a lingua, ab obsequio. Munus a manu, *est pecunia, vel aliud pecunia aestimabile*, v. gr. Solutionis dilatio, mutui traditio, pensionis solutio etc.

Munus a lingua, *est favor, patrocinium, intercessio, laus* etc.

Munus ab obsequio, *est quaelibet servitus, aut officia alteri praestita ad finem obtinendi quidpiam spirituale*, v. gr. Si Praelatus conferret Beneficium servo, ut gratis sibi serviat.

Q. Utrum sit simonia inservire Episcopo in spiritualibus, v. gr. In munere praedicationis, Confessarii etc., obtinendi causa Beneficium?

R. Negative; quia docet Apostolus: *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent* (Ep. 1 ad Tim. c. 3).

Pariter non sunt de simonia accusandi qui gratis, vel pro incompetenti mercede serviunt, ut hac occasione suam probitatem, vel dexteritatem demonstrent cum spe aliquando obtinendi quodpiam Beneficium ; quia non exspectant illud spirituale velut pretium laborum suorum. Ita Elbel n. 618, Gury etc.

Q. Utrum sit simonia inservire Episcopo principaliter ad captandam ejus benevolentiam, secundario ad facilius obtinendum Beneficium ?

R. Negative ; ut communissime docent Salmant. Suarez , Layman etc. Sed hoc valde periculosum est, et ideo in praxi recte potest supponi intentio saltem virtualiter simoniaca.

Q. An simoniam committat Episcopus conferens Clerico Beneficium, in recognitionem gratitudinis ob praestitum obsequium?

R. Negative; quia, ut ait Suarez , non dat tanquam determinate debitum. Imo quodcumque Beneficium de se notum est ad extinguendam obligationem gratitudinis antea contractam cum ipsa Ecclesia.

Q. Quale sit peccatum simoniae ?

R. Est gravissimum peccatum tum contra religionem; quia est quaedam species sacrilegii ; tum contra justitiam; quia simoniacus usurpat dominium rerum, quod non habet: unde omnes actus simoniaci sunt irriti, et obligant ad restitutionem.

Q. Potestne vendi id quod est adnexum spirituali ?

R. 1° Per se licitum est vendere temporale , quod antecedenter adnexum est spirituali, ut argentum calicis ; quia res semper retinet suum valorem. Intellige dummodo ratione consacrationis etc. non exigat pretium majus valore temporali ; tunc enim esset simonia.

R. 2° Quod est adnexum spirituali concomitanter intrinsece nequit vendi ; secus res spiritualis venderetur , cum sit ab ipsa inseparabile, v. gr. Tempus, quod requiritur ad confectionem Sacramenti.

R. 3° Pariter quod est adnexum spirituali consequenter, non potest vendi ; quia principale nequit vendi : ergo neque quod ex illo necessario sequitur ut, v. gr., Jus percipiendi ecclesiasticos reditus.

Diximus *intrinsece concomitanter* quia extrinsece res , et labor actionis sunt vere in se pretio aestimabiles.

Nota. Quoad oleum benedictum , vel sacrum Chrisma , Scavini advertit usum in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluisse, ut ali-

quid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

Q. An sit simoniacus qui celebrat, Sacramenta ministrat, concionatur, Choro interest principaliter ob emolumentum temporale?

R. Sententia probabilior, quam tuentur Salmant. Suarez, Scavini, et multissimi, docet non esse simoniacum; quia accipitur tanquam stipendium ad sustentationem ministri secundum ordinationem Ecclesiae.

Nota. Innocen. XI damnavit prop.: *Licitum est dare temporale pro spirituali... etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale*. Nomine motivi intelligitur pretium ipsius rei spiritualis, vel, ut notat Scavini, lucrum tanquam finis operis; ideo est simonia: non vero tanquam finis operantis in gratiam alterius; quia tunc habet rationem stipendii.

Q. Utrum sit simoniacus, qui dat eleemosynam pauperi, ut pro se oret?

R. Negative; quia non intendit sic orationes emere.

Q. An sit peccatum simoniae temporale aliquid accipere pro tradenda doctrina sacra?

R. Si tendat tantum ad utilitatem spiritualem animarum, potest accipere aliquid solum sub ratione sustentationis. — Si tendat ad scientiam, tanquam bonum temporale acquirendum, exigere pretium non est simonia.

Q. An simoniacus sit, qui dat mediatori pecuniam, ut sibi Ordinationem, vel Beneficium obtineat?

R. Vel pecunia datur pro labore a mediatore suscipiendo, aut pro damno subeundo, vel pro mediatione ipsa cum pacto, ut intercedat etc. Si primum, non erit simonia. — Si secundum, erit simonia; quia per illam mediationem temporalem intenditur spirituale.

Nota. Simoniacus non est ille, qui supplicando patronum pro Beneficio retulit sua praeterita merita, nempe favores etc. ad gratiam obtinendam; quia nullum habetur pactum inter ipsum et patronum. — Item non est simonia precibus inducere potentem virum, aut familiarem Papae, vel Episcopi, ut mihi ab illo impetret beneficium. Ita Suarez, et communis sententia.

Q. Quid resolvendum, si quis promittat pecuniam in eleemosynam pauperibus erogandam, si tu illi obtinebis Beneficium?

R. Quamvis multi non excusant a simonia; tamen nos cum Sal-

nant., Scavini, excusamus a simonia: quia hic non datur temporale in pretium rei spiritualis; sed tanquam in gratiarum actionem, vel in alium honestum titulum; inter istos titulos adnumeratur etiam eleemosyna.

Nota. Simoniacus esset, qui alteri Beneficium procuraret ea intentione, ut sibi tanquam pauperi fructus superflui dentur.

Q. An vendi possit jus praesentandi ad ecclesiasticum Beneficium?

R. Quoad honores et subventiones, quae patronis debentur, bene vendi potest; quia quoad illa non dicitur spirituale. Pariter si sit affixum rei, vendita re, jus transfertur simul cum re in emptorem. Intellige, modo ratione juris non vendatur carius res. Ita D. Thomas.

Est simonia vendere fundos Beneficii.

Q. An simoniam committat Sacerdos, qui spondet laico Missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?

R. Negative per se: quia hic offertur executio rei spiritualis loco temporalis, quae foret alioquin tradenda.

Q. An simoniam committat Sacerdos, qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam, aut ab Episcopo statutam exigit?

R. Negative; nisi mente simoniaca agat; quia cum habeat alium titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Hanc sententiam amplectimur cum Gury, contra Voit et Reinffenstuel.

Q. Quotuplicis generis est simonia?

R. Duplicis. Alia est juris divini, et *est rei temporalis commutatio pro re spirituali, qua tali.*— Alia est juris humani, et *est pactio quaelibet, aut conventio, quae ab Ecclesia sub poenis simoniae inhibetur, quatenus labem redolet simoniacam.*

Nota. Si res spiritualis etiam cum pacto permutaretur cum alia re similiter spirituali: vel si per rem spiritualem aliquid temporale reciperetur sine ulla pactione, et sine voluntate se, aut aliam partem obligandi, non est simonia juris divini. — Simonia vero juris ecclesiastici potest committi etiam cum res spiritualis, aut res temporalis spirituali adnexa detur pro alia re itidem spirituali, ut in permutatione Beneficiorum absque Superiorum auctoritate: vel etiam cum res per se temporalis detur pro pretio temporali, uti si quis emat officium oeconomi, thesaurarii etc.; quia Ecclesia ex motivo religionis et reverentiae erga sacra eas interdixit. Ita communis sententia.

Q. Quomodo dividitur simonia?

R. Simonia sive sit de jure divino, sive de jure ecclesiastico dividitur in realem, mentalem, conventionalem et confidentialem.

Simonia realis est *pactio simoniaca*, *expressa*, *vel implicita*, *ex utraque parte completa saltem inchoata;* ut si pars pretii soluta fuerit, et res spiritualis tradita.

Simonia mentalis est *datio rei spiritualis pro temporali*, *vel temporalis pro spirituali*, *nullo interveniente pacto*, *etiam tacito.* Intellige, modo sit voluntas obligandi aliam partem.

Simonia conventionalis est *pactio exterius ex una vel utraque parte facta dandi*, *vel accipiendi rem temporalem pro spirituali.* Non sufficit sola alterutrius promissio, sed opus est, ut promissio ab altero fuerit acceptata; secus reducitur ad mentalem. Ita Ballerini etc. Quod si pactum ex neutra parte executioni sit mandatum, vocatur *pure conventionalis.* Si vero ex una parte executioni sit mandatum, vocatur *conventionalis mixta*, ex conventionali nempe, et reali.

Simonia confidentialis *est ea*, *qua quis alteri confert*, *aut procurat Beneficium cum pacto expresso vel tacito*, *ut is*, *cui procuratur illud*, *aliquando sibi*, *vel alteri resignet*, *vel pensionem absque Superioris auctoritate ex eo solvat.*

Q. Quot modis committitur simonia confidentiae?

R. Quatuor. 1° *Per accessum*, v. gr. Cum praelatus volens alicui, per aetatem incapaci, procurare Beneficium, illud conferat alteri eo pacto, ut quam primum incapax factus fuerit capax, illud accipiat.

2° *Per ingressum*, v. gr. Cum quis Beneficium sibi collatum alteri, ante captam ejus possessionem, resignat eo pacto, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel Beneficium dimittat.

3° *Per regressum*, ut cum quis Beneficium a se possessum, alteri resignat eo pacto, ut iste sibi, vel alteri idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4° *Per stipulationem pensionis* sibi, vel alteri dandae ex fructibus Beneficii.

Q. Quot modis committi potest simonia juris divini?

R. Tribus modis, nempe: 1° Dando aliquid temporale tanquam pretium rei spiritualis. 2° Dando spirituale principaliter ob temporale, vel contra. 3° Promittendo, dando, vel accipiendo temporale aestimabile pro collatione, electione, praesentatione, confirmatione ad ecclesiasticum Beneficium. Item permutando cum pensione pure laicali. Item vendendo jus percipiendi fructus.

Q. Quot modis committi potest simonia juris humani?

R. 1° Permutatione Beneficiorum sine auctoritate; resignatione in favorem; resignationibus confidentiariis. 2° Datione etiam spontanea, et acceptatione munerum ex occasione examinis ad Beneficia; et ex occasione collationis Ordinum, litterarum dimissoriarum. 3° Venditione, vel emptione officiorum sacristae, oeconomi, defensoris Ecclesiae etc. 4° Venditione partis coemeterii, chrismatis, olei benedicti etiam secundum materiam. 5° Exactione pecuniae pro admissione in religionem ratione sustentationis, nisi aliter dispositum fuit a Superioribus ecclesiasticis, ut nunc jam dispositum est.

Q. Quo jure prohibita est simonia?

R. Simonia juris divini prohibita est jure divino ob intrinsecam malitiam. — Simonia juris humani ideo mala, quia prohibetur ab Ecclesia, quare jure tantum ecclesiastico prohibetur. — Unde in simonia de jure ecclesiastico potest dispensare Summus Pontifex, in simonia de jure divino nequaquam.

Q. An possit in simonia dari materiae parvitas?

R. Distinguendum: si agatur de simonia juris divini sententia communis est, nullam dari materiae parvitatem; quia semper est gravis irreverentia in res sacras. — Si agatur de simonia juris humani, datur parvitas materiae: quia quando traditio, vel acceptio prohibetur dumtaxat ad cavendam simoniae labem, non fit injuria rei spirituali, sed peccatur tantum contra Ecclesiae praeceptum, in quo omnes materiae parvitatem admittunt.

§ 2. *De poenis, quibus simonia punitur.*

Q. Quaenam simoniae species poenis canonicis sunt obnoxiae?

R. Sunt duae dumtaxat, realis scilicet, et confidentialis. Simonia realis ut subjiciatur poenis debet esse a manu, et aliquam ex utraque parte traditionem exigit. Ita communior sententia cum Reinffenstuel (lib. 5, tit. 3, n. 239, 243). Ad simoniam confidentialem ex § 3 Constit. Pii V non requiritur expressus recipientis Beneficium consensus; sed sufficit, quod cognita dantis reservatione Beneficium acceptet.

Nota 1ª. Simonia etiam mere conventionalis in electione Romani Pontificis est obnoxia nonnullis poenis juxta Julii II Constitutionem *Cum tam divino* 14 jan. 1505, § 1 et 5: et Constitutio *Apostolicae Sedis* Pii IX reliquit in vigore censuras latas pro Romani Pontificis electione.

Nota 2ª. Communior, ac probabilior sententia docet non incurri poenam ob simoniam conventionalem mixtam, quando nempe fuit traditum pretium temporale, sed non res spiritualis.

Q. In quibus rebus simonia realis et confidentialis adnexas habent poenas canonicas?

R. In duobus tantum, nempe in collatione Beneficiorum, et in ingressu in religionem. Nam Pius IX limitans censuras Const. *Apostolicae Sedis*, loquitur tantum de praedictis simoniae casibus. Quare contra simoniacos in collatione, et receptione Ordinum nulla nunc adest censura. Excipe suspensionem per triennium a collatione Ordinum, quam ipso jure incurrunt Episcopi aliquem ordinantes absque titulo Beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. Vide Const. *Apostolicae Sedis*.

Nomine Beneficii veniunt etiam Regularium Praelaturae, quae non consistunt in nuda commissione ad nutum revocabili, ut officium Legati, Vicariatus Episcopi etc., sed in munere Ordinario, uti Prioratus, Rectoratus, Provincialatus, Guardianatus etc.

Q. Quaenam sunt poenae in istos simoniacos latae?

R. 1° Ob simoniam realem in materia beneficiaria sunt: 1° Excommunicatio Papae reservata ex Const. *Apost. Sedis.* 2° Nullitas electionis, aut praesentationis et canonicae institutionis ita ut sic promotus et institutus nequeat fructus Beneficii facere suos. 3° Inhabilitas perpetua ad idem Beneficium obtinendum. Pariter inhabilitas ad alia Beneficia obtinenda, sed post judicis sententiam saltem declaratoriam, ex Constitutionibus Pii IV et Pii V. — Verum si alia Beneficia simoniacus jam habeat retinere potest; quia nulla lex expresse hanc poenam ipso facto decernit. S Lig. Op. Mor. lib. 3, n. 112.

Nota. Praedictam excommunicationem incurrunt non modo conferens, et recipiens Beneficium; sed etiam complices, idest quorum mediatione, et cooperatione contractus simoniacus perficitur.

R. 2° Ob simoniam realem quoad ingressum in Religionem incurrunt excommunicationem Papae reservatam omnes rei hujus simoniae ex Const. *Apostolicae Sedis.* Conventus, seu religiosa familia incidit in suspensionem ab officiis Capitularibus. Simoniace scienter professus si per sententiam fuerit convictus in arctius monasterium debet detrudi, nec absque dispensatione Papae in eodem monasterio manere potest.

Nota. Hodie legitime recipitur aliquod emolumentum pro admis-

sione in religionem ad professi indumenta, vel sustentationem saltem per totum tempus Novitiatus, etsi coenobium sit dives: quare simonia committitur, si aliquid exigatur ex solo titulo professionis religiosae.

Ex D. Thoma (2, 2, q. 100, a. 3) simonia non est, si quis eleemosynas monasterio eroget, ut facilius, sed ex gratitudine in illud admittatur.

R. 3° Ob simoniam confidentialem sive completam, sive incompletam incurritur ab omnibus hujus simoniae reis cujuscumque sint dignitatis: 1° Excommunicatio Papae reservata ex Const. *Apostolicae Sedis.* 2° Nullitas resignationis ante collationem factae in confidentiam. 3° Inhabilitas ad idem Beneficium, et ad alia obtinenda. 4° Privatio pensionum, et Beneficiorum omnium antea etiam legitime obtentorum; non tamen ante sententiam saltem criminis declaratoriam. 5° Reservatio ejusdem Beneficii ad Sedem Apostolicam ex Constitutionibus Pii IV et Pii V.

S. Alphonsus dubitat, an examinatores, qui occasione examinis ad Paroeciam aliquid recipiant, priventur ante omnem sententiam Beneficiis jam obtentis adeo, ut juxta Tridentinum *nequeant a simonia absolvi, nisi dimissis Beneficiis.* Alii Theologi censent hanc poenam cum tanto rigore non esse receptam. Vide Thesaur. *De poenis Eccl.* Quare in praxi melius est attendere sententiam declaratoriam.

Nota. Quoad mediatores etc. poenae locum non habent, nisi traditio ex utraque parte saltem sit inchoata. Ita Ballerini.

Q. An committat simoniam, et poenas incurrat, qui obtinet ecclesiasticum Beneficium per fictam pecuniae promissionem non impletam?

R. Per se simoniam non committit, etsi graviter peccet; quia non adest studiosa voluntas emendi; nec poenas incurrit, quia desit simonia utrinque completa. Ita Croix, Scavini.

Q. Utrum simoniace promotus poenis canonicis sit obnoxius, dum ipso ignorante, ab alio perpetrata est simonia, v. gr. a patre, aut amico, qui per simoniam ipsi procuravit Beneficium?

R. Hic non incurrit poenam excommunicationis, sed est invalida ejus provisio, et ad Beneficium obtinendum fit inhabilis. Excipiuntur duo casus, in quibus a jure declaratur valida talis collatio, et sunt: 1° Si inimicus provisi, ipso ignorante pretium obtulerit, ut eum ad Beneficium obtinendum inhabilem redderet. 2° Si provisus resciens hanc simoniam expresse contradixerit; modo postea non

acceptaverit, quia si acceptaverit Beneficium, licet contradixerit simoniae, est irrita provisio.

Nullus est actus, etiamsi in electione, quae fiat a pluribus jure communitatis, vel collegii, unus tantum simoniace suffragium ferat, majori parte rite eligente. Secus tamen si praesentatio fiat a pluribus. Ita Schmalzgr. lib. 5, tit. 3, n. 266.

Q. An poenae ob Beneficia simoniace accepta constitutae, incurrantur ab ignorantibus?

R. Si ignorantia sit inculpabilis non incurruntur poenae, ad quas incurrendas requiritur scientia, ut excommunicatio etc.: incurruntur tamen aliae poenae, ut inhabilitas etc. privatio etc.

Q. Quinam absolvere potest a poenis in simoniacos latis?

R. Quoad excommunicationem ob collationem Beneficiorum, vel ob admissionem in Religionem incursam, solus Papa potest absolvere, si publica sit. Si occulta possunt etiam Episcopi, ut docent communiter, et hoc etiam post Const. *Apostolicae Sedis*.

Quoad inhabilitatem distinguendum est; vel agitur de dispensando ad habenda alia, vel idem Beneficium. Si primum potest Episcopus dispensare, modo simonia sit confidentialis ex Pio V; neque deducta sit ad forum contentiosum. — Si secundum, adhuc Episcopus potest dispensare, si simonia sit commissa, Beneficiario ignorante.

Nota. In hoc secundo casu Episcopus potest dispensare in illa vacatione, si Beneficium sit simplex, et si antea renuntiatur. — In alia vero vacatione, si Beneficium sit majus, curatum, vel dignitas.

Q. An simoniace percepta sint restituenda?

R. 1° Pretium temporale perceptum solo crimine simoniae absque justitiae laesione non adest obligatio restituendi ante sententiam condemnatoriam judicis, nisi ipsum pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod transfertur in alterum cum re spirituali; si enim excedat, tunc restitui debet ante omnem judicis sententiam. Ita Suarez, Lessius, Laymann, Reinffenstuel, Gury, et alii. Dispositio Gregorii IX, ait Ballerini, restringi debet ad materiam beneficialem; vel accipienda est de obligatione implendi simoniacam pactionem, quae certe nulla est.

Quare ante sententiam judicis ad pretium restituendum non tenebitur: 1° Qui vendit temporale Ecclesiae officium, v. gr. Oeconomi, custodis etc. 2° Qui vendit oleum sacrum, aliaque hujusmodi.

3° Qui transfert in alterum instar usufructuarii commodum rei beneficiariae. 4° Qui contra specialem Ecclesiae prohibitionem, titulo tamen stipendii ad sustentationem, pecuniam pro functione spirituali accipit etc. etc.

R. 2° Spirituale simoniace acceptum, si sit Beneficium ecclesiasticum ipso facto est dimittendum sive crimen sit occultum, sive publicum, simul cum fructibus injuste perceptis; detractis tamen fructibus correspondentibus labori, ac functionibus, aliisque bona fide jam consumptis. — Si vero simoniace acceptae sint aliae res spirituales, v. gr. Reliquiae etc. non debent de necessitate restitui; quia illa dispensatio fuit valida.

R. 3° Pretium acceptum pro admissione in Religionem non est restituendum nisi post sententiam judicis; interim potest retineri pro alimentatione Communitatis. Ita Scavini.

Q. Cui restituenda sit res simoniace percepta?

R. Pretium perceptum ob collationem Ordinum, Beneficiorum, Sacramentorum, debet restitui danti ante traditionem rei spiritualis. Post traditionem rei spiritualis potest restitui ad libitum vel danti, vel ecclesiae, vel pauperibus.

Fructus Beneficii debent restitui ecclesiae Beneficii, vel etiam probabiliter pauperibus. Pretium pro ingressu in Religionem restitui debet danti.

Nota. Sac. Poenitentiaria potest dispensare cum occultis simoniace ordinatis: convalidare titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum; et partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem.

Nota. Si simonia sit publica pro foro externo recurrendum est ad Datariam.

§ 3. *De causis a simoniae labe excusantibus.*

Q. Quaenam sunt causae a simoniae labe excusantes?

R. Sunt: 1° Quando temporale etc. datur omnino gratis sine ullo pacto neque explicito, neque implicito tam ex una, quam ex altera parte. 2° Quando datur ex sola animi gratitudine tanquam merum donum. 3° Quando datur per modum stipendii ad honestam sustentationem etc. 4° Consuetudo legitima, quae vim legis obtinet. 5° Quando datur pro labore extrinseco. 6° Redemptio ab injusta vexatione. Occasione vero examinis ad Paroeciam donum, vel aliud quidquam nullo modo recipi potest.

Q. Cujusnam injustae vexationis redemptio excusat a simonia?

R. Qui injuste vexatur; vexatur vel in jure acquisito, vel in jure acquirendo. Si primum, non est simonia redimere pretio temporali hanc vexationem. — Si secundum, distinguendum; vel proveniat ab iis, qui nequeunt jus illud concedere; vel ab illis, qui possunt concedere. Si primum, licet eam pretio redimere. — Si secundum, simonia erit.

Nota. Si vexatio justa sit, simonia esset pretio eam redimere.

Non est simonia si dedero spirituale, ut temporale obtineam, quod titulo justitiae mihi debetur, sed per solam injustitiam denegatur.— Item si per collationem spiritualis velim avertere malum injuste mihi inferendum, v. gr. Ne debitor inique differat solutionem, aut ne creditum amittam, aut ne quis vitam, aut famam meam inique laedat.

Non committit simoniam, qui dat pecuniam Sacerdoti sine illa nolenti administrare Sacramenta; quia esset injustam vexationem redimere. Ita S. Bonaventura, Albertus Magnus, Suarez etc.

Q. An sit simonia dare pecuniam competitori, ut desistat a concursu ad Beneficium, quod tu praetendis?

R. Quamvis nonnulli Theologi negent, tamen nos tenemus cum Scavini et aliis communiter, simoniam esse; quia directe per pecuniam paratur via ad Beneficium; quod est illicitum.

Q. An simonia sit dare pecuniam electoribus, ut desistant ab electione indigni?

R. Negative; quia daretur pro desistendo a malo.

Q. Utrum sit simonia dare pecuniam electoribus. ut eligant dignum, vel digniorem?

R. Non est simonia si detur pecunia pro eligendo digno, vel digniori in genere; quia daretur ne mala electio fiat. Si vero determinaretur persona, simonia esset.

Q. An excusetur a simonia qui ad rem spiritualem sibi comparandam dicit: *Ego ero tibi gratus: gratias realiter referam*?

R. Distinguendum; si per istas formulas dicendi exprimatur intentio sese obligandi ad temporale pro spirituali erga alium, vel obligandi alium sibi ad spirituale pro temporali erit simonia. — Secus non.

—

CAPUT IV.

De obligationibus Religiosorum.

Q. Quid est status religiosus?

R. *Est stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum, et tendens ad perfectionem per tria vota, Paupertatis, Obedientiae et Castitatis.*

Dicitur *stabile vitae institutum;* quia Religiosus per tria vota se in perpetuum Deo devovet. — *Ab Ecclesia approbatum*; in Conc. enim Later. sub Innocentio III statutum est, ne nova Religio inducatur, nisi a Summo Pontifice approbata fuerit. Ita S. Ligor. lib. 4, n. 5.

Nota. Status religiosus secundum se, et quoad substantiam suam a Christo Domino immediate traditus, et institutus fuit; ipse enim est auctor perfectionis religiosae tradendo consilia evangelica.

Hic status in Ecclesia est necessarius quoad dictam substantiam; quia ipsa debet esse sancta etiam sanctitate externa et publica, cum sanctitas sit una ex notis, quibus a falsis discernitur. Sed haec sanctitas publica splendescere nequit sine professione consiliorum evangelicorum. Non vero est necessarius si spectetur quoad formas peculiares, quibus determinatur ad certam regulam et institutum: quia Ecclesia stetit sine statu religioso.

Unde quoad substantiam status religiosus est de jure divino consulente; quoad formas est de jure ecclesiastico.

Q. Quid de eo, qui alium abstrahit a statu religioso?

R. Distinguendum: vel quis alium a statu religioso abstrahit, vi, fraude et dolo; vel tantum precibus ac consiliis. Si primum, graviter peccat contra justitiam in seductum, ideo sub gravi tenebitur et ex justitia vim, fraudem etc. tollere, et in pristinam libertatem illum reponere. Peccat in religionem, et ideo etiam religioni damnum resarcire debet juxta aestimationem commodi, quod inde religio percepisset. Si secundum, subdistinguendum: si faciat sine causa peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem. Si vero cum justa causa non peccat.

Q. Quid est vocatio ad statum religiosum?

R. Est affectus ille, et quidam veluti impulsus internus, quo quis sentit se invitari ad religionem. Ita dicendum de aliis vocationibus, v. gr. Ad statum conjugalem, vel clericalem etc.

Q. An peccet qui vocatus ad religionem vocationem negligit?

R. Distinguendum : si sit iste persuasus de sua vocatione, et pariter se in damnationem aeternam incursurum, nisi religionem amplectatur, peccat mortaliter. Vel credit, se aeque ferme posse in saeculo salutem assequi, tunc non committit peccatum per se; quia consilia non obligant.

Q. Ad quid tenetur qui religionem vovit?

R. Distinguendum. Qui vovit religionem *in genere*, tenetur diligenter aliquam inquirere, in qua vigeat disciplina. Si repellatur ab illa probabilius aliam inquirere debet etc.; quia votum illius est generale de aliqua religione.

Qui vovit religionem *in specie*, aliquam illius Ordinis tenetur ingredi, et ubi ab una repellatur, tenetur uti mediis ordinariis, ut possit in aliam ingredi.

Qui eam vovit *in individuo* ita determinando locum, ut alium non intendat, et si in domum praefixam non posset admitti, liber esset; quia sub hac tantum conditione se ligavit.

Q. An vovens religionem peccet graviter, si ingressus egrediatur?

R. Affirmative, si non habeat gravem causam. — Si ejiciatur ut inhabilis, procurare debet, ut fiat habilis ingrediendi causa in aliam; si neque hoc fieri potest, nullum peccatum committit remanens in saeculo; quia votum factum est impossibile.

Q. Quid est professio religiosa?

R. Est promissio libere facta, et legitime acceptata, qua quis in debita aetate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certae religioni ab Ecclesia probatae cum solemni votorum emissione.

Nota. Ex decreto Pii IX 19 mar. 1857 Religiosi omnes eorum Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum absoluto tyrocinio tantum vota simplicia emittunt saltem ad triennium, deinde ad solemnia vota admittuntur, si a Superioribus suis digni reperiantur. Justis autem de causis professio solemnis etiam diutius poterit differri, quamquam non ultra aetatem 25 annorum expletorum.

Ex declarationibus autem S. Congr. Reg. datis die 25 feb. 1859

ad praefatum decretum spectantibus, vota simplicia, de quibus agitur, perpetua sunt ex parte voventis, et eorum dispensatio Summo Pontifici reservatur. — Ex parte tamen Ordinis solvi per dimissionem professorum possunt, ita ut data dimissione, eo ipso professi ab omni dictorum votorum vinculo liberi fiant.

Nemo vero ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium exortae dimitti poterit. Ceterum professi horum votorum participes fiunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus solemniter professi in eodem Ordine fruuntur. Excipe susceptionem Ordinis sacri titulo paupertatis.

Q. Renuntiatio bonorum quando fieri debet, et quando habet effectum suum?

R. Ex Tridentino fieri debet intra duos menses proximos professioni, ut habeat suos effectus secuta professione, secus est nulla licet jurata.

Nota. Generatim renunciatio bonorum sive in genere, sive in specie ante professionem solemnem factam non praesumitur, sed probari luculenter debet. — Renunciatione autem bonorum non facta, bona Religiosi professi ipso jure monasterio cedunt, si monasterium jus possidendi habeat. — Idem dicendum si agatur de bonis actu ad professum pertinentibus, sive de bonis adventitiis, vel in spe positis. Vide decisiones S. Congr. Ep. et Reg. in compendio Actorum S. Sedis vol. 6, pag. 404.

Q. Quaenam ad professionis validitatem requiruntur?

R. 1° Aetas sufficiens, ex Trident. (sess. 25, c. 15) est annus decimus sextus. 2° Integer nec interpolatus annus probationis post susceptum habitum. 3° Praelati acceptatio tacita, vel expressa cum consensu majoris partis Capituli. 4° Consensus plenus et perfectus voventis. 5° Carentia impedimenti essentialis in illo Ordine.

Nota. Integritas anni novitiatus requiritur ad validitatem ita, ut in anno bissextili sit exspectandus lapsus diei, qui addendus est. Sic expresse declaravit Sacra Congregatio Conc. Trident. — Tempus novitiatus incipit a momento susceptionis habitus.

Q. Quandonam annus probationis interrumpi censeatur?

R. 1° Censetur interrumpi praecipue: 1° Quoties novitius egreditur e monasterio sine licentia cum animo non revertendi, etiamsi statim revertatur, ut ex modo dictis constat. 2° Quoties dimittitur absolute a Superioribus, et deinde iterum admittitur. 3° Si discedat

privata auctoritate, ut ingrediatur aliam domum, vel aliam provinciam etiam ejusdem Ordinis.

R. 2° Non censetur autem interrumpi novitiatus: 1° Si novitius aegrotet domi, etiam notabili tempore, licet exercitiis novitiorum adesse minime possit. 2° Si violentia coactus e domo discedat. 3° Si accepta licentia ad parentes, vel alios brevi tempore divertat sanitatis recuperandae, aut negotiorum agendorum gratia. 4° Si falsa accusatione dimittatur, et postea, cognita veritate, rursum admittatur. 5° Si iter agat jussus a suis Superioribus, quia tunc sub eorum dependentia remanet.

Q. Quomodo fit professio tacita?

R. Olim fiebat: 1° Quando habitus professorum est distinctus ab habitu novitiorum, si novitius, aetatem requisitam habens, habitum professis proprium per tres dies in monasterio (non extra, secus non valet, ita Fagnanus) gestet cum consensu Superioris, et Communitatis, professionem emittere censetur. 2° Quando vero indistinctus est habitus, necesse est ad inducendam professionem tacitam, ut novitius illum gestet per annum integrum. 3° Censetur novitius professionem emittere, quando cum consensu Superioris, et Communitatis exercet aliquem actum professi proprium, v. gr. Quando suffragium fert in Capitulo. Ita ex jure communi, vide Schmalzgrueber in titul. *De Regularibus*, n. 155.

Dicitur *olim fiebat:* quia Pius IX 12 julii 1858 eam abrogavit.

Nota. Nulla tamen est professio tacita, si novitius habitum professorum deferendo, aut actus ipsis proprios exercendo, nesciat induci hoc agendi modo tacitam professionem. Ita Fagnanus, et alii.

Q. An hodie etiam valide fieri possit, et quandoque fiat professio tacita?

R. 1° Affirmative. Fagnanus enim ait: *Professio tacita, dummodo annus probationis praecedat, hodie est in suo robore, et frequenter contingit, ut reipsa experti sumus in Congregationibus tum Concilii, tum Episcoporum et Regularium, quarum a secretis fuimus annos supra viginti* (in cap. *Vidua a Regularibus*, in fine). Nec post Fagnanum legitur quod fuerit sublata. Ita etiam Bouix.

R. 2° Hodie casus in quo datur locus professioni tacitae, est quando professio expressa, propter certos quosdam juris defectus fuit nulla. Supponamus. v. gr. Professionem expressam emisisse novitium ob graves minas patris sui ad id eum impellentis; professio haec certo nulla fuit. Si tamen postea, mortuo patre, ipse

a metu liber non reclamet, sed sponte remaneat in monasterio, actus professis proprios exercens, atque ipsorum habitum deferens, tacitam professionem valide emisisse censendus erit.

Unde in causis de nullitate professionis expressae, valde attendendum est ad professionem tacitam, videndum nempe an haec alterius defectum suppleverit.

Q. Quinam sunt religiosae professionis effectus?

R. 1° Remissio peccatorum quoad poenam, ex opere operantis. 2° Extinctio votorum antea emissorum. 3° Cessatio irregularitatis ex defectu natalium, ut possit ordinari, et Beneficium simplex obtinere. 4° Solutio sponsalium, ac matrimonii rati. 5° Privilegium exemptionis.

Q. An qui emisit professionem nullam possit reclamare?

R. Potest ex Conc. Trid. (sess. 25, c. 19 de Reg.). Sed tria Concilium requirit, ut reclamans audiatur:

1° Ut reclamet intra quinquennium a die professionis computandum. Excipe si metu gravi, vel ex alia justa causa esset impeditus; vel si in toto quinquennio ignorasset suae professionis nullitatem. 2° Ut causas nullitatis coram Superiore suo locali, et Ordinario dioecesano deducat cum assistentia defensoris professionis. Ita Bened. XIV, Bulla *Si datam hominibus.* 3° Ut non dimiserit habitum ante hanc deductionem.

Q. An qui professionem emisit in religione quae a suo vigore remisit, possit cogi ad regulam primitivam?

R. Triplex est sententia; prima cum Suarez et Charmes docet obligari posse, ut servet primitivam regulam.— Secunda tenet ante reformationem non posse aliquem cogi; bene vero post factam reformationem. — Tertia, quam amplectimur, absolute negat, posse Religiosum obligari ad acceptandam reformationem, si relaxatio legitime praescripta sit; nam nemo est obligandus ad observandum, quod professus non est. Revera relaxatio legitime praescripta vim habet consuetudinis: legitima consuetudo si modificet legem ecclesiasticam, multo magis modificat regulam religiosam, consequenter et observantiam votorum praesertim paupertatis; adeo ut qui regulam profitetur cum dicta modificatione, non intendat eam profiteri in primaevo rigidiori ejus vigore.

Rationes, quas opponunt Theologi contrariae sententiae, valent, si relaxatio non sit legitime praescripta, vel si religionis disciplina

collapsa sit in substantialibus ita, ut jam quasi obsoleverit paupertas etc.

Q. Quaenam sunt obligationes Religiosorum?

R. Praecipua est tendere ad perfectionem per votorum observantiam. Haec obligatio omnes alias in se continet, et sub gravi obligat.

Q. Quandonam Religiosus graviter peccet contra praeceptum tendendi ad perfectionem?

R. Delinquit: 1° Si vota saepe saepius infringat in re gravi. 2° Si regulas ex contemptu generatim transgrediatur. Secus vero si eas violet concupiscentia ductus, vel si cogitet eas non praecipi sub gravi. — Sed si violatio regulae in gravem, et frequentem votorum violationem inducat: vel si sit peccatum, quia obligat sub peccato; tunc peccat graviter contra obligationem tendendi ad perfectionem.

Q. An peccet graviter Religiosus, qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, et de ceteris nullatenus curat?

R. Duplex est sententia probabilis. Prima affirmat, quia est virtualis regularum contemptus. — Secunda, quam nos amplectimur, negat: quia adimplens illa mandata, quae respectu aliorum sunt mera consilia, satis ad perfectionem tendit. Ita Sanchez, Salmant. — Hanc sententiam vocat communiorem, et probabiliorem S. Lig. n. 10.

In praxi consultius est curare cetera alia, ne in periculum versemur peccati.

Nota. Dicit S. Ligorius (loco cit.) transgressionem regulae etiam sub veniali non obligantis vix unquam a veniali excusandam esse; quia fere semper aderit culpa aliqua ratione negligentiae, concupiscentiae, scandali, aut alterius cujuslibet motus inordinati. Ita quoque Layman, Busemb., Sanchez, Suarez etc.

Peccat graviter Praelatus, si negligat corrigere defectus etiam leves subditorum, quando plures sunt, et tales, ut disciplinam notabiliter valeant relaxare. Sed facere debet tempore opportuno, et seclusa nimia sollicitudine: id enim ad majus bonum obtinendum, aut malum removendum prudentia suadet. Ita S. Lig. n. 13 et alii communiter.

Q. An Regulares professi ad Officium et Missam teneantur?

R. 1° Religiosi ad Chorum professi, et necdum in sacris constituti, etiam extra Chorum teneantur sub mortali ad Officii recita-

tionem, nisi cum iis dispensatum fuit a Papa, aut aliud ferat speciale Ordinis institutum; quia id praescribit sancta ac legitima Ecclesiae consuetudo. Haec obligatio incipit ab hora professionis, sicut dictum est de sacra Ordinatione. Ita Theologi fere omnes contra nonnullos laxiores, et reprobatos.

In Ordinibus, in quibus recitatur tantum Officium B. M. Virginis, haec recitatio non obligat sub gravi, licet vota solemnia in istis Ordinibus emittantur, ut pluries decisum fuit. — Item si in Choro (praeter divinum Officium diei) recitetur Officium B. M. Virginis, aut Defunctorum, aut Septem Psalmi poenitentiales. Ita S. Lig. n. 143.

R. 2° Quoad Missam dicendum quod dictum fuit de Sacerdotibus saecularibus; sed facilius mortaliter peccabit Regularis ex socordia diu Missae celebrationem omittens, quam saecularis. Ita Tournely, et alii.

ARTICULUS I.

DE TRIBUS VOTIS OMNIBUS RELIGIOSIS COMMUNIBUS, ET EGRESSU E RELIGIONE.

Q. Quae, et quot sint vota, quae emittuntur a Religiosis?

R. Ordinarie sunt tria, nempe votum Paupertatis, Obedientiae, et Castitatis. — Diximus *ordinarie:* quia nonnullae societates religiosae habent etiam quartum votum, ut Cartusiani, et alii.

§ 1. *De voto paupertatis.*

Votum paupertatis *est votum solemne, quo Religiosus promittit abdicationem omnis dominii, proprietatis, ususque independentis a voluntate Superioris.*

Nota. Religiosus simplici voto paupertatis ligatus potest quidem dominium directum bonorum habere, sed nihil de ipsis sine Superioris licentia particulari, vel generali disponere licite potest, quamvis disponit valide; quia vere est dominus. Ita Gury, Ballerini, et alii.

Q. An Religiosus votis solemnibus ligatus possit aliquid possidere de licentia Superioris?

R. Juxta praescriptum Tridentini non potest. Sed contraria consuetudo ferme ubique viget: unde hodie probabilius existimamus, rigorem Tridentini temperatum fuisse; ideo vi hujus consuetudinis

potest Religiosus de Superioris consensu peculium habere, sub conditione, quod paratus sit ad nutum Superioris illud abdicare. Ita Scavini. Insuper sub conditione, ut eo utatur cum debita licentia ad usus necessarios, vel utiles; ac ut conservetur penes aerarium commune. Excipe aliquam parvam, ac determinatam summam, quam nonnulli Ordines penes Religiosum esse sinunt.

Q. An Religiosus, Episcopus creatus, teneatur ad votum paupertatis?

R. Affirmative; ut communiter tenent, adeo ut testari non possit, cum usum, non proprietatem bonorum habeat; ait enim D Thomas: *Sicut non absolvitur a voto continentiae, ita nec a voto paupertatis. . . similiter non absolvitur a voto obedientiae, sed per accidens obedire non tenetur* (2, 2, qu. 88, a. 11). Pariter tenetur observare alia pertinentia ad regulam officio Episcopi non repugnantia, ut decrevit S. Cong. Ep. et Reg. 6 mai 1864, dicens: *Tenetur alias regulas, et observantias dignitati, et officio Episcoporum non repugnantes, eadem obligatione gravi, vel levi observare, quae tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate, et officio episcopali conveniant.*

Q. An Religiosus possit accipere, vel dare sub licentia praesumpta?

R. Affirmative; si licentia praesumi possit de praesenti, et causa sit; quia virtualiter cum vera dependentia agit.— Idem dicunt de licentia interpretativa, quae sufficit ad hoc, ut non agat suo nomine, ideoque ut non peccet contra paupertatis votum. Scavini.

Si Superior antecedens licentiam tibi dederit aliquam rem habendi, adhuc valet; etiamsi ab officio ille discesserit. Ita Lugo, La Croix n. 115.

Si habeas licentiam dandi aliquid Paulo, et des Petro, non peccas; modo non cognoscas, quod Superior negaturus esset licentiam illud dandi Petro. — Si habeas licentiam dandi aliquid quibuslibet, Cajus ejusdem Communitatis habet eo ipso facultatem acceptandi; quia dare, et accipere sunt correlativa, ac proinde licentia ad unum censetur etiam esse ad alterum. Ita Sanchez, Gury etc.

Q. An peccet contra votum paupertatis Religiosus, si quid de rebus ad determinatum usum concessis in alium usum impendat?

R. Affirmative. Quia Religiosus habet tantum usum facti, idque precario, quamdiu Superiori videbitur. S. Lig., et alii communiter.

Q. An possit Religiosus sine licentia donare, quae parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus ad usum concessis?

R. Dicit S. Ligorius n. 23, permitti communiter ab auctoribus ut Religiosus possit elargiri, cui voluerit, suas pietantias, quae limitate ei praebentur, ut ova, carnes etc., nisi Superior id expresse vetuerit. Ita etiam S. Antoninus, Sylvius etc.

Q. An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui accipit ab extraneo pecuniam in pia opera ad libitum impendendam?

R. Quamvis Gury, et Scavini affirment; tamen nobis videtur magis rationi consona sententia Sanchez (in Decal. lib. 7, c. 30), Ballerini (not. op. Gury), et aliorum docentium, non esse contra paupertatis votum: quia licet remittatur ad libitum Religiosi; nihilominus semper verum est, quod Religiosus non administret nomine proprio.

Q. An graviter peccet contra votum paupertatis Religiosus res ad usum, vel etiam ad non suum usum extraneis mutuando sine licentia Superioris?

R. Negative; modo sit tutus de restitutione facienda, nec tali mutuo grave damnum inferat Communitati. Scavini.

Q. An Religiosus absque Superioris licentia manuscripta propria servare, et alio transferre possit?

R. Affirmative; quia pertinent ad scientiam, utpote partus ingenii, qui non cadunt sub voto paupertatis. Ideo habet dominium plenum etc.

Q. Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis?

R. Generatim loquendo ea habenda est ut gravis materia, quae peccatum mortale in furto constituit. Ita S. Lig. et alii communiter.

Nota 1ª. Diximus *generatim;* quia monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis aequiparantur. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. — Si autem sint valde opulenta, major quantitas requiritur. Major etiam requirenda est, si Religiosus res monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis ejusdem Communitatis donet, quam si in extraneos easdem erogaret. Major etiam in furtis minutis etc.; major iterum in esculentis etc. Ita Gury.

2ª Generatim Religiosus non peccat graviter clam accipiens rem aliquam ex Communitate, v. gr. librum ad usum proprium etc.

modo ita non occultet, ut a Superioribus inveniri nequeat. S. Lig., Suarez, Salm.

3ª Religiosus iter agens divertere nequit ad alia loca extra rectam viam ad res curiosas videndas, nisi forte brevis sit distantia, et nullae, aut admodum modicae expensae fieri debeant; in casu autem particulari si gravis subsit causa, Superioris licentia merito praesumi potest: secus enim peccabit tum contra paupertatem, tum etiam contra obedientiam. Ita Gury.

4ª Religiosus nullum depositum proprie dictum sine licentia accipere potest; quia depositum est contractus.

5ª Peccant contra votum paupertatis Religiosi, qui curam non habent, ne res ad proprium usum concessae deteriores fiant: vel ob negligentiam sinunt, ut res sibi ex officio commissae pereant etc.

Item qui rem cum licentia ad usum acceptam retinet ultra limites temporis a Superiore praefixi. Ita Gury, et alii.

Item peccat contra votum paupertatis si recuset accipere res a monasterio jam acquisitas, v. gr. legata, debita de mercede laboribus Religiosi etc.; quia monasterium horum jus immediate acquirit.— Secus vero si agatur de meris donationibus, eleemosynis etc.; quia votum paupertatis non obligat ad recipienda ea, quae nondum acquisivit. Ast peccat contra charitatem erga monasterium, si nullam ipse habeat rationem recusandi, cum eo bono illud privet. Ita S. Lig. n. 20, Lugo, Sanchez etc.

6ª Sac. Congr. Episcop. et Reg. mense junii 1863 ad quaesitum, an liceat Franciscanis uti in eorum itineribus viis ferreis, respondit: *Affirmative ex rationabili causa de licentia Superioris, prout in rhedarum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis.*

Q. An adsit discrimen inter votum paupertatis, et virtutem paupertatis?

R. Affirmative: quia virtus paupertatis multo latius patet, quam votum; virtus enim violatur actu pure interno sine desiderio operandi exterius: votum vero violatur, quando actus internus respicit externum, scilicet per desiderium agendi externe contra votum. Unde votum principaliter afficit actus externos; virtus simul respicit actus internos, et externos proprietatis. Quare potest dari peccatum contra virtutem paupertatis, illaeso remanente voto. Ita Scavini, et alii communiter.

Q. Quaenam sunt poenae proprietariorum?

R. Sunt tres. 1° Reclusio ad agendam poenitentiam. 2° Privatio

vocis activae, et passivae ad biennium ex Tridentino. 3° Privatio ecclesiasticae sepulturae. — Quae poenae non sunt latae, sed ferendae sententiae.

§ 2. *De voto obedientiae.*

Q. Quid sit obedientia religiosa?

R. Est *virtus moralis virum religiosum inclinans ad executionem praecepti Superioris in omnibus, quae cadunt sub virtute obedientiae.*

Q. Quaenam sunt, quae cadunt sub virtute obedientiae?

R. Sunt tria: 1° Observatio regulae secundum vim obligationis ejus in unaquaque religione receptam. 2° Praecepta Superiorum in omnibus, quae praecipiunt expresse, vel implicite consentanea ad regulam, ad constitutiones, et ad regularem observantiam. 3° Mandata pontificia: nam votum obedientiae per se primo et principaliter fit Summo Pontifici tanquam supremo omnium religionum praeposito generalissimo.

Nota. Non cadunt sub voto obedientiae res impossibiles, neque res contra regulam, neque res supra regulam, neque res graviter sibi noxiae; quia hoc a mente Religionis alienum est; neque ordinarie actus heroici. Excipe si agatur de officiis adimplendis intra limites vitae religiosae, v. g. de curandis Religiosis pestiferis etc. — Insuper Superior nullam auctoritatem habet praecipiendi subdito, ut revelet secretum sibi commissum, aut quando alicui promittit secretum; quia sigillum naturale praevalet auctoritati Superioris.

Quando regulae jubent obedire in omnibus, id praecise non est de obligatione voti, sed de obedientiae perfectione.

Q. Quid, si Superior praecipiat assistentiam peste infectis?

R. Quamvis non habeant votum speciale, tenentur tamen obedire, si infecti sint Religiosi ejusdem Ordinis; quia pertinet ad bonum commune. — Secus, si agatur de aliis personis.

Q. Quotuplex est inobedientia, et quale peccatum?

R. Duplex, sicut ipsa obedientia, nempe *formalis*, et *materialis.* — Formalis est *violatio praecepti cum expressa intentione violandi praeceptum, vel praecipientem contemnendi.* Haec est semper mortalis, etiamsi praeceptum sit de re levi, juxta illud Christi: *Qui vos spernit me spernit.* Luc. 16. — Materialis est *violatio praecepti sine*

expressa intentione violandi illud. Haec reperitur in omni peccato, estque mortalis in re gravi, et venialis in re levi.

Q. Quandonam Religiosus peccet graviter contra votum obedientiae?

R. In tribus casibus: 1° Quando recusat obedire in materia gravi Superiori praecipienti in virtute obedientiae, vel in nomine Domini Jesu Christi, aut per alias similes formulas, quae rarissime a Superioribus sunt adhibendae. 2° Quando Superiori praecipienti respondet: *Nolo obedire, nolo facere etc.*, quod contemptum formalem auctoritatis praecipientis redoleat. 3° Quando ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, aut grave incommodum sive pro communitate, sive pro aliis etc.

Nota. In caeteris casibus inobedientia peccatum veniale non excedit.

Ut sit peccatum contra votum requiritur, ut Superior vere praecipiat, sicut diximus; et non sufficit, ut suadeat, oret etc. Imo generaliter neque sufficit, si dicat mando, praecipio etc.; quia non intendit graviter obligare, sed leviter. — Item si praecipiat toti communitati aliquid, non censetur obligare sub culpa, sed sub poena, vel ut regulae ipsae obligant. Ita Billuart.

Q. Quot peccata specie diversa committit, qui Superioris praeceptum transgreditur?

Nota. Antoine, Gury, et alii docent, duplex peccatum committere, unum contra praeceptum naturale, quod submissionem legitimo Superiori praescribit, et alterum contra votum. — Sed non satisfacit haec ratio; quia Religiosus eodem motivo religionis tenetur tam ad votum, tam ad virtutem obedientiae erga Superiorem; non enim ei subjicitur ratione naturae, ut filius, neque ratione fidelitatis, ut servus; si isti etiam votum emitterent obediendi patri, vel domino, tunc duplex committerent peccatum. Sed Religiosus ideo subjicitur illi Superiori, quia amplexus est religionem; unde ex solo motivo religionis subjicitur. Hisce notatis

R. Si Superior in virtute obedientiae aliquid praecipiat jam a divina, vel ecclesiastica lege praeceptum, duplex peccatum committit, unum contra votum obedientiae, et alterum contra legem. — Si vero aliquid praecipiat alias non praeceptum, unum specie peccatum committit propter recensitam rationem.

Q. An Religiosus teneatur obedire in dubio, utrum praecepta sint licita nec ne?

R. Affirmative; quia praesumptio Superiori favet.

Q. Quomodo obediendum sit?

R. 1° Ex motivo supernaturali. 2° Alacriter. 3° Prompte. 4° Ex integro. — Motivum supernaturale non requiritur ad rationem formalem virtutis obedientiae, sed ut obedientia sit magis consona perfectioni religiosae. Quare Religiosus ex vi voti obedientiae non tenetur ad obedientiam formalem; sed ad materialem, idest, ad executionem rei, quae praecipitur, ex quocumque motivo praecipiatur. Ita Felix Potestas, Ballerini, et alii.

Q. Utrum omnes regulae sint praeceptivae?

R. Minime; aliae sunt poenales, et non obligant ad peccatum.— Aliae, ut Regula S. Francisci, sunt praeceptivae, et obligant sub gravi.

§ 3. *De voto castitatis.*

Q. Quid sit castitas religiosa?

R. Est *votum solemne, quo Religiosus promittit abstinentiam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis, et alias licitis.*

Q. An peccata luxuriae etiam mere interna voto castitatis adversentur?

R. Affirmative. Quia Religiosus vi voti castitatis tenetur se abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea sive interna, sive externa, ita ut si castitatem laedat, duplex faciat peccatum, luxuriae scilicet, et sacrilegii.

Q. Quaenam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?

R. Est peccatum mortale, aut veniale contra religionem, prout est mortale, aut veniale contra castitatem.

Nota. Parvitas materiae non est admittenda in peccatis luxuriae admissae, nec (nisi ex imperfecto consensu) levis esse culpa potest.

Q. Quaenam sit differentia inter virtutem, et votum castitatis?

R. Nullum datur discrimen ratione objecti. Attamen in hoc differunt quod in iis, quae virtute prohibentur, duo dantur peccata si votum violetur; e contra unicum committitur peccatum in eo, quod solo voto interdicitur, v. g. si quis voto simplici castitatis ligatus matrimonium contraheret, unicum peccatum scilicet contra religionem in usu conjugii patraret. — Item dicendum de viro, qui ex consensu uxoris sacros Ordines susceperit, aut in religioso Ordine solemnia vota emiserit. Ita Gury.

Nota. Regulares, aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, et alii cum ipsis contrahere praesumentes, excommunicationem incurrunt Episcopis reservatam ex Const. *Ap. Sedis.*

Q. Quale sit peccatum egredi e Monasterio sine licentia?

R. Pro Monialibus intra clausuram degentibus erit semper grave. — Pro Religiosis erit grave, si saepius cum scandalo fiat, aut de nocte furtive; veniale autem tantum, si quis semel, aut iterum, aut interdum tantum per diem egrediatur. Gury, Scavini, et alii; Clemens enim VIII *Const. Nullus* praecipit: *Nemo Religiosorum audeat egredi e conventu, nisi ex causa, et cum socio, et de licentia singulis vicibus impetrata a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem saepius: licentiae vero generales exeundi nulli concedantur.*

Egressio nocturna furtiva est casus reservatus in nonnullis religionibus.

Q. Quas poenas incurrunt mulieres ingredientes claustra virorum, et Religiosi eas in claustra introducentes?

R. Ex Const. Pii V, et Gregorii XIII, aliisque constitutionibus Summorum Pontificum confirmatis a Pio IX Const. *Apost. Sedis*, incurrunt excommunicationem ipso facto Papae reservatam. — Excipiuntur reginae, ac fundatrices coenobii, et alii ex earum familiis cum ipsis consociati. Ita Felix Potestas, et alii communiter.

Religiosi vero ipsas introducentes incurrunt ipso facto praeter dictam excommunicationem, etiam poenam privationis officiorum, et inhabilitatis ad alia officia obtinenda.

§ 4. *De egressu e religione.*

Q. An liceat ex una ad aliam religionem transire?

R. Quamvis sit permissum, ut Regulares possint ad religionem arctiorem transire, tamen hic transitus non est laudabilis. Unde Conc. Tridentinum statuit, ut translatus ad aliam religionem etiam arctiorem sit incapax Beneficiorum saecularium, etiam curatorum, et perpetuo maneat in claustro sub obedientia Superioris (Sess. 14, c. 11 de Reg.). —

Q. An aliquis possit e religione ejici, et quas ob causas?

R. Ad primum, affirmative; servatis de jure servandis, ut statuitur ab Urb. VIII.

Ad secundum, sunt tres causae: 1ª Incorrigibilitas. 2ª Perpetratio criminis. 3ª Occultasse impedimentum, quod in illa religione censetur essentiale.

Q. An Religiosus e religione egredi teneatur, ut parentibus in gravi necessitate constitutis subveniat?

R. Distinguendum; vel filius professus est, parentibus in gravi necessitate constitutis; vel parentes ex improviso inciderunt in egestatem post filii professionem. Si primum tenetur egredi, si aliter eis subvenire non potest; quia ante professionem jam contraxerat obligationem eis subveniendi. — Si secundum non tenetur, nec potest repugnante Praelato, ut docet D. Thom. (qu. 101, ar. 4 ad 4). Si parentes sint in extrema necessitate, tunc omnino tenetur.

Q. An Summus Pontifex possit dispensare in votis solemnibus?

R. Potest ex gravi causa; constat ex Constitutionibus Bonifacii VIII, Greg. XIII (Bulla *Ascendente*).

Q. Quid dicendum si quis Regularis per saecularizationis indultum ad saeculum redeat?

R. Professus sive ligatus votis solemnibus, sive simplicibus perpetuis, exiens e religione per saecularizationis indultum, atque proinde a potestate Superiorum Regularium solutus jure fere postliminii suam juridicam personalitatem potest recuperare ad vindicanda coram civile lege ea jura sanguinis, et successionis, quae aliis non fuerint antea quaesita. — Usum tamen proprietatemque bonorum non possunt habere ob votum, quod ei obstat paupertatis, cum illud firmum maneat etiam post saecularizationis indultum. Ita ex resolutione S. Congregationis Episc. et Reg. 2 sept. 1870.

Nota. Quare ad usum habendum bonorum, quae honestam sustentationem excedant, nec non ad jus alia accipiendi, et ad facultatem de bonis disponendi, praesertim per testamentum, necessaria Regulari saecularizato sunt alia pontificia indulta; quae esse videntur quaedam partiales dispensationes super voto paupertatis, quaeque strictae sunt interpretationis. Vide Compendium Act. Sanctae Sedis vol. 6, p. 405, et vol. 4, p. 388.

Q. Quid juris, si constaret renuntiationem fuisse factam in genere, et in specie bonorum patrimonialium in favorem fratrum?

R. Videtur quod Regularis a monasterio solutus etiam possit ea patrimonialia bona juridice vindicare; quia causa renuntiationis

cessaverat per egressum e religione; cessante autem causa renuntiationis, renuntiatio cessabat quoad ea bona, quae non fuerant aliis quaesita, quaeque veluti in suspenso manebant. Vide Compendium Act. S. Sedis vol. 6, p. 404.

Q. Quinam dicitur fugitivus, et quinam apostata, et ejectus?

R. Fugitivus est ille, qui sine Praelati licentia sponte a monasterio discedit, animo ad illud revertendi.

Apostata est is, qui sponte a religione discedit, animo nunquam ad eam redeundi.

Ejectus est ille, qui perpetuo separatus est a suo Ordine ex auctoritate judicis ecclesiastici.

Nota. Ejecti obligantur ad votum castitatis: quoad paupertatem habent usum illius rei, quam acquirunt: quoad obedientiam, ac caeteras regulas liberi sunt; sed Episcopo subduntur, qui eos tamen ordinare non potest. Imo suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum Papae reservatam ipso jure incurrunt, extra religionem degentes. Ita Const. *Apost. Sedis.*

Apostata, ac fugitivus omnibus legibus religionis obligantur; cum adhuc sint, vel esse debeant de familia.

ARTICULUS II.

DE IIS, IN QUIBUS REGULARES EPISCOPIS SUBSUNT.

Q. In quibus Regulares Episcopis subsunt?

R. 1° Episcopi possunt punire Regulares extra claustra vagantes, si admoniti nequeant in ea redire. Si vero Regulares extra claustra deliquerint, et cum aliis sub potestate proprii Superioris vivant, tunc solum possunt eos tradere propriis Praelatis. Ita communissime.

2° Episcopi possunt removere Parochum Regularem inconsulto ejus Superiore: idem potest Superior inconsulto Episcopo: nequit vero alium substituere ab Episcopo non approbatum. Ita Felix Potestas, et alii.

3° Regulares subduntur Episcopis in erigendis monasteriis in eorum dioecesibus: in libris typis mandandis: in cognitione causarum, quae adducuntur ad probandam nullitatem religiosae professionis: circa Missas celebrandas pro legatis piis: si in conventu

actu non degant de familia sex saltem Religiosi, quorum quatuor sint Sacerdotes ex Inn. X et Declar. Sac. Con. die 29 nov. 1657.

4º Quoad Sacramentorum administrationem, curam animarum, et alia id genus, quae Regulares habent cum saecularibus extra claustra degentibus, Episcopus dirigat. Ita Scavini cum omnibus.

5º In alienis ecclesiis Regulares nequeunt ad populum verbum Dei praedicare sine Episcopi licentia obtenta juxta mandatum S. C. Trid. sess. 5, c. 2.

6º Non licet in suis ecclesiis admittere Sacerdotes saeculares, vel Regulares extraneos ad Missam celebrandam contra prohibitionem Episcopi. Ita Bened. XIV *de Syn. Dioec.*

7º In censuris evulgandis, et servandis festis Regulares omnes Episcopis parere debent ex Trid. sess. 25, c. 12. Sacra Congregatio censuit ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis festis semper permaneant, quoad Missas, et caetera divina Officia. Reinffenstuel tit. 31, lib. 1 decret. — Item tenentur servare vota, et jejunia statuta ab Episcopo ob publicam, et communem populi necessitatem; quia tenentur toti populo se in hoc conformare. Ita Felix Potestas, et alii.

8º Potest Episcopus tanquam Sedis Apostolicae delegatus compellere Regulares suae dioecesis, ut in suis conventibus habeant lectionem sacrae Scripturae, ubi commode fieri potest. Ita Conc. Trid. sess. 5, c. 1 de Reform.

9º Tenentur et interdicta servare, et consequenter ad monitoria crimen, quod rescierint, detegere. Ita Tournely, et alii.

10º Non licet Regularibus SS. Eucharistiae Sacramentum publice exponere absque tacito saltem Episcopi consensu, ut declaravit S. Congr. Conc. Ita Tournely.

11º Episcopus potest visitare ecclesias Regularium, si sint parochiae; sed quoad ea tantum, quae ad parochiam, et Parochum, quatenus id gerit officii, spectant. — Visitare etiam possunt ecclesiae Regularium confessionaria, quamvis non sint parochiae; quia in excipiendis saecularium confessiones Regulares subjiciuntur Episcopo. Ita communiter.

Q. A quonam Episcopo licite ordinantur Regulares?

R. Debent suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus dioecesi situm est monasterium ubi commorantur, ex Bulla Bened. XIII *In Suprema.* Si vero Episcopus loci non habeat ordinationem, Superior potest dare litteras dimissorias ad alium Episcopum, praemissa sim-

plici attestatione Vicarii Generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii ejusdem Episcopi, quod Episcopus ordinationem non habeat. Si Religiosus ordinetur, quin praeseferat dictam attestationem, tam ipse, quam ordinans incurrunt poenas in ordinantes sine dimissoriis. Ita Bened. XIV.

Religiosus ordinandus debet examinari ab Episcopo ordinante ex eodem Bened. XIV. *Notificatione* 23.

Suarez docet, novitios esse ordinandos ab Episcopo originis, vel domicilii. Sed alii cum Fagnano sentiunt posse ab ipso novitiatus Episcopo ordinari, cum novitii jam animum habeant perpetuo manendi. Haec secunda tuto potest teneri, et in praxi sequi, si novitius jam manserit ibi per notabile tempus, et si juramentum praestet, se animum habere ibidem quantum in se est manendi perpetuo.

Abbates possunt conferre tonsuram, et minores Ordines suis Religiosis subditis; si autem ordinet etiam alienos, est valida ordinatio, quamvis illicita. Ita S. C. C. ex Bened. XIV.

Nota 1ª. Regulares, etiam Patres Capuccini tenentur tradere Parochis quartum cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum ecclesiam tumulanda deferunt, et intorticiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum ecclesia expositum. Ita S. Con. Conc. in Aquensi, Oppidi Ovadae, 19 sept. 1732, et in Lunen. Sarzanen. 18 mart. 1737 ad tenorem Constitutionis Benedicti XIII incip. *Romanus Pontifex*, ac in Oritana 12 feb. 1729.

Defunctorum corpora in ecclesiis Regularium tumulanda, deferenda sunt recto tramite, et per viam a Parocho declarandam ad ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad parochialem. Quod servandum erit etiam haeredibus defunctorum contradicentibus, et ad dictam parochialem prius deferri volentibus. Ita Sac. Rit. Congreg. 19 decemb. 1671 in Savonen.

Nota 2ª. Religiosi alii habent exemptionem communem, et tales possunt conveniri ratione delicti, vel contractus coram Ordinario seu Episcopo. Insuper Ordinarius procedere potest, juxta Fagnanum (cap. Quanto de priv. n. 9), in iis, in quibus dicti Regulares sunt subjecti, etiam sub poena suspensionis etc. — Alii vero Religiosi sunt plene exempti, cujusmodi non possunt conveniri coram Ordinariis locorum, nisi in specie sit derogatum privilegiis. Et tales sunt omnes mendicantes, et qui communicant in privilegiis eorum, prout fuse ostendit Emmanuel Rodericus (Quaest. Reg. tom. 2, q. 64, ar. 3), ubi inter alia adducit Clem. IV, qui Fratres Minores

eximit ita quod, non obstante Const. Innoc. IV non teneantur etiam ratione delicti, contractus, seu rei, de qua agitur, locorum Ordinariis subjacere, decernens irritum, et inane, quidquid secus attentari contigerit. Ita Reinffenstuel (lib. 1 Decret. tit. 31 De officio judicis ordin. § 5, n. 171) cum Emm. Roderico, Richardo, Sylvestro, et fere omnibus canonistis.

Quare Episcopus antequam procedat contra Regulares videat, an sint plene exempti: si ita sint, prius debet se praemunire facultate procedendi.

Nota. Circa ea, quae respiciunt Religiosos a potestate civili suppressos, vide decisiones, et explicationes Sac. Poenitentiariae, quae in fine hujus libri per extensum referuntur.

COROLLARIUM I.

DE MONIALIBUS.

Q. Quid dicendum de obligationibus Monialium?

R. Omnia, quae dicta sunt de viris Religiosis ob paritatem rationis, et consuetudinis.

Nota. Superiores, quibus Monialis subjicitur ex voto, sunt Papa, Ordinarius, Abbatissa.

Q. Quaenam igitur specialiter de iis notanda sunt?

R. Ex Trident. sess. 25 de Ref. c. 7, et S. Congregationibus:

1. *Quoad Abbatissam.*

1° Non debet esse illegitima, neque vidua, neque coeca, neque surda: debet habere 40 annos aetatis, et 8 annos professionis, vel saltem si talis non adsit in monasterio, 30 annos aetatis, et 5 professionis ex Trid. — Si nec etiam talis adsit in monasterio, eligenda est alia ex alieno monasterio ejusdem Ordinis, vel etiam ex alio Ordine, et in hoc casu requiritur assensus S. C.

2° Ut eligatur a majori parte Capituli per vota secreta, et non ultra triennium, secus electio est nulla. — Abbatissa, elapso triennio sui muneris, carere debet per aliud triennium omni officio, quod auctoritatem habeat ex decreto Greg. XIII. Sed alterum triennium ex dispensatione S. C. valet eligi, et non amplius. Ita Scavini.

3° De jure communi electio Abbatissae pertinet ad Moniales cho

ristas professas. — Si aliqua Monialis est infirma, ejus votum suscipiendum est vel scriptum (sigillo munitum), vel per duas alias Religiosas a Superiore electas. — Confirmatio ad Episcopum pertinet, qui praeesse debet Capitulo : in monasteriis vero subjectis Regularibus est Superior Regularis ; et ad eum pertinet confirmatio.

4° Si electio ob discordiam non compleatur non potest Praelatus praesidens dare suum suffragium, sed potest praefigere tempus ad electionem, quo elapso, ipse deputabit Abbatissam ex decr. S. C.

5° Nequit Abbatissa exercere suum officium ante confirmationem : quae insuper benedicenda est, quae benedictio etiam simplici Sacerdoti potest committi.

6° Abbatissa non potest dispensare in regulis nisi ex commissione Superioris, quae praesumitur ei facta statim ac fuit electa in Abbatissam. Ita S. Lig. lib. 4, n. 61. — Ex potestate dominativa potest etiam vota simplicia subditarum irritare tam illa facta cum ejus consensu, quam illa facta quando erant sub potestate parentum. Ita Scavini, Tamburini, et alii.

7° Tenetur omni modo observantiam curare, et omnibus praesto esse.

2. *Quoad Moniales subditas.*

1° Monialis non potest cedere fructum sui livelli suis consanguineis, nisi de licentia S. Congr. — Monialis non potest pecuniam sui livelli tradere monasterio cum pacto, ut monasterium solvat, vita sua durante, aliquam pensionem. Ita ex dec. S. C.

2° Quando Moniali certa quantitas assignata est a monasterio, et nec monasterium tenetur et aliud praestare, nec ipsa reddere rationem, potest, parcius vivendo, aliquid alicui donare, quia praesumitur consensus Superioris. Ita S. Lig. Magis hoc potest, si det alteri monialis ejusdem monasterii. Maxime id potest, si det suis consanguineis pauperibus. Si enim ex licentia praesumpta facere potest moderatas eleemosynas extraneis, multo magis hoc potest erga consanguineos pauperes. Ita de Alexandris.

3° Choristae ex consuetudine sub gravi tenentur in Choro persolvere Horas canonicas, et quae Choro ex legitima causa non intersunt, privatim recitare debent Horas canonicas, non vero alia Officia, quae quandoque recitari solent pro benefactoribus, vel ex devotione in Choro.

Non choristae tenentur recitare aliquas preces ex regula, quae non solet obligare sub gravi.

4° Ad licite recipiendum velum requiritur, ut sit professa, ut non sit ex Ordine mendicantium, ut expleverit annum 25, et ut sit virgo. — Si aliquando pollutionem voluntariam commisit, sed non amisit virginitatem, potest velum accipere. — Potest etiam, si fuit per vim oppressa, et ipsa nullo modo delectationi consentit, dummodo factum sit occultum. Si vero adfuit consensus, non potest sine peccato petere velum: quod si illi offeratur, et sine scandalo, vel sui diffamatione recusare non possit, potest accipere. Ita communiter omnes.

5° Ab Episcopo imponi debet velum.

3. *Quoad novitias.*

1° Ut valide professionem emittat requiritur aptitudo, ut dictum fuit de viris novitiis; ad hanc conditionem etiam pertinet, ut puella habeat 16 annos completos; ut sit consensus Praelati, et Capituli saltem majoris partis; ut professio sit libera ab omni metu gravi.

Ideo Episcopus, etiam in monasteriis exemptis explorare debet voluntatem puellae; et Abbatissa sub poena suspensionis ad arbitrium Episcopi debet per mensem ante professionem illum certiorem reddere de die professionis emittendae.

2° Injuste impedientes, vel cogentes, et illi, qui eis consilium, auxilium, vel favorem dederint, ut novitia emittat professionem, incidunt in excommunicationem nemini reservatam ex Trid. sess. 21, c. 18 de Regul.

3° Expleto anno probationis, potest Episcopus, stante causa, differre professionem.

4° Dos taxanda est ab Episcopo cum intelligentia monasterii. — Non possunt eam alienare Moniales, sed impendenda est in emptione fundi frugiferi. — Translata Moniali ex uno in aliud monasterium, non est huic secundo transferenda dos priori tradita: excipe si secundum monasterium cogatur admittere Monialem.

5° Moniales non possunt pro suo arbitrio admittere choristam sine dote.

6° Renuntiatio facta a novitia bonorum suorum fieri debet cum licentia Episcopi, et intra duos menses proximos professioni, ut

habeat suum effectum, secuta professione, secus est nulla, licet jurata. Ita Trid.

7° Si causa infirmitatis novitia exeat a monasterio, convalescens debet denuo incipere novitiatum.

8° Si existens in periculo mortis, velit novitia emittere professionem, potest; verum convalescens debet, completo anno suae probationis, denuo profiteri.

4. *Quoad clausuram.*

1° Servanda est de jure ecclesiastico. Eam violare est grave peccatum. — Instituta est ad custodiam castitatis. — Si Monialis exeat e confinibus clausurae, licet per breve spatium, quale esset spatium unius pedis, violat clausuram, dummodo tamen toto corpore exeat. Si vero in ostio clausurae sistens unum pedem efferat extra clausuram, altero intra retento, non incidit in crimen violatae clausurae; quia non exit a clausura toto corpore.— Si ascendat super tectum monasterii distinguendum est; si murus clausurae supergrediatur tectum, non violat clausuram, secus violat.

2° Adsunt casus, in quibus licitum est Monialibus e clausura exire, et tres S. Pius V Bulla *Decori* exprimit, nempe incendii, epidemiae, et leprae.—Communissime autem Doctores, et consuetudo hanc facultatem extendunt ad casus consimiles, v. gr. Si adsit inundatio fluminis, invasio militum, periculum ruinae monasterii etc. In his urgentibus casibus licitum est Monialibus egredi e claustro cum licentia (si faciliter haberi possit) Episcopi, si monasterium subjectum sit Episcopo: si subjectum sit Papae, etiam cum licentia Episcopi, tanquam Papae delegato: si subjectum sit Regularibus, cum licentia Superioris. Ita S. Lig. lib. 7, c. 2, n. 224. Extra hos casus requiritur licentia papalis.

3° Si tamen periculum graviter urgeat, et periculum sit in mora, non peccant, si exeant sine ulla licentia, quae tunc praesumitur; quia in hoc urgente discrimine praevalet jus naturae. Ita S. Lig.— Statim cessata causa legitimi egressus, in monasterium regredi tenentur.

Q. Quaenam sunt poenae contra violantes clausuram per egressum, et quaenam per ingressum?

R. 1° Moniales ab illa exeuntes extra casus, ac formam a S. Pio V

in Const. *Decori* praescriptam, incurrunt excommunicationem ipso facto Papae reservatam ex Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. — Intellige de clausura papali.

Monialem comitantes, recipientes etc. hodie non incurrunt excommunicationem ; quia dicta Constitutio eos haud nominat.

R. 2° Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia, etiam absque malo fine ingrediendo ; pariterque eos introducentes, vel admittentes incurrunt excommunicationem ipso facto Papae reservatam ex Const. *Apost. Sedis.*

Nota. Qui vero ingreditur cum licentia, sed ob malum finem, non incurrit excommunicationem ; quia non violat clausuram, sed tantum licentia abutitur. Porro poenae non sunt extendendae de casu ad casum. Ita Scavini, et permulti cum Pellixario.

4° Post Const. *Apost. Sedis* non est necessarium ut licentia sit in scriptis. — Si monasteria sint Episcopo subjecta, ipsi competit jus concedendi licentiam auctoritate ordinaria ; et tunc satis probabiliter ea jure competit etiam suo Vicario generali. — Si monasterium sit immediate Sedi Ap. subjectum, Episcopo competit delegata auctoritas ; et tunc in hoc non potest se ingerere Vicarius sine speciali Episcopi mandato. — Quod potest Episcopus in hac re, potest etiam Vicarius Capitularis. — Si monasterium subsit Regularibus, licentia datur a Praelato regulari. — Abbatissa nequit de jure ordinario hanc licentiam dare : at potest Episcopus delegare Abbatissam, vel Confessarium, vel alium prudentem virum ad illam concedendam.

5° Necessitas, quae requiritur ad dandam hanc licentiam est late accipienda, nempe pro qualibet rationabili causa : minor tamen pro foemina, quam pro viro ; pro ingressu diurno, quam nocturno.

6° In necessitatibus, quae moram non patiantur, non requiritur ulla licentia, nam est lex humana. Hinc quivis Sacerdos, v. gr. in casu repentinae mortis ingredi potest ad ministranda Sacramenta, si subito non adsit adprobatus.

7° Medicus non potest ingredi nisi licentia renovata singulis trimestribus, et sociari debet a duabus Monialibus. Medicus extraordinarius nequit ingredi ad libitum Monialium, sed tantum defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habet consultationem.

8° Factores, notarii et similes cum licentia ingredi possunt, si

necessitas urgeat. — Item fabri, hortulani etc. et bajuli ad ferenda quae a Monialibus non possunt.

9° Confessarius potest ingredi ad Sacramenta infirmae decumbenti ministranda, quoties ex praescripto regulae dispensatur Communio: item quoties Monialis illa communicare consuevit. Potest immorari, expleto ministerio, brevi ad tractandum aliquod temporale negotium. Ita De Alexandris. In aliqua Dioecesi adest consuetudo, ut ingrediatur indutus superpelliceo et stola. — Confessarius saecularis debet intrare solus; Regularis cum socio probatae vitae, et maturae aetatis: dum audiuntur confessiones debent assistere commatrices ad januam ita ut Confessarium videant. — Confessarius deputatus non ideo potest dare benedictionem in articulo mortis sine speciali delegatione.

10° Finito negotio, qui cum licentia ingressus est clausuram debet egredi; secus peccat graviter, si per tempus notabile commoratur (quadrans horae non reputatur tempus notabile); in excommunicationem vero non incidit; quia ingressus est non violando clausuram.

Pueris et puellis ante septennium, et perpetuo amentibus nunquam permittendus est ingressus in clausuram ex decretis S. C.; secus introducentes incidunt in excommunicationem Papae reservatam ex Const. *Apost. Sedis.*

11° Episcopi causa sacrae visitationis, vel alterius casus necessitatis ingredientes clausuram, secum ducere possunt paucas personas, puta quatuor, vel quinque, seniores et probatos. — Superior Regularis, si sit Generalis potest secum ducere duos Religiosos probatos; si alius a Generali, unum: et insuper debent assistere quatuor Moniales ex senioribus. — Non ante ortum solis visitationem incipiat, neque post occasum protrahat, neque ipse visitator, neque ejus socii ullam sumant in monasterio refectionem. — Superior Regularis per seipsum, et non per alium visitet, et quando erit impeditus, omittat in illo tempore visitare. — Visitatio vero personalis fiat ad crates. Ita Bulla Alexandri VII 19 oct. 1664 incip. *Felici sacrarum virg.*

12° Visitatio semel fiat singulis annis. — Episcopus visitare potest per se, vel per Vicarium cum suo speciali mandato. Quoad clausuram Episcopus ut ab Apostolica Sede delegatus debet visitare monasteria Monialium exempta, hinc claustra intret, et januas, crates, hortum murorum septa, cellulas etc. perlustret. — In eo anno,

in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat. Ita Bulla Alex. VII.

13° Moniales tenentur visitatori interroganti veritatem aperire circa observantias regulae, etsi transgressiones sint leves : excipe si crimen sit emendatum ; vel omnino occultum ; vel certo constet Praelatum nullum remedium habiturum ; vel si manifestatio vergat in damnum proprium ; vel crimen sit cognitum sub secreto naturali.

5. *Quoad collocutionem ad crates cum Monialibus.*

Notandum : 1° Laici frequentantes sine Ordinarii licentia monasteria Monialium incurrunt excommunicationem ferendae sententiae.

2° Clerici vero suspensionem per Episcopum imponendam incurrunt.

3° Regulares autem subeunt privationem vocis activae et passivae, et officii ferendae sententiae, etiam si collocutio fiat semel, et per quadrantem cum dimidio, ex decreto S. Congr. anno 1669.

4° Frequentia consistit in eo, quod quis tribus diebus continuis, vel semel singulis mensibus per annum circiter, aut quater in hebdomada monasterium adeat.

Nota. Eximuntur ab hac prohibitione : 1° Conjuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis. — 2° Qui gravi metu ducti, honeste alloquuntur Moniales ; quia in tali discrimine lex ecclesiastica non obligat. — 3° Pauperes et publice quaestuantes ex usu et tacita licentia Superiorum. Et sic etiam famuli deferentes dona, breviterque se expedientes. Ita S. Alphonsus Op. Mor. lib. 7, n. 239.

6. *Quoad Confessarios.*

1° Praelati Regulares, Generales, vel Provinciales non indigent approbatione Episcopi pro excipiendis confessionibus Monialium, quae sunt sibi subjectae ; quia sunt earum Ordinarii. Ita Const. *Pastoralis Officii* Bened. XIII. — Subalterni Regulares praeter deputationem Superioris debent approbari ab Episcopo loci. Sine hac approbatione confessiones essent nullae, ut in Bulla *Inscrutabili* Gregorii XV, et ut a S. Congr. C. declaratum fuit. Imo approbatus pro una Moniali, vel pro uno monasterio, non censetur approbatus pro alia Moniali, vel pro alio monasterio.

2° Episcopi singulis trienniis deputare debent cuique monasterio suum Confessarium, qui elapso triennio non potest ultra confessiones excipere, nisi adsit licentia. Sac. Congr. — Debent etiam Episcopi dare duabus, vel tribus vicibus in quolibet anno Confessarium extraordinarium, cui omnibus Monialibus adest obligatio se praesentandi, et libera facultas confitendi. — Possunt Episcopi concedere quoque Confessarium extraordinarium alicui Moniali particulari.

3° Sit Confessarius maxime prudens. — Pro omnibus indifferens. — Donaria a particularibus non recipiat. — Nunquam loquatur, nisi quae ad confessionem, et salutarem animae instructionem conducunt. — Non sit asper, nec indiscretus in zelo. — Morum reformationem non totam, et simul, sed paulatim procuret, ne totum volens, totum amittat.

4° Monere tenetur Monialem de conscientia erronea contra ipsam, etiamsi sit super aliqua regulari observantia, quam erronee putat obligare sub mortali; quia si sint vitanda peccata quae committuntur scienter, quanto magis quae ignoranter?

5° Prompta habeat remedia contra scrupulos. — Sit eruditus super propriis Monialium regulis et observantiis, ut firma sint ejus responsa et consilia. — Omnino ab opinionibus laxis se abstineat; aequitati tamen se accommodet.

7. *Quoad educandas.*

1° Non possunt libere recipi puellae pro educatione; sed tantum in illis monasteriis ubi adsit haec consuetudo, et praevia licentia S. Congr.

2° Requiritur, ut expleverint annum septimum, et non sint majores 25 annis; ut adsit consensus Superioris, et Monialium per secreta suffragia; ut habeant locum separatum a Monialibus tam pro laboribus manualibus, quam pro dormitione; ut habeat quaelibet separatum lectum; et tandem ut recipiatur sola, et sine ancilla.

3° Sponsalia nunquam celebrari possunt ad crates monasterii. Abbatissa, si permittat, deponitur ab officio, et privatur voce activa et passiva.

4° Injuste cogentes, et qui iis consilium, auxilium, vel favorem dederint, vel scienter praesentiam, aut consensum, aut auctoritatem

interposuerint, ut puella invita suscipiat habitum religiosum, vel professionem emittat, incidunt in excommunicationem nemini reservatam. — In eandem excommunicationem incidunt, qui eam injuste impediunt ex Conc. Trid. sess. 21, c. 18 de Regul.

COROLLARIUM II.

DE CONGREGATIONIBUS VIRORUM ET MULIERUM VOTIS SOLEMNIBUS CARENTIUM.

Notandum : 1° Jure canonico prohibetur novas inducere religiones sine Pontificis auctoritate. — Verum hodie consuetudine inductum est, ut novae de sola Episcopi licentia erigantur, etiam cum votis simplicibus, et sine clausura. Sedes Apostolica eas non reprobat, quod si eas approbet, non approbat ut Ordines proprie dictos, sed solum ut Congregationes religiosas (sive, ex modo loquendi S. Sedis, ut Congregationes saeculares) cum votis simplicibus, quibus proinde privilegia votis solemnibus concessa per se non competunt.

2° Si hae Congregationes sint ab Episcopo tantum approbatae, penes eundem remanet tota facultas circa illas. — Si vero habeant pontificiam approbationem, tunc norma esse posset Const. Benedicti XIV, 21 jan. 1758, *Emanavit*, data pro Oratorianis, ubi decisum fuit, quod talis Congregatio sit Episcopo subjecta in modo, in forma, excepto ejus instituto. At interiores oeconomiae non subduntur ei, neque electiones, admissiones, expulsiones presbyterorum. Ita Scavini post Bouix, p. 3 app.

Religiosi non sunt ii, qui edito voto perpetuae paupertatis, et castitatis, obedientiam Confessario, aut Episcopo vovent; quia vi hujus voti Superioribus non subjiciuntur.

APPENDIX I.

De privilegiis Regularium.

Nota 1ª. Regulares Mendicantes communicant inter se de suis privilegiis tum circa personas, tum circa loca. Ita omnes Canonistae. Immo Mendicantes etiam Ordinum non Mendicantium privilegia participant. Ita Ballerini, et communiter alii Theologi. At non communicant, quando sunt omnino specialia, vel odiosa, vel contraria pro-

prio statui, ita ut communi bono, seu observantiae religionis praejudicent.

Nota 2ª. Post Conc. Tridentinum illa remanserunt Regularium privilegia, quae: 1° Non erant contraria ipsi Concilio Tridentino: patet ex verbis ipsius Conc. sess. 25 de Regularibus: *In caeteris omnibus praefatorum Ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et jura concernunt, firma sint et illaesa.* 2° Illa, quae expresse non fuerint revocata ab ipso Concilio, quamvis contraria sint ejus decretis: quia quando Concilium voluit derogare privilegia semper apposuit clausulam: *Non obstantibus* etc. Sed nullam explicitam mentionem facit de aliquibus privilegiis licet contrariis. Ideo rationabile non videtur haec esse revocata; cum juxta Canonistarum regulam non censetur, quod lex revocet privilegia, quae extant extra corpus juris communis, nisi specialem mentionem de ipsis faciat. Vide Reinffenstuel, *De privilegiis* etc., qui hanc veritatem invincibiliter cum aliis Canonistis propugnat. Pariter quoad Regularium privilegia, vide S. Lig. lib. 1, in fine append. 2; et in *Hom. Apost.* tract. 20, c. 4.

Verum Pius IX 12 oct. an. 1869 cum sua Const. incip. *Apostolicae Sedis moderationi* haec Regularium privilegia imminuit nonnulla derogando hisce verbis: *Quae vero privilegia, aut facultates... cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati . . . revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus...*

Q. Quaenam sunt hodierna Regularium privilegia?

R. Post dictam Const. *Apostolicae Sedis* haec apud Regulares remanserunt privilegia.

1. *Quoad exemptionem a jurisdictione episcopali.*

Regulares non solum Professi, et Conversi, sed etiam Novitii, et Tertiarii, qui intra claustra commorantur, et saeculares familiares, qui perpetui commensales sunt, et intra claustrum degunt, non sunt sub jurisdictione Episcopi loci; quia Romanus Pontifex eos voluit sibi habere immediate subjectos. — Sed tales non sunt illi familiares, qui nocte in propriam, vel alienam domum ad dormiendum redeunt. Ita communiter omnes Theologi.

Ideo: 1° Eximuntur ab Episcopi visitatione tum quoad personas, tum quoad monasteria, et ecclesias. Ita Fagnanus cum omnibus aliis Canonistis.

2° Eximuntur a censuris episcopalibus, sive ab Episcopo latis, sive a jure pro delictis futuris vitandis, sive ab homine pro praeteritis satisfaciendis. Ita Tancred. tom. 5, tract. 4; Diana, et communiter omnes.

3° Non incurrunt episcopalem reservationem; ideo ex licentia suorum Superiorum possunt confiteri, et absolvi per Sacerdotem saecularem dioecesanum a reservatis; etsi ille non sit approbatus pro reservatis. Ita Scavini post S. Lig., et alios omnes.

4° Non ligantur statutis Synodi Dioecesanae; quia Synodus est unus ex actibus jurisdictionis Episcopi. Ita Felix Potestas cum aliis.

5° Possunt praedicare in ecclesiis proprii Ordinis solum petita benedictione ab Episcopo Dioecesano, etiamsi eam negaverit, modo tamen non contradixerit, seu prohibuerit ex Bulla *Superna* Clem. X.

2. *Quoad Sacramentorum administrationem, et receptionem.*

1° Regulares Sacerdotes ex Superioris sui approbatione confessiones audire, et absolvere possunt Religiosos ejusdem Ordinis absque ulla Episcopi loci approbatione. Ita ex jure, vide S. Lig. n. 110. — Quo tamen privilegio minime comprehenduntur Congregationes, quae non sunt Religiones proprie dictae.

2° In itinere, deficiente socio idoneo, confiteri possunt cuilibet Sacerdoti sive Regulari, sive saeculari etiam si non sit approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones saecularium, modo sit idoneus, ex concessione Innocentii VIII. Non possunt vero absolvi a reservatis, nisi antea obtinuerint licentiam a proprio Superiore; secus possunt absolvi cum obligatione se postea repraesentandi confessario, qui facultatem habet supra dictis reservatis. — Decisio Sac. Congreg. Conc. 18 novemb. 1769 respicit Religiosos, qui prae manibus habent socium idoneum, et absque licentia sui Superioris volunt eligere saecularem non approbatum. Ita Gury post S. Lig. app. *de privileg.* n. 3, et Ballerini, et alii.

3° Tempore Jubilaei Regulares, etiam Moniales cuilibet Sacerdoti approbato sine Superioris licentia confiteri, et absolvi possunt etiam a reservatis in propria religione sine ulla obligatione se postea praesentandi illi, qui in sua religione facultatem habet supra reservatis, ut declaravit Alexander VII in Bulla *Unigenitus*. Sed pro praxi inspiciendae sunt clausulae Constitutionis Pontificis, qui Jubilaeum concedit. Ita Ballerini.

4° Ex sola licentia suorum Praelatorum ordinari possunt extra tempora; sed probabilius nonnisi in festis de praecepto. Vide Bened. XIV *Notificatione* 22; S. Lig. Op. Mor. lib. 6, n. 797.

5° Possunt in propriis ecclesiis administrare Eucharistiam omnibus fidelibus excepto Paschatis die; Romae excipitur etiam feria V in Coena Domini. Ita Gury, Ballerini, et omnes alii.

6° Possunt administrare Communionem paschalem, Extremam Unctionem, et Viaticum suis novitiis, et saecularibus familiaribus. Ita Gury, et communiter omnes.

7° Religiosus Sacerdos approbatus a Praelato, et non ab Episcopo potest absque ulla licentia Episcopi audire confessiones dictorum famulorum. Ita Decretum Sac. Congreg. Conc. 1568, et Bulla *Praetiosus*, Benedicti XIII.

8° Possunt celebrare Missam una hora ante auroram, et una tantum hora post meridiem; idest possunt terminare Missam una hora ante auroram, vel incipere una hora post meridiem: secus privilegium parum prodesset. — In ecclesiis Regularium eodem privilegio gaudent Sacerdotes saeculares ex Greg. XIII. — Ast pro Regularibus hoc privilegium est locale, et personale; videtur enim concessum pro facilius diversis muneribus obeundis tam intra, quam extra claustra.

3. *Quoad casus reservatos.*

Absolvere possunt a casibus in jure, aut ex consuetudine Episcopo reservatis. Ita S. Ligorius, Gury, Frassinetti, et alii.

Nota. Si Episcopus specialiter sibi casus juris reservaverit, censet S. Alphonsus cum nonnullis aliis, Mendicantes ab illis absolvere non posse. — Ast negant Suarez (De Poenit. disp. 31, sect. 4, n. 26), De Lugo, Ballerini, et alii posse Episcopum casus juris sibi reservare. Cum igitur hoc privilegium videatur dubium, haud recte Regulares illo uti possunt; agitur enim de valore Sacramenti.

4. *Quoad vota, juramenta, ac impedimenta.*

1° Possunt dispensare, et commutare vota saecularium (exceptis votis solemnibus, et quinque reservatis) ex Priv. Pauli III per Bullam *Cum inter tantas* 3 junii 1545. Ita Diana, Gury, et omnes alii.

Nota. Confessarii Regulares hanc facultatem exercere possunt

etiam extra Confessionem; sed solum pro foro interno conscientiae. Episcopi vero etiam pro foro externo. — Episcopi possunt alios delegare; Regulares non possunt, quia sunt delegati. Ita communiter.

2° Possunt dispensare, et commutare juramenta (exceptis juramentis promissoriis a tertio acceptatis) ex Privilegio Gregori XIII. Ita Rodriguez Emmanuel tom. 3, qu. 63; Diana p. 3, tr. 2, resp. 9, Tamb., Ant.[us] a Spiritu Sancto in direct. Reg., Gury, et omnes alii.

3° Possunt dispensare in Confessione sacramentali a voto castitatis perpetuae cum conjugibus in ordine ad usum matrimonii (idest tam ad petendum, tam ad reddendum debitum) sive ante sive post initum matrimonium votum emissum fuerit, ex concessione SS. Pontificum Innocentii VIII, Eugenii IV, Pauli III, et S. Pii V, qui id concedebat Franciscanis Observantiae. Ita Diana par. 11, tr. 8, res. 16, Tamb., Rodriguez, Leander, Busemb., Gury, et omnes communiter. — Intellige modo ex communi consensu ambo non voverint castitatem; quia tunc non possunt a Confessario Regulari dispensari; privilegium enim est concessum dispensandi gratia ad solum finem petendi, vel reddendi debitum comparti, quae non renuntiaverit juri suo.

Nota. Confessarii Regulares dispensando a dicto voto monere debent poenitentes, quod, mortua uxore, non possint licite aliam ducere, sed tenentur ad votum, nisi iterum dispensentur; et quod, uxore vivente, committant etiam sacrilegium, si peccent contra castitatem extra usum matrimonii.

4° Possunt in Confessione sacramentali dispensare cum conjugibus in impedimento exigendi debiti propter incestum etiam in primo gradu commissum cum persona consanguinea compartis ex concessione Eugenii IV facta PP. Cassinensibus 1436, et ut declaratum fuit a Julio II per Poenitentiarium majorem. Ita etiam S. Lig. n. 109.

Nota 1ª. Rodriguez Emman. tom. 1, qq. Regular. q. 63, ar. 1, Portel. in dub. Regul. 5 Confessor. n. 23, Felix Potestas, Frassinetti, et nonnulli alii docent ad valide, et licite dispensandum cum dictis impeditis ad petendum debitum requiri licentiam Provincialis, vel saltem (ut aliqui dicunt) Superioris localis; quia S. Pius V Patribus Observantiae *vivae vocis oraculo* praescribebat *ex commissione Provincialis.* — Sed Diana p. 3, tract. 13, resol. 46, Coele-

stinus in Comp. Theolog. Mor. tract. 8, c. 15, Antonius a Spiritu Sancto in direct. Regul. par. 1, tract. 2, Leander, Bordon, Reiffenstuel, App. de disp. de impedim. § 12, n. 578, 579 et alii plurimi docent Confessarios Regulares absque dicta licentia in foro conscientiae secure uti posse hoc dicto privilegio; quia declaratio Julii II relatae Bullae Eugenii IV datae Cassinensibus ita se habet: *Abbates, Priores, Praesidentes, et Monachi praedicti, conjugatos hujusmodi, qui post contractum matrimonium, consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores, quae a consanguineis virorum suorum carnaliter cognosci permiserunt, a talibus excessibus absolvere... nec non cum eis... ut, non obstante affinitate superveniente, debitum conjugale reddere, et exigere valeant, dispensare libere, et licite valeant, ac possint.* Quemadmodum igitur possunt Superiores, possunt etiam subditi uti absque licentia hoc privilegio; quia utrisque, ut patet, aequaliter concedebatur. Insuper si necessaria esset haec licentia, existeret inter Regulares aliqua praxis, vel traditio quoad petendam hanc licentiam: sed non reperitur in usu. Praeterea Reiffenstuel cum invincibilibus aliis rationibus propugnat hanc facultatem.— Haec sententia magna securitate ab omnibus in praxi teneri potest propter indicatas rationes, cum in dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore Sacramenti, sed tantum de honestate actus.

Nota 2ª. Praeter ista recensita privilegia pertinentia ad Regulares subditos, et in ordine ad saeculares, omnia alia, quorum unum, vel aliud refertur a diversis etiam recentioribus Moralistis, sunt disputabilia, et omnino incerta, ut legenti Canonistas et Moralistas patebit. Non debent igitur Regulares istis aliis privilegiis disputabilibus uti, praesertim quando agitur de valore Sacramenti.

Q. An subditi possunt uti istis privilegiis indiscriminatim absque Superiorum licentia?

R. Approbati ab ipso Praelato ad audiendas Confessiones, et simul ab Ordinario loci pro saecularibus, absque alia licentia possunt uti dictis privilegiis; quia data sunt non Praelatis, sed toti Ordini.

—

APPENDIX II.

De aliis privilegiis Superiorum Regularium in subditos, et in saeculares ipsis subjectos.

1° Praeter recensita privilegia possunt absolvere subditos ab omnibus casibus, et censuris papalibus (exceptis duodecim Papae in speciali modo reservatis, ut expresse legitur in dicta Constitutione Pii IX), licet sint reservati Episcopo, ut sunt casus papales publici ex S. Pio V Bulla *Romani Pontificis.*

2° Possunt hanc facultatem aliis delegare. Vide Bouix app. par. 4 de privileg. Reg. pag. 623.

3° Possunt absolvere ab omnibus casibus papalibus, eodem modo, ac Episcopi suos dioecesanos ex Constitutione Pii V. Ita Reinffenstuel in tit. 7, libri 5, decr. n. 419, cum omnibus Canonistis etc.

4° Possunt absolvere ab excommunicatione ob percussionem etiam gravem, enormem, et publicam inflictam Clericis proprii, vel alterius Ordinis, aut Cleri saecularis. Ita S. Alphonsus lib. 7, n. 107, Lezana, Layman, et alii.

5° Possunt dispensare in omnibus irregularitatibus occultis provenientibus ex delicto, excepto homicidio voluntario, ut Episcopi cum dioecesanis, ex concessione SS. Pontificum, praesertim Pii V, qui hanc facultatem concedit etiam pro homicidio ante ingressum in religionem patrato.

6° Possunt dispensare in irregularitatibus ex defectu quoad bigamiam similitudinariam, interpretativam, et etiam veram. Quia Constitutio S. Pii V facta pro Cassinensibus, et per communicationem aliis Regularibus 15 julii 1571, incip. *Dum ad Congregationem Cassinens.* dicit: *Cum eis dispensare in omnibus irregularitatibus quomodocumque contractis* . . . et excipit tantum homicidium voluntarium. Neque est revocatum hoc privilegium a Trid., cum sit concessum post ipsum Concilium cum clausula derogatoria quorumcumque Conciliorum. Modo haec Constitutio est posterior Bulla Sixti IV incip. *Regimini*, in qua excipiuntur homicidium, bigamia etc. Ergo quomodo S. Pius V expressit excipiendum homicidium, ita exprexisset etiam bigamiam. Ideo dicit Gury, *possunt dispensare quoad bigamiam etiam veram.* Tuto igitur haec sententia in praxi teneri potest.

Quoad defectum natalium (quae tamen cessat per professionem

religiosam) possunt dispensare ad Ordines sacros suscipiendos, non vero ad Praelaturas. Gregorius enim XIV per Bullam *Circumspecta* decrevit, ut talis dispensatio ad Praelaturas fieri non possit a Generali, vel Provinciali, nisi cum Capitulo Generali, vel Provinciali, seu intermedio Capitulo. Excipe Generalatum, ad quem nullo pacto religio cum illegitimis potest dispensare; colligitur ex Const. *Romanus Pontifex* Innocentii XII. Ita Matthaeucci in tom. 2 *Offic. Curiae* pag. 148, n. 80.

Quoad defectum publicum lenitatis possunt dispensare. — Ita Matthaeucci loc. cit. pag. 146, et Antonius a Spiritu Sancto, Leander, Diana, Gury, et plurimi alii.

Quoad defectum animae, et corporis sentimus cum Matthaeucci loc. cit., Lexana, Felic. Potest. et permultis gravibus Doctoribus non posse Praelatos Regulares dispensare cum suis subditis amentibus, furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis; cum abstemiis, deformiter gibbosis, notabiliter claudis, habentibus manus tremulas, ut sit effusionis periculum; cum omnino illiteratis, et similibus. Cum enim sint casus specialissimi credendum est Pontificem non voluisse illos comprehendere in generalibus concessionibus juxta regulam 81 juris in 6: *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Attamen benignius est agendum super defectum secutum post Ordinem susceptum. Ita communis sententia. Hisce notatis, dicimus, quod si ante Ordinationem cessaverit defectus, v. gr. dementia etc. tunc possint dispensare; secus non. — Pariter si post Ordinationem suppleri poterit aliquo modo istis defectibus, tunc Praelati possunt dispensare; secus non. Ita Bonac., Felix Potestas, et alii.

7° Possunt dispensare cum causa in legibus ecclesiasticis cum subditis suis, v. gr. circa Officium divinum, jejunium, abstinentiam etc.; quia habent jurisdictionem quasi episcopalem. Ita communissime.

8° Praelati Regulares Ordinum exemptorum potestatem coercitivam episcopalem habent: quia Regulares non sunt sub jurisdictione Episcopi; nec Pontifex hanc jurisdictionem sibi reservavit, non enim expediebat, cum sit ordinarie et regulariter necessaria. Ergo translata est in religionem ipsam, et in Praelatos ejus per Summos Pontifices; non quidem jure communi, sed speciali. Ita Suarez, Bouix, et alii communissime.

9° Praelati Regulares potestatem habent subditos suos, in quocumque loco sint, coercendi per quascumque ecclesiasticas censuras (idest per excommunicationem, suspensionem, et interdictum), quae juste possunt in tali materia, seu crimine personis imponi; modo tamen ipsis facultas haec jure particulari sui Ordinis non fuerit limitata: quia in Episcopis est haec potestas; ergo et in his Praelatis. Ita Suarez *de Religione* tom. 4, tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 4, Bouix, et alii communissime.

Nota 1ª. Diximus *quae possunt imponi personis*, ut excludatur interdictum locale, quod non potest ab ipsis Praelatis imponi: quia quodammodo redundaret in personas non subjectas ipsis Praelatis Regularibus; et propterea non est eis data tam ampla potestas, quanta est Episcopis. Ita Suarez, et alii.

Nota 2ª. Diximus *modo tamen ipsis facultas haec juri particulari sui Ordinis non fuerit limitata*. Quia non solum Abbates, Generales, et Provinciales, sed etiam per se loquendo Superiores Locales, scilicet Priores, Praepositi, Rectores, Guardiani, et alii hujusmodi respectu suorum subditorum habent potestatem infligendi subditis poenam excommunicationis, suspensionis, et interdicti personalis. Ita cap. *Cum in Ecclesiis* 10 *de majoritate, et obed.* Cap. *Ea quae* 8 *de statu Monacho.* Cap. *Sicut tuis* 33 *de Simonia.* Verum nisi ex jure particulari suae religionis prohibeatur. Unde consulat unusquisque propria statuta.

Nota 3ª. Apud Minores Observantes Guardiani non gaudent hac facultate juxta statuta Capituli Generalis. — Neque in nostra religione, ut colligitur ex consuetudine, et continua praxi, qua limitata videtur jurisdictio Guardianorum.

Q. Quinam Regulares Praelati gaudent omnibus adnumeratis privilegiis?

R. Quamvis privilegium *Maris Magni* a Sixto IV concessum Praedicatoribus, et Minoribus etiam Superiores locales exprimat; tamen illi solum ex consuetudine in foro externo, et interno gaudent, qui jurisdictione quasi episcopali in subditos pollent. Quare Priores, Rectores, et omnes alii Superiores Conventus independentis, idest qui non subsunt nec Generali, nec Provinciali, neque Abbati Ordinis, gaudent dictis privilegiis. Alii vero non, ut fert consuetudo.

Nota. Superiores locales, qui praedictam jurisdictionem non habent, si sint deputati Poenitentiarii possunt absolvere tantum in foro conscientiae subditos ab omnibus peccatis, et censuris etiam

Papae reservatis (exceptis duodecim praedictis); modo casus sint occulti. Id etiam possunt alii Regulares Confessarii Poenitentiarii. Romani enim Pontifices Gregorius XI, Martinus V, Eugenius IV, Leo X, Pius V, et Benedictus XIII hoc privilegium Regularibus concesserunt, ne indisciplinatis detur occasio evagandi pro obtinenda absolutione. Vide Alb. a Bulsano exp. Reg., Patuzzi tr. 10 de sac. Dis. 5, c. 5.

Item dicti Superiores locales possunt dispensare cum causa a legibus ecclesiasticis cum subditis suis, ut Parochus cum suis parochianis.

Item Guardiani, Priores etc. quovis tempore pro libitu Confessarium, etiam alias non deputatum, vel etiam alterius Familiae, aut Provinciae eligere, et ab ipso ab omnibus peccatis absolvi possunt; et hoc privilegio non solum in suo, sed etiam in alieno Conventu gaudent. Idem dicendum est de Vicariis localibus in proprio Conventu, si Guardianus non adsit. Privilegium hoc illis concessum fuit a Sixto IV. Ita Alb. a Bulsano, Bernardus a Bononia.

Q. Quid dicendum de absolutione, quam Abbates, vel Generales, vel Provinciales dant post sacram visitationem Fratrum, et post Capitulum?

R. Ad 1um. Praelati Regulares in his circumstantiis directe absolvunt irregularitates, inhabilitates, censuras occultas, et incognitas, vel oblitas (quae tamen possunt ab ipsis absolvi ut dictum fuit) adeo ut si aliquis ita absolutus postea cognoscat se incurrisse hujusmodi censuram, non amplius tenetur se praesentare Superiori, vel ejus delegato pro absolutione; quia fuit jam absolutus; sed tenetur tantum cuicumque etiam simplici confessario confiteri peccatum per quod censuram contraxit: cum debeat remitti per Sacramentum Poenitentiae.

Ad 2um. Idem pariter videtur dicendum de absolutione, quam Provincialis confert post Capitulum. Quia cum sit in ejus arbitrio in nonnullis anni solemnitatibus hanc absolutionem subditis conferre, potest etiam illam impertire in fine Capituli.

Nota 1^{a}. Per formulam *Ab omnibus peccatis vestris*, intelligitur remissio poenae peccatis debitae, non vero remissio culpae.

Nota 2^{a}. Diversi effectus absolutionum, quae dari solent a Praelatis, notantur in tractatu de Censuris.

—

CAPUT V.

De obligationibus in societate civili.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA LIBEROS, ET VICISSIM. ITEM TUTORUM, CURATORUM, MINORUM, MAGISTRORUM, DISCIPULORUM.

§ 1. *De obligationibus parentum erga liberos, et vicissim.*

Q. Quaenam sunt obligationes parentum erga filios?

R. Quaedam corpus, quaedam eorum animam respiciunt.

Primae sunt tres, nempe: 1° *Providentia vitae.* — Quare peccant per se graviter mulieres, quae foetum perimunt inordinatis lascivиis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut alio simili modo; viri, qui praegnantes uxores aspere tractant; conjuges, qui parvulos adhuc tenerrimos in lecto collocant absque repagulo cum periculo eos suffocandi; et qui ipsis alia mala non impediunt.

2° *Providentia victus.* — Quare peccant qui filiis indigentibus non succurrunt; qui illos domo ejiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis prospicere.

3° *Providentia status.* — Quare peccant parentes, qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut acquirant bona ad futuro filiorum statui providendum, dicente Apostolo ad Cor. 2, c. 12: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*; qui artem, industriam etc. eos docere non curant; qui vel ex pigritia, vel lusibus et commessationibus, vel imprudentia bona dissipant; qui dotem filiae convenientem cum jam 25 annos pro matrimonio ineundo excesserint, aut ingressu in religionem obstinate denegant.

Nota. Si ante aetatem 25 annorum filiae invitis parentibus, quidquid alii dicant, nupserint, pater tenetur eis saltem ministrare alimenta, licet illae indignis nupserint. Ita sententia probabilior cum Sanchez, Scavini, et alii.

Q. An mater teneatur lacte proprio prolem alere?

R. Affirmative, et tenetur saltem sub veniali, nisi habeat excusationis causam, puta debilitatem etc. — Tenetur tamen sub mortali bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere; qualitas enim lactis plurimum ad mores confert. Ita S. Lig. n. 336, Scavini, Gury, et alii communiter.

Obligationes parentum ad filios quoad animam sunt: 1° *Doctrina.*— Quare curare debent, ut filii vix nati Baptismatis gratia regenerentur, et sub gravi saltem post triduum, tenentur; quia variis periculis eorum vita est obnoxia, ideo debent ipsis curare hoc primum et maximum bonum. Item filios vel per se, vel per alios edocere debent praecipua Doctrinae Christianae capita; ait enim Bened. XIV: *Parochi gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuae damnationis periculo versari, si liberos suos Religionis elementis erudire negligant.* Ideo peccant graviter, si educationem illorum prorsus negligant, ut sumptibus parcant.

2° *Exemplum*, idest iisdem bono exemplo praeesse. — Quare duplex peccatum perpetrant parentes cum coram filiis male agant, vel verba turpia proferunt, maledicta et imprecationes evomunt, juramenta et blasphemias eructant.

3° *Correctio*, juxta illud: *Qui parcit virgae, odit filium suum.* Sed in corrigendo modum non excedant, et tempus opportunum servent.— Quare peccant graviter si inordinate, vel injuste ad iracundiam eos provocent; si a fallacibus mundi illecebris, et a locis suspectis, et a colloquiis amatoriis et periculosis, et a pravis sociis non avertant.

4° *Libertas filiis relinquenda circa status electionem*, ait enim D. Thom. 2, 2, q. 104, a. 5: *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda.*

Nota. Parentes incurrunt excommunicationem ipso facto nemini reservatam, si cogant filios ingredi in monasteria et profiteri, vel si impediant sine justa causa quominus ingrediantur.

Q. Quid dicendum de parentibus, qui mittunt filios ad scholas haereticas, vel impias, vel eos committunt magistro haeretico, vel moribus perdito, ut scientias humanas discant?

R. Graviter peccant, et ab eis *animam pro anima* requiret in tremendo judicio justissimus Judex.

Q. Quot et quaenam sunt obligationes filiorum erga parentes?

R. Sunt tres, nempe: 1° *Amor* tam internus, hoc est bene iis velle; quam externus, idest benevolentiae signa iisdem exhibere,

in necessitate tam spirituali, quam corporali constitutis subvenire.— Quare qui in his graviter deficit, graviter peccat.

2° *Reverentia* tam interna, idest timorem reverentialem erga eos ex corde gerere; quam externa, nempe manifestare interiorem reverentiam per verba, signa et facta, juxta illud: *In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum; maledictus qui non honorat patrem suum et matrem suam* (Eccl. 3, Deut. 27).

Item peccant filii si ad dignitatis locum evecti, aut divites facti, parentes ex superbia vel despiciant, vel negligant, vel nosse recusent, vel erubescant, ut non raro evenit.

Non peccant vero filii, si in casu perduellionis in Deum per haeresim, vel in principem per conjurationem, aut proditionem accusent parentes in judicio, si damnum nequeat aliter impediri: nam publicum bonum est privato anteponendum. Ita S. Lig. Hom. Ap. tract. 7, n. 1.

3° *Obedientia in omnibus rebus honestis*, ita ut omnis inobedientia contra expressa parentum mandata sit ex genere suo gravis. Hinc ait Apostolus: *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino* (Coloss. 3). In illis vero, quae sunt inhonesta, et a lege prohibita, pater non potest praecipere, neque filii possunt obedire, juxta illud: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Nota. Non raro in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quandam negligentiam humanam, et saepissime ob parvitatem materiae. Imo saepe ob defectum praecepti rigorosi ex parte parentum.

Q. Quaenam sunt obligationes aliorum cognatorum ascendentium, et descendentium?

R. Eaedem sunt generatim cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa. Ita omnes.

Q. Quaenam sunt mutuae fratrum, et sororum obligationes?

R. 1° Debent se mutuo amore prosequi non tantum communi affectu, ut caeteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum. 2° Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. Ita omnes.

Nota. Circumstantia cognationis primi et secundi gradus, quia speciem mutat (esset enim etiam contra pietatem erga parentes), aperienda est in confessione, quoties agitur de gravi injuria, detractione, contumelia, odio, percussione, et similibus. Ita Henno, Scavini, et alii.

§ 2. *De obligationibus tutorum, minorum, magistrorum et discipulorum.*

Q. Quisnam venit nomine tutoris, atque minoris?

R. Minor dicitur *qui nondum complevit 21um annum.* — Tutor appellatur *ille, cui cura minoris committitur.*

Mater, et ascendentes paterni et materni, dicuntur tutores nati; quia de jure eis competit. — Nonnullis munus tutoris a lege prohibetur, ut infames, interdicti, minores etc. — Nonnullis in libertate relinquitur, ut milites etc.

Tutor eligitur pleno jure a patre: quod si eum non eligat, vel cesset, electio pertinet ad consilium familiae, quod est coetus personarum a lege civili ideo electus, et deputatus.

Q. Quaenam sunt obligationes tutorum et curatorum?

R. 1° Curam gerere pupilli, ejus personam tueri, christiane educare per se, vel per alios, et omnem impendere operam suám, ut artem, vel professionem sibi convenientem ipse minor ediscat.

2° Pupilli bona curare, et fideliter ac diligenter administrare. — Quare exigitur a tutoribus juramentum emittendum coram judice de re fideliter administranda, confecto inventario omnium bonorum intra decem dies a nominatione: et finita tutela, omnium actorum rationem reddere obstringuntur.

Si hisce obligationibus desint, peccant contra justitiam, et tenentur ad compensationem damni.

Q. Quaenam sunt obligationes pupilli et minoris?

R. Tenetur tutoribus et curatoribus exhibere amorem, reverentiam et obedientiam, sicut filii (non tamen eadem stricta obligatione) debent parentibus.

Q. Quot, et quaenam sunt magistrorum obligationes?

R. Sunt quinque: 1° Scientiam callere ad munus, quod suscipiunt, idoneam. 2° Doctrinam rectam tradere. 3° Doctrinam tradere discipulorum intelligentiae accommodatam. 4° Semina christianarum virtutum pedetentim verbis, et exemplo eorum animis inserere. 5° Discipulorum errores, et defectus paterno modo, et amore corrigere.

Si in aliqua re ex recensitis desit, peccat leviter, vel graviter juxta levitatem, vel gravitatem defectus.

Q. Quaenam sunt obligationes discipulorum?

R. Discipuli debent: 1° Sibi studium et laborem assiduum; scien-

tiae enim, et artes non addiscuntur, nisi per magnos labores, atque longam studiorum assiduitatem.

2° Magistris reverentiam, docilitatem, ac gratitudinem.

3° Deo pietatem ; juxta illud : *Initium sapientiae timor Domini.*

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM, DOMINORUM ET FAMULORUM.

—

§ 1. *De obligationibus conjugum.*

Q. Quaenam sunt mariti, et uxoris obligationes mutuae?

R. Conjuges tenentur : 1° Ad mutuum amorem, juxta illud ad Ephes. c. 5 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam ;* ad Tit. c. 2 : *Viros suos ament.*

2° Ad societatem et cohabitationem, juxta illud Matth. c. 19 : *Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.*

3° Ad fidem conjugalem, juxta illud 1ae ad Cor. c. 7 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir... Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Q. Quaenam sunt speciales obligationes mariti et uxoris?

R. 1° Maritus tanquam caput tria uxoris suae curare debet : 1° *Animam*, adeo ut peccet graviter si uxori permittat, ut legem Dei et Ecclesiae transgrediatur. 2° *Corpus ;* idest tenetur eam alere, et procurare omnia, quae sunt juxta statum et conditionem suam. 3° *Mores ;* idest tenetur uxori invigilare, benigne corripere et compati, amicis suasionibus, non rigidis verbis imperare.

R. 2° Uxor tenetur erga maritum suum : 1° Ei ex corde obedire, juxta illud ad Ephes. c. 5 : *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino* . . . 2° Ei ex animo placere ; ideo sit mansueta, lenis, patiens. 3° Ei indigenti de suo providere ; hoc enim ad debitum conjugalis amoris pertinet.

Nota. Taceat uxor, dum maritus est iratus, vel ebrius : si monitio profutura videatur, id agat dum maritus est bene affectus ; leniter autem agat semper.

—

§ 2. *De obligationibus dominorum et famulorum.*

Q. Ad quid tenentur domini erga famulos suos?

R. Praecipue tenentur: 1° Illos instruere, dicente Apostolo: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (1ª ad Tim. c. 5).

2° Illos corripere, si opus sit; ipsi enim vices gerunt parentum cum famulis.

3° Illos benigne, idest cum amore tractare, juxta illud Eccl. 33: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, et quasi fratrem sic eum tracta.*

4° Illos justo pretio nunquam fraudare, legitur enim 1ª ad Tim. 5: *Dignus est operarius mercede sua.*

Q. Quid si famulus ad annum conductus per mensem aegrotet?

R. Ex justitia ei integrum non debetur salarium, ut verius et communius docent; quia non praestiterit servitium integrum. Imo dominus non tenetur ad expensas infirmitatis, modo famulus non sit in necessitate, tunc enim charitas id exigit.

Q. Quid si famulus ad annum conductus sine causa ante annum discedat?

R. Per se aliquid ei debetur, ut communius docent; quia servitus exhibita meretur mercedem suam. Excipe, si ob hoc damnum obvenerit domino, vel aliter se habeat mutua conventio.

Q. Quaenam sunt obligationes famulorum erga dominos?

R. Tenentur praestare amorem, reverentiam, obedientiam, fidelitatem in servitio, juxta illud Apostoli Ep. 1ª ad Tim. c. 2: *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.*

Q. Quid, si famuli inculpabiliter damnum afferant domino in exequendis muniis sibi commissis; vel in transferendis domus mobilibus et suppellectilibus?

R. Domino stant incommoda et damna, quae inculpabiliter famulus affert rei domesticae; quia res perit domino, et dominus censetur agere per famulum. Excipe si alia sit conventio.

Q. An possint absolvi famulae cum heris peccantes, si jam aliis vicibus cum eis peccaverint?

R. Si bis, vel semel tantum peccaverint, et post admonitionem Confessarii occasionem tollere curaverint, absolvi possunt. — Secus si occasionem removere neglexerint.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS JUDICIS, ACCUSATORIS, TESTIS ET REI.

§ 1. *De obligationibus judicis.*

Judex *est persona publica legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret, atque in delinquentes poenas decernat.*

Q. Quot sunt praecipuae obligationes judicis?

R. In judice quinque requiri debent, nempe jurisdictio in personas judicandas, et in causam. — Scientia sufficiens ad munus suum recte obeundum. — Constantia et virtus ad munus judicis exercendum. — Justitia et integritas. — Judicium secundum leges tum quoad modum procedendi, tum quoad sententiam ferendam et exequendam.

Hinc judex non potest quemquam condemnare inauditum, et sine testibus. Ita Clem. II, de sent. et de re judic.

Q. An sententia judicis injusta obliget?

R. Negative, ideoque manet parti laesae jus suum, et licebit recuperare bona, si absque scandalo possit; quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem judicii, idest definitio justi. — Sed in foro externo sententia prolata servanda est ad evitanda scandala et incommoda.

Q. An judex possit condemnare reum, quem privata scientia scit talem revera esse, sed juridice probetur innocens?

R. Non potest; quia judex personam publicam agit, et ideo sequi debet scientiam publicam, et procedere juxta publice allegata praesertim in favorabilibus. Ita S. Thom. 2, 2, qu. 67, a. 2.

Q. Utrum judex possit damnare eum, quem privata scientia certo cognoscit innocentem, sed juridice probetur reus?

R. Vel agitur de causa criminali, et poena corporali; vel de causa civili, et poena pecuniaria. Si primum, disputatur inter Theologos: affirmat D. Thomas cum nonnullis aliis; quia norma judicii non pendet a privata judicis scientia, ideo debet condemnare casu, in quo non possit suspendere judicium, vel impedire accusationem, vel remittere causam ad Superiorem. Negat D. Bonaven-

tura cum aliis; quia directe occidere innocentem est per se intrinsece malum. Unde eo in casu a judicio esse desistendum contendunt: haec sententia in praxi anteponenda. — Si secundum, nempe de causa civili, tunc judex certo judicare debet secundum allegata et probata: quia respublica non habet dominium directum vitae, et corporis subditorum, ideoque non potest occidere innocentem; habet tamen supremum dominium bonorum, ideoque potest subditos suos iisdem privare, quando bonum publicum id requirat ad pacem et tranquillitatem regni.

Q. Utrum juratus (*giudice del fatto*) dare possit votum contra accusatum, juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?

R. Negative: quia hoc videtur contra mentem legis. Ita Gury.

Q. An judex in dubio etiam possessionis, et proprietatis possit judicare juxta opinionem etiam minus probabilem?

R. Negative; est enim propos. 2ª damnata ab Innoc. XI: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Q. An judex in causis paris probabilitatis possit ferre sententiam pro parte, pro qua maluerit?

R. In causis criminalibus judicare debet pro reo; quia nemo damnandus nisi convictus de crimine. — In causis civilibus res est omnino dividenda; quia judex non est dominus, sed distributor juxta jura partium.

Q. An in causis civilibus debeat judex judicare contra legitimum possessorem, si actori faveat opinio probabilior?

R. Negative: quia titulus possessionis ex communi sententia elidit rationes probabiliores.

Q. An obliget sententia judicis dubie justa?

R. Affirmative: praesumptio enim judici favet.

Q. An judex teneatur reparare damnum, quod non impedivit, vel cujus reparationem non procurat, quando potest?

R. Affirmative: quia est cooperator injustus, et efficax.

Q. An judex munera pro ferenda sententia possit accipere?

R. Negative: quia omni jure prohibetur. Jure naturali, quia ex hoc provenit acceptatio personarum. Jure canonico in 6° L. tit. 3, cap. 2.

Q. An judex teneatur ad restitutionem, si munera a litigantibus acceperit?

R. Duplex est sententia : prima probabiliter negat ante sententiam ; quia etsi illicite agat, tamen non peccat contra justitiam. — Secunda satis probabilis affirmat. — Sed primae subscribimus : quia posuit opus, quod requirebant, et per quod gratuito donabant litigantes. Ita communius cum S. Antonino, Lugo, Lessio, et aliis recentioribus.

Attamen in praxi potest aliquando pro poenitentia restitutionem injungi ad ipsum judicem a relapsu evocandum ; sed nec facile, nec sine maxima discretione id fiat.

Q. An judex restituere teneatur id, quod ad sententiam aliquam ferendam ex pacto accepit ?

R. Affirmative, si acceperit ad ferendam sententiam justam ; quia non potest esse materia contractus. Si acceperit ad ferendam sententiam injustam, tenetur restituere antequam sententiam ferat. — Post datam sententiam controvertitur juxta dicenda de contractu etc. Vide contractum de re turpi.

§ 2. *De accusatoris, et testis obligationibus.*

Q. Quid est accusator ?

R. Is, qui crimen defert judici ad vindictam cum obligatione crimen probandi.

Nota. In hoc differt accusator a denuntiatore, nempe denuntiator refert tantum, et non tenetur probare ; alter tenetur probare.

Q. Quaenam sunt dotes accusatoris ?

R. Duae, nempe veritas, et justitia.

Q. Quis tenetur accusare. vel denuntiare ?

R. 1° Officiales justitiae. 2° Quilibet privatus quando agitur de communi, et gravi damno vitando. — Imo etiam avertendi gratia damnum grave ab aliquo innocente.

Nota. Officiales tenentur ex justitia ; privati ex charitate. — In praxi raro tenemur accusare, si res sit de damno privato.

Jure romano prohibentur accusare pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, filii respectu parentum, et vicissim, fratres respectu fratrum, uxor respectu mariti, et e converso.

Q. An possit Clericus accusare coram judice laico malefactores ?

R. Si agatur de damno proprio praecavendo, vel sibi resarciendo ; vel de damno propriae ecclesiae, aut suorum cognatorum usque ad quartum gradum, aut domesticorum, potest. Aliter prohibetur a Jure canonico.

Nota. Ad evitandam irregularitatem debet praemittere ante judicem protestationem, se id non agere ad vindictam; sed ad solum sui, vel suorum defensionem, et justitiae triumphum.

Q. Quid est testis?

R. Testis in genere *est persona idonea, quae ad fidem alicujus rei adstruendam adhibetur.*

Q. Quot sint obligationes testis?

R. Sunt duae. Primo tenetur testificari dum a legitimo judice legitime est interrogatus. Excipe: 1° Si rem tantum acceperit sub secreto Confessionis. 2° Si rem noverit sub secreto commisso, aut etiam sub secreto tantum naturali. 3° Si rem acceperit a viris non fide dignis. 4° Si sciat, reum non peccasse mortaliter, v. g. propter ignorantiam. 5° Si consanguineus, vel affinis delinquenti usque ad quartum gradum. 6° Si grave sibi, vel suis damnum adventurum praevideat; modo damnum commune non immineat. 7° Si crimen per injuriam illatam cognoverit, v. g. literas aperiendo.

Secundo tenetur verum absque fuco testari: alias tenetur omnia resarcire damna ex sua testificatione secuta.

Q. Ad quid teneatur testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia, aut oblivione inculpabili?

R. Tenetur falsum testimonium aperire, et damnum eo modo, quo potest, impedire: non tenetur tamen ad damni jam sequuti reparationem, cum sit expers culpae theologicae. Idem dicendum foret etiamsi venialiter peccasset. Ita S. Lig. l. 4, n. 269.

Q. Quid de illo, qui scripturam, chirographum, aut apocham supponit, vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus certum prosequendum?

R. Non peccat contra justitiam, ideo ad restitutionem non tenetur. — Peccat venialiter ratione mendacii. — Quandoque peccat graviter contra charitatem erga se ipsum propter periculum, cui se exponit.

Q. An teneatur ad restitutionem testis, qui judici legitime interroganti veritatem celavit dicens, se nihil scire?

R. Duplex est sententia. Prima cum Salmanticensibus affirmat; quia ex justitia ad bonum publicum tenebatur veritatem fateri. — Secunda cum Lugo negat; quia testis ex praecepto judicis, vel vi juramenti praestiti tenetur veritatem deponere, et non ex justitia commutativa: ergo celando, non peccat contra justitiam, ideo nec restituere tenetur. Hanc tenemus sententiam propter allatam rationem.

Q. An, et quomodo peccet testis, qui se abscondit, ne citetur a judice, vel qui post citationem fugit?

R. Ante citationem ad summum potest peccare tantum contra proximi charitatem. — Post citationem peccat contra justitiam legalem, seu obedientiam judici debitam; sed non contra justitiam commutativam: quia citatio non imponit obligationem justitiae, sed tantum obedientiae. Ita S. Lig. n. 270, Billuart, Lessius, et alii.

Q. An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, v. gr. quod ipse solus novit?

R. Negative probabilius juxta Jus romanum: unde effatum: *Testis unus, testis nullus*. S. Lig. n. 266.

§ 3. *De obligationibus rei.*

Reus est *is, qui criminis causa convenitur.*

Q. An reus a judice interrogatus teneatur crimen suum fateri?

R. Distinguendum: Negative si non sit legitime interrogatus.— Affirmative et sub gravi, si sit legitime interrogatus; quia justo judicis praecepto obedire debet. Ita D. Th. 2, 2, qu. 69, a. 2. Attamen si agatur de magna poena subeunda videtur sub veniali tantum crimen fateri; praesertim si ex silentio suo non immineat grave publicum damnum: quia non censetur lex imponere reo adeo arduam obligationem, quae vires humanas aliquo modo superat. Ita post alios sentit Ballerini.

Nota. Omnes conveniunt, quod si reus sit in bona fide, et difficile inducatur ad crimen fatendum, Confessarius eum relinquere debet in sua bona fide ad vitandum formale peccatum.

Q. Quomodo, vel quando cognoscitur, quod judex legitime interroget?

R. 1° Quando habet veram jurisdictionem judicis; vel saltem ex errore communi, et titulo colorato existimatur illam habere. 2 Quando formam judicialem servat. 3° Quando praecesserit aliqua semiplena probatio, vel extat infamia, aut aliud manifestum criminis indicium etc.

Q. An teneatur respondere reus si rationabiliter dubitet, an interrogetur legitime, ac juridice?

R. Non tenetur respondere, praesertim si agatur de re gravi; quia ipse possidet vitam, et famam suam. Ita Salmant., Layman, Sanchez, Scavini, et alii.

Q. An reus de complicibus interrogatus, teneatur ipsos detegere?

R. Cum distinctione: si bonum commune, vel bonum grave innocentis revelationem postulat, tenetur revelare; quia in pari casu istorum conditio melior est. — Si bonum sit privatum, nec tam grave; tunc tenetur respondere, et revelare, si de ipsis legitime interrogetur. — Non tenetur si legitime non interrogetur.

Nota. Ut possit dici legitima interrogatio oportet quod de complice praecesserit aliquod inditium; vel quod crimen ipsum necessario requirat complicem.

Q. An reus innocens ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium, vel accusatoris?

R. Affirmative, modo: 1° Crimen sit verum. 2° Revelatio sit absolute necessaria ad suae innocentiae defensionem. 3° Et ipse aliter grave damnum sit passurus. Ita S. Lig. n. 277.

Q. An liceat reo innocenti fugere, vel resistere?

R. Licet ei quidem fugere, et e manibus satellitum se se eripere; sed non licet vim vi repellere, occidendo, aut vulnerando, quia publicae potestatis jura violaret. S. Lig. n. 279.

Q. An reus teneatur justae sententiae parere?

R. Affirmative: quia judex habet jus puniendi reum: ergo reus tenetur obedire etc.

Q. An reus, qui vere deliquit, possit a carcere fugere?

R. Cum distinctione: vel carcer sit jam per sententiam adsignatus ad poenam; vel tenetur in carcere ad custodiam, ut sententiam recipiat. Si primum, nefas videtur fugere; quia tenetur obedire in executione sententiae justae; dummodo carcer non sit durissimus; secus licet fugam arripere. — Si secundum, potest: quia nemo ante sententiam poenam solvere tenetur; modo id fiat sine corruptione ministrorum, sine damno alicujus, et sine aliis mediis per se malis. Ita communiter.

Q. An licitum sit reo fugere ad vitandam mortem, vel mutilationem?

R. Affirmative, etiamsi custos ex illa fuga grave damnum sit passurus; quia nimium naturali inclinationi repugnaret, si tale medium ei adhibere non liceret. — Nec tenetur reficere damnum illatum in custodem, vel in carcerem effringendo; vel quia alii captivi fugerunt; hoc enim evenisse censetur per accidens. Ita Scavini, Gury.

Nota. Non potest vim inferre in custodem, quia ei faceret directe injuriam; nec eum corrumpere, quia cooperaret peccato custodis.

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONIBUS ADVOCATORUM, PROCURATORUM, REFERENTIUM, NOTARIORUM, ET APPARITORUM, ET SECRETARIORUM.

Advocatus est *ille, qui suum litigantibus praebet auxilium vel consilio, vel voce, vel scripto.*

Q. Quaenam sint advocati obligationes?

R. Continentur in hoc versiculo:

Causidicus sapiens, justus, vigilans sit, honestus.

Idest: 1° Scientia sufficiens, ne se periculo exponat graviter nocendi: ideo advocatus antequam patrocinium suscipiat, tenetur accurate perpendere causae aequitatem, et probabilitatem.

2° Justitia causae: nam iniquum est injustitiam tueri.

Nota. S. Thomas docet non peccare advocatum, si adversario in causa manifeste justa aliquid prudenter occultet (modo nulla utatur falsitate, alligando falsa, vel mendacium proferendo); quia esset sinere, ut ipse se decipiat.

3° Vigilantia, ac diligentia; ideo enim conductus est, ut strenue, et utiliter negotium susceptum gerat. Hinc si differat causae expeditionem cum clientis sui praejudicio, vel plures acceptet quam possit expedire, peccat, et tenetur ad restitutionem.

4° Honestas in pretio.

Q. An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum?

R. In causis civilibus affirmative cum sententia communi, et certa; quia spem habere possunt, ut veritas elucescat. S. Lig. n. 222. — In causis vero criminalibus reus semper defendi potest etiamsi constaret de ipsius culpabilitate; mediis tamen honestis, ac licitis. Ita S. Lig. 220.

Q. Ad quid teneatur advocatus ratione honorarii, seu stipendii?

R. Nihil, generatim loquendo, potest accipere ultra justum, quod vel lege taxatum sit, vel alio legitimo modo. — Ast gratuito tenetur succurrere pauperibus in extrema necessitate cum ipso notabili suo incommodo. Pauperibus vero in gravi necessitate tenetur succurrere sine notabili suo incommodo, sed sub peccato mortali. Ad hoc adimplendum sufficit, ut aliquid operis eis largiatur, quando ab aliis vacet. Ita S. Lig. Hom. Ap. tract. 13, n. 69.

Q. Quid exigere potest advocatus, si postquam de stipendio conventum est, cliens inceptam causam deserat?

R. Potest totum exigere, si per eum non stet, quominus litem prosequatur. Excipe tamen, si justa intervenit causa litem deserendi, cum haec conditio semper in conventione subintelligatur. S. Lig. Hom. Ap. tract. 13, n. 69.

Q. Ad quid teneatur advocatus, qui, causa jam peracta, advertit eam esse injustam?

R. Debet: 1° Statim admonere de injustitia causae, et eam deserere, ne damno injusto cooperetur. 2° Non potest compositionem suadere; quia haec in re dubia tantum debet habere locum. 3° Si scienter causam injustam fuerit prosequutus, omnia damna utrique parti obvenientia compensare tenebitur.

Nota. Advocatus deserendo causam, quam injustam esse detegit, non potest secreta suae causae alteri parti revelare, ut patet ex jure naturali. Ita S. Thom. 2, 2, qu. 71, a. 3. — Excipe si adversarius capite plectendus esset, et cliens contra ipsum injuste procederet.

Q. Ad quid tenetur advocatus, qui advertens causam esse injustam, monet quidem clientem, sed eo volente, causam prosequitur?

R. Ad nihil tenetur erga clientem, si causam perdiderit. Sed tenetur ad omnia damna, quae patitur pars adversa, compensando titulo cooperationis positivae.

Q. An, et quomodo peccet advocatus, qui causam justam mediis injustis defendit, v. gr. Si chirographum novum substituat loco prioris amissi etc.?

R. 1° Peccat contra fidelitatem, et veritatem gravius, aut minus graviter pro ratione injusti medii adhibiti.

R. 2° Per se non peccat contra justitiam, cum causa justa supponatur. — Sed per accidens potest justitiam laedere, et ad restitutionem obligari, si cum damno clientis detegatur etc.

Nota. Advocati si non sint periti et idonei peccant contra justitiam si causas defendentes suscipiant; vel utrique parti serviant, vel secreta parti adversae revelent, vel dolo utantur etc.

Procurator est *ille, qui litigantis mandato et nomine causam in judicio prosequitur.*

Q. Quaenam sint obligationes procuratorum?

R. Scientia, justitia, fidelitas, diligentia, et justum pretium.

Q. Quando tenetur ad restitutionem procurator?

R. Quando deficit in officio suo, nempe si

Injustus, mendax, deses, fraudator agendo.

Referens (vel ponens) est *ille, cui litis examen committitur, ut illam judicibus referat definiendam.*

Q. Quando referens peccat, et tenetur restituere?

R. 1° Dum defectu studii et diligentiae male refert. 2° Dum conatur jus unius magis, quam alterius exponere. 3° Dum secretum uni manifestat in praejudicium alterius.

Secretarius est ille, *qui legitima auctoritate est deputatus, ut scripto referat testimonia, judicum sententias, et caetera, quae in tribunalibus peraguntur.*

Q. Ad quid tenetur secretarius?

R. Praeter scientiam muneri necessariam, tenetur: 1° Inviolatum servare secretum. 2° Sine judicis praecepto non potest aperire processum, vel quidquid aliud, quod ad litem pertineat. 3° Testium depositiones fideliter transcribere.

Notarius est ille, *qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta, vel instrumenta, quae tum in judicio, tum extra fidem faciunt.*

Q. Quaenam sunt obligationes notarii?

R. Praecipuae exprimuntur in hoc versu:

Expertus, fidus, diligens notarius esto.

Si in his, et aliis similibus desit, tenetur sub gravi per se ad restitutionem, ut injustus damnificator, aut cooperator. Ita S. Lig. 230, 231.

Q. An peccet notarius, qui instrumenta conficit die dominica, vel die festo?

R. Ex consuetudine generali potest conficere quaecumque instrumenta, modo non spectent ad jurisdictionem contentiosam, idest ad negotia forensia, v. gr. Potest conficere testamenta aegrotantium, instrumentum contractus etc. — Attamen instrumenta ad negotia forensia pertinentia potest tantum scribere, sed die legitima subscriptiones, ac caeteras solemnitates facere debet. Ita lex can.

Apparitor est *ille, qui ex officio jussum comparendi in judicium, et mandata justitiae defert, atque executiones a judice decretas perficit.*

Q. Quando peccant, et tenentur ad restitutionem apparitores?

R. 1° Si pretio, aut favore se corrumpi sinant in praejudicium clientis. 2° Si tempus ad acta juridica praefixum non concedant. 3° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus extorqueant. 4° Si excedant mandatum judicis, aut legis statuta etc.

Q. An apparitores ad restitutionem teneantur, si pretium supra taxam lege determinatam titulo donationis acceperint?

R. Affirmative per se: quia talis donatio generatim spontanea dici nequit. Unde si excessus pretii sit quid grave, sub peccato mortali ad illum restituendum obligantur. — Ita communiter. Attamen si laborem extraordinarium, et indebitum subiissent, aliquid supra pretium ordinarium accipere possent. Ita Gury, cui subscribimus.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONIBUS REGUM, MAGISTRATUUM, SUBDITORUM, DUCUM, ET MILITUM.

Q. Quaenam sunt obligationes regum, et magistratuum?

R. Tres assignantur praecipuae; nempe: 1ª Divinas leges, et Religionem auctoritate sua tueri, bonumque exemplum quoad mores praebere. 2ª Populi sibi commissi incolumitati diligenter invigilare, ac felicitati prospicere mediis justis, et opportunis. 3ª Iustitiam tum vindicativam, tum distributivam inviolabiliter servare.

Q. Quaenam sunt obligationes subditorum?

R. Tres sunt praecipuae; nempe: 1ª Honorem et obedientiam principibus praestare. 2ª Fidelitatem erga eosdem servare. 3ª Iusta tributa persolvere. S. Lig

Q. An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?

R. Ad 1um. Cum distinctione: si praecipiat ea, quae evidenter contra legem Dei sunt, nunquam ei obediendum est, juxta illud: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. 5).— Si praecipiant ea, quae licita sunt, est omnino obediendum principibus etiam *discolis*, et illis quoque, qui auctoritate sua abutuntur: ait enim Gregorius XVI in Brevi 9 junii 1832: *Ex Scriptura, et traditione edo-*

cemur obedientiam, quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest.

Ad 2um. Nunquam omnino licitum est rebellare; S. Ligorius contrariam sententiam appellat principium non tantum falsum, sed perniciosissimum, juxta illud : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, Apost. ad Rom. 13.

At quale remedium adest, ait S. Ligorius, *si regimen principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit S. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium praebeat.* Homo Ap. tract. 8, n. 13.

S. Thomas ait: *Ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare; quia in ultionem peccati, divina permissione impii accipiunt potestatem.* De Reg. princ. lib. 1, c. 6.

Q. Quaenam sunt obligationes ducum belli, et militum?

R. Sunt tres praecipuae; nempe: 1a Est fidelitas, et obedientia erga principem, et militiae praefectos. 2a Charitas, et mansuetudo erga populos pro quibus militant. 3a Servare fidem, et justitiam erga hostes.

Nota. Vide alia in articulo de bello n. 321.

ARTICULUS VI.

DE OBLIGATIONIBUS MEDICORUM, ET PHARMACOPOLARUM ET CHIRURGORUM.

Q. Quaenam sunt obligationes medicorum?

R. Praecipuae sunt sequentes, nempe: 1a Sufficienti scientia debent esse instructi. 2a Aegrotis praesto esse debent studiosa cura. Quare videant ne curationem protrahant lucri causa, et ne pauperes negligant. 3a Caveant ne Dei, et Ecclesiae praecepta parvi faciant quoscumque dispensando sine necessitate. 4a Debent secreta suae fidei concredita servare, et caveant ne iis abutantur, morbos pudendos pandendo sine causa.

Si medici in his desint gravissime peccant.

Q. An medicus debeat infirmum monere de confessione?

R. Tenetur sub gravi eum admonere, ut praecipitur in Concilio Later. V, cap. *Cum infirmitas.* Sed hoc praeceptum urget, quando advertit periculum mortis graviter imminere. Ita Gury.

Q. An peccet medicus, qui tempore pestis aegrotos deserit, ne luem contrahat?

R. Cum distinctione: vel medicus recipit stipendium a Communitate, ut curet in omni infirmitate populum; vel non. Si primum, tenetur ex justitia, secus peccat graviter; quia deest officio suo. — Si secundum, non peccat; quia teneretur tantum ex charitate, quae non obligat cum gravi discrimine vitae. Ita omnes Theologi.

Q. An medicus remedia dubiae efficaciae applicare possit, ubi de infirmo desperatur?

R. 1° Adhibendum est remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur; quia meliori modo, quo fieri potest, infirmo providendum est.

R. 2° Non potest applicari infirmo etiam desperato remedium, de quo omnino ignoratur, utrum sit salutare, an vero noxium; etiam si fiat ad experimentum pro aliis infirmis faciendum: quia est omnino illicitum cum discrimine alienae vitae.

R. 3° Si remedium sit certo non nociturum, et dubie profuturum, omnino est applicandum.

R. 4° In dubio, num remedium sit profuturum, an nociturum in casu aegri desperati, duplex est sententia, an possit applicari. Prima negat. — Secunda forte probabilior, ait S. Alphonsus, affirmat, esse licitum; quia conformius est prudentiae, et voluntati infirmi applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis. Hanc cum D. Alphonso et nos amplectimur sententiam.

Q. An infirmus teneatur medicum vocare, eique parere?

R. Casu, quo per remedia simpliciora morbus non pellatur, tenemur medicum adhibere, cum possumus, ejusque praescriptionibus obtemperare, si extraordinariam molestiam non importent. — Secus non tenemur; quia nisi rationes speciales occurrant, tenemur tantum ad remedia, quae communes vires non superant.

Nota. Non peccat, qui medicinam respuit ad se mortificandum, neque adsit periculum mortis, neque ideo propria munia negligat. Ita Cajetanus, Navarrus, Sanchez, Viva, et alii. — Peccat vero si secus adsit periculum mortis, vel adimplere nequeat officium suum.

Q. Quaenam sunt obligationes chirurgorum, et pharmacopolarum?

R. Tres sunt praecipuae; nempe: 1ª Ut habeant scientiam, et peritiam sufficientem. 2ª Ut fideliter artem suam exerceant. 3ª Ut artem suam cum pietate, religione, et charitate exerceant.

Quare peccant graviter pharmacopolae pharmaca vetusta, vel adulterata adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad foetum ejiciendum media subministrando, mandata medici non fideliter exequendo. Ita S. Lig. lib. 3, n. 182.

ARTICULUS VII.

DE OBLIGATIONIBUS CUSTODUM, ET ARTIFICUM, ET OPIFICUM.

Custodes *ii sunt, qui custodiae sylvarum, agrorum etc. a principe, vel a communitate, vel a domino privato praeficiuntur.*

Q. Quaenam sunt obligationes custodum?

R. Praecipuae sunt: 1ª Custodire diligenter id, quod ipsis est commissum. 2ª Deferre delinquentes in materia gravi.

Quare tenentur ad restitutionem: 1° Propter damna culpabiliter non impedita, si damnificatores non restituant. 2° Si munera accipiant ad non deferendum. 3° Si innocentes deferant ex odio, vindicta etc., aut si denuntient pro damnificatione mere casuali. Ita S. Lig. n. 237, et Homo Ap. n. 73.

Q. An custodes teneantur semper denuntiare?

R. Tenentur denuntiare quoties damnum notabile est, nisi delinquentes sponte se offerant ad illud secreto compensandum. — Possunt autem omittere denuntiationem, si damnum sit parvi momenti, vel si delinquens sit valde pauper, nec solitus sit delinquere etc.

Q. Quid dicendum de artificibus, et opificibus?

R. Desunt obligationibus propriis vel opera sua vendendo, aut locando injusto pretio; vel occultos operum defectus non manifestando; vel negligentia culpabili tempus terendo; vel alios operarios a labore avertendo; vel opus male exequendo sive nimia praecipitatione, sive rerum necessariarum omissione; vel adulterando quod vendunt; vel miscendo cum rebus inferioris praetii; vel excudendo exemplaria in majori numero, quam conventum est, et sibi ea retinent, ut nonnulli faciunt typographi.

Nota. Confessarius artifices, et opifices sedulo circa recensita, et alia hujusmodi interroget.

TRACTATUS SEXTUS

DE PECCATIS

CAPUT I.

ARTICULUS I.

DE PECCATIS IN COMMUNI.

Q. Quid est peccatum?

R. Cum D. Augustino peccatum definitur: *Factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei aeternam* (lib. 21, cont. Faustum, cap. 27). — Definitur etiam: *Libera legis divinae violatio.*

Q. Dicta definitio D. Augustini de peccato potestne convenire et peccato omissionis, et originis, et peccato veniali?

R. Affirmative. Convenit peccato omissionis; quia in moralibus affirmatio, et negatio ad idem genus reducuntur. — Convenit peccato originis; quia est factum non quidem voluntate propria, sed voluntate aliena, nempe Adami. — Convenit peccato veniali; quia licet non sit contra finem legis, qui est charitas, est tamen contra legem secundum se spectatam.

Q. Daturne peccatum mere philosophicum?

R. Negative. Quia licet ex D. Thoma peccatum sub duplici formalitate possit considerari, nempe ut est offensa Dei, et ut est contrarium rationi; tamen non sequitur, aliquid esse contrarium rectae rationi, quod non sit contra legem aeternam; ideo est offensa Dei. Contraria propositio damnata fuit ab Alexandro VIII.

Q. An omne peccatum sit contra naturam hominis?

R. Affirmative; id est contra naturam rationalem hominis, quia est contra legem aeternam, cujus ratio est participatio.

Q. Utrum formale peccati consistat in aliquo positivo, vel in sola privatione?

Ante responsionem notandum, duo spectari solent in peccato, *materiale* scilicet et *formale*. Materiale peccati est quilibet actus humanus, ex quo peccatum physice constat. — Formale peccati est repugnantia actus humani cum lege aeterna.

R. Formalis ratio peccati non consistit in aliquo positivo, sed in sola privatione conformitatis cum lege aeterna. Quae conformitas est rectitudo actui debita. Revera D. Augustinus ait (tract. 2 in Joan.): *Peccatum nihil est, et nihil faciunt homines cum peccant.*

Nota 1ª. Peccatum non est ipsum nihilum, seu ipsa pura privatio, ait D. Thomas, sed est actus debito ordine privatus. Unde admittit materiale indicatum.

Nota 2ª. Peccatum differt a vitio in hoc, nempe peccatum est actus; vitium est habitus peccaminosus.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS PECCATORUM.

Q. Quaenam est immediata causa peccati?

R. Voluntas humana est causa peccati, ait D. August. (*lib. de duab. anim.* c. 10).

Q. Quot sunt causae mediatae, quae ad peccatum alliciunt?

R. Duplicis generis, nempe aliae extrinsecae, quae extra naturam humanam sunt: aliae intrinsecae, quae ipsi naturae hominis inhaerent.

Q. Quotuplex est causa peccati externa occasionalis?

R. Duplex, nempe diabolus, et mundus. Per mundum intelliguntur homines pravi, et objecta sensibilia.

Q. Deus potestne esse causa externa peccati?

R. Negative. Job ait: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, quia odit peccatum odio infinito.

Q. Quotuplex est causa peccati interna occasionalis?

R. Triplex, nempe ignorantia, concupiscentia, et malitia.

Q. Quaenam ignorantia est causa peccati?

R. Ignorantia vincibilis, quae est peccatum vel directe, et in se, vel saltem indirecte et in causa: et est causa peccati, si versetur circa ea, quae quis potest, et tenetur scire.

Q. Quaenam sint causae ignorantiae vincibilis?

R. Sunt quatuor, nempe : negligentia, passio, habitus, et inconsideratio.

Nota. Oblivio, vel inadvertentia involuntaria alicujus praecepti, quae sit causa, cur illud non observetur, non est peccaminosa neque in se, neque in suo effectu.

Q. Utrum peccet, qui de suis obligationibus suspicionem habet, et in eas non inquirit?

R. Distinguendum : Si iste proponat opportuniori tempore se instruere, et interim se abstinere ab actione ; si postea inadvertenter contra praeceptum agat, non peccat dummodo haec inadvertentia non fuerit praevisa. — Si autem urgeat obligatio illico depellendi omnem dubietatem propter praevisum periculum operandi contra legem, peccat toties, quoties ignorantiam potest depellere, et non vult, aut quoties agit cum suspicione peccati.

Q. Estne peccatum concupiscentia ?

R. De fide est contra Lutherum in Concil. Trid. definitum, quod non sit peccatum spectata in se, quatenus ad objectum sensibile, et illicitum nos inclinat. — Tamen est mediata, et remota causa peccati.

Q. Quid est malitia ?

R. Est *deliberata quaedam voluntatis adhaesio peccato ex solo, et pravo affectu in ipsum peccatum.*

CAPUT II.

—

ARTICULUS I.

DE MUTUA PECCATORUM AB INVICEM DISTINCTIONE.

Q. Quot modis peccata ab invicem distingui possunt ?

R. Duobus modis, nempe distinctione specifica, seu specie, et distinctione numerica, seu numero.

Q. Quando peccata distinguuntur specie, et quando numero ?

R. Distinguuntur specie quando eorum malitia, et oppositio cum lege est diversae naturae. Distinguuntur numero, cum malitia moralis plurium actuum est ejusdem naturae.

Q. Unde peccatorum distinctio specifica desumenda sit ?

R. Desumitur : 1° Ex diverso motivo, quo eadem res praecipitur; quia tunc duplex est objectum formale diversum ; sic qui non observat jejunium praeceptum ab Ecclesia ex motivo religionis, et injunctum a Confessario ex motivo poenitentiae, duplex specie peccatum committit.

Desumitur : 2° Ex objecto formali, fine, et circumstantiis habentibus malitiam specie diversam ; quia ab eis actus moralis desumit malitiam moralem.

Q. Quandonam, vel quomodo cognoscitur , quod actus moralis ex objecto , fine , et circumstantiis contrahat malitiam specie diversam ?

R. Cognoscitur : 1° Quando diversis virtutibus opponitur ; sic percussio Clerici opponitur justitiae et Religioni. 2° Quando opponitur diversis ejusdem virtutis officiis, ut odium Dei, et omissio actus charitatis. 3° Quando opponitur eidem virtuti modo contrario , ut avaritia et prodigalitas. 4° Quando opponitur eidem virtuti modo diverso, licet non contrario ; sic furtum, detractio , homicidium opponuntur virtuti justitiae.

Corollarium I. Quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis peccat cum consanguinea conjugata ; quia violat quatuor virtutes diversas , nempe castitatem, religionem, pietatem , et justitiam.

II. Tripliciter peccat, qui occidit Sacerdotem, vel Religiosum in ecclesia ; quia violat justitiam occidendo , et Religionem duplici modo specifice diverso, violando scilicet personam sacram, et locum sacrum.

III. Non committit peccata specie diversa, qui omittit Missam die dominica, in quam aliud festum de praecepto incidit ; nec qui violat jejunium vigiliae, aut quatuor temporum in Quadragesima incidentium ; quia praecipiuntur sub eodem motivo.

IV. E contrario tria peccata specie diversa patrat unico actu, qui omittit jejunium ad quod eadem die obligatur ex praecepto Ecclesiae, ex voto, et ex poenitentia sacramentali ; idcirco in confessione triplicis hujus obligationis violatio aperiri debet.

Q. Unde desumatur distinctio peccatorum numerica ?

R. Desumitur : 1° *Ex objecto materiali ;* unde quando unus physice actus versatur circa plura objecta materialia , quae se habent per modum plurium, plura complectitur peccata ; v. gr. Qui unico actu duos occidit homines, duo peccata committit.

2° *Ex complemento plurium actuum circa idem objectum ;* sic qui bis fornicatur, duo committit peccata. E contra quando actus sunt directi ad unum, v. gr. Qui impudice respicit puellam, osculatur, tangit, et tandem fornicatur, unum peccatum committit, tanto gravius tamen, quanto plura concurrunt.

3° *Ex morali interruptione, quae in pluribus ejusdem speciei actibus reperitur :* quia per moralem interruptionem actus humani multiplicantur moraliter ; sic qui, visa puella, eam concupiscit, et postea a tali concupiscentia se divertit, ut alia cogitet, vel etiam involuntarie ab actu cesset, v. gr. per somnum etc. statimque ad priorem delectationem revertitur, duo peccata committit.

Q. Quomodo multiplicantur peccata ratione objecti ?

R. 1° Quando in uno, eodemque objecto multiplex est malitia specie diversa, v. gr. Parricidium, quod est contra justitiam, et pietatem. 2° Quando unus actus multa habet objecta materialia disparata ; seu non coordinata suapte natura ad unum, et idem, ut dicta duo homicidia.

Nota 1ª. Si plura sint coordinata in eundem finem, et in illa feratur voluntas uno impetu absque interruptione physica, vel morali, communé est unum tantum committit peccatum, v. gr. Si quis ad homicidium patrandum uno impetu emit arma, viam capit, quaerit inimicum, et occidit, unum peccatum hisce actibus committit. Item unicum committit peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. gr. Plures se, vel alium turpiter tangit etiam cum aliqua interruptione ; pluries inimicum percutit (ita communiter) ; qui intendens fornicationem mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur ; quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illae variae moraliter uniuntur : qui summam aliquam determinatam pecuniae furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit ; quia unicus est voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur : Sacerdos, qui integrum Officium vult una die ommittere ; quia singulae Horae ordinantur ad complendum unum Officium : qui pluribus simul Sacramentum administrat Eucharistiae ; et similia.

Plura vero committunt peccata, qui ab initio vult tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perficit : qui animum tantum habet vulnerandi, et inde ira accensus occidit : qui pluribus vicibus ex eadem pecuniae massa furatur, quin totam auferre ab initio statuat : Sacerdos qui prius vult tantum omittere

Matutinum, et postea neque reliquas Horas recitare vult; sic dicendum de similibus, quia sunt duo vel tres distincti actus malae voluntatis, et quivis actus habet in se malitiam suam consummatam. Quare non sufficit in confessione dicere habuisse copulam, vel reliquisse Officium etc., sed distincte accusandi sunt singuli actus hujusmodi completi.

Nota 2ª. Oscula, tactus etc., qui statim post copulam consequuntur si non dirigantur ad novam copulam non sunt de necessitate explicandi; quia habentur tanquam complementum primae copulae. — Idem est de complacentia, quae habetur de habita copula. Ita communiter.

Q. Utrum unum, vel plura peccata dicenda sint, quando objecta materialiter, et physice numero distincta ad unum actum referuntur; atque adeo utrum horum objectorum numerum necesse sit in confessione exprimere?

R. Controvertitur. Alii cum Suarez, Fillinccio, Lugo, et aliis, in quorum sententiam propendit Ballerini, unum esse peccatum dicunt. — Alii vero cum S. Alphonso plura esse peccata volunt. Sua utrique sententiae probabilitas favet, ut ait Gury.

Nos respondemus cum distinctione, nempe si ille unus actus attingat distincte tot, et singula individua, v. gr. Unus actus occidit duos homines, tunc sunt tot peccata, quot sunt individua; ac proinde sunt in confessione aperienda; quia propter malum distincte allatum ille actus censetur moraliter multiplex. Si vero in confuso, et conglobatim actus attingat plura objecta ad modum unius, v. gr. Familiae, collegii, civitatis etc., unum peccatum committit plus, vel minus grave ratione multitudinis; quia actus immediate versatur circa objectum collectivum, ac proinde afficit illa objecta tanquam moraliter et formaliter unum; ideo quamvis unusquisque jus habeat, v. gr. ad famam, fama tamen, vel aliud remanet violatum ut quid commune, et non ut quid privatum, et distinctum.

Corollarium I. Plura committunt peccata qui pluribus uno actu scandalum praebet: qui uno actu vult per plures dies Horas, vel jejunia (ad quae tenetur) ommittere: qui proponit non audire Missam in pluribus festis; quia singulis diebus est affixa obligatio: qui uno actu malum optat pluribus personis, vel plures personas odio habet.

II. Unicum peccatum committunt qui unica detractione laedit famam unius Collegii etc. (ita de Lugo, de Poen. Disp. 16, n. 539):

qui rapit crumenam ad plures socios pertinentem (ita etiam Gury et de Lugo) : qui plures simul fidei articulos negat ; quia unicum est fidei motivum (ita communiter) : qui eodem actu duodecim Apostolos, vel plures simul Sanctos blasphemat ; quia omnes blasphemiae in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum (ita S. Lig. n. 47) : qui unico actu simplicis complacentiae plures foeminas desiderat ; quia tunc esset unum moraliter complacentiae objectum (ita Gury, et Ballerini).

Nota. Videtur dicendum plura peccata committere eum, qui unico actu efficaciter desiderat plures mulieres, aut pluries ad eamdem accedere ; quia hoc in casu actus aeque immediate versatur in personas, ac in peccata numero plura ; ac proinde videtur moraliter multiplex.

Q. An explicanda sint in confessione, ut peccata distincta, media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum ?

R. Duplex est sententia: prima cum Viva, et Scavini affirmat ; etiamsi illa media sint per se indifferentia, ut scalam deférre ad furtum, arma parare etc.; quia a malitia pravi finis omnia informantur. — Secunda negat, nisi media ista in se mala sint. Huic secundae videtur respondere praxis ; ac proinde haec videtur anteponenda.

Q. An plura committat peccata qui detrahit coram pluribus?

R. Controvertitur : nos vero sentimus cum Gury, Lugo, Azor, et aliis, non excepto S. Alphonso, qui probabilem hanc appellat sententiam, unum tantum committere peccatum ; quia jus ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex; ideo detrahere coram pluribus est tantum circumstantia notabiliter aggravans. Proinde non est obligatio explicandi in confessione numerum personarum coram quibus aliquis detraxerit ; sed sufficit dicere *detraxi coram pluribus*.

Q. An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico ?

R. Distinguendum. Si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversae, v. gr. infamiam, et mortem, tunc plura committit peccata. — Si vero indeterminate apprehenduntur ut media ad perniciem alicujus, quod fieri solet, quando imprecationes ex impetu irae procedunt, tunc unum peccatum committit.

Q. An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem?

R. Negative si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi; quia mala voluntas per modum continui cum re injusta retenta perseverat. — Sed si per aliquod tempus fuerit oblitus, et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum committit; quia mala ejus voluntas moraliter interrupta censetur. Ita S. Ligorius contra nonnullos, qui dicunt toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit.

Q. Quando fit interruptio moralis?

R. Triplici modo: 1º Per retractationem, seu revocationem expressam voluntatis. 2º Per cessationem voluntariam ab actu, seu per mentis applicationem ad diversum objectum. 3º Per moram sat notabilem ratione habita ad actus naturam ita, ut judicio prudentium actus voluntatis cessare censeatur.

Q. Quaenam autem mora censetur sufficiens ad actuum multiplicitatem?

R. 1º Actus mere interni, qui nullum ordinem inter se habent, complentur statim, ac interrumpuntur; ac proinde toties multiplicantur, quoties interrumpuntur.

2º Actus interni cum proposito externam actionem ponendi, multiplicantur toties, quoties pravum propositum formaliter innovatur, ita scilicet, ut in posterius moraliter censeri nequeat continuatio prioris.

3º Actus externi, seu externe consummati multiplicantur toties, quoties objectum est disparatum, vel in se terminatum.

ARTICULUS II.

DE CONNEXIONE, ET INAEQUALITATE, ET EFFECTIBUS PECCATORUM.

Q. Utrum omnia peccata sint inter se connexa?

R. Negative: quia privatio honestatis unius virtutis non est connexa cum privatione honestatis alterius virtutis; nam qui violat justitiam, non violat misericordiam.

Nota. Sunt connexa tantum illa, quae ab uno sequuntur uti filiae, v. gr. Ab ira proveniunt imprecationes, contumeliae, rixae etc.

Q. An omnia peccata sint inter se aequalia?

R. Negative: nam peccatum est majus, vel minus pro majori, vel minori rectitudine, qua privat; unde Christus dixit Pilato:

Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet (Joan. c. 19). Ideo de fide est contra Stoicos.

Q. Quotuplex est peccatorum inaequalitas?

R. Duplex, nempe inaequalitas essentialis, et inaequalitas accidentalis. *Essentialis* est illa, quam peccatum habet ex sua specie.— *Accidentalis* est illa, quae peccato in suo esse constituto advenit.

Q. Unde repetitur inaequalitas essentialis?

R. Petitur ex objecto, ad quod actus peccati ex se tendit: quia ab eodem principio desumitur peccati inaequalitas, a quo sumitur essentialis differentia, et species peccati.

Q. Undenam repetenda est gravitas objecti peccaminosi?

R. Ex D. Thoma peccata eo graviora sunt ex suo genere, quo majori bono privant, seu quo excellentiori virtuti opponuntur.

Diximus *ex suo genere;* quia per accidens fieri potest, ut peccatum, quod privat ex se bono specie majori, vel ex levitate materiae, vel ex imperfectione actus etc. sit levius peccato inferioris speciei, v. gr. Sodomia perjurio est gravior; quia magis disconvenit.

Q. Unde repetitur inaequalitas accidentalis?

R. Ex circumstantiis malitiam actus intra eandem speciem aggravantibus, vel minuentibus. Quia circumstantiae intra eandem speciem conferunt ad gravitatem, vel levitatem actus.

Nota. Peccata spiritualia per se, et caeteris paribus graviora sunt, quam peccata carnalia, quamvis haec majoris sint infamiae. Quia peccata spiritualia majorem per se habent aversionem a Deo, quam peccata carnalia.

Q. Quibus circumstantiis gravitas accidentalis peccati augetur juxta eandem speciem?

R. 1° Augetur ex circumstantia ipsius actus peccaminosi.

2° Augetur ex circumstantia personae, quae peccat.

3° Augetur ex circumstantia personae, in quam peccatur.

4° Augetur ex circumstantia nocumenti, quod affert, vel afferre potest.

Q. Quodnam ex duobus peccatis inaequalibus extreme oppositis eidem virtuti sit gravius?

R. Illud peccatum, quod opponitur virtuti per defectum. Sic majus peccatum est, caeteris paribus, desperatio, quam praesumptio, superbia, quam sui nimia abjectio.

Q. Quinam sint peccatorum effectus?

R. Sunt duo, scilicet reatus culpae, et reatus poenae. Reatus

culpae nihil aliud est, quam peccatum habituale idest macula, qua anima peccans inficitur. — Reatus poenae est obligatio ad poenam. Utrumque existere fides docet: *Qui dixerit fratri suo fatuae, reus erit gehennae ignis* (Matth. c. 5). *Maculata es in iniquitate tua coram me* (Jerem. c. 2).

Q. In quo consistit haec macula?

R. Consistit in privatione rectitudinis, seu conformitatis ad legem habitualiter perseverante, quamdiu peccatum non retractatur, nec remittitur. Nam D. Thomas (1, 2ae q. 86, ar. 1 ad 2) dicit: *Maculam importare defectum nitoris propter recessum a lumine rationis, vel divinae legis; et ideo quando homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo macula peccati.*

ARTICULUS III.

DE PECCATI DIVISIONE.

Q. Quotuplex est peccatum?

R. Principaliter duplex est, nempe peccatum originale, et peccatum personale.

Peccatum originale est *illud, quod Adami voluntate commissum per viam generationis in ejus descendentes traducitur.*

Personale est *illud, quod propria peccantis voluntate committitur.*

Q. Quomodo dividitur peccatum personale?

R. Dividitur in peccatum actuale, et in habituale.

Q. Quotuplex est peccatum actuale?

R. 1° Dividitur ratione praecepti, in peccatum commissionis, et in peccatum omissionis.

Peccatum commissionis est *illud, quo praeceptum negativum transgreditur.* — Peccatum omissionis est *illud, quo praeceptum affirmativum transgreditur*, ut omissio Sacri die festo.

2° Dividitur ratione causae, in peccatum ignorantiae, *quod ab ignorantia culpabili antecedente, et voluntarium minuente tanquam a causa per accidens procedit.* — In peccatum infirmitatis, *quod procedit a passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente.* — In peccatum malitiae, *quod ex plena voluntate, et libertate absque ignorantia, vel passione sensitiva antecedenter incitante committitur.*

3° Dividitur ratione modi, in peccatum cordis, *quod ex natura sua in corde consummatur*, ut odium. — In peccatum oris, *quod ore*

perpetratur, ut perjurium. — In peccatum operis, *quod opere externo conficitur*, ut adulterium.

4° Dividitur ratione objecti, in peccatum contra Deum, *quod specialiter opponitur reverentiae Deo debitae.* — In peccatum contra proximum, *quod proximo nocumentum affert.* — In peccatum contra seipsum, *quo violàtur ordo rationis, quem homo servare debet erga seipsum, pro recta sui ipsius gubernatione*, ut ebriētas etc.

5° Dividitur ratione effectus, in mortale, *quòd mortem animae infert.* — In veniale, *quod leviter Deum offendit, nec mortem animae infert.*

6° Dividitur in capitale, *quod non solum est peccatum per se, sed et aliorum peccatorum radix, et causa impulsiva.*— In non càpitale, *quod ita est peccatum, ut non sit radix aliorum peccatorum.*

7° Dividitur ratione entitatis in peccatum materiale, et in formale. Materiale est *ipse actus malus secundum se, et entitative spectatus.* — Peccàtum formale est *ipsa malitia, et deformitas istius legis transgressionis.*

Q. Quid est peccatum habituale?

R. Est *macula ex peccato actuali in anima remanens.*

CAPUT III.

De peccatis in particulari.

—

ARTICULUS I.

DE PECCATO COMMISSIONIS, ET OMISSIONIS.

Q. Peccatum commissionis, et omissionis differuntne specifice, etiam cum eidem adversentur praecepto?

R. D. Thomas cum aliis docet, non differre specifice cum eidem praecepto adversentur, et ex eodem motivo; nam peccata habent suam speciem a fine. — Sed nunc fere omnes docent, specifice differre; quia diverso modo opponuntur praecepto. Ita Scavini.

Q. Suntne peccata illi actus, qui adjunguntur omissioni culpabili?

R. Dupliciter actus omissioni adjungi possunt, nempe, vel eam causando, vel tantummodo eam concomitando.

Si actus concomitanter tantum se habet ad omissionem, quamvis sit cum praecepto incompossibilis, nisi aliunde sit malus, non est peccatum, v. gr. Qui firmiter statuit omittere Sacrum, et postea tempore Sacri studeat. Studium illud non est peccatum.

Quando actus est causa, vel occasio omissionis culpabilis, tunc si actus ille in se sit bonus solam malitiam contrahit omissionis. — Si vero ille actus jam est ex objecto malus, tunc duplex est peccatum in omissione, v. g. Qui ad furandum Missam omittit.

Q. Utrum qui scienter, vel ex ignorantia culpabili se exponit mortali periculo peccati, eo ipso malitiam omissionis contrahat?

R. Affirmative. Quia vult saltem indirecte, et interpretative ipsam omissionem, v. gr. Qui die festo mane se somno tradit, praevidens se somno impeditum iri ab auditione ultimae Missae, tunc peccat contra Religionem, etiam si per accidens excitetur, et postea Missam audiat. — Quod si excitatus postea non audiat cum possit, denuo peccat peccato omissionis.

Q. Quandonam peccatum omissionis incipit imputari?

R. Incipit imputari illo temporis puncto, quo advertenter ponitur illius causa, etsi omissio non sequatur, ut recte Theologi docent cum Angelico: quia, qui ponit causam omissionis, jam interpretative vult omissionem ipsam.

Q. An omissio, quae in causa culpabilis est, sit etiam culpabilis in se, eo tempore, quo omittitur praeceptum, etiamsi contingat hominem prae somno, aut ebrietate non esse compotem rationis?

R. Controvertitur inter Theologos. Prima sententia negat, nempe docet committi unum tantum peccatum, quando ponitur causa: quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest; nam ad impossibile nemo tenetur. Ita Layman, Gury, Vasquez etc. — Secunda sententia communior affirmat, idest docet, duo peccata committi, unum inchoative in causa quoad affectum; alterum consummative, et quoad effectum tempore ipsius omissionis: quia ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit ut indirecte, et in sua causa liberum sit, et voluntarium.

Nos dicimus, si causa sit per se mala, tunc duo committuntur peccata, nempe unum in causa ratione malitiae ipsius causae, alterum tempore omissionis ratione ipsius omissionis. Sic, v. gr. Qui se inebriat praevidens tempore ebrietatis se omissurum Sacrum, tenebitur aperire in Confessione ebrietatem, et omissionem Sacri. — Si vero non sit in se mala, tunc unum tantum committitur peccatum

tempore omissionis; quamvis incipiat imputari, quando advertenter ponitur causa. Quia affectus ad peccatum, et actus externus ipsius peccati moraliter uniuntur, et fit unum peccatum, licet quando consummatur, evadat accidentaliter intensius.

Nota. Omnes omissiones sequentes ex infirmitate, et impossibilitate voluntarie contractis sunt imputabiles ei, qui has praevidit, vel praevidere debuit et potuit, quia tunc sunt interpretativae, et in causa volitae.

Q. Peccat, si non praeviderit ex eo secuturum illum effectum?

R. Non peccat, quia tunc nullo modo censetur volitum peccatum.

Q. Quid dicendum si quis de sua mala voluntate doleat, sed Non amplius habeat potestatem ejus effectum impediendi? v. g. Si quis projiciat Breviarium in mare, et postea se vere poeniteat; sed amplius Breviarium habere non possit, quo Officium recitet?

R. Cum D. Thoma Theologi dicunt, talem peccasse, ac statim tot peccata commisisse, quot praevidit omissiones ex tali Breviarii projectione; illas igitur debet confiteri; nam illis praestitit consensum. Sed si postea de hoc vere doleat, non tenetur confiteri omissiones illas revera secutas esse: nam illae non amplius sunt peccata in se spectatae, cum retractatae fuerint.

Q. An ex omissione divini Officii propter illam Breviarii projectionem, sed retractatam, debeat omittere fructus Beneficii?

R. Negative; nam per retractationem subsequens omissio Horarum non est amplius illi culpabilis.

Q. Si peccato omissionis annexa sit censura, incurraturne, si quis se doleat de omissione antequam effectus sequatur?

R. Negative: quia censura requirit contumaciam eodem temporis momento, quo peccatum consummatur. S. Ligorius etc.

Q. Quomodo quis censetur debuisse praevidere omissiones, et commissiones peccaminosas, ut ipsi imputentur ad culpam?

R. 1° Quando per se, aut plurimum sequuntur ex tali causa. 2° Quando quis videt in aliis aequalis complexionis similia contingere. 3° Quando praecepta proxime instant. Ita Billuart.

Q. Quando censetur potuisse praevidere?

R. Quando animadvertit saltem in confuso ad obligationem praevidendi.

ARTICULUS II.

DE PECCATIS IGNORANTIAE, INFIRMITATIS, ET MALITIAE.

Q. Utrum dentur peccata ignorantiae?

R. Dantur, ut fides docet contra Pelagium, juxta illud Ps. 24: *Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris.*

Q. In quo differunt inter se ignorantia, et inadvertentia?

R. In hoc, nempe ignorantia est privatio scientiae, seu cognitionis habitualis. — Inadvertentia vero privatio cognitionis actualis. Unde quoties detur ignorantia datur inadvertentia, et non e contra.

Q. Quotuplex est cognitio intellectus?

R. Triplex: 1° Plene deliberata, quando quis compos sui firmo judicio discernit ea, quae cognoscit; et haec cognitio appellatur advertentia plene deliberata.

2° Semideliberata, quando praedictae conditiones non plene et totaliter dantur; vocatur advertentia semideliberata.

3° Cognitio omnino indeliberata, quando intellectus ita rapitur ab objecto sibi oblato, ut in illo solum percipiat rationem delectabilis.

Q. Ad peccandum formaliter sufficitne advertentia interpretativa?

R. Negative (sumpta haec advertentia pro potentia physica, et remota advertendi malitiam actionis): quia homo non peccat in eo, quod vitare non potest: hujusmodi est sine advertentia malitiae actionis.

Q. Ad peccandum formaliter est semper necessaria actualis explicita cognitio, seu advertentia actionis?

R. Magna est controversia inter Theologos, alii cum D. August. et S. Antonino affirmant. — Sed secunda sententia, quae negat, hodie est communior. Haec docet sufficere advertentiam etiam implicitam ad malitiam actionis, vel sufficere suspicionem, vel actuale dubium, vel scrupulum de illa malitia. Ratio est, quia si ad peccandum formaliter semper necessaria esset actualis cognitio, seu advertentia malitiae, nulla darentur peccata ignorantiae.

Q. Utrum dentur peccata infirmitatis?

R. Affirmative. Quia peccare possumus ex passione antecedente voluntatem ad consensum trahente (ad Rom. c. 3): *Cum essemus in carne passiones peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.*

Q. An dentur peccata malitiae?

R. Affirmative. Nam dantur peccata, quae quis nulla passione allectus scienter, et libere committit. De illis Job c. 34 dicit: *Quasi de industria recesserunt ab eo.* Tale est peccatum ex habitu, quem peccans emendare non curat, ut docet D. Thomas (1, 2, q. 88).

Q. Quaenam peccata reducuntur ad peccata malitiae?

R. Praecipue peccata in Coelum clamantia, et peccata, quae dicuntur contra Spiritum Sanctum. Prima sunt quatuor, nempe homicidium voluntarium; peccatum sodomiae; oppressio pauperum; defraudatio mercedis operariorum. Dicuntur clamantia, quia vindictam divinam vehementius, quam caetera peccata provocant. — Secunda sunt quinque, idest, praesumptio; desperatio; impugnatio agnitae veritatis; obstinatio; et impoenitentia finalis. Dicuntur in Spiritum Sanctum; quia per ea id abjicitur, quo Spiritus Sanctus solet hominem a peccato removere.

ARTICULUS III.

DE PECCATIS ORIS, ET CORDIS.

Q. Quaenam sunt praecipua peccata oris, et cordis?

R. Mendacium, et delectatio morosa.

§ 1. *De mendacio.*

Q. Quid est mendacium?

R. Est *locutio, aut quaelibet significatio contra mentem cum intentione fallendi.*

Q. Quotuplex est mendacium?

R. Triplex: Officiosum, jocosum, et perniciosum.

Officiosum est *locutio contra mentem utilitatis alienae causa, sive propriae.*

Mendacium jocosum est *locutio contra mentem voluptatis propriae, vel alienae causa.*

Mendacium perniciosum est *locutio contra mentem nocumentum proximo, vel Religioni inferens.*

Q. Utrum omne mendacium sit peccatum?

R. Omne mendacium est intrinsece malum, et peccatum; quia Joan. Epist. 1, c. 2: *Omne mendacium ex veritate non est.* Sed quod non est ex veritate est intrinsece malum, et peccatum.

Q. An mendacium sit peccatum mortale?

R. Mendacium perniciosum est mortale ex genere suo: quia quidquid opponitur Religioni, aut charitati, et justitiae, est mortale ex genere suo; tale est mendacium perniciosum.

Mendacium jocosum, aut officiosum sunt tantum venialia: quia licet veritati repugnent, nonnisi leviter adversantur charitati.

Diximus *ex genere suo*, quia fieri aliquando potest veniale ratione parvitatis materiae, aut indeliberationis.

Q. Quid est aequivocatio, seu amphibologia?

R. Est *sermo ambiguus habens duplicem sensum, quem proferens praevidet ab audiente accipiendum in alio sensu, quam ipse intelligit.* — Triplici modo fieri potest, nempe: 1° Quando verbum habet duplicem sensum, v. gr. *volo*, quod significat velle, et volare. 2° Quando sermo habet duplicem sensum principalem, v. gr. Hic liber est Petri, idest potest pertinere ad Petrum, vel Petrum esse auctorem libri. 3° Quando verba duplicem habent sensum, quorum unus magis, alter minus est communis, vel unus est literalis, alter spiritualis, v. gr. Viri spirituales dicunt, cibos delicatos sibi nocere, idest mortificationi.

Q. Quid est restrictio mentalis?

R. Est *externae locutionis interna limitatio subaudita.*

Q. Quotuplex est amphibologia, et restrictio mentalis?

R. Duplex: pure mentalis, et late mentalis. Pure mentalis est *ea, cujus sensus a loquente intentus neque ex modo loquendi, neque ex aliis signis, aut circumstantiis, vel usu potest deprehendi ab audiente;* ut si quis interroganti utrum Missam celebraverit, respondeat: *Celebravi*, subintelligendo heri.

Restrictio, vel amphibologia late mentalis est *ea, cujus sensus a loquente intellectus, potest vel ex modo loquendi, vel ex alio signo, vel circumstantiis, aut usu ab audiente deprehendi, licet de facto non apprehendat,* ut apparet ex sequentibus exemplis.

Q. Quid, et quotuplex est simulatio?

R. Simulatio duplex est, nempe formalis et materialis. — Formalis est *ea, qua quis intendit aliud significare, quam in animo habet.* Est semper illicita, quia est verum mendacium. — Materialis est ea, *qua quis aliquid agit non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem.* Est licita cum justa causa; sic Christus finxit se longius ire, non intendens, ut discipuli hoc crederent, sed volens significare, se revera iturum longius, nisi ab eis invitaretur.

Q. An aequivocatio, et restrictio mentalis sint vera mendacia?

R. Distinguendum: si aequivocatio, vel restrictio mentalis sit pure mentalis, et insensibilis est verum mendacium; quia dicit August. (lib. de mend c. 3): *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis*. Sed qui utitur aequivocationibus, et restrictionibus pure mentalibus aliud habet in animo, et aliud in verbis. Ergo etc. — Si sit late mentalis non est mendacium, sed prudens veritatis occultatio; quia nec contra mentem loquitur, nec proximum decipit.

Licet uti hac aequivocatione, et restrictione mentali late mentali ex gravi, et justa causa; quia leges societatis humanae postulant, ut quisque veritatem simpliciter juste interroganti aperiat.

Corollarium. Non mentitur confessarius, qui interrogatus de crimine, quod in confessione audivit, respondet: *Nihil hac de re audivi*, subintelligitur enim: *quod possim revelare*: pariter qui volens occultare infamiam alicujus, dicit: *Nescio*, idest non scio tanquam *manifestabile*: item qui unum habens panem sibi necessarium, petenti respondet: *Nullum habeo*, subintelligendo *ad mutuandum*: item reus, aut testis a judice non legitime interrogatus respondet: *Nescio crimen*, idest *ad deponendum*: item famulus interrogatus, an dominus adsit, respondet: *Abest*, subintelligendo *ut videatur*: item qui indigens bonis absconditis ad sustentationem, respondet judici: *Nihil habeo*: item qui non tenetur ad gabellam, respondet: *Nihil defero; idest quod declarare debeat*; et sic dicendum de aliis similibus.

Nota. Non licet uti restrictionibus late mentalibus: 1° Quoties interrogans habet jus inquirendi, et cognoscendi veritatem, nec abutitur sua potestate, ut sunt superior, judex etc. 2° Cum bonum reipublicae, aut Ecclesiae exigat, ut veritas palam asseratur, v. g. Si alioquin immineat periculum haeresis, machinationis contra rempublicam etc.

Q. Quaenam sunt peccata cordis?

R. Sunt peccata interna, seu pravi affectus, qui reducuntur ad gaudium, desiderium, et delectationem morosam.

§ 2. *De delectatione morosa.*

Q. Quid est delectatio morosa?

R. Est *actus voluntatis sibi complacentis in malo, vel displicentis in bono, absque intentione mali exequendi*. Respicit tempus praesens. Dicitur *morosa* non a mora temporis, sed a mora voluntatis,

quae post turpis delectationis advertentiam eam non repellit, ut potest, et debet.

Q. Quid est gaudium pravum?

R. Est *complacentia de malo opere patrato:* unde respicit praeteritum.

Q. Quid est desiderium pravum?

R. Est *actus voluntatis sibi complacentis in malo, cum intentione illud exequendi si posset.* Respicit futurum.

Q. An liceat actionem ponere, ex qua quis praevidet malas cogitationes, aut pravos concupiscentiae motus se esse passurum?

R. Distinguendum: si adsit causa, et actio sit honesta, non peccat, qui eam ponit, secluso periculo consensus; quia utitur jure suo. Hinc non peccant confessarii, chirurgi etc. — Si nulla legitima adsit causa, etiamsi actio illa ex levitate tantum fieret, esset mortale peccatum illam ponere, si proximam contineret dispositionem ad turpes motus, et cogitationes pravas etc. Nam qui vult causam, vult etiam effectum. — Sed si aliquis nec tales pravos motus intenderet, nec in eo adesset periculum consensus, faciens actionem illam ad summum venialiter tantum peccaret. Scavini.

Q. Si poenitens dubitet, an pravis cogitationibus consenserit nec ne, quid dicendum?

R. Sequentes regulas tradunt Theologi, idest: 1° Si sit ille peccato assuetus, aut non usus ad resistendum cogitationibus pravis, debet judicare consensisse. — Si vero sit assuetus ad resistendum cum pugna, et ita sit dispositus, ut mori potius vellet, quam Deum offendere, tunc debet judicare non consensisse. Praesumptio petitur ex communiter contingentibus.

2° Qui dubitat vigilans ne, an dormiens; sui compos, an non, quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse, nec consensisse: qui enim vigilat, satis sentit, se vigilare.

3° Si quis ubi primum reflectit ad pravas cogitationes, aut motus, statim sentiat dolorem, tristitiam, aversionem etc., praesumitur in dubio non consensisse.

4° Si aetatis defectus adsit, puta si septennium nondum sit completum, tunc perfecta saltem advertentia, et plenus consensus non praesumitur, nisi malitia certo suppleat aetatem.

Q. An, et quale peccatum sit desiderium operis mali?

R. Quodlibet desiderium rei, vel actionis malae, licet inefficax, peccatum est, utpote prohibitum nono, et decimo praecepto Deca-

logi. Est peccatum ejusdem speciei atque malitiae, cujus est opus ipsum in quod desiderium fertur, juxta illa Christi verba : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo* (Matth. 5). Ratio est, quia actus internus suam sumit malitiam ab objecto, in quod fertur. Unde in confessione debet specificari quid desideratum fuit.

Q. An liceat velle, et desiderare malum sub conditione, si licitum esset ?

R. Affirmative per se, si conditio apposita totam rei malitiam tollat : quia talis affectus nullam involvit deordinationem neque in se, neque in objecto, a quo per conditionem malitia omnino excluditur. Hoc verificatur in rebus malis, quia prohibitis, v. gr. potest dici : *Hodie manducarem carnes, si non esset dies veneris :* pariter in rebus intrinsece malis, quae vi conditionis mutari possunt, v. gr. *Carnaliter cognoscerem Titiam, si esset mea legitima conjux.*— Negative, si conditio totam rei malitiam non tollat ; tota enim malitia objecti in actum voluntatis refunderetur. Hoc verificatur in rebus intrinsece malis, quae ob quamcumque conditionem mutari nequeunt, v. gr. non potest dici : *Adulterarem si mihi liceret, blasphemarem, perjurium facerem, luxuriose viverem, si etc. :* quia talia optare per se esset desiderare ut lex, et ordo naturae immutaretur. Ita S. Lig. n. 27, Homo Ap. n. 50.

Aliquando vero possunt significare solam propensionem voluntatis ad aliquid, ut possunt esse locutiones istae : *Vindictam sumerem, nisi adesset infernus; nisi habitum clericalem gererem, non permitterem impune ab aliis male tractari etc...* non sunt culpae graves. — Excipe si per tale desiderium absolute vellet, ut id, quod malum est intrinsece, fieret licitum : quia immutaretur ordo naturae. Ita S. Lig. Hom. Ap. ibid. cum aliis.

Nota. In praxi cavenda quam maxime sunt dicta desideria propensionem denotantia, quia sunt periculosa. — Attamen est semper illicita delectatio de rebus intrinsece malis; etiamsi per conditionem mutari possent: quia cum delectatio sit de praesenti, respicit objectum ut nunc est, et ut nunc est, malum est per se, vel saltem ob proximum periculum turpis consensus. — Ita etiam dicendum de delectatione circa res solo jure positivo prohibitas: quia ut plurimum otiosa sunt, vel affectu aliquo inordinato laborare possunt.

Q. An, et quale peccatum sit gaudium, seu complacentia de re mala ?

R. Gaudium, seu complacentia de malo malum est; et comprehendit totam malitiam, et omnes species, quibus objectum induitur; quia secundum se tota in illud fertur.

Q. An delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum ut desiderium, et gaudium?

R. Controvertitur: Lugo, Layman, Roncaglia, Bonacina et alii negant; quia delectatio in objecto quiescit ut repraesentato per intellectum. Porro intellectus abstrahit ab aliis objecti proprietatibus praeter illam, quae determinationem movet. — Alii affirmant. Utramque sententiam probabilem dicit S. Lig. lib. 5, n. 15.

Nos dicimus cum Sanchez (in Dec. lib. 1, c. 2, n. 11), et Ballerini, si istae circumstantiae sint delectationis objectum, specificam malitiam etiam ex circumstantiis desumit; quia delectatio morosa quiescit etiam in circumstantiis. — Si vero non sint objectum delectationis, delectatio non habebit integram operis externi malitiam, sed solum apprehensam, et ea sola fatenda erit, v. gr. Si quis delectatur de foemina apprehensa quidem ut non sua, non tamen ut est Monialis, vel soror etc., reducitur ad simplicis fornicationis speciem. Adde, quod saepissime circumstantiae non alliciunt, appetitum potius retundant.

Q. Quotuplex est consensus in delectationem?

R. Triplex, nempe positivus, negativus, et virtualis. — Positivus, qui etiam expressus, et formalis nuncupatur, est *ille, quo voluntas per actum expressum approbat delectationem pravam ab intellectu propositam.*

Negativus, qui et interpretativus dicitur, est *ille, quo voluntas non quidem delectationem positive approbat, sed eam advertens non repellit, sed mere negative se habet.*

Virtualis est *ille, quo voluntas delectationem approbat non quidem in se, sed virtute causae voluntarie positae, ex qua sequitur delectatio.*

Q. Utrum consensus in delectationem morosam sit peccatum?

R. Consensus formalis, aut virtualis in delectationem de aliqua re mortaliter mala est peccatum mortale, et certum est apud omnes.

Consensus negativus sufficit ad peccatum mortale, primo, quando imminet periculum consensus positivi, et formalis in delectationem; quia se exponit probabili periculo peccati mortalis: secundo, quando etiam abest tale periculum; quia delectatio potest, et debet repelli, nisi justa causa excuset. Secus esset interpretative voluntaria, et peccaminosa.

Iusta causa excusat: quia resistere concupiscentiis est praeceptum affirmativum. Ergo non obligat semper et pro semper. — Iusta causa esset probabilis timor, ne majori resistentia concupiscentia augeatur, vel dimissio actionis honestae necessariae, vel utilis.

Q. Utrum sit peccatum delectatio de simplici cognitione, seu cogitatione rei malae?

R. Per se non est peccatum: quia objectum immediatum delectationis de sola rei malae cognitione non est malum, ut patet. Imo delectatio potest esse bona, si adsit justa causa cogitandi, v. gr. causa studii, consultationis etc., cum abominatione tamen objecti.— Sed per accidens fieri potest peccatum mortale, quando periculum proximum est consensus in objectum illicitum; est venialiter mala, si fiat ex curiositate. Ita S. Thom. 1, 2, qu. 74, ar. 8.

Q. An licita sit delectatio de modo malae operationis?

R. Respondendum sicut diximus de cognitione, seu cogitatione.

Q. Unde dignosci possit, quod delectatio habeat pro objecto solam cognitionem, vel artificium rei malae, non autem rem ipsam cognitam?

R. Ex duobus; nempe 1° ex motivo, si motivum sit curiositas, vana lectio etc. 2° Ex affectu erga objectum.

Q. An licitum sit gaudere de opere malo ob bonum effectum inde secutum?

R. Distinguendum: vel opus est malum formaliter, vel non. Si primum, non licet de eo delectari neque tamquam causa effectus boni, inde secuti, quia objectum semper est malum. — Si secundum, licet nonnulli doceant licere de opere delectari; attamen sententia verior docet, non licere, quia semper respicit objectum malum. Haec tenenda; quia voluntas approbando actionem objective malam, eam reddit formaliter malam: sed affectus deliberate tendens directe, et immediate in objectum per se malum, totus imbuitur foeditate objecti. Quare non licet delectari de pollutione habita ex tactu in somnio; neque de Missa die festo ex oblivione relicta; neque de carnium comestione ex inadvertentia die jejunii.

Q. Quid dicendum de illo, qui non gaudet de ipso opere malo, sed dumtaxat de effectu bono ab illo opere secuto?

R. Per se loquendo licet delectari de effectu bono ab opere malo secuto; sic Ecclesia gaudet de Redemptione secuta a culpa Adami: *O felix culpa, quae talem meruit habere Redemptorem.* Ita Lessius, Gury, et alii. Quare cuique licet delectari de exoneratione

causata a pollutione etiam voluntaria: licet delectari de haereditatis consecutione, quae ob mortem patris venit etc.; modo causa detestetur. — Excipe si ordo charitatis violetur, ut dicendum de charitate. Ita Gury, et fere omnes.

Diximus *per se loquendo:* quia hujusmodi delectationes non carent periculo ; ac proinde in praxi salubrius est circa hanc rem cogitationem divertere.

Q. An liceat sine peccato delectari de re , quae actu est mala , utpote prohibita ; sed tractu temporis erit bona evasura , cessante nempe prohibitione ?

R. Negative : nam delectatio reddit objectum sibi praesens , et ideo mala est, cum actu desit conditio illud cohonestans.

Q. An liceat delectari de actu intrinsece malo per accidens citra culpam commisso?

R. Negative : Quia esset delectatio de objecto graviter ex se illicito. Adest etiam propos. damnata ab Innocentio XI : *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

Q. An delectatio morosa , quam percipit viduus de copula praeterita, sponsus de futura, sit peccatum mortale ?

Nota. Duplex est delectatio morosa, nempe spiritualis et venerea. Spiritualis est ea , quae in sola voluntate residet sine ulla motione sensibili in corpore. — Venerea est ea , quae sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum generationi inservientium.

R. Delectatio venerea a praedictis est per se mortalis; quia non est licita nisi in actuali usu matrimonii, vel in ordine ad illum. — Delectatio spiritualis, si sistat in copula carnali, est per se mortalis : quia actus , ex quo percipitur delectatio tam in viduo , quam in dicto sponso , est malus mortaliter; quia sunt extra matrimonium. Si sistat in bono , ut causato per copulam matrimonialem , non est peccatum mortale; modo non sit periculum pollutionis , aut consensus in aliquem actum impudicum.

Q. An delectatio spiritualis , quam alter conjugum , durante matrimonio , percipit ex copula matrimoniali cogitata ut praesenti in absentia alterius conjugis, sit per se peccatum mortale?

R. Negative: quia jus in copulam matrimonialem non tollitur per absentiam compartis; quamvis per accidens non possit exerceri. Ideo nihil impedit, quominus non possit velle.

Diximus *negative* per se ; quia per accidens potest esse mortalis, quando nempe sit causa proxima pollutionis. — Secluso tali periculo, nec erit peccatum veniale. Ita S. Ligorius.

Q. An liceat delectari de omissione inculpabili alicujus praecepti ex oblivione relicti?

R. Negative, si gaudium referatur ad omissionem prout est objective mala. Affirmative, si tantum ad voluptatem, vel commodum secundum se honestum referat, v. gr. Mercator delectatur de ingenti summa, quam in negotio acquisivit tempore, in quo debebat audire Missam, quam culpabiliter omisit ; hanc summam secus non adeptus fuisset. Ita Suarez, Lugo, et alii.

Nota. Quando poenitens se accusat de aliqua prava cogitatione, interrogandus est, an cognoverit esse peccatum ; si respondeat eam detestatam fuisse, statim ac cognovit turpem esse, judicandus est omnino a peccato immunis. — Si respondeat, se habuisse aliquam confusam cognitionem malitiae, eique adhaesisse; sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem ; tunc a gravi peccato excusandus est ; sed non a veniali. Quod si nesciat respondere his interrogationibus, ordinarie praesumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse plenum consensum. Ita Soettler, et alii.

Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter praecepta, quatenus est molesta tantum, seu in *sensu diviso* legis, v. gr. de molestia jejunii. Ita S. Ligorius.

CAPUT IV.

De peccato mortali et veniali.

Q. Utrum dentur peccata mortalia?

R. De fide est, dari peccatum mortale. Quia datur peccatum, quod mortem animae affert. Ad Rom. c. 1 : *Qui talia agunt, digni sunt morte*. Sed hujusmodi est peccatum mortale. Ergo etc. — Insuper definivit Trid. (sess. 6, can. 27) : *Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis : anathema sit*.

Q. Utrum malitia peccati mortalis, prout est offensa Dei, sit infinita?

R. Est infinita secundum quid, objective, et extrinsece ; quia

offendit Deum, qui est dignitatis infinitae. — Sed est intrinsece, et simpliciter finita, quia habet terminum ultra quem potest extendi; nulla enim est offensa, quae non possit esse major inter eandem speciem.

Q. Quae, et quot requiruntur ad peccatum mortale?

R. Tria; nempe plena advertentia, perfectus consensus, et materia gravis in illis peccatis, quae admittunt parvitatem materiae.

Q. Ad peccatum mortale requiriturne semper advertentia expressa, et actualis?

R. Sufficit advertentia indirecta, consistens in eo, quod quis possit, et debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertit: sufficit pariter suspicio, aut dubitatio actualis de malitia, aut illius periculo, ut diximus supra: quia, cum scire, et debere scire in moralibus sint paria, defectus voluntarius plenae advertentiae actualis aequivalet plenae advertentiae actuali.

Q. Quot sint poenae peccati mortalis?

R. Duae; nempe poena damni, quae consistit in privatione visionis Dei, et poena sensus, quae consistit in cruciatu ignis infernalis. Utraque est aeterna, Isaiae c. 66: *Vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur.*

Q. Utrum quis possit puniri pro peccato alterius?

R. Non potest puniri poena vindicativa, et proprie dicta, nisi etiam ipse reus sit culpae, cui poena illa juste possit infligi. Ezechiel c. 18: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Potest tamen puniri poena medicinali, quae tunc est medium ad acquirenda vel ad augenda merita.

Q. Utrum unum peccatum possit esse, et quandoque sit poena praecedentis peccati?

R. Affirmative, dicente Apostolo: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam etc.* (Ad Rom. c. 1).

Q. Quomodo unum peccatum possit esse poena alterius?

R. Unum peccatum non est poena alterius hoc sensu, quod Deus propter praecedens peccatum in aliud impellat, vel incitet. Sed hoc sensu nempe, quod Deus peccatorem, a quo desertus est, deserat per subtractionem specialium gratiae auxiliorum, quibus antea adjuvabat hominem; et sic permittit, hominem in alia, et graviora peccata incidere.

Q. Daturne peccatum veniale?

R. Affirmative. Nam peccatum veniale ex natura sua est illud,

quod ex se nec mortem animae infert, nec poenam aeternam meretur. Atqui dantur peccata multa hujusmodi, Proverb. c. 24 dicitur: *Septies cadet justus, et resurget.* Jacob. c. 3: *In multis offendimus omnes.* Propos. contraria damnata est a Pio V in damnatione hujus prop. 20 Baii: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Q. Unde repetenda sit prima, et praecipua differentia peccati venialis a mortali?

R. Ex eo repeti debet, quod homo per peccatum mortale ita se avertat a Deo, ut saltem virtualiter, et interpretative finem suum ultimum constituat in creatura, quam Deo praefert; unde Apost. ait de gulosis: *Quorum Deus venter est.* E contra per peccatum veniale homo ne quidem virtualiter, et interpretative finem suum ultimum ponit in creatura. Ita communiter cum S. Thom. 1, 2, qu. 72, art. 5.

Q. Peccatum mortale distinguiturne essentialiter a peccato veniali?

R. In genere moris, nempe secundum malitiam distinguitur essentialiter; quia peccatum mortale est contemptus Dei sufficiens ad dissolvendam amicitiam ejus, et impedit omnino consecutionem finis. Veniale vero non sic.

Non vero distinguitur in genere entis, idest physice; quia major, vel minor quantitas non mutat speciem physicam.

Q. Quaenam requiruntur ad peccatum veniale?

R. Ad peccatum veniale requiruntur, et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam; et aliquis voluntatis consensus, quantumvis imperfectus. Istis sublatis, non datur peccatum.

Q. Quot assignantur poenae peccato veniali?

R. Quatuor: 1ª Consistit in hujus vitae adversis, morbis etc. ac etiam morte temporali. 2ª Est gratiae uberioris subtractio. 3ª Est diminutio fervoris, charitatis, et familiaritatis cum Deo. 4ª Est gravissimi ignis purgatorii perpessio temporanea, saltem in his, qui in Domino moriuntur.

Q. Quomodo, vel quibus regulis cognoscitur peccatum esse mortale?

R. Tres assignantur regulae: 1ª Recurri debet ad Sacras Scripturas: *Quae sunt levia, quae gravia peccata non humano, sed divino sunt pensanda judicio*, ait D. Augustinus (Ench. c. 77). Hinc existi-

manda sunt peccata mortalia, quae dicuntur in ipsis Scripturis *digna morte*, *excludere a Regno Coelorum*, vel enunciantur cum *Vae*, *abominabile etc.*

2ª Recurri debet (nisi enuntient Sacrae Scripturae) ad Sanctos Patres, et ad SS. Pontificum definitiones, atque ad Conciliorum Generalium Decreta : si ab istis aperte declaretur mortale, vel gravis statuatur poena pro transgressoribus, mortale aestimandum est.

3ª Consuli debent Theologi doctrina, et pietate insignes. Quae ab iis unanimiter habentur ut mortalia, etiam a nobis sic erunt aestimanda. Ita omnes Theologi.

Nota. Non est adstruendum mortale, nisi de eo certo, et clare constet; ideo non sufficit dubium, ut ait S. Ligorius. Ita etiam S. Antoninus et omnes alii.

Q. Quomodo dividitur, seu quotuplex est peccatum mortale?

R. Praecipue duplex est, nempe mortale ex genere suo, et mortale per accidens.

Mortale ex genere suo est *illud, cujus malitia ex objecto sumpta, est per se gravis*, v. gr. Furtum in genere, item peccata contra virtutes theologicas.

Mortale per accidens est *illud, cujus malitia, licet ex objecto levis : tamen fit gravis ratione alicujus circumstantiae sibi per accidens conjunctae*, v. gr. Mendacium jocosum fieri potest mortale ob grave scandalum ex ipso ortum.

Peccatum mortale ex genere suo subviditur in mortale ex toto genere suo, et in mortale ex genere suo non toto.

Morlale ex toto genere suo est *illud, quod non admittit parvitatem materiae*, v. gr. blasphemia, fornicatio, etc.

Mortale ex genere suo non toto est *illud, cujus malitia gravis non est, nisi in certa quadam quantitate*, v. gr. furtum.

Q. An gravitas materiae ad constituendum peccatum mortale absolute tantum debeat considerari?

R. Non solum absolute debet considerari, sed praecipue relative ad finem a legislatore intentum; qui finis si gravis sit, et materia peccati ad illud malum conducat, peccatum procul dubio erit mortale. Secus veniale. Sic comestio pomi in paradiso in se quidem levis, gravissima tamen fuit, ob finem gravem a legislatore intentum.

Q. Quotuplex est peccatum veniale?

R. Duplex, nempe veniale per se, et veniale per accidens.

Veniale per se, seu ex genere suo est *illud, cujus malitia ex objecto sumpta, est per se levis*, v. gr. mendacium jocosum.

Veniale per accidens est *illud, cujus malitia, licet ex objecto gravis esse potest; de facto tamen est levis, vel propter levitatem materiae, vel propter defectum plenae advertentiae, et pleni consensus.*

ARTICULUS I.

DE HABITUDINE PECCATI VENIALIS AD MORTALE.

Q. An peccatum veniale disponat ad mortale?

R. Peccatum per accidens veniale disponit directe ad mortale ejusdem speciei: quia inclinat, et movet ad mortale ejusdem speciei, v. gr. Qui saepe furatur parva, inclinatur ad furandum majora.

Peccatum veniale ex genere suo, si negligatur, et continuetur, disponit indirecte ad mortale: quia removet id, quod mortalê peccatum impediret: *Qui spernit pauca, paulatim decidet* (Eccles. cap. 19).

Q. An peccata venialia multiplicata possint efficere peccatum mortale?

R. Per se loquendo, et ratione multiplicationis nunquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. — Quandoque tamen ratione materiae coalescentis deveniunt ad mortale, v. gr. Parva furta constituunt tandem furtum mortale: non quia sunt parva furta; sed quia ille ultimus actus complet materiam gravem.

Q. Quot modis peccatum ex genere suo veniale fieri potest mortale?

R. Sex modis, nempe: 1° Ratione pravae dispositionis agentis; quia ita est affectus, ut id, quod facit, adhuc faceret, etiamsi sciret illud esse peccatum mortale. 2° Ratione finis mortaliter mali. 3° Ratione gravis scandali. 4° Ratione proximi periculi mortaliter peccandi. 5° Ratione connexionis, et moralis materiae unionis. 6° Ratione contemptus formalis praecepti, vel Superioris, ut talis. Ita omnes.

Q. Quomodo materiae leves inter se moraliter uniantur ad constituendum unum peccatum mortale?

R. Uniuntur : 1° *Per intentionis affectum;* sic qui apud se proponit singulis diebus per duos menses furari unum assem; toties quoties unum assem furatur peccat mortaliter, quia ex intentione summae totalis furatur. 2° *Per ordinem, quem materiae leves habent ad unam numero obligationem;* sic peccat mortaliter, qui saepius in die jejunii pauca comedit, ex quibus conjunctim sumptis oritur notabilis quantitas. 3° *Per summam integram, quam constituunt;* sic qui etiam absque intentione plura furandi, quotidie unum assem furatur, peccat mortaliter, si pervenerit ad gravem quantitatem.

Q. An graviter peccaret, qui sola mortalia vitare vellet, et de omittendis venialibus minime curaret?

R. Negative probabilius per se, et speculative loquendo: quia animus ita comparatus non inducit in proximum periculum graviter peccandi. Ast in praxi difficilis res est in mortale non cadere.

Q. An peccet graviter, qui deliberat de praestando consensu rei graviter illicitae, si tamen non consentiat?

R. Si deliberatio imperfecta sit, nempe si sit quaedam haesitatio, seu omissio resistentiae ex torpore, pigritia, aut negligentia, peccatum est veniale. — Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale. Lacroix n. 229, Sanchez, Gury, et alii.

Est peccatum grave se se exponere sine causa periculo labendi probabiliter in mortale, quando agitur de occasione proxima peccati, ut res per se patet; secus vero in aliis casibus. Ita Sanchez, et alii.

Nota. Confessarius curam adhibeat, ut poenitentem removeat a frequentia peccatorum venialium, eorum praesertim, quae plena cum advertentia committuntur; secus non satisfacit muneri suo; qui enim nihil prorsus satagit vitare venialia, faciliter labitur in mortalia

ARTICULUS II.

DE HABITUDINE PECCATI MORTALIS AD VENIALE.

Q. Quomodo peccatum ex genere suo mortale fit veniale?

R. Quadruplici modo; scilicet: 1° Ratione parvitatis materiae. 2° Imperfectae advertentiae. 3° Imperfecti consensus. 4° Conscientiae erroneae. Ita D. Thomas (1, 2, qu. 88, art. 1).

Nota. Peccatum mortale ex toto genere suo non potest fieri veniale ex parvitate materiae, quia parvitatem materiae non admittit.

CAPUT V.

De peccatis capitalibus

Q. Quot sunt peccata capitalia?

R. Sunt septem: Superbia, avaritia, invidia, ira, acedia, gula, et luxuria.

Dicuntur *capitalia*, non quia sint ceterorum peccatorum gravissima, vel semper mortalia; sed quia sunt specialia peccata, et insuper aliorum existimantur quasi causa, fons, caput et principium.

ARTICULUS I.

DE SUPERBIA.

Q. Quid est superbia?

R. Est *inordinatus appetitus propriae excellentiae.*

Q. Quotuplex est superbia?

R. Duplex, perfecta et imperfecta. — Perfecta est *ea, qua quis bona, quae a solo Deo habet gratuito, aestimat a semetipso habere, vel pro suis meritis accepisse, et ita appetit excellere, ut Deo, ac superioribus nequit subjici.* — Imperfecta est *ea, qua quis agnoscens se omnia Deo debere, caeteris plus aequo se effert.*

Q. Quale sit peccatum superbiae?

R. Superbia perfecta est peccatum mortale ex genere suo. — Superbia imperfecta est solum veniale ex genere suo, quia charitati non graviter repugnat.

Q. An superbia sit omnium peccatorum gravissimum?

R. Est gravissimum, si spectetur ratione aversionis a Deo: quia *Initium omnis peccati superbia* (Eccl. c. 10).

Q. Quae, et quot sunt filiae superbiae?

R. Tres, nempe praesumptio, ambitio, et vana gloria.

Q. Quid est, et quale peccatum est praesumptio?

R. 1° Praesumptio est *inordinatus appetitus aliquod aggrediendi, quod vires proprias superat.*

R. 2° Est veniale ex genere suo. — Sed per accidens est mortalis: 1° Quando adest periculum Deo injuriam inferendi. 2° Sibi vel proximo damnificandi. 3° Periculum quocumque alio modo peccandi.

Q. Quid est ambitio, et quale peccatum?

R. 1° Est *inordinatus appetitus honoris, et dignitatis non debitae, vel debito majoris.*

R. 2° Est ex genere suo veniale. — Sed fit mortale : 1° Ratione affectus mortaliter illiciti. 2° Ratione medii graviter mali. 3° Ratione finis. 4° Ratione damni proximo inferendi.

Nota. Erit actus magnanimitatis, si quis appetat moderate honorem ad honestum finem.

Q. Quid est vana gloria, et quale peccatum ?

R. 1° Est *inordinatus appetitus laudis humanae.*

R. 2° Est veniale ex genere suo. — Sed fit mortale : 1° Si quis gloriam quaerat ex re mortali, v. gr. duello etc. 2° Si in gloria humana ponatur finis ultimus.

Nota. Filiae vanae gloriae sunt septem, nempe inobedientia ; jactantia ; hypocrisis ; contentio ; discordia ; pertinacia ; novitatum inventio.

Superbiae remedia sunt quinque : 1° Humilitatem frequenter a Deo expostulare. 2° Proprium nihilum, et innumeras corporis, et animi miserias ante oculos indesinenter habere. 3° Poenas superbiae, et praemia humilitatis meditari. 4° Mente agitare exempla Jesu Christi, qui exinanivit semetipsum etc. 5° Actus tam internos, quam externos humilitatis frequenter exercere ; contraria enim contrariis curantur.

Q. Quid est pusillanimitas, et quale peccatum ?

R. 1° Est ea, *qua quis sibi nimium diffidens detrectat honores, gloriam, vel officium, quo dignus est.*

R. 2° Est veniale ex genere suo. — Sed fit mortale, si detrectes id, quod teneris sub mortali.

ARTICULUS II.

DE IRA.

Q. Quid est ira, et quale peccatum ?

R. 1° Est *inordinatus appetitus vindictae, aut quasi vindictae.*

R. 2° Ira ex parte objecti est mortalis ex genere suo, cum sit contra charitatem, et justitiam. — Ex parte modi est venialis. — Sed fit mortalis per accidens, nempe ratione scandali etc., ait D. Thomas.

Q. Quot, et quae sunt filiae irae, et quaenam sunt remedia ?

R. 1° Septem, nempe indignatio ; tumor ; clamor ; blasphemia ; contumelia ; maledictio ; rixa.

R. 2° Praecipua remedia sunt : 1° In ira nihil facere, aut dicere. 2° Exercere omnes actus virtutis oppositae.

ARTICULUS III.

DE AVARITIA.

Q. Quid est avaritia, et quale peccatum ?

R. 1° Est *inordinatus appetitus divitiarum.*

R. 2° Si charitati erga Deum, vel proximum, aut virtuti justitiae graviter opponatur, est peccatum mortale ex genere suo. Si tantum liberalitati opponatur adeo, ut quis nimis quidem amat divitias, sed nec velit facere, nec faciat quidquam contra vel proximum, vel Deum, est peccatum veniale ex genere suo.

In Scriptura dicitur : *Avaro nihil scelestius* ; quia est vitium omnibus aliis vitiis periculosius.

Q. Quot sunt filiae avaritiae, et quaenam remedia?

R. 1° Sunt septem, nempe proditio ; fraus ; dolus ; perjurium ; inquietudo mentis, seu sollicitudo nimia erga divitias ; violentia ; obduratio cordis.

R. 2° Praecipua sunt consideratio vanitatis terrenarum rerum ; consideratio turpitudinis, infelicitatis, et periculorum hujus vitii.

Q. Quid est prodigalitas, et quale peccatum?

R. 1° Est *defectus in conservando, et excessus in erogando.*

R. 2° Est veniale ex genere suo.— Fit vero mortalis, si liberis et uxori paupertatem creat ; si se impotentem reddat ad solvenda debita ; si bona ecclesiastica, piis causis obnoxia profundat.

ARTICULUS IV.

DE INVIDIA ET ACEDIA.

Q. Quid est invidia, et quale peccatum ?

R. 1° Est *tristitia de bono proximi, quatenus est propriae excellentiae imminutivum.* Ita D. Thomas 2, 2, qu. 36, a. 1.

R. 2° Est mortale ex genere suo, quia opponitur charitati, cujus proprium est de bono proximi gaudere ; et de illius malo dolere. Hinc Apost. ad Gal. c. 5 dicit invidiam excludere *a regno Dei.*

Nota. Si quis de bono proximi tristatur ex alio motivo, non erit invidia.

Q. Quot sunt filiae invidiae, et quaenam remedia?

R. 1° Sunt sex, nempe odium proximi; contumelia; detractio; exultatio in adversis, et afflictio in prosperis; sussurratio.

R. 2° Remedia sunt: consideratio malorum ex invidia provenientium; officia charitatis erga proximum; oratio frequens; humilitatis exercitium.

Q. Quid est acedia, et quale peccatum?

R. 1° Est *tristitia, et taedium de bonis divinis, ut ad nos pertinentibus.* Ut si quis dolet, quod Deus sit beatitudo nostra, eo quod haec beatitudo non possit sine difficili virtutum exercitio obtineri.

R. 2° Est peccatum mortale ex genere suo, quia graviter charitati Dei repugnat.

Q. Quot sunt filiae acediae, et quaenam remedia?

R. 1° Sunt sex, nempe malitia, qua quis odit bona spiritualia; desperatio; pusillanimitas; rancor; torpor; evagatio mentalis.

R. 2° Consideratio laborum Christi; consideratio mercedis aeternae, et periculorum acediae; pia lectio; frequens confessio.

ARTICULUS V.

DE GULA.

Q. Quid est gula, et quale peccatum?

R. 1° Est *inordinatus appetitus cibi, et potus.* Porro est inordinatus quinque modis, nempe:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Praepropere. Hinc peccant qui ordinarium comedendi tempus absque causa antevertunt; tunc enim voluptati, potius quam necessitati velle satisfacere videntur.

Laute, idest peccant qui cibos nimis pretiosos, aut liquores conquirunt ob solam delectationem absque alio fine.

Nimis, idest voluptuosi illi, qui cibis, potibusque ita indulgent, ut iisdem saginare se, vel se ingurgitare videantur.

Ardenter, idest qui nimia aviditate cibum, et potum sumunt; *ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter, et festinanter,* ait S. Antoninus.

Studiose, idest qui cibos nimio studio praeparatos inquirunt, ut magis iisdem delectentur.

R. 2° Cum D. Thoma est peccatum mortale, quando homo finem suum constituit in delectatione gulae, paratus scilicet contra Dei praecepta agere, ut delectationes hujusmodi assequatur. Alias est per se veniale: potest tamen fieri mortale ex circumstantiis.

Q. Quot sunt species gulae?

R. Duae; nempe crapula, *quae est excessus cibi usque ad vomitum movendum.* Est peccatum mortale ex genere suo, quia naturae rationali gravissime repugnat. — Et ebrietas, quae est *excessus voluntarius in potu usque ad violentam privationem usus rationis.* Est peccatum mortale ex genere suo; quia sese privare usu rationis est gravis inordinatio. Ita S. Lig. et alii communissime, dicente Apostolo 1ª ad Cor. 6: *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt;* et Isaiae c. 5: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.*

Nota. Ebrietas tres habet gradus: 1° Quando non pervenit, nisi ad quandam rationis obnubilationem. 2° Quando non pervenit, nisi ad organorum turbationem, et cordis aggravationem. 3° Quando pervenit ad rationis subversionem. Hic ultimus gradus dicitur ebrietas perfecta, et est peccatum mortale ex genere suo. Alii duo gradus dicuntur ebrietas imperfecta, et sunt per se venialia; nisi fiant mortalia ex circumstantiis. Ita S. Alph. n. 75 et communiter.

Q. Quaenam sint signa ebrietatis perfectae?

R. 1° Nescire distinguere bonum a malo. 2° Non recordari de dictis, aut factis in ebrietate. 3° Agere omnino insolita, quae scilicet nunquam alias sana mente agi solent. Ita Lig. n. 78, Gury, et alii.

Q. An liceat se inebriare ad morbum depellendum?

R. Affirmative. Et haec sententia licet dicatur probabilior, attamen in praxi tuto teneri potest, si ebrietas non sequatur, nisi velut effectus medii per se liciti; sicut, ut ait Scavini, si fiat indirecte, v. gr. Si ex praescripto medici copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum depellendum. Ita S. Lig. n. 76, et alii communiter post D. Thom. dicentem (2, 2, qu. 150, ar. 2 ad 3): *Cum aliquis multum... bibit secundum consilium medicinae... non est reputandus superfluus potus.*

Q. An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam?

R. Controversia est inter moralistas. Negat S. Alphonsus cum permultis aliis; quia ebrietas directe intenderetur, et bonus effectus ex malo sequeretur. — Affirmat vero Busembaus cum aliis; quibus

videtur consentire D. Thomas. Quia privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi·causa non videtur quid intrinsece malum. Sed nos in praxi huic casui applicamus nostrum systema morale de probabilitate juris, idest *lex dubia non obligat.*

Q. Quid dicendum, si quis alicui mortem minetur, nisi bibat ad ebrietatem usque?

R. Probabilius non potest bibere; quia est intrinsece malum. Et S. August. dicit: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris, melius erit ut tua caro sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moriretur* (Serm. 233). Neque adest causa excusans sicut in casu praecedenti; quia ibi vinum est medium natura sua ordinatum ad morbum expellendum, seu est medium quod natura expostulat; est enim periculum ab intrinseco. Quod autem licite quaerit natura, licite ipsi conceditur; quamvis per accidens sequatur alia ex parte malus effectus. Aliter vero dicendum si vinum ordinetur a libero agente; nam cum non sit naturaliter ordinatum ad evasionem mortis, nulla enim est proportio inter electionem hujusmodi, et evasionem mortis, non potest sub tali respectu intendi, lic etgi; et ideo semper remanet malitia ebrietatis. Ita etiam Tournely, Cajetanus, et alii. — Neque dicatur quod licite permitti potest abscissio manus ad mortem vitandam: quia usus rationis non ordinatur ad corporis vitam, sed ad animae integritatem: unde paritas non tenet.

Q. An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, si aliter impediri nullimode possit a graviori malo?

R. Licet nonnulli dicant, licere tantum permittere, seu materialiter se habere dando vinum, non vero inducere. Licet pariter Tournely neutrum concedat; attamen cum S. Alphonso tenemus, licere tam permittere, tam inducere: quia *licitum est inducere alium ad minus malum; ut impediatur a majori.* S. Lig. Op. mor. l. 5, n. 77, Scavini, Ballerini, et alii.

Q. An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta?

R. Cum distinctione: Si non fuerint praevisa ne in confuso quidem, non sunt imputabilia: quia quaecumque praevisa non fuerint, prorsus involuntaria sunt habenda. — Si vero fuerint praevisa; tunc sunt imputabilia ob rationem contrariam.

Nota. Contumeliae, mormorationes probabiliter etiamsi praevisae, non sunt imputabiles, quia nullam contumeliam ex communi aestimatione inferre censentur. Ita S. Alphonsus, Gury, et alii.

Q. Quot sunt filiae gulae, et quaenam remedia?

R. 1° Sunt quinque, nempe hebetudo mentis; inepta laetitia; scurrilitas; multiloquium; immunditia.

R. 2° Remedia sunt consideratio mortis, et malorum corporis, et animi, quae ex intemperantia proveniunt; subtrahere aliquid propriae voluptati; meditatio acerbissimae sitis Christi in Cruce pendentis.

Hinc peccant graviter qui alios jussu, vel consilio inducunt ad ebrietatem. — Item qui per experientiam scientes se inebriari in his vel illis consortiis, nihilominus in iisdem versantur. — Item qui inter bibendum ad periculum ebrietatis advertentes adhuc bibere pergunt. — Item qui adeo bibunt, ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus, et ratione destituantur: quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

Non peccant graviter per se qui adeo validi, vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum merito timeri possit. Ita Gury.

CAPUT VI.

De luxuria in genere.

Q. Quid est luxuria, et quale peccatum?

R. 1° Est *inordinatus voluptatis venereae appetitus, vel usus.*

R. 2° Est peccatum mortale ex genere suo, quia est inordinatio in materia gravi. Imo cum adsit plena advertentia, et consensus, est mortale ex toto genere suo. Scavini.

Q. Quotuplex est delectatio?

R. Triplex; nempe spiritualis, *quae in sola voluntate residet absque ullo motu sensibili in corpore.*

Mere sensibilis est ea, *quae oritur ex conformitate rei tactae, aut visae cum organo tactus, aut visus* etc., v. gr. Delectatio, quae percipitur ex gustu, musica etc.

Venerea, seu libidinosa est ea, *quae sentitur circa partes venereas ex commotione carnis, spirituumque generationi inservientium.*

Q. An delectatio admittat parvitatem materiae?

R. Certum est, delectationem spiritualem admittere parvitatem materiae. Ita pariter delectationem sensibilem; dummodo non adsit periculum ulterioris turpis delectationis, aut consensus.

Delectatio venerea non admittit parvitatem materiae : quia omnis delectatio venerea est quaedam inchoatio effusionis seminis : quod est mortale extra actum conjugalem.

Q. Quomodo dividitur luxuria?

R. Dividitur in perfectam, seu consummatam; et in imperfectam. — Perfecta est ea, *quae habet voluntariam effusionem humani seminis*. — Imperfecta est ea, *in qua nulla intervenit humani seminis effusio*.

Luxuria perfecta subdividitur in naturalem, et contra naturam. Naturalis est, *quando servantur debitae conditiones naturae*. — Non naturalis, *quando non servantur dictae conditiones*.

ARTICULUS I.

DE LUXURIA PERFECTA, ET NATURALI.

Q. Quot sunt species luxuriae perfectae?

R. Sunt sex: nempe fornicatio, ad quam reducitur meretricium, et concubinatus; stuprum; raptus; adulterium; incestus; sacrilegium.

§ 1. *De fornicatione simplici.*

Q. Quid est fornicatio simplex, et quale peccatum?

R. 1° Est *copula carnalis soluti cum soluta ex mutuo consensu*. Ita communiter.

R. 2° Est peccatum mortale jure divino, et naturali prohibitum: *Omnis fornicator non habet haereditatem in regno Dei, et Christi* (Ap. ad Ephes. c. 1).

Q. Quid sit meretricium?

R. Est *status mulieris, quae omnibus parata est sub mercede sui corporis copiam facere*.

Q. Utrum in societate permitti possit?

R. Nonnulli probabiliter affirmant cum D. Augustino, et Angelico ad vitanda mala pejora. Sed in praxi probabilius omnino reprobandum meretricium, ut omnes alii Theologi docent: quia nihilominus mala pejora non evitantur; imo crescunt, et nuptiae vilescunt. — Unde si magistratus urbium sine ullo detrimento et commode, impedire possunt, tenentur impedire.

Q. An fornicatio cum meretrice sit gravior fornicatione cum alia foemina soluta?

R. Affirmative. Quia generatio prolis impeditur per fornicationem cum meretrice; non in simplici fornicatione cum alia.

Q. Utrum fornicatio cum concubina sit gravior fornicatione cum meretrice?

R. Affirmative. Quia in concubinatu homo non solum peccat, sed est in habitu peccandi.

Q. Utrum fornicatio cum infideli sit gravior, quam cum fideli?

R. De Lugo, et plures alii docent, non solum esse graviorem; sed mutare speciem; quia est etiam contra virtutem religionis.

Q. Quid est concubinatus?

R. Est *frequens concubitus soluti cum una, eademque persona soluta.*

Q. Quaenam poena adest pro concubinariis?

R. Concilium Trident. tulit poenam: 1° Excommunicationis ferendae sententiae post trinam monitionem. 2° Ejectionis extra oppidum, vel etiam extra dioecesim. — Contra Clericos statuit, ut post primam admonitionem priventur tertia parte fructuum Beneficii, non vero distributionibus quotidianis. Post secundam priventur pensionibus, et Beneficii administratione. Post tertiam ipso Beneficio, dein excommunicentur.

Q. An aliquando possit absolvi concubinarius, qui concubinam rejicere e domo non potest sine scandalo, aut infamia?

R. Communiter loquendo non est absolvendus. Sed si aliter non possit revera vitari grave damnum famae, vel fortunae; ideo immineret necessitas communicandi; vel si poenitens satis dispositus non amplius redire posset ad se confitendum, nonnulli Theologi concedunt absolvi posse pro una, aut secunda vice. — Alii negant omnino. — Sed preferenda est sententia Salmanticensium, ideo nos cum ipsis distinguimus, vel est publicus, tunc nullo modo est absolvendus; nisi prius dimittat concubinam: — vel est occultus, tunc non est absolvendus; nisi in casu raro, ut si adsit aliquod signum fere extraordinarium. Ita etiam Scavini.

Q. An concubina, quae a concubinario sustentatur; possit absolvi, antequam e domo illius discedat?

R. Negative; nisi ex discessu grave ei veniret damnum. — Regulariter vero differenda est absolutio usque ad emendationem.

Q. An quis teneatur tollere occasionem proximam peccandi cum concubina, etiam cum suo gravi damno temporali, puta si amasius debitor esset concubinae in magna summa?

R. Probabiliter amasius occasionem illico auferre non tenetur,

si nequeat solvere sine magno detrimento suae famae, vel sui status etc. Verum in praxi expedit, ut differatur absolutio usque ad emendationem: secus facillime redit ad vomitum, ut experientia docet.

Nota. An fornicatio sponsi cum persona extranea mutet speciem, vel aggravet tantum, diversae sunt Theologorum sententiae aeque probabiles, dicit Scavini. Sed haec circumstantia habenda est ut simpliciter aggravans: quia nondum sponsa acquisivit strictum jus in corpus sponsi. Insuper non debemus juxta principia adstruere peccatum, quando neque Scriptura, neque Ecclesia, neque Patres innuunt, et quando Theologi non conveniunt.

§ 2. *De adulterio.*

Q. Quid est adulterium, et quot modis committitur?

R. 1° Est *copula inter personas, quarum alterutra, vel utraque est conjuncta matrimonio cum alia tertia.*

R. 2° Tribus modis: 1° Per accessum soluti ad conjugatam. 2° Per accessum conjugati ad solutam. 3° Per accessum conjugati ad conjugatam non suam.

In hoc tertio casu duplex committitur adulterium propter duplicem injuriam in confessione aperiendam, cum sit duplicis tori violatio. Ita S. Lig. n. 445.

Q. Quale sit peccatum adulterium?

R. Est peccatum gravissimum a regno Dei excludens: *Neque adulteri... regnum Dei possidebunt* (Apost. 1ª ad Cor. c. 6).

Q. Quodnam inter adulterium soluti cum conjugata, vel conjugati cum soluta sit gravius?

R. Gravius est peccatum, si mulier sit conjugata, quam si solus vir: quia id naturae magis contrarium est.

Q. Si conjux adulterantis consentiat, an concubitus erit contra justitiam?

R. Affirmative; ac proinde est verum adulterium; quia in hoc conjuges non possunt valide, et efficaciter juri proprio renuntiare, cum non sint domini. Ab Innocentio XI damnata est haec propositio: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium.*

Q. Quaenam sunt poenae canonicae contra adulterium?

R. 1° Non possunt adulteri compellere partem innocentem ad

debitum reddendum. 2° Quod adsit jus in comparte innocenti divortium petendi. — Jure civili, modo carcere, modo reclusione, modo operibus duris adulter mulctatur.

§ 3. *De stupro, et raptu.*

Q. Quid est stuprum, et quale peccatum?

R. 1° Est *illicita virginis defloratio.*

R. 2° Si fiat cum virgine coacta, aut per dolum seducta, ultra malitiam fornicationis simplicis continet gravissimam injustitiam, et injuriam contra puellam, et contra ejus patrem et matrem.

Si stuprum fiat ultro consentiente virgine, sed invitis parentibus, praeter simplicem fornicationem continet etiam gravissimam injuriam ipsis parentibus. Scavini.

Si fiat ultro consentientibus puella, et parentibus, aut tutoribus, probabilius non est a fornicatione specie distinctum, licet gravius, et non est necessarium in confessione aperiendum. Ita Lessius, Salmant., Suarez, et alii.

Q. Quid est raptus, et quale peccatum?

R. 1° Est *violenta alicujus personae abductio libidinis explendae causa.*

R. 2° Est peccatum ex genere suo mortale. Duplicem continet malitiam mortalem; unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam abductionis.

Nota. Si puella sponte discedat cum amasio, non est raptus, sed fuga appellatur.

§ 4. *De incestu, et sacrilegio venereo.*

Q. Quid est incestus, et quale peccatum?

R. 1° Est *peccatum luxuriae inter personas consanguineas, aut affines inter gradus prohibitos.*

Nota. Incestus oritur ex quadruplici cognatione, nempe ex consanguinitate; ex affinitate usque ad quartum gradum inclusive; ex cognatione spirituali; et ex cognatione legali, seu adoptione.

R. 2° Est gravissimum peccatum duplicem habens malitiam, unam contra castitatem, alteram contra pietatem debitam consanguineis etc.

Q. Quaenam sunt poenae canonicae contra incestuosos?

R. In 1°, et 2° affinitatis gradu est privatio juris debiti petendi.

Q. An omnes numerati incestus differant inter se essentialiter, an vero sint ejusdem speciei?

R. Certum est, incestum inter cognatos spirituales, et legales, tum a se invicem, tum ab incestu inter consanguineos, et affines differre, quia uterque attingunt objectum specie diversum. Nam in cognatione legali habet quamdam similitudinem cum irreverentia erga parentes: in cognatione spirituali committitur, ait D. Thomas, sacrilegium ad modum incestus.

Unde qualitas incestus, vel legalis, vel spiritualis in confessione est aperienda.

Incestus inter consanguineos, et affines, licet nonnulli affirment, tamen probabilius specie non differunt.

Q. Estne inter se diversae speciei gradus unus ab alio ita, ut debeat declarari graduum diversitas in confessione?

R. In gradibus affinitatis habet speciem diversam primus gradus, nempe inter privignum et novercam, interque socrum et nurum.

In gradibus consanguinitatis habet speciem diversam primus gradus consanguinitatis in linea recta. Alii vero gradus tam consanguinitatis, tam affinitatis, tam cognationis legalis non habent; licet nonnulli probabiliter affirment, omnes gradus consanguinitatis speciem diversam inter se constituere. Sed nos iis non subscribimus. Scavini.

Q. Quid est sacrilegium venereum, et quale peccatum?

R. 1° Est *rei sacrae violatio per actum venereum.*

R. 2° Est peccatum gravissimum duplicem continens malitiam, unam contra castitatem, et alteram contra religionem.

Nota. Si utraque persona sit sacra, duplex est sacrilegium.— Sacrilegium Sacerdotis Regularis non est gravius sacrilegio Sacerdotis Saecularis. Et ideo haec circumstantia non est in confessione explicanda, sufficit quod dicat: *Sum Sacerdos.*

Omnis actus luxuriae, tam externus, quam interior in mente personae sacrae est sacrilegium.

Q. Quid de gravibus cogitationibus in ecclesia habitis? Suntne sacrilegia?

R. Distinguendum: vel cogitationes hujusmodi continent desiderium deliberatum peccandi in ipsa ecclesia, tametsi occulte; vel peccandi extra. Si primum, habetur sacrilegium. Si secundum, nullum sacrilegium.

ARTICULUS II.

DE LUXURIA PERFECTA CONTRA NATURAM.

Q. Quot sint species luxuriae perfectae contra naturam?

R. Sunt quatuor, nempe pollutio, seu mollities; sodomia; bestialitas; indebitus concubendi modus. — Inter se differunt specie.

Q. Quid sit pollutio, et quale peccatum?

R. 1° Est *voluntaria seminis effusio extra copulam quamcumque.*

R. 2° Est peccatum mortale per se, et quidem gravius fornicatione: *Neque molles regnum Dei possidebunt* (Apost. 1a ad Cor. c. 6). Insuper directe tollit generationem.

Q. Quotuplex est pollutio?

R. Quadruplex; nempe dividitur in simplicem, et in qualificatam; in voluntariam, et in involuntariam.

Simplex est absque alia malitia adjuncta.—Qualificata est quando praeter suam, aliam malitiam habet, v. g. Persona sacra uno actu se polluit cogitando de consanguinea conjugata, committit peccatum luxuriae, sacrilegii, incestus, et adulterii, quae omnia sunt distincte aperienda in confessione. — Voluntaria est volita tum in se, tum in causa. — Involuntaria, quando nullo modo est volita.

Q. An liceat ponere actionem de se honestam, ac licitam, ex qua tamen praevidetur secutura pollutio?

R. Si nulla adsit causa necessitatis, utilitatis, aut commoditatis ponendi illam actionem, non licet. — Si vero adsit, licet; dummodo non sit periculum consensus, et non intendatur ipsa pollutio.

Q. Quale peccatum committit, qui absque justa causa, v. g. necessitatis, utilitatis etc., ponit actionem, ex qua praevidet pollutionem esse secuturam?

R. Vel ista actio influit proxime, et graviter in pollutionem; vel tantum remote, et leviter. — Si primum, actio erit peccatum mortale. — Si secundum, erit culpa venialis.

Q. Quid, si quis patiatur pollutionem involuntariam ex lectione turpi peracta ob simplicem curiositatem absque prava intentione, et sine periculo se delectandi de rebus, quas legit?

R. Licet, speculative loquendo, videatur a mortali excusari posse; in praxi tamen eum non excusamus, maxime si ideo jam frequenter

pollutionem sit passus: respectu enim illius lectio illa graviter in pollutionem influit. Scavini, et alii.

Q. Quid, si semen humanum sit corruptum, licetne illud expellere?

R. Nunc medici testantur semen non corrumpi, sed tantum non elaborari: ac proinde vanam esse hypotesim seminis corrupti, et morbiferi. — Adde illud retinere difficillimum esse. Ita communiter Theologi cum Concina. Expedit tamen pro avertendo quocumque periculo peccati, ut mentem ad contraria convertat, et SS. Jesu, et Mariae nomina invocet.

Q. Quid de pollutione in somnis habita?

R. Per se non est peccatum; quia in somno nulla libertas.—Diximus *per se;* nam erit mortalis, si ante somnum data fuit causa directe, aut formaliter: quia tunc est voluntaria in causa. — Pariter si post somnum placuit, et approbata fuit propter delectationem veneream.

Q. Quid sentiendum de simplici distillatione?

R. Si evenerit praeter intentionem, et sine ulla voluntaria commotione sensus, nullum est peccatum. Secus, scilicet mortale, si venerit cum voluntaria commotione sensus, et spirituum generationi inservientium, v. g. ex turpi colloquio, aspectu, tactu etc.

Q. Quid est sodomia?

R. Est *actus libidinosus personarum ejusdem sexus, vel diversi sexus, in vase indebito.*

Q. Quotuplex est sodomia?

R. Duplex est: perfecta, et imperfecta. Perfecta est *congressus duorum ejusdem sexus.* Imperfecta est *congressus maris cum foemina, non servatis debitis organis.*

Q. Quale sit peccatum sodomiae?

R. Est peccatum ita grave, ut nefandum antonomastice dicatur. Sodomia praeter propriam malitiam habet aliam malitiam adjunctam juxta qualitatem personarum, v. gr. Adulterii si conjugata; sacrilegii si sacra; incestus si consanguinea, vel affinis. Ac proinde qualitas personae aperienda est in confessione.

Debet in confessione aperiri, an fuerit agens, vel patiens, hoc tantum ratione pollutionis si adfuerit. — Pariter, an fuit cum eodem sexu, vel diverso.

Quando absolute, et simpliciter sodomia reservatur, juxta generalia principia intelligi debet sodomia perfecta, et in genere suo consummata.

Etiam inter foeminas habetur completa sodomia, vel ope instrumenti, vel naturaliter eo modo quo compleri potest, quoties nempe fit applicatio unius partis ad partem alterius cum aliqua seminatione intra vas. Ita Salm., et alii.

Q. Quibus poenis plectatur sodomita?

R. Jure canonico si sit laicus, excommunicandus est; si sit clericus e Clero eum dejici jubet Leo X. — Jure civili modo reclusione, modo operibus duris puniuntur; etiam poena ignis.

Q. Quid est bestialitas, et quale peccatum?

R. 1° Est *coitus cum bestia*.

R. 2° Est peccatum horrendum; ut ait D. Thomas: *Inter vitia, quae sunt contra naturam gravissimum*. In Scripturis vocatur *crimen pessimum*.

Nota. Ad bestialitatem reducitur concubitus cum daemone apparente in forma juvenis, vel foeminae. Qui non tantum est peccatum luxuriae contra naturam; sed etiam est contra virtutem religionis propter commercium cum capitali hoste Dei.

Q. Quid est inordinatus concubitus, et quale peccatum?

R. 1° Est *is, in quo non servatur ordo naturalis concubendi*.

R. 2° Cum distinctione: Si sit periculum extrà effundendi semen, vel suffocandi prolem conceptam, vel impediendi generationem, est mortale. Secus est peccatum veniale praeter naturam. — Si vero fiat ob rationabilem causam, nullum est peccatum.

ARTICULUS III.

DE LUXURIA IMPERFECTA, SEU DE IMPUDICITIA.

Q. In quo consistit impudicitia?

R. In osculis venereis, tactibus, aspectibus impudicis, scriptis, et verbis turpibus, et repraesentationibus lascivis. Haec omnia sunt mortalia.

Q. Quid de osculis dicendum?

R. 1° Oscula, amplexus, si juxta morem patriae fiant urbanitatis, aut benevolentiae causa, non sunt peccata per se; etiamsi delectatio venerea suboriatur. Attamen per accidens possunt esse peccata ob scandalum, vel periculum carnalis delectationis. — Si vero fiant ex aliqua vanitate, joco etc., juxta multos sunt solum venialia. Possunt tamen evenire mortalia, si voluntaria venerea delectatio sequatur.

R. 2° Si oscula sint libidinosa, sunt mortalia.

Q. Quid dicendum de tactibus?

R. Si fiant ex joco, vel levitate partium honestarum, est de se veniale. — Per accidens posset esse mortale, cum sit periculum consensus ad delectationem veneream.

Si sit tactus partium pudendarum, aut pudendis proximarum corporis alterius personae, sive sit ejusdem sexus, sive diversi, si fiant absque necessitate medendi sunt mortalia, licet fiant ex levitate, et joco, et sine consensu ad venerea. Nam referuntur ad effusionem seminis. — Tactus vero propriorum pudendorum sine necessitate est peccatum mortale, si delectatio venerea ex tactu oriatur, et praevideatur. Secus si ex curiositate, levitate, dummodo nullum sit periculum delectationis.

Q. Quid de aspectibus dicendum?

R. Qui sine causa medendi personas diversi sexus in partibus secretioribus, aut valde vicinis aspiciunt; item qui aspiciunt coitum viri ac mulieris, peccant mortaliter.

Q. Quid de turpiloquio sit dicendum?

R. Turpia, et obscena loqui, canere, legere, vel audire est mortale si fiat extra conjugium cum delectatione venerea vel cum probabili ejusdem periculo in se, vel in aliis. — Secluso tamen omni affectu venereo, et periculo delectationis, haec omnia sunt saltem venialia.

Nota. Ob jactantiam narrare sua turpia peccata est mortale.

Q. An peccent, qui theatris, aut comoediis intersunt?

R. Si comoediae sint aliquantisper turpes; qui audiunt, peccant venialiter: nisi jam experti sint propriam fragilitatem labendi in peccatum; quia judicatur ex periculo. — Si vero sint notabiliter turpes, vel in re, vel in modo; mortaliter peccant interessentes si delectentur.

Qui ob solam curiositatem, vel solatium vanum intersunt, secluso periculo, licet aliquando nonnulli excusentur a mortali, non tamen, qui solent labi in peccata turpia.

Neque ex curiositate possunt interesse Ecclesiastici, et Religiosi, qui graviter peccarent.

Mortaliter peccant, qui vel pecunia, vel alio modo concurrunt ad comoedias turpes; licet sine ipsis similiter fierent. — Pariter qui non impediunt cum possint. — Et a fortiori mortaliter peccant, qui illas agunt.

Q. Quot sunt filiae luxuriae?

R. Ex D. Thoma sunt octo ; quatuor ex parte intellectus, et sunt coecitas mentis ; praecipitatio ; inconsideratio ; inconstantia. — Quatuor ex parte voluntatis, et sunt amor sui inordinatus ; odium Dei · affectus praesentis saeculi ; horror, et desperatio futuri saeculi

Q. Quae, et quot sunt remedia contra luxuriam ?

R. Oratio frequens ; custodia sensuum ; fuga otii ; carnis macerationes , et jejunia ; assidua piorum librorum lectio vitatio occasionum.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE VIRTUTIBUS IN GENERE

CAPUT UNICUM

Q. Quid est virtus?

R. Definitur a D. Augustino (lib. 5 de Civ. Dei c. 17): *Ordo amoris;* vel a D. Thoma: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et nemo male utitur.* Nempe si quis ad pravum finem utatur virtute desinit esse virtus.

Q. Quomodo dividitur virtus?

R. In intellectuales, morales, et theologicas.

Virtutes intellectuales sunt *eae, quae perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri.* — Et sunt quatuor, scilicet intelligentia, sapientia, scientia, et ars.

Morales sunt *eae, quae perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, cujuscumque sit generis.* — Et sunt quatuor praecipuae, ideoque dicuntur cardinales; nimirum prudentia, fortitudo, temperantia, et justitia.

Theologicae sunt *eae, quae circa Deum immediate versantur.* — Et sunt tres, nempe fides, spes, et charitas.

Proprietates virtutis sunt tres, nempe supernaturalitas, mediocritas, et connexio.

Q. Danturne virtutes infusae?

R. Quoad virtutes theologicas de fide est definitum in Conc. Trid. (sess. 6, c. 7). — Quoad alias virtutes controvertitur; sed sententia affirmans est rationabilior. Quia Script. (Sap. c. 8) ait: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det.* Sed quod Deus dat, habetur per infusionem. Ergo.

Q. Quotuplex sit medium virtutis?

R. Duplex, scilicet *medium rei*, quod ita est determinatum, et fixum, ut sit semper unum, et indivisibile, nec varietur pro loco, tempore, et persona. — *Medium rationis* est illud, quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore, et persona, juxta prudentis aestimationem : quare vocatur medium rationis.

Q. Utrum sint aliquae virtutes, quae non consistunt in medio?

R. Affirmative, et sunt virtutes theologicae, ac intellectuales per se, et ex parte objecti ; quia contra eas non potest peccari per excessum. — Ast per accidens, et ratione subjecti requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum moderamine juxta cujuslibet naturam, genium, et conditionem.

Q. Quaenam virtutes consistunt in medio?

R. Virtutes morales, cum hoc discrimine, quod justitia consistat in *medio rei ;* caetĕrae virtutes in *medio rationis :* ratio est, quia contra eas peccari potest per excessum, et per defectum.

Q. Quotuplici modo spectari potest virtus moralis?

R. Dupliciter, nempe in statu perfecto, et in imperfecto. In statu perfecto est ea, quae tam perfecte possidetur, ut omnibus contrariis facile possit resistere. — In statu imperfecto est ea, quae inclinat quidem subjectum ad bene operandum ; sed non adeo fortiter, ut omnem difficultatem vincere possit.

Q. Utrum virtutes morales necessario sint inter se connexae?

R. Distinguendum : affirmative, si considerentur in statu perfecto ; quia virtus in statu perfecto efficit, ut quis libenter, et sine mora operetur in propria materia illius virtutis. — Negative, si spectentur in statu imperfecto : nam experientia constat, multos esse promptos ad opera misericordiae, qui non sunt prompti ad opera castitatis.

Q. Utrum omnes virtutes sint supernaturales?

R. 1° Quoad virtutes intellectuales, Theologi omnes conveniunt exerceri posse naturalium virium efficacia, et solo generali Dei concursu.

R. 2° Quoad virtutes morales distinguendum : Si respiciantur in ordine tantum naturali, tunc possunt exerceri per solas vires naturales ; ait enim Apostolus : *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt...* idest, juxta interpretationem Patrum, gentiles possunt facere opus bonum naturalis ordinis sine gratia, sine fide. Pariter Summi PP. Pius V, Greg. XIII et Urban. VIII has Baj propositiones damnarunt : *Omnia opera infide-*

lium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae viribus ortum ducit, cognoscit. Clemens XI hanc damnavit propos. Quesnelli : *Voluntas, quam gratia non praevenit... est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.* — Si vero respiciantur in ordine ad salutem aeternam acquirendam ; tunc sunt supernaturales ; quia fiunt ex gratia Dei.

R. 3° Quoad virtutes theologicas de fide est, esse semper supernaturales : quia a Deo in nobis sine nobis infunduntur in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, docet Trident. (sess. 6, cap. 7).

Q. An virtutes sint inter se aequales ?

R. Negative. Quia virtutes specificantur ab objecto suo ; atqui objecta virtutum sunt alia aliis nobiliora. Ergo etc.

TRACTATUS OCTAVUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

Q. Quot sunt virtutes theologicae?

R. Sunt tres, nempe fides, spes, charitas.

Nota. Ratione originis primum locum tenet fides; cum sit initium omnis justificationis: ratione praestantiae charitas.

CAPUT I.

De fide.

Q. Quid sit fides?

R. Multipliciter sumitur, nempe pro fidelitate in promissis juxta illud (ad Rom. c. 3): *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* — Pro ipsis promissis: *Primam fidem irritam fecerunt* (1 ad Tim. c. 5). — Pro conscientia, ac intima persuasione: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (ad Rom. c. 14). — Pro fiducia: *Postulet autem in fide, nihil haesitans* (Jac. c. 1). — Pro argumento ad suadendum, ait Apost. (Act. c. 17): *Fidem praebens omnibus.* — Pro ipsa doctrina, et objecto fidei: *Non negasti fidem meam* (Apocal. c. 2). — Tandem pro assensu intellectus nostri, ob alterius auctoritatem. De hoc assensu hic agimus. Unde definitur ab Apost. (ad Hebr. c. 11): *Sperandarum substantia rerum; argumentum non apparentium.*

Dicitur *substantia*, idest basis spei; quidquid enim aliis supponitur, et substat, nomine substantiae appellatur. — Dicitur *argumentum*, idest convictio.

A Theologis definitur: *Virtus theologica, divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quae a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis, et per Ecclesiam nobis credenda proposita.*

Dicitur *divinitus infusa;* quia fides est donum supernaturale divinum. — *Qua firmiter assentimur;* quae soli fidei sunt propria. — *Iis quae a Deo revelata sunt;* omnia enim revelata sunt objectum fidei materiale. — *Per Ecclesiam nobis credenda;* quia divina revelatio nobis non manifestatur nisi per Ecclesiae propositionem.

Q. Quomodo dividitur fides?

R. Dividitur in actualem, et habitualem. — In explicitam, et implicitam. — In vivam, et mortuam. — In formatam, et informem. — In formalem, et virtualem.

Fides *actualis* est actus, quo intellectus ex imperio voluntatis per gratiam excitatae, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis.

Habitualis est habitus, nobis a Deo infusus actuum fidei elicitivus cum auxilio gratiae actualis.

Explicita est ea, qua alicui speciali, ac determinato fidei articulo assentimur, puta Trinitati Personarum.

Implicita est ea, qua generatim omnibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, assentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum, v. gr. si dicas: *Credo in SS. Trinitatem*, elicis actum fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas: *Credo omnia*, *quae docet Ecclesia esse credenda*, elicis actum fidei implicitum in singula dogmata revelata.

Fides *viva* est ea, quam observatio mandatorum comitatur; seu quae *per charitatem operatur*, ut ait Ap. ad Galat. c. 6.

Mortua est ea, quam mandatorum observatio non comitatur; Jacobi c. 2: *Fides sine operibus mortua est.*

Formata est ea, quae in homine adjünctam habet charitatem, qua tanquam sui forma perficitur.

Informis est ea, quae charitate destituta manet. — Ast istae sunt potius explicationes fidei vivae, et mortuae, quam verae fidei divisiones.

Formalis, seu reflexa habetur quando actus fidei est actualiter elicitus.

Virtualis quando actus fidei virtualiter tantum in mente perseverat.

Pariter Scavini dividit fidem etiam in *catholicam*, et *privatam*, quae reducuntur ad fidem explicitam, et implicitam.

—

ARTICULUS I.

DE OBJECTO, ET PROPRIETATIBUS FIDEI.

Q. Quotuplex est objectum fidei?

R. Duplex: formale, et materiale. — *Formale* est summa auctoritas Dei revelantis; quia infallibilitas Dei in dicendo est motivum, per quod ipsi firmiter assentimur. — Objectum *materiale* adaequatum sunt res omnes, quae a Deo revelatae sunt ita tamen, ut Deus est objectum primarium, caetera vero revelata sint objectum secundarium.

Q. Quomodo dividitur objectum materiale fidei?

R. Dividitur in articulos, et puncta fidei. Articulus fidei definitur: *Propositio catholica habens rationem principii in fide, specialemque ab aliis articulis ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda.*

Punctum fidei est *veritas secundaria, cujus fides implicita sufficit ad salutem.*

Nota 1ª. Tam articuli, quam puncta fidei sunt dogmata fidei. Articuli fidei sunt dogmata principalia explicite credenda, et plura sub se alia dogmata continent. Ita S. Th. 2, 2, q. 1, ar. 6. — Puncta fidei sunt dogmata secundaria, quae creduntur credendo omne, quod Deus revelavit, et ab Ecclesia credendum propositum.

Nota 2ª. Dogma definitur ab Em. Baronio: *Omnis et sola doctrina, quae in divina revelatione continetur, et ab Ecclesia credenda proponitur.* Ita etiam definitur ab Alberto a Bulsano.

Q. Utrum articuli fidei, vel dogmata successu temporis creverint?

R. Ab Apostolis usque ad nos non creverunt secundum substantiam, quia Ecclesiae non fit nova revelatio, omnia enim credenda ab Apostolis revelata sunt, juxta illud Christi: *Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (Joan. c. 15). Et cap. 16: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Creverunt tamen secundum majorem explicationem: Ecclesia enim, occasione insurgentium haeresum varias propositiones definivit, expliciteque credendas fidelibus exhibuit, quae in Scriptura, aut traditione implicite tantum, et quoad substantiam continebantur.

Q. Ubinam continentur praecipui articuli fidei?

R. In Symbolo, quod definitur: *Summa quorumdam praecipuorum*

fidei articulorum, omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, distinguens illos ab infidelibus.

Q. Quotuplex est fidei Symbolum?

R. Triplex, scilicet Apostolicum, quod ab Apostolis conditum, et a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur. — Nicaenum, quod in Concilio Nicaeno I contra impietatem Arii, divinitatem Filii negantis conditum est, et in Conc. Constantinopolitano I actum contra impietatem Macedonii, negantis divinitatem Spiritus Sancti; unde quandoque vocatur Nicaeno-Constantinopolitanum. — Tandem Symbolum Athanasianum, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse*, quod est receptum ab Ecclesia, quae sua auctoritate sancivit, illud esse legendum in Officio divino.

Nota. Communis erat cum D. Thoma sententia Scholasticorum objecta fidei quoad substantiam semper eadem fuisse. — Sed recentiores cum Antoine docent objecta fidei ab Adamo usque ad Apostolos inclusive, crevisse etiam secundum substantiam; quatenus aliquid novi fuit revelatum Moysi, Prophetis, Apostolis, dicente Augustino: *Gradatim et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit* (q. ex Novo Test. c. 86).

Q. Quid de haeretico, qui quosdam articulos credit, quosdam rejicit?

R. Vel agitur de haeretico materiali, qui ex pura ignorantia aliqua dogmata non credit, sed est paratus credendo quidquid Ecclesia credit; vel agitur de haeretico formali, qui post assecutum Ecclesiae sensum, adhuc in quibusdam assentiri recusat. Si primum totam, et integram fidem habet in habitu. — Si secundum communis, et verior sententia cum D. Thoma docet contra Durandum, nullam fidem veram remanere in dicto haeretico: quia nonnulla credit, et nonnulla rejicit, ergo agit ex proprio judicio; ideoque non ex fide, ut argumentatur D. Aug. (lib. 17, c. 3 contra Faustum). Pariter fides est indivisibilis; quia licet plures veritates credat, illas tamen credit sub uno, atque indivisibili motivo, scilicet Dei veritate in revelando.

Q. Quid de revelationibus privatis tenendum est, quas Sanctis plerisque factas scimus etiam post Apostolorum aetatem?

R. Vel sunt ab Ecclesia approbatae, vel non. Si primum, tanquam res piae, et absque ulla superstitione recipi possunt; et potest, salva fide, ab iis recedi, si fiat, ut ait Bened. XIV (lib. 3, c. ult. de Serv. Dei beatif.), *cum debita moderatione non sine ra-*

tione, et ultra contemptum. — Si secundum, non sunt curandae, nec contemnendae.

Nota. Ille, cui nunc fit revelatio privata non debet revelata credere ex fide theologica, qua christianus est; cum haec revelatio non contineatur in ambitu objecti formalis catholicae fidei, sed ex alio speciali lumine superno eruatur (Bened. XIV loco citat.). Contra Gotti, et alios.

Q. Quaenam est regula fidei?

R. Dicitur illa, quae verum fidei objectum declarat. Et est sola Ecclesia Catholica docens, quae *est columna, et firmamentum veritatis*, ait Apost. (1 ad Tim. 3); et Matth. (cap. 8) ait: *Quam, qui non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.*

Nota. Actus fidei quinque importat, nempe veritatem revelatam, auctoritatem Dei, Ecclesiam proponentem, motivum credibilitatis, gratiam Dei.

Q. An damnati, et daemones habeant veram fidem?

R. Fides eorum non est supernaturalis, sed naturalis coacta, et orta ex evidentia rerum: quia fides est donum valde insigne gratiae divinae.

Q. Quodnam est subjectum fidei?

R. Subjectum proximum est intellectus personae, in qua fides residet: *Credere* enim, ait D. Augustinus, *est cum assensu cogitare.* — Subjectum remotum est persona fidei capax: tales sunt homines, et tales fuerunt Angeli in eorum prima conditione, nempe antequam admitterentur ad intuitivam Dei visionem.

Animae purgantes, cum nondum videant Deum *facie ad faciem*, patet in iis adhuc fidem manere.

Q. Quot sunt proprietates fidei?

R. Quatuor praecipue recenseri possunt, nempe supernaturalitas, certitudo, obscuritas, et credibilitas.

Q. Utrum actus fidei sit supernaturalis?

R. Affirmative: nam tam ejus motivum, quam ejus principium productivum sunt supernaturalia.

Q. Utrum assensus fidei sit certior quolibet assensu scientifico?

R. Affirmative, et quidem simpliciter, et absolute: quia certitudo formalis desumitur a suo motivo; atqui divina revelatio, quae est motivum assensus fidei, longe superat certitudine lumen naturale rationis. Hinc D. Thomas 2, 2, q. 4, ar. 8 ad 2, ait: *Multo*

magis homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quae falli potest.

Q. Utrum fides debeat esse obscura?

R. Debet esse obscura ex parte rei revelatae, nam ait Apostolus: *Fides est argumentum non apparentium*, idest res, quae creduntur per fidem, non videntur, saltem per motivum, quo cognoscuntur, scilicet per revelationem.

Q. Utrum quod evidenter scitur, aut videtur possit esse objectum fidei divinae?

R. Affirmative. Nam ad Hebr. c. 11: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et in Symbolo, *Credimus Deum etc.* Atqui existentia Dei demonstratur a philosophis: ergo.

Q. Quid est fidei credibilitas, et quotuplex?

R. Est *evidentia illa, propter quam nos rebus revelatis assensum nostrum exhibemus.*

Duplex est, nempe alia ostendit rem aliquam evidenter esse veram, et dici potest evidentia veritatis.— Alia, quae evidenter ostendit, rem illam esse credibilem; et ideo appellatur evidentia credibilitatis.

Q. Quaenam evidentia fidei nostrae convenit?

R. Convenit tantum evidentia credibilitatis, qua fit rationabile obsequium nostrum: ait enim Angelicus (2, 2, q. 1, a. 4): *Non enim crederet homo, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.*

Q. Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia?

R. Affirmative. Quia probantur argumentis, seu motivis evidentibus, et irrefragabilibus.

Q. Quot sint motiva credibilitatis?

R. Octo numerantur: 1° Sanctitas Christi auctoris fidei nostrae. 2° Sanctitas doctrinae. 3° Stupendus modus, quo doctrina christiana propagata est. 4° Invicta, et nunquam interrupta religionis perseverantia inter tot persecutiones, quibus fuit agitata. 5° Sanguis fusus Martyrum. 6° Omnium doctissimorum, atque ipsorum adversariorum testimonium, qui fidem scrutantes defecerunt in investigationibus suis. 7° Vaticinia non solum Prophetarum, sed et Sybillarum. 8° Tandem innumera miracula, quae a viris sanctissimis in verae fidei confirmationem edita fuerunt.

Nota. Haec motiva non pariunt tantam evidentiam, ut intellectus illico, ac necessario rapiatur ad assentiendum. Quare requiritur illustratio intellectus, et motio voluntatis per gratiae auxilium.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE FIDEI.

Q. Quotuplex est necessitas respectu salutis aeternae?

R. Duplex: Necessitas necessitate medii; et necessitas necessitate praecepti.

Necessarium necessitate medii est *illud, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri salus.*

Necessarium necessitate praecepti est *illud, sine quo, culpabiliter omisso, salus non potest obtineri; sed, eo inculpabiliter omisso, obtineri potest.*

Nota. Necessarium necessitate medii dividitur in necessarium simpliciter seu absolute, et in necessarium hypothetice, seu secundum quid. Primum est illud, quod totaliter necessarium est in re, nec admittit substitutum, per quod suppleri queat. — Secundum est illud, quod est necessarium in re, vel in voto, ac proinde admittit id, quod supplere potest.

Q. Quotuplex est actus fidei?

R. Duplex, nempe internus, et externus. — Internus est *firmus mentis assensus veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis propter summam Dei veritatem in dicendo.* — Actus externus est *exterior fidei professio ore, vel opere, vel quolibet alio signo facta.*

§ 1. *De necessitate fidei quoad actum internum.*

Q. Utrum actus internus fidei fuerit semper necessarius necessitate medii ad salutem?

R. Fuit et est omnibus adultis: nam Apost. (ad Hebr. c. 11): *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et Tridentinum (sess. 6, c. 7): *Sine fide nulli unquam contigit justificatio.*

Nota. Credere actu interno tripliciter contingit, nimirum credere Deo, credere Deum, et credere in Deum. — Credere Deo est credere id omne, quod Deus revelavit, verum esse propter infinitam ejus in dicendo veracitatem. — Credere Deum est credere Deum existere ex eodem motivo. — Credere in Deum est credere affectu charitatis tendentis in Deum, tanquam in ultimum finem.

Quamvis, quod est necessarium necessitate medii ad salutem, sit etiam necessitate praecepti; tamen quoad actus internos fidei eliciendos adest etiam urgens praeceptum. Ut aperte colligitur ex hisce propositionibus damnatis ab Alexandro VII: *Homo nullo*

unquam tempore tenetur elicere actum fidei, et Inn. XI: *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.*

Q. Quandonam urget praeceptum fidei eliciendae?

R. Urget per se: 1° Post usum rationis completum ad incipiendam vitam christianam. 2° Quando infideli adulto fidei nostrae veritas sufficienter proposita est. 3 In articulo mortis. 4° Saepius in vita, idest juxta plures saltem semel in anno, et juxta nonnullos singulis mensibus.

Urget per accidens: 1° Urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequeat. 2° Quando adimplendum est praeceptum, quod fidem requirit, v. g. Confessionis, Eucharistiae etc. 3° Post lapsum in haeresim, aut fidem negatam. Ita omnes.

Q. An requirantur actus expliciti ad adimplendum hoc praeceptum fidei?

R. In illis, qui jam didicerunt, et crediderunt veritates fide tenendas, generatim sufficiunt actus impliciti. Hinc praecepto satisfacit, qui devote audit Missam, adorat Crucifixum, orat, Crucis signum format, Sacramenta recipit. Ita communiter.

§ 2. *De necessitate fidei quoad actum externum.*

Q. An extet praeceptum fidem exterius, idest actu externo profitendi?

R. Affirmative; ait enim D. August. (De fide et sym. c. 1): *Duplex officium a nobis exigit fides, cordis et linguae.* Et Apost. (ad Rom. c. 10): *Corde... creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

Q. Quotuplex est hoc praeceptum?

R. Duplex simul affirmativum, et negativum. Quatenus affirmativum praecipit confessionem externam pro certo tempore. — Quatenus negativum prohibet omni tempore negationem fidei tum internam, tum mere externam sive expresse per verba, sive implicite per signa, vel simulationes.

Q. Quo jure viget obligatio fidem exterius profitendi?

R. Aliquando viget jure naturali divino. — Aliquando jure ecclesiastico, et quidem vel generali pro toto orbe catholico, vel particulari pro particulari dioecesi.

Q. Quandonam urget jure naturali divino praeceptum affirmativum confitendi fidem?

R. In duobus casibus docet D. Thomas (2, 2, q. 3, ar. 2): *Scilicet*

quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo: aut etiam utilitas proximis impendenda.

Q. Quandonam urget jure ecclesiastico generali praeceptum affirmativum confitendi fidem?

R. Praeter baptizandos vel per se, vel per patrinos, si infantes: 1° Fidem tenentur profiteri provisi de Beneficio curato, intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, vel ejus Vicario generali, aut officiali.

2° Provisi de Canonicatu, vel Dignitàte in cathedrali coram Episcopo, vel ejus Vicario etiam in Capitulo; secus non faciunt fructus suos, nec possessio illis suffragatur.

3° Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi ante literas propriae provisionis expeditas. — Pariter debent emittere in prima Provinciali Synodo jurantes simul observandi Tridentinum.

4° Ex Pii IV Const. *Injunctum*, *et in Sacrosancta:* Superiores Regularium, et militarium: et omnes promovendi in doctores magistros, regentes, professores, cujusque scientiae liberalis sub privatione omnium dignitatum, Beneficiorum, et officiorum in eos, qui promovent ad tales gradus sine dicta fidei professione.

5° Omnes qui in Synodum Dioecesanam convenire debent.

6° Haeretici ad Ecclesiam redeuntes.

Nota. Jure ecclesiastico particulari, seu dioecesano, quod praescribitur in aliqua dioecesi: 1° Provisi etiam de Canonicatu, vel Dignitàte in collegiata. 2° Novi Confessarii, et concionatores etc.

Q. Quid prohibet praeceptum fidei negativum?

R. Tria, nempe fidem negare, falsam religionem profiteri, et falsam religionem simulare.

Corollarium 1um. Hinc graviter peccaret contra Religionem, qui a quovis interrogatus de sua religione responderet se esse turcum, vel judaeum etc. Neque excusat timor mortis, cum illud nunquam liceat, quod intrinsece malum est.

2um. Omnis simulatio in rebus Religionis, sive ad fidem, sive ad mores spectet, semper est detestanda; qui enim ea utitur, facto ostendit se esse falsae religionis sectatorem.

Benedictus XIV Consil. *Ex quo singulari* anno 1742 declaravit non licere sinensibus christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem. Quare damnati fuerunt libellatici.

Q. An quis rogatus de fide debeat respondere?

R. Rogatus in odium Religionis sive a publica, sive a privata auctoritate, debet ingenue, et clare confiteri fidem, et Religionem etiam sub periculo vitae. — Si non sit rogatus in odium fidei, distinguendum: vel est a publica auctoritate, vel a privato. Si primum debet confiteri; quia, quamvis speculative admitti possit sententia Coninchii, et aliorum, quae docet non teneri positive confiteri; tamen in praxi vix ac ne vix quidem contingit, ut quando quis a publica auctoritate publice interrogetur de fide, ejus tergiversatio, vel taciturnitas non cedat in fidei contemptum, et in grave scandalum. Adest etiam propos. damnata ab Inn. XI: *Si a potestate publica quis interrogatur, fidem ingenue confiteri ut Deo, et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.* — Si secundum non tenetur confiteri, dummodo propter circumstantias non equivaleat negationi fidei.

Q. An interrogatus de fide possit uti verbis ambiguis?

R. Negative, quando tergiversatio, vel silentium aequivalet negationi, aut erubescentiae, aut formidini, quae in iis adjunctis necessario honori Dei, vel utilitati proximi detrahant. — Affirmative, quando nullum praesentibus creatur scandalum, ac nulla apparet fidei negatio, aut formido, aut erubescentia; quia tunc nulla adest obligatio fidem confitendi.

Q. An liceat quandoque dissimulare fidem?

R. Nunquam licet simulare falsam, quia perinde id esset, ac veram exterius negare, quod intrinsece malum est. — Licet vero ex gravi causa dissimulare, seu occultare fidem veram, secluso scandali periculo, quia non semper urget praeceptum fidei confitendae. Ita S. Lig. n. 10, 12 et alii communiter.

Q. An liceat simpliciter fidem occultare?

R. Non licet, quoties urget praeceptum illam exterius confitendi; tunc enim occultare fidem idem esset, ac negare. — Si vero hoc praeceptum non urgeat, dicendum, sicut fuit dictum de dissimulatione.

Q. An liceat tempore persecutionis fugam arripere?

R. Affirmative; modo honor Dei, populique necessitas ob peculiares circumstantias aliud non expostulet; ait enim Christus (Matth. cap. 10): *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*

Q. An liceat uti signis, aut vestibus infidelium?

R. Affirmative, si sint vestes, aut signa propria alicujus regio-

nis, licet tota regio sit infidelis. — Si vero sint vestes, et signa religionis, distinguendum : si vestes, aut signa sint unice, aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes, et ornamenta, quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur, non licet iis uti. — Si vero non sint tantum distinctivae sectae a secta, tunc fieri potest ex gravi causa; quia primario sunt factae ad corpus tegendum, secundarie tantum ad sectam distinguendam. Ita probabilius Gury.

Q. An liceat catholico in haereticorum locis manducare carnes diebus ab Ecclesia prohibitis, si grave periculum immineret vitae, vel bonorum?

R. Affirmative; quia cum abstinentia a carnibus non sit instituta ad professionem Religionis, iisdem vesci die prohibito non est fidem negare.

Intellige, si grave periculum immineret; ideo non est attendenda simplex derisio, vel levis vexatio. — Pariter aliis exceptis circumstantiis particularibus : si enim per accidens ejus evaderet signum professionis fidei, ut si in odium Religionis Romanae inter convivas statueretur, tunc peccaret contra fidem.

Nota. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est.

Q. Quid si princeps mandet omnibus sub poena conciones haereticorum audire?

R. Ei non licet obtemperare, uti constat ex rescripto Pauli V ad Anglos.

Q. Peccatne in fidem catholicus, qui contrahit matrimonium coram magistratu civili, vel coram ministro haeretico?

R. Licet catholico matrimonium contrahere coram magistratu civili; modo ante, vel postea contrahat ritu catholico. — Coram ministro haeretico distinguendum; vel assistat ut minister religionis, vel ut minister politicus. Si primum non licet, etsi ante vel postea contrahatur ritu catholico; esset enim approbatio illius religionis. — Si secundum, licet.

Nota. Peccat contra fidem, qui adsistat baptismo, et coenae acatholicorum, quia haec ad caeremoniam religiosam pertinent. Sed intellige, modo acatholicorum.

Corollarium. Pro fidei nostrae dilatatione solliciti esse debemus; quia id primum locum tenet inter omnia charitatis obsequia; unde oratione, zelo, eleemosynis etc. id debemus curare.

§ 3. *De iis quae necessario sciri, ac credi debent necessitate medii.*

Q. Quaenam sunt necessaria necessitate medii scienda, et credenda?

R. 1° Quovis tempore fuit necessaria necessitate medii simpliciter, fides explicita Dei existentis, et Dei remuneratoris; ait enim Apost. (ad Heb. c. 11, 6): *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

R. 2° Ante Evangelii promulgationem necessaria fuit necessitate medii fides implicita in Christum; idest, ut communius Theologi dicunt, debebant credere, Deum homines salvaturum esse per media sibi nota: quia hic gradus videtur proportionatus imbecillitati hominum lumine revelationis positivae destitutorum; et hoc medium est Christus. Act. Ap. c. 4: *Non est in aliquo alio salus.*

R. 3° Post Evangelii promulgationem, seu nunc, disputatur inter Theologos, utrum fides explicita mysterii SS. Trinitatis, et Incarnationis sit de necessitate medii? Prima sententia, quam S. Alphonsus vocat probabiliorem, affirmat. — Secunda, quam Gury vocat probabiliorem, negat. Ita etiam Suarez, Lugo et alii.

Sed nobis videtur sic posse conciliare istas duas sententias: nempe, nunc fides explicita mysterii SS. Trinitatis, et Incarnationis requiritur de necessitate medii hypotetice, seu secundum quid; scilicet omnibus, quibus sufficienter annuntiatum est Evangelium (excepto casu hominis hebetati, qui nullomodo percipere queat haec mysteria), est absolute necessaria necessitate medii fides explicita istorum mysteriorum, tum quoad Incarnationem; quia non datur salus nisi per Christum; tum quoad SS. Trinitatem; quia fides hujus mysterii est fundamentum salutis nostrae. Nam baptismus conferri debet in nomine Patris etc.

Illis vero, quibus non est praedicatum Evangelium est necessaria necessitate medii fides implicita istorum mysteriorum; nempe credere Deum homines salvaturum esse per media sibi nota; quod certo includit Christum Redemptorem, et per consequens SS. Trinitatem. Revera repugnat divinae bonitati ac providentiae, quod damnet adultos ea invincibiliter ignorantes, qui juxta lumen naturae honeste vivunt; nam (Act. c. 10): *In omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.*

Neque valet dicere, quod Deus faceret etiam miracula, ut posset

salvare observatores legis naturalis etc. quia hoc verificatur tantum in extraordinariis, non vero in casibus, qui ordinarie eveniunt, vel evenire possunt. Istis debuit etiam providere, ut Provisor generalis, ac proinde debuit assignare medium ordinarium. Insuper si ante Christum sufficiebat fides implicita horum mysteriorum, ergo etiam post adventum sufficere debet illis, quibus Christus non est praedicatus. Christus enim media non mutavit, et post Christum conditio generis humani non in peius, sed in melius mutata est.

Q. An possit absolvi, qui ea ignorat, quae sunt certo de necessitate medii?

R. Negative; nec licite, nec valide. Quia ille ob defectum medii simpliciter necessarii incapax est justificationis: ergo etiam est incapax absolutionis. Ita omnes.

Q. An possit absolvi ignorans mysteria SS. Trinitatis, et Incarnationis?

R. Non potest nec licite, nec valide contra Gury. Quia ille nec licite, nec valide absolvitur, qui est incapax absolutionis. Atqui talis est ignorans haec mysteria. Nam damnata est ab Innoc. XI haec sub n. 64 propositio: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum etc.*

Nota. Advertit S. Alphonsus (lib. 2, n. 2), quod si qui sint adeo rudi intellectu, ut ea mysteria sub propria aliqua notione concipere nullo modo possint, hi quoad hoc comparandi sint cum infantibus, et fatuis; unde bene absolvi possunt (modo fuerint jam baptizati) in necessitate sub conditione.

Q. Quid si a poenitente in bona fide cum tali ignorantia jam peracta sit confessio?

R. Duplex est sententia: prima negat illam confessionem esse repetendam; quia fuit valida; quod enim bona fide actum est, post factum supponitur recte factum. — Secunda sententia affirmat esse repetendam: quia absurdum videtur, quod poenitens poenitentiam recipiendo ubi Salvatoris merita communicantur, non debeat illis explicite credere, et suam fidem exercere. Insuper bona fides nequit valori Sacramenti suffragare. Hanc secundam nobis amplecti arridet.

Nota 1ª. Ad absolvendum poenitentem satis esset, ut hic, Confessario ea mysteria proponente, eliciat actum fidei, licet illa addiscere hic, et nunc non possit. Ita Ballerini. Sed intellige ob gravem, et rationabilem causam. — Secus debet prius instrui.

Nota 2ª. Aliud est credere, et aliud memoriter scire mysteria. Quare pro praxi nos subscribimus Gousset, qui ait: « *In un paese* « *cattolico, dove pubblicamente si esercita il culto e si fa continuamente* « *il segno della Croce... è difficile che si possano ignorare i grandi* « *misteri della SS. Trinità, e dell'Incarnazione in modo, che le asso-* « *luzioni ricevute sieno nulle. Si può certamente conoscerli e crederli* « *senza essere in grado di enunziarli.* »

§ 4. *De iis quae necessario sciri, ac credi debent necessitate praecepti.*

Q. Quaenam sciri debent necessitate praecepti ad recte credendum?

R. Debet sciri Symbolum Apostolorum: quia in eo compendiose continetur quidquid de Deo, de Christo, et de Ecclesia est praecipue credendum.

De Deo quatuor scienda, et credenda sunt, idest quod sit: 1° Unus seu unicus in essentia. 2° Trinus in personis aequalibus, et realiter inter se distinctis. 3° Prima omnium causa, seu conditor creaturarum. 4° Remunerator, et vindex actionum nostrarum.

De Christo sex credenda, idest quod sit: 1° Filius Dei naturalis, et ideo verus Deus. 2° De Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptus, et natus. 3° Pro nobis passus, et mortuus. 4° A mortuis propria virtute redivivus. 5° In coelum ascendens, et rex gloriae in aeternum futurus. 6° Rediturus ad homines in fine saeculorum judicandos.

De Ecclesia tria credenda, idest quod sit: 1° Unica in terris sub uno capite visibili. 2° Gubernata assistentia Spiritus Sancti. 3° Infallibilis in rebus fidei, et morum.

§ 5. *De iis, quae necessario sciri debent necessitate praecepti ad recte agendum.*

Q. Quaenam sunt, quae necessario sciri debent necessitate praecepti ad recte agendum?

R. Sunt Oratio Dominicalis; Praecepta Decalogi, et Ecclesiae: Sacramenta maxime necessaria, ut sunt Baptisma, Eucharistia, et Poenitentia.

Nota 1ª. Salutatio Angelica introducta ex usu fidelium sciri debet sub levi ex communi sententia.

Nota 2ª. Summatim, et quoad substantiam sub mortali tenentur fideles praedicta scire; sed non eodem modo tenentur scire memoriter, aut eo ordine, et verbis, quibus proponuntur in Catechismo.

Nota 3ª. Nisi invincibilis ignorantia excuset, aut impotentia.

Q. An Confessarius tenetur poenitentem interrogare de scientia fidei?

R. Tenetur sub gravi, si habeat rationabile motivum dubitandi, quod sit ignarus. Quare debet cognoscere: 1° Utrum instrui debeat ante absolutionem. 2° Debet poenitentem interrogare de negligentia in iis addiscendis; quia per eam plurimi peccare solent: et si doleat cum proposito quam primum discendi, poterit illico eum absolvere. — Si secus, prius discat, et postea absolvatur.

Q. Quid, si poenitens sit in mortis articulo?

R. Si ignorantia respiciat ea, quae scitu necessaria sunt necessitate medii, debet Confessarius talem poenitentem edocere primo, quae respiciunt vitam futuram; deinde mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis, et Passionis Christi, et sic curare, ut in eo excitetur dolor peccatorum. — Si ignorantia respiciat ea, quae scitu necessaria sunt necessitate praecepti, tunc relinquat eum edocere, et curet excitare in eo dolorem peccatorum. Ita Scavini.

CAPUT II.

De vitiis fidei oppositis.

Q. Quae, et quot sunt vitia fidei opposita?

R. Duo, nempe infidelitas, et haeresis, cui adjungitur apostasia.

ARTICULUS I.

DE INFIDELITATE.

Q. Quid est infidelitas?

R. Est *carentia fidei in subjecto apto.*

Q. Quotuplex est infidelitas?

R. Triplex, nempe pure negativa, privativa, positiva.

Pure negativa est carentia fidei in eo, cui fides nullo modo, vel non sufficienter est annuntiata.

Privativa est carentia fidei in illo, cui annuntiata est fides; sed omittit credere ob negligentiam, vel aliam causam.

Positiva est carentia fidei in eo, qui veritatem fidei sufficienter sibi propositam negat, vel errorem fidei contrarium asserit.

Q. An, et quodnam peccatum sit infidelitas?

R. 1° Infidelitas pure negativa non est peccatum; contrarium est damnatum a Summis PP. Pio V, et Greg. XIII in hac prop. Bai: *Infidelitas pure negativa... est peccatum.*

R. 2° Infidelitas privativa est peccatum mortale ex genere suo, quia voluntarie omittit credere, quod potest, et debet: *Qui non credit jam judicatus est* (Joan. c. 3, v. 18).

R. 3° Infidelitas positiva est gravissimum peccatum ex genere suo mortale; quia continet gravem injuriam, atque contemptum divinae auctoritatis.

Q. Quot sunt species infidelitatis?

R. Sunt duo, nempe paganismus, et judaismus.

Paganismus est *infidelitas illius, qui neque in re, neque in figura fidem suscepit.*

Judaismus est *infidelitas illius, qui fidem suscepit in figura, sed non in re.*

Q. An Ecclesia, vel per se, vel per principes christianos possit compellere Paganos, Judaeos, et alios infideles ad fidem amplectendam, seu profitendam?

R. Vel isti sunt temporaliter subjecti Ecclesiae, aut principibus christianis, vel non. Si primum, potest Ecclesia per se, aut per principes eos compellere ad fidem audiendam, non vero ad profitendam: quia principes saeculares possunt praecipere quidquid est in ordine naturali rectum, et honestum. — Si secundum, Ecclesia, nec per se, nec per principes christianos compellere potest illos, nec ad fidem audiendam, nec ad amplectendam; quia credere *voluntatis est*, ait D. Thomas. Sed non potest cogere voluntatem ad credendum: ergo etc.

Nota 1. Attamen si principes infideles impediant praedicationem Evangelii persecutione, vel aliis malis artibus, potest Ecclesia per se, vel per principes catholicos eos compellere ad evangelicos praecones admittendos, et a suis malis artibus in subditos christianos cessare. Non vero eos compellere ad fidem amplectendam, ut dixi-

mus. Ita D. Thomas (2, 2, q. 10, ar. 8). Ratio est; quia Ecclesia accepit auctoritatem a Christo *docendi omnes gentes*.

2ª. Infideles quamdiu suam sectam bona fide judicant probabiliorem, vel aeque probabilem, ac nostra Religio; vel sunt omnino persuasi nos versari in falsam doctrinam, non peccant degentes in illa falsa religione: quia tunc fides eis habetur, ut nondum eis sufficienter manifestata. Imo, stante hac persuasione, non possunt nostram doctrinam amplecti, quia agerent contra conscientiam. — Si vero eis oriatur aliquod dubium circa veritatem eorum religionum; tunc adest eis stricta obligatio inquirendi Religionem veram, et pariter nos audiendi, et postea illam amplectendi.

§ *unicus. De tolerantia cultus infidelium, et de fidelium communicatione cum infidelibus.*

Q. An principes christiani possint licite permittere paganos, et alios infideles inter christianos commorari, et suos ritus peragere, seu libertatem cultus donare?

R. Per se loquendo negative, nisi ex gravissima et justa causa; quia principes non possunt absque gravissima causa permittere vitia minora; ergo a fortiori majora.

Nota. Ast haereticos, vel infideles promovere, fovere, atque catholicis illos in omnibus coaequare non solum est gravissimum peccatum; sed est etiam destructivum verae Religionis, societatisque civilis.

Q. Quaenam est justa causa ad hanc libertatem tolerandam?

R. Praecipua est commune bonum Catholicae Religionis. Probabilius etiam fieri posset ad impediendum gravissimum damnum temporale regni, contra Charmes, qui contrarium sentit.

Q. An liceat fidelibus communicare cum infidelibus?

R. Duplex est communicatio, civilis et religiosa. Prima consistit in rebus ad commercium civile et politicam societatem pertinentibus; et haec per se non est vetita, Apost. (1 ad Cor. 10) ait: *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate*. Diximus *per se*, nam per accidens est prohibita, si sit nimis familiaris; quia periculosa.—Secunda consistit in rebus spectantibus ad religionem; et haec est vetita jure tum naturali, tum divino; est enim quaedam approbatio falsae religionis. — Sed excluso scandalo et perversionis periculo, ac peculiari prohibitione probabi-

liter non est mortale adire eorum synagogas, vel nuptiis, aut sepulturae interesse; quia haec habentur ut conventus mere civiles. Ita dicendum etiam quoad templa etc. haereticorum. Ita S. Lig. n. 16, Scavini, Gury et alii.

ARTICULUS II.

DE HAERESI ET APOSTASIA.

Q. Quid est haeresis?

R. Est *error voluntarius et pertinax contra aliquam Fidei Catholicae veritatem in eo, qui se christianum profitetur.*

Q. Quot et quae requiruntur ad haeresim formalem?

R. Tria, nempe professio Christianismi ex parte subjecti. — Error, vel dubium positivum ex parte intellectus. — Pertinacia ex parte voluntatis.

Q. Quotuplex est haeresis?

R. Haeresis dividitur: 1° In materialem et formalem. *Materialis* est ea, qua quis aliquid credit fidei contrarium ex pura ignorantia, seu errore. — *Formalis* est error voluntarius et pertinax circa aliquam veritatem catholicam.

2°. Dividitur in mere internam, et in mere externam; et in internam et externam simul. *Mere interna* latet in mente, et nullo signo manifestatur. — *Mere externa* ore tantum, vel facto, et non corde negat aliquam veritatem fidei. — *Interna et externa simul*, quae est in mente, et exterius manifestatur.

3°. Haeresis externa subdividitur in manifestam et occultam. *Occulta* est ea, quae nemini, aut paucis innotescit. — *Manifesta* est ea, quae patet compluribus.

Nota. Haeresis sive materialis, sive tantum externa, non est haeresis proprie dicta; nam prima caret pertinacia, secunda errore intellectus.

Q. An dubius in fide sit haereticus?

R. Qui dubitat positive, est haereticus formalis: *Dubius in fide, infidelis est*, ait Apost. — Qui dubitat negative, nempe suspendens judicium circa aliquod determinatum dogma, distinguendum: si dum suspendit judicium circa dogma aestimat, seu aliquo modo approbat motiva fidei contraria, tunc est haereticus formalis. —

Secus, non est haereticus; quia nullam injuriam facit fidei. Ita Cuniliati, Sylvius, Scavini et alii.

Q. An culpa mortalis extinguat in nobis fidem veram ac divinam?

R. Negative. Quia essentia fidei divinae consistit in assensu voluntatis nostrae rebus a Deo revelatis ob auctoritatem ipsius Dei; non vero in operibus: Apostolus ait (Epist. 1 ad Cor. c. 13): *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Fides, quae montes transfert, est fides vera ac divina: ergo..... Insuper Conc. Trid. (sess. 6, can. 28) definivit: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti: aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva: aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit.*

Q. An Ecclesia potest compellere ad veram fidem haereticos et apostatas?

R. Affirmative: potest eos compellere tam armis spiritualibus, quam temporalibus, ut impleant fidem in baptismo susceptam, et teneant, quod semel susceperunt; quia sunt ejus subditi, et quia accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam, est necessitatis.

Nota. De filiis haereticorum etc., qui sunt in bona fide adeo, ut nullum dubium habeant de propria religiône, idem dicendum quod dictum fuit de infidelibus quamdiu suam sectam bona fide judicant probabiliorem, vel veram.

Q. Quale peccatum sit haeresis, et qui legitimus sit ejus judex?

R. Ad 1um. Est maximum peccatum in specie infidelitatis: quia est positivus et voluntarius contemptus auctoritatis divinae, ideo immediate et directe contra Deum: Joan. (Ep. 2): *Nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.*

R. Ad 2um. Jure (cap. 18 de Haer. in 6) definitum est, quod Pontifex sit judex haeresis pro toto orbe cum Sac. Congregatione Cardinalium generalium Inquisitorum: Episcopus pro tota dioecesi: Vicarius Capitularis sede vacante.

Nota. Vicarius Capitularis probabilius non potest procedere contra exemptos sine speciali Apostolicae Sedis delegatione; quia succedit Episcopo in iis tantum, quae sunt de jure ordinario, non in potestate jurisdictionis delegata, quam habent Episcopi respectu exemptorum.

§ 1. *De obligatione denuntiandi haereticos, et de poenis in eos constitutis.*

Q. An haeretici denuntiandi sint?

R. Affirmative, ex Constitutione *Noveritis* Nicolai III (anno 1580). Unde denuntiandi vigore hujus legis; et ubi non viget, denuntiandi saltem jure naturali: quando enim agitur de gravi damno evitando in Ecclesia et in personis, jus naturale graviter obligat.

Q. Sub qua poena tenemur haereticos denuntiare?

R. Sub nulla poena simplices haereticos: sub poena vero excommunicationis latae sententiae Papae simpliciter reservatae donec non denuntiaverimus, tenemur denuntiare occultos coryphaeos ac duces sectae Massonicae, aut Carbonariae, vel alterius haereticae sectae ejusdem generis, quocumque nomine appelletur.

Q. Quando urget haec obligatio denuntiandi?

R. Intra dies triginta ab habita haeretici cognitione ex decreto Sac. Inquisitionis, an. 1677. — Ante ipsam correctionem fraternam: cum agatur de bono publico. — Etiamsi sciatur sub secreto naturali, vel sub juramento non manifestandi. — Etsi haereticus sit mortuus, vel emendatus. — Etiamsi haereticus jam sit ab aliis denuntiatus; quia ex pluribus testibus facilius convincitur reus. — Etiam cum quis sit tantum de haeresi suspectus, aut credens, aut fautor, aut receptator haereticorum (cap. 8 de Haer. in 6).

Q. Quinam suspecti de haeresi habendi sunt?

R. 1° Confessarii ad turpia sollicitantes, vel sigillum frangentes. 2° Voto solemni obstricti, si matrimonium contrahant. 3° Rei polygamiae simultaneae. 4° Saeculares Missam celebrantes, vel confessiones audientes. 5° Superstitiosi, si superstitio sit cum conscientia peccati, et in hoc comprehenditur etiam pactum cum daemone. 6° Blasphemi haereticales. 7° Haereticorum praedictorum denuntiationem dissuadentes; nisi fiat ex amicitia. 8° Sectis clandestinis nomen dantes.

Q. Quaenam sunt signa haeresis materialis et formalis?

R. Ad 1um. Censendus est haereticus materialis tantum: 1° Qui paratus est, se submittere judicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit. 2° Qui de vera fide nihil cognovit, et de sua Religione nunquam dubitavit. 3° Qui dubitans cognoscere studuit veritatem, quantum potuit.

R. Ad 2um. Haereticus formalis est: 1° Qui dubitat, nec vult ul-

terius inquirere. 2° Qui avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis, ut suae sectae adhaereat. 3° Qui agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae.

Q. An sit haereticus formalis, qui fidem externe tantum negat?

R. Negative: quia in eo non est assensus pertinax contra fidem: ac proinde in foro conscientiae haereticorum poenas non incurrit; quamvis graviter peccet contra praeceptum fidei.

Q. Quinam dispensantur ab hac denuntiatione facienda?

R. 1° Delinquens: quia nemo tenetur propriam prodere turpitudinem.

2° Qui nequit denuntiare sine gravi incommodo, ut definivit Sac. Congreg. 22 jan. 1729.

3° Parentes usque ad quartum gradum inclusive.

4° Qui noscit nullam esse spem emendationis; nam ad opus inutile nemo tenetur.

Nota. D. Alphonsus (Op. Mor., lib. 3, n. 27; lib. 4, n. 249 et seq.) docet etiam consanguineos teneri denuntiare haereticos formales ob bonum publicum. — Ast videtur melius limitare hanc obligationem consanguineorum ad denuntiandos tantum haeresiarcas et haereticos dogmatizantes; nisi enim magnum afferant damnum Ecclesiae, est nimis durum consanguineis simplices formales haereticos denuntiare. Quare omnes, nemine excepto, tenentur tales haereticos denuntiare. Intellige, secluso gravissimo damno praesertim vitae.

Q. Quaenam sunt poenae in haereticos constitutae?

R. Sunt: 1° Excommunicatio latae sententiae speciali modo Papae reservata ex Const. Pii IX.

2° Inhabilitas ad officia, dignitates, et Beneficia ecclesiastica, quae extenditur ad ipsorum filios usque ad secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat.

3° Privatio jurisdictionis spiritualis, quoad illos, qui nominatim sunt denuntiati.

4° Privatio Beneficiorum prius rite obtentorum. Unde fructus statim cessant (ex Sexto lib. 5, tit. 2, cap. 12); sed ad illum privandum de possessione, requiritur sententia declaratoria criminis ex Sac. Conc. Congregatione.

5° Privatio sepulturae ecclesiasticae.

Nota. Mandantes, seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae

haereticos notorios incurrunt excommunicationem latae sententiae non reservatam. Ita Const. Pii IX.

Q. An dictas haereticorum poenas incurrant ipsorum receptatores, defensores, fautores, credentes?

R. Incurrunt excommunicationem speciali modo Papae reservatam juxta Const. Pii IX; et inhabilitatem ad officia, dignitates, et beneficia ecclesiastica.

Q. An qui haereticos recipit ratione amicitiae, vel consanguinitatis, in relatas poenas incurrat?

R. Duplex est sententia: prima affirmat; quia virtualiter defendendo personam; haeresis defenditur. — Secunda valde probabiliter negat; non enim favet haeretico, ut haeretico.

Sed nos distinguimus: si sit haeresiarca, vel haereticus dogmatizans, affirmative; quia malum publicum in hac re summi momenti debet evitari etiam privati sacrificio cujuscumque generis sit. — Secus negative; quia hoc magnum incommodum personae consanguineae non obligat ad dictam legem observandam; modo non sit periculum perversionis.

Nota. Si non obstante receptatione, haereticus incidat in manus judicis; tunc nonnulli negant poenas incurri. Sed contrarium nobis arridet: quia verificatus est effectus favoris.

Q. Quaenam haeresis habet dictas poenas adnexas?

R. 1° Haeresis interna occulta nullas habet poenas adnexas; quia *Ecclesia non judicat de occultis* (can. *Sicut de Simon.*).

R. 2° Haeresis externa occulta, idest externata voce, vel scripto, vel nutibus nemine praesente, aut sciente, habet adnexam excommunicationem Papae speciali modo reservatam: quia semper verificatur haeresis externa.

R. 3° Haeresis notoria praeter dictam excommunicationem habet adnexas alias recensitas poenas.

Q. Quid requiritur, ut christianus excommunicationem ob haeresim incurrat?

R. Ex parte christiani requiritur, ut sciat illam esse haeresim, et excommunicationem pro ea adesse; hoc enim censurae proprium est. — Ex parte haeresis requiritur: 1° Ut sit formalis, nempe ut errori adhaereatur cum pertinacia voluntatis. 2° Ut exterius manifestetur, etiamsi nemo sit praesens, vel sciat. Si manifestetur ad modum petendi consilium, vel purae argumentationis causa, non intelligitur exterius manifestata.

Nota. Poenae temporales contra haereticos jure canonico sunt infamia juris, ideo inhabilitas ad omnes actus civiles. — Privatio patriae potestatis in filios. — Amissio dotis respectu mulieris haereticae. — Confiscatio omnium bonorum. — Poena carceris perpetui etc. — Eorum filii sunt infames, et privantur haereditate paterna. Animadverte, quod hae poenae temporales in diversis locis locum non habeant.

§ 2. *De absolutione ab haeresi, et communicatione cum haereticis.*

Q. An simplex Confessarius possit ab haeresi absolvere?

R. Cum distinctione: vel per haeresim poenitens incurrerit excommunicationem, vel non. Si primum non potest, quia est Papae specialiter reservata. — Si secundum potest, quia reservatur propter ipsam censuram.

Q. An Episcopus possit ab haeresi absolvere?

R. Cum distinctione: vel haeresis licet formalis, et externa est deducta aliquo modo in forum externum Episcopi, aut inquisitoris; vel non. — Si fuerit deducta, Episcopus, et inquisitor possunt absolvere in utroque foro ab ipsa haeresi: nam qui res cognoscere potest, poterit etiam eas terminare. — Si non fuerit deducta, tunc non possunt, juxta Benedictum XIV (De Syn. Dioec., lib. 9, c. 4), et juxta Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX: igitur hodie, non obstante facultate concessa a Tridentino, non amplius licet Episcopis absolvere in foro interno ab haeresi occulta; nisi agatur de impeditis; hi enim possunt absolvi ut dictum fuit.

Nota 1ª. Poterunt Episcopi absolvere ab irregularitate ideo incursa, quia sunt diversae facultates ad diversos actus, et una tantum ipsis est sublata.

2ª. Tam Episcopus, quam inquisitor possunt poenitentem haereticum, postquam suos ejuraverit errores, ad simplicem Confessarium remittere ut absolvatur, ex Bened. XIV. — Intellige, si haeresis deducta fuerit ad eorum forum externum.

3ª. Quando a Superiore datur inferiori facultas ab haeresi absolvendi, addi solet in rescripto *servatis de jure servandis*: quae indicant poenitentem non tantum esse obligandum ad abjurandam haeresim, sed etiam ad complices denuntiandos, libros haereticos

cui de jure tradendos, scandala reparanda, damna resarcienda, occasiones fugiendas etc.

Q. An prohibita sit cum haereticis communicatio?

R. Cum distinctione: vel haereticus est specialiter, et nominatim excommunicatus; vel non. — Si primum non licet, prout statuit Martinus V (Const. ad evitandas edit. in Conc. Const.). — Si secundum subdistinguendum: vel est communicatio civilis, vel religiosa, idest in divinis. Si primum, licet, secluso periculo scandali, et perversionis.— Si secundum, non licet, quia est prohibitum sub gravi juxta illud D. Pauli Ap.: *Haereticum hominem devita*.

Nota. Unde non licet extra necessitatem extremam Sacramenta ab ipsis recipere, ut pluries declaravit S. Congr. Sancti Officii. — Sed schismatici possunt tolerari cum comitentur funera nostra, causa honoris civilis; modo ritibus nostris non se immisceant. Ita Scavini.

Q. Quid dicendum de catholicis, qui seipsos conferunt ad provincias haereticorum?

R. Pro Italis praecepit Clemens VIII Constit. *Cum sicut*: 1° Ut nemo audeat habitare in locis haereticorum, ubi non exstat ecclesia cum Sacerdote catholico. 2° Ne eorum sepulturis intersint; nec haereticorum filios levare praesumant de sacro fonte; excipe, si baptizentur a Sacerdote catholico. 3° Ne utantur medicis haereticis extra articulum necessitatis.

Q. An liceat catholicis audire religiosas haereticorum conciones, funus illorum deducere, sacris eorum interesse, aut nuptiali eorum convivio?

R. Distinguendum; si ex consuetudine regionis et communi judicio haec agere non habeatur ut signum professionis fidei, licet; seclusis tamen, et periculo perversionis, et communicatione impietatis, et speciali prohibitione; quia haec omnia, vel reputantur adunationes mere civiles, vel adscribuntur merae curiositati. — Si secus, non licet.

Q. An prohibita sit cum haereticis disputatio?

R. Jure ecclesiastico prohibita est omnibus laicis sub poena excommunicationis ferendae sententiae; sed (communius cum Suarez) si fiat absque Episcopi venia, aut extra casum magnae utilitatis, et inductae consuetudinis.— Clerico sive publica, sive privata permittitur; dummodo in ipso sit sufficiens doctrina, et redundet in proximorum utilitatem.

Q. An discrepent inter se haeresiarca, haereticus, atque dogmatizans?

R. Affirmative. Nam haeresiarca dicitur, qui haereses invenit, vel suscitavit, vel qui haereticorum caput, aut dux est. — Simplices haeretici sunt, qui pertinaciter tenent errorem contra fidem; quin tamen aliis eundem persuadere studeant. — Haeretici vero dogmatizantes sunt, qui ex professo haeresim publice, vel private alios etiam docent voce, vel scriptis.

§ 3. *De apostasia.*

Q. Quid est apostasia?

R. Apostasia a fide est *totalis defectio*, *seu recessus a fide christiana per Baptismum suscepta.*

Cum apostasia sit vera haeresis iisdem poenis subjicitur.

Apostasia duo praesefert peccata immanissima, unum nempe desertionis christianae veritatis; alterum professionis falsae sectae.

Dantur aliae species apostasiae, nempe: 1° Ab obedientia, quando justis Superiorum praeceptis obedire homo recusat. 2° Ab Ordine, quando Clericus sacris Ordinibus initiatus deserit habitum clericalem, ut more laicorum procedat, et vivat. 3° A Religione, quando quis emissa jam professione, sine licentia tamen recedit a statu religioso.

Nota. Dicimus cum cl. Perrone quod sint rei apostasia virtuali, et interpretativa, qui nostris temporibus: 1° Deliberata malignitate laudibus probant injurias et contemptus, quibus increduli et haeretici Ecclesiam afficiunt. 2° Qui deliberate convicia faciunt Papae, Episcopis, Sacerdotibus, Religiosis quatenus Dei ministris, eosque derident, vel persequuntur. 3° Qui in theatris sacra, et sacros ministros ridiculis scenis repraesentant. Item adstantes his plausum facientes. 4° Qui proponunt, vel approbant leges Religioni Catholicae contrarias. 5° Qui publice reprobant dispositiones, et leges Ecclesiae, easque violant ad ostendendum contemptum, quem de ipsis faciunt.

Omnes isti licet forsan censuris in apostatas decretis irretiti non sint; nihilominus ante Deum, et ante homines sunt tanquam veri apostatae.

ARTICULUS III.

DE LECTIONE LIBRORUM PROHIBITORUM.

Q. An Ecclesia habeat auctoritatem prohibendi libros?

R. Affirmative: quia libri, qui Religioni, et moribus officiunt, extirpandi sunt; et Ecclesiae competit illos extirpare, ipsi enim dictum fuit: *Pasce agnos meos*, *pasce oves meas.*

Q. An prohibita sit librorum haereticorum lectio?

R. Est prohibita a Pio IV, et a Pio IX in Constitutione, qua limitantur censurae.

Q. An detur discrimen inter librum a Sancta Sede damnatum, et librum ab eadem prohibitum?

R. Negative. Apud Theologos, et Canonistas prohibitio, et condemnatio solent adhiberi promiscue, tamquam pure synonima. Ita Scavini.

Q. An Episcopus possit, imo et debeat in propria Dioecesi libros malos proscribere?

R. Affirmative; et Pius IX epist. circulari 24 aug. 1864 ad omnes Episcopos haec omnia renovat, ac firmat.

Q. An qui moraliter certus est, nullum sibi imminere perversionis periculum, legere possit absque licentia libros prohibitos?

R. Sententia communissima, et sequenda omnino negat: cognita enim lege, non est subditi sciscitari rationem legis; sed studere observantiae: aliter nullae leges essent firmae.

Q. A quo licentia legendi libros prohibitos est impetranda?

R. A solo Pontifice, vel a Congregationibus S. Officii, aut Indicis: et ex Urbani VIII Constitutione hoc jus fuit concessum Magistro sacri Palatii pro Roma, ac suo districtu. — Episcopi nequeunt hanc licentiam concedere, nisi quoad libros ab ipsis prohibitos.

Nota. Qui nescit discernere lepram, et lepram; vel non sit satis firmus in bono proposito, non potest tutus eos legere, licet licentiam obtinuerit.

Q. In quot classes dividuntur libri prohibiti?

R. Post Constit. *Apost. Sedis* dividuntur in duas veluti classes; nempe in libros sub culpa, et poena probibitos; et in libros sub culpa tantum prohibitos. — In dicta prima classe sunt prohibiti: 1° Libri apostatarum a christiana fide, ed haereticorum haeresim

propugnantes. 2° Libri cujusvis auctoris (sive haeretici, sive non haeretici) per Apostolicas litteras nominatim prohibiti (expresso videlicet libri titulo). — In dicta secunda classe comprehenduntur omnes alii libri quacumque alia ratione prohibiti, et quacumque de materia pertractent.

Poena est excommunicatio latae sententiae speciali modo Papae reservata ex Const. *Apost. Sedis.* Quare incurrunt in hanc excommunicationem omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae praedictos libros, et eosdem libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

Nota 1ª. Cognoscitur, quod libri sint prohibiti per Apostolicas litteras, quando in ipsis litteris legitur: *De Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine, vel Apostolica auctoritate:* hae enim omnes generico nomine appellantur Litterae Apostolicae.

2ª Non sufficit indicatio librorum, ut dici possint *nominatim* prohibiti; sed necessarium est ut libri nominentur per suos proprios titulos.

3ª Libri apostatarum a christiana fide et haereticorum, in quibus haeresis simpliciter traditur, quin propugnetur, non comprehenduntur sub hac censura.

4ª Neque videntur comprehendi sub hac censura libri eorum, qui credunt dictis apostatis et haereticis, vel libri fautorum et defensorum dictorum haereticorum, si haeresim propugnent; quia prohibentur libri eorum, qui ad haereticorum sectas formaliter pertinent, seu ad veros certosque haereticos.

Q. Quot conditiones requiruntur ut libri sint prohibiti in dicta prima classe?

R. Tres praeseferre debent conditiones, quarum prima est, ut sint apostatarum a christiana fide, vel haereticorum; altera, ut haeresim contineant; tertia, ut eandem haeresim propugnent.

Nota 1ª. Per verba *Apostolicas Litteras* non intelliguntur Decreta Indicis librorum prohibitorum; Apostolicae enim litterae sunt quae nomine Romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma Brevis, sive in forma Bullae, vel alia quavis forma.

2ª. Quando libri prohibentur sub dicta poena et sub culpa, qui eos legunt sine dicta auctoritate, vel retinent, imprimunt et defendunt, peccant mortaliter, et incurrunt dictam excommunicationem. — Quando prohibentur sub culpa tantum, qui eos legunt etc., peccant tantum mortaliter; quia trasgrediuntur gravissimum Ecclesiae praeceptum cum maximo spirituali eorum detrimento.

Q. Quia requiritur, ut incurratur dicta excommunicatio ab iis, qui legunt libros haereticorum?

R. 1° Ut auctor libri sit apostata a fide, vel sit damnatus ut haereticus, aut liber sit per Apostolicas litteras nominatim prohibitus. 2° Ut liber apostatarum a christiana fide et haereticorum haeresim propugnet. 3° Ut lectio fiat scienter; quia ignorantia etiam crassa (non vero affectata) excusat. 4° Ut lectio sit in materia notabili.

Nota 1ª. Communiter in hac re admittunt parvitatem materiae: sed in ipsa assignanda non conveniunt. Melius videntur dicere cum Croix et aliis: si legens statim offendat in doctrinam, quae directe fidei versatur, statim post paucas lineas excommunicationem incurrit; quia jam periculo perversionis se exponit. — Secus non incurreret, nisi post notabilem lectionem, v. g. duarum, vel trium paginarum. — Ast potest incurri etiam in notabili lectione proemii, aut indicis libri.

Nota 2ª. Non incurrit excommunicationem, qui legeret librum pagani, turcae, vel alterius infidelis, licet errores contra fidem contineret et propugnaret.

Q. Quid si error in libro fuerit abrasus?

R. Duplex est sententia: prima cum Croix affirmat posse legi. — Secunda cum Suarez negat. Sed nos distinguimus cum Sporer et Scavini: si liber tractet ex professo de religione, remanet semper prohibitus. — Secus vero, si ita de religione non tractet.

Q. Quid, si legatur tantummodo haeretici concio, vel epistola seorsim edita, vel folia libri errantia?

R. Quoad epistolam et concionem, plerique negant censuram incurri. Sed nos cum Salmant., Scavini et Gury affirmamus, quia S. Concilii Congreg. respondit nomine libri comprehendi conciones, lectiones, disputationes et similes parvae scripturae, licet transcriptae.

Quoad folia negamus, quia non legit librum; sed libri fragmenta — Sic dicendum cum Suarez et communi Theologorum, si legantur aliqua volumina haeretici, quae non habent connexionem prohibitis cum aliis voluminibus ejusdem; nec continent aliquam haeresim.

Q. Quid de haereticorum manuscriptis?

R. Duplex est sententia: una affirmat legi posse. — Altera, cui nos cum Suarez, Scavini et aliis adhaeremus, negat; quia ma-

nuscripta saepe librorum nomine insigniri solent; imo sunt veri libri.

Q. An ephemerides, seu diaria eorumdem haeresim propugnantia sub dicta excommunicatione sint prohibita?

R. Quamvis declaratio S. C. Inquisitionis an. 1832 directa ad Episcopos Helvetiae affirmet sub legibus librorum prohibitorum comprehendi et diaria (*giornali*); attamen hodie cum sit poena gravissima, nempe excommunicatio speciali modo Pontifici reservata, stricte articulus dictae Constitutionis est interpretandus: unde non sunt sub recensita censura prohibita; quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.

Possunt tamen prohiberi sub culpa gravi, ut revera interdum prohibentur.

Q. Utrum audientes legentem libros prohibitos incurrat in censuram?

R. Negative; quia non legit. Sic pariter dicendum de illo, qui mandat, vel consulit lectionem.

Nota. Qui ex necessitate legit ad convincendum haereticum, si non pateat recursus ad Superiorem, non incurrit excommunicationem. — Nec qui parvo tempore librum retinet, v. g. uno, vel altero die; neque si retineret ad exspectandum opportunum tempus, ut Superiori tradat, incurrunt excommunicationem. Ita S. Lig., n. 284, 183.

Q. An Sacra Congregatio debeat ante prohibitionem audire auctorem libri, si dignoscatur?

R. Negative, per se loquendo. Sed optat S. Sedes, ut auctor, si causam suam tueri velit, audiatur, praesertim quando agitur de auctore catholico magni nominis.

Q. An requiratur regium exequatur pro obligandis fidelium conscientiis circa librorum prohibitionem?

R. Negative: quia potestas prohibendi malos libros ad Ecclesiam pertinet jure divino.

Nota. Constitutiones Pontificiae nequeunt in statu publicari sine regio exequatur, si respiciant disciplinam tantummodo; ideo non obligant non publicatae juxta concordatum, si adsit. Sed secus dicendum de Constitutionibus Pontificiis, quae respiciunt dogmata et mores.

Q. Quid de libris, quos romanenses (*romanzi*) dicunt?

R. Cum distinctione: si sint graviter obsceni, mortaliter pec

cant auctores et librarii, qui eos imprimunt et vendunt. Pariter mortaliter peccant eos legentes, si adsit periculum peccandi. — Venialiter si tantum curiositate, secluso omni peccandi periculo.

Si libri non sint graviter obsceni, saepe peccant mortaliter auctores, ob occasionem ruinae, quam praebent. — Ordinarie excusantur a peccato mortali venditores. — Recurrit eadem distinctio pro legentibus.

Q. An liceat dominis hospitiorum (vulgo *caffè*) quaevis folia publica hospitibus exhibere?

R. Possunt exhibere, quae de rebus politicis tractant, quamvis haec interdum aliquid minus rectum quoad Religionem vel mores contineant. Ita Gury. — Secus, si evidenter et ordinarie sint Religioni et moribus adversa, aut insidiosa et subversiva; quamvis hospites aliter confluere desinant.

Q. Ad quid tenetur qui habet libros prohibitos?

R. Licet communiter a censura excusetur, qui librum vetitum comburit; tamen est praeceptum sub gravi, ut tradatur Inquisitoribus, vel Episcopo, ex Const. Pii IV *Dominici Gregis*, et Bulla Julii III.

Q. An libri prohibiti sint domino reddendi, si eos retinendi facultatem non habeat casu, quo illos petat?

R. Negative: excipe si nequeant denegari sine gravi incommodo. — Contristatio, aut timor dissolvendae amicitiae non est causa sufficiens libros reddendi.

Q. An absolvi possint, qui sectis nomen dederunt, quos licet emissi juramenti poeniteat; externe tamen cum iisdem sociis adhuc communicant?

R. Negative; satis non est, quod erroribus quis interne renuntiat, si externe eosdem profiteri videatur. Ita Congreg. S. Officii, 5 jul. 1837.

Q. Sub qua poena prohibetur dare nomen sectis?

R. Cum distinctione: prohibetur sub excommunicatione speciali modo Pontifici reservata si agatur de sectis haereticorum, aut apostatarum a christiana fide, prout est v. gr. secta Luterana, Pelagiana etc., et secta eorum, qui dicuntur *Liberi cogitatores*. Item prohibetur sub iisdem poenis contra haereticos statutis. — Prohibetur sub excommunicatione simpliciter Pontifici reservata, si agatur de sectis, quae contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu

palam, seu clandestine machinantur, prout est v. gr. secta Massonica, aut Carbonaria, secta Fenianorum etc.

Adest insuper excommunicatio Papae reservata in eos iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes. — Item in non denuntiantes harum sectarum occultos coryphaeos ac duces. Ita novissima Constitutio Pii IX.

Q. An legi possit versio Bibliorum in lingua vulgari, si facta sit a catholicis viris?

R. Vel adnexas habeat adnotationes desumptas a sanctis Ecclesiae Patribus et viris doctis vere catholicis; vel non. Si primum licet. Si secundum non licet sine licentia Sedis Apostolicae, quae sibi hanc licentiam reservavit. Ita expresse declaravit S. Indicis Congregatio, 12 junii 1757, confirmavit 1836.

Nota. Unde, qui sine licentia legit versionem sine adnotationibus factam a catholicis peccat mortaliter; quia facit contra grave praeceptum Ecclesiae.

CAPUT III.

De spe.

Q. Quid est spes?

R. Est *virtus theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem aeternam, et media illius consequendae a Deo exspectamus.*

Q. Quotuplex est spes?

R. Dividitur in habitualem et actualem. — In formatam seu vivam, et informem seu mortuam.

Spes *habitualis* est habitus nobis a Deo infusus, actuum spei elicitivus cum auxilio gratiae actualis.

Actualis est ea, quae actus elicit, quibus aeternam beatitudinem exspectamus.

Informata seu viva est ea, quae in subjecto conjuncta est cum charitate.

Informis seu mortua est ea, quae caret gratia sanctificante.

Nota. Spes habitualis perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel praesumptionis non expellatur.

Q. Quotuplex est obiectum spei?

R. Duplex, materiale et formale. — *Materiale* est res, quae speratur. — *Fōrmale* est motivum, propter quod speratur.

Q. Quodnam est objectum materiale spei?

R. Objectum materiale primarium est Deus ipse possidendus, juxta illud Gen. xv, 1: *Ego ero merces tua magna nimis.* — Secundarium vero, sunt omnia media ad Deum possidendum necessaria; quia eodem actu, quo finis efficaciter appetitur, media etiam, saltem implicite, appetuntur.

Q. Quodnam sit objectum formale spei?

R. Spes spectata prout est amor nostrae beatitudinis, est bonitas Dei relative ad nos; quia per hanc bonitatem movemur et excitamur ad amandum Deum amore spei. — Spectata, ut est tendentia in beatitudinem, est omnipotentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Christi promissa; quia est id, quo movemur et excitamur ad Deum, ut summum nostrum bonum certa cum fiducia exspectandum. Ita D. Thomas.

Q. An spes theologica sit in beatis, in damnatis, et haereticis?

R. Non est in beatis; quia jam gloriam possident. — Non in damnatis; Proverb. enim c. 8 dicitur: *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes.* — Non est in haereticis; quia non habent fidem, quae est fundamentum spei.

Q. In quibus spes reperitur?

R. In justis viatoribus, ut definivit Innoc. XI contra Semiquietistas; nam operantur propter retributionem. — In animabus purgatorii; quia remanet eis fides, et beatitudo est eis absens, et ardua obtentu. — In catholicis impiis; quia quolibet peccatum non opponitur spei, sed sola desperatio, et praesumptio.

Q. Utrum spes sit certa?

R. Est certa ex parte Dei; Eccl. 2: *Scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* — Est incerta ex parte nostri; quia pendet ex conditione custodiae mandatorum Dei usque in finem: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Ap. ad Philip. 2.

Q. Utrum actus spei sit necessarius, necessitate tam medii, quam praecepti?

R. Ad 1um. Affirmative in adultis; Apost. ad Rom. c. 8: *Spe salvi facti sumus.*

Ad 2um. Affirmative; nam Ap. 1 ad Tim. c. 6 dicit: *Divitibus hujus saeculi praecipe . . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.*

Nota. Vide quid dictum sit de necessitate fidei, sic dicendum de spe.

Q. An Confessarius in suo poenitente spem excitare debeat?

R. Affirmative: requiritur enim ad veniam peccatorum obtinendam juxta Tridentinum.

CAPUT IV.

De vitiis spei theologicae oppositis.

Q. Quaenam spei opponuntur?

R. Duo, desperatio, et praesumptio. Quae duo sunt ex genere suo mortalia.

Q. Quid est praesumptio?

R. Est *temeraria beatitudinis, et mediorum ad eam assequendam necessariorum exspectatio.*

Q. Quot modis committitur peccatum praesumptionis?

R. Praecipue: 1° Praesumere vitam aeternam propriis viribus obtinere. 2° Eam exspectare sine labore, ex sola Dei misericordia.

Causae praesumptionis sunt: inanis gloria, superbia, et ignorantia.

Confessarius debet praesumptuosum a spe ad timorem deflectere: 1° Ostendendo spem sine timore non esse spem theologicam, sed vitium oppositum. 2° Sanctum hunc timorem valde commendari, juxta illud: *Timete Dominum omnes sancti ejus.* 3° Carentiam hujus timoris esse valde periculosam; quia de peccato ad peccatum trahit.

Q. An possit dari materiae parvitas in peccatis contra spem?

R. Cum distinctione: affirmative quoad praesumptionem, etsi gravis sit ex genere suo. — Quoad desperationem subdistinguendum: negative si sit perfecta, et proprie dicta. Secus si sit imperfecta.

Q. An sit peccatum contra spem cupere perpetuo in hoc mundo vivere; aut e contrario ex taedio vitae mortem exoptare?

R. Ad 1um. Affirmative; quia sistit in vita temporali, tanquam in fine ultimo. Ita communiter. S. Lig. n. 20.

Ad 2um. Negative; quia non est per se contra spem, et ordinarie non excedit veniale; nisi adsit gravis rebellio contra ordinem Divinae Providentiae.

Q. An sit praesumptio committere pluries idem peccatum; quia tam facile pluries, quam semel commissum accusatur?

R. Negative: quia poenitens facilius peccat non ex facilitate veniae obtinendae, sed ex minori difficultate confitendi: quamvis haec sit prava dispositio, Deo maxime injuriosa.

Nota. Peccare ob spem veniae, est peccatum gravius, et praesumptionis si includit animum perseverandi: secus neque est gravius, neque praesumptionis; imo diminuit peccatum haec circumstantia; ait enim D. Thomas (2, 2, qu. 21, art. 2): *Dicendum, quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae cum proposito abstinendi a peccato, et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.*

Q. Quid est desperatio, et quaenam causae?

R. 1° Est *voluntaria diffidentia assequendi beatitudinem, et obtinendi media ad illam assequendi necessaria.*

R. 2° Praecipuae causae sunt luxuria, acedia, melancholia, scrupuli, diabolica tentatio, quae de venia peccatorum desperare facit.

Q. Quaenam sint remedia desperationis?

R. Praecipua sunt: 1° Consideratio misericordiae divinae. 2° Frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima, et gravissima peccata veniam consecuti sunt. 3° Meditatio parabolarum Sancti Evangelii praesertim ovis perditae. 4° Devotio specialis Beatae Mariae Virgini. 5° Fiducia in Christum pro nobis Cruci affixum.

In praxi videat Confessarius ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit. Deinde cum magna circumspectione, prudentia, et patientia eum moderetur juxta diversitatem ejus ingenii, et varium desperationis genus. Pariter non facile credendum est, animas devotas continuo tentatione desperationis tentatas peccasse praesertim graviter, quamvis putent se illis consensum praebuisse, sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est. Ita Elbel, et alii.

—

CAPUT V.

De charitate.

Q. Quid sit charitas?

R. Est *virtus theologica, qua Deum super omnia diligimus propter se, et proximum sicut nos propter Deum.*

Q. Quotuplex est charitas?

R. Est habitualis et actualis. — Appretiativa, et intensiva. — Affectiva, et effectiva. — Erga Deum, et erga proximum.

Habitualis est habitus divinitus infusus actuum charitatis, permanenter habilitans ad actus ipsos eliciendos.

Actualis est actus ipse amoris benevolentiae, quo Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum.

Appretiativa est ea, qua Deus omnibus creaturis praefertur.

Intensiva est ea, quae speciali voluntatis vehementia, et cordis conatu diligit Deum.

Affectiva est ea, quae in corde tantum sistit.

Effectiva, quae etiam in opera erumpit.

Erga proximum, qua amamus proximum sicut nos ipsos.

Nota. Charitas erga proximum, et erga Deum una est specie virtus ex S. Thoma; cum unum semper sit motivum, nempe propter Deum.

Q. Quodnam est objectum charitatis?

R. Objectum *materiale* charitatis adaequatum est Deus, nos ipsi, et proximus. — Objectum *formale* est bonitas Dei.

Q. An liceat amare Deum amore concupiscentiae?

R. Affirmative est definitum contra Michael Molinos: apposite Conc. Tridentinum definivit: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis bene operatur, anathema sit.*

Q. An amor concupiscentiae adversetur charitatis perfectioni?

R. Negative. Nam ex Christi praecepto oportet dicere: *Adveniat regnum tuum.* Secus sentiretur cum Semiquietismo.

Q. An dentur signa charitatis Dei in anima immanentis?

R. Affirmative; uti omnes fatentur cum S. Laurentio Justiniani, qui tria indicat: 1° *Libenter de Deo cogitare;* qui enim aliquem diligit, illius frequenter reminiscitur. 2° *Libenter pro Deo dare:* amor enim nescit esse vacuus. 3° *Libenter pro Deo pati;* fortis enim ut mors dilectio.

Q. An desiderium fruendi Deo sit actus charitatis ?

R. Affirmative, si desiderium tendat ad Dei fruitionem, ob gloriam ipsius Dei ; quia fruitio est charitas consummata.

Q. An charitas possit augeri, minui, ac destrui ?

R. Ad 1um. Charitas in mundo potest augeri sine termino ; definitum est in Conc. generali Viennensi anno 1311 contra Beguardos, et Beguinos. Hinc Apost. hortatur, ut in *charitate crescamus*. Eph. c. 4.

R. Ad 2um. Non est quaestio de charitate actuali : quia actus charitatis sunt modo intensiores, modo remissiores : sed de habituali, et commune est posse indirecte minui per venialia, quatenus ejus fervor minuitur.

R. Ad 3um. Charitas amitti potest : est contra Jovinianum, et Beguardos, et Beguinos damnatos in Conc. Viennensi : item contra Calvinum damnatum in Tridentino (sess. 6. c. 23). Quia per peccatum mortale homo fit dignus morte aeterna.

Q. Quot sunt charitatis proprietates ?

R. Duae praecipuae ; nempe excellentia, et necessitas. Excellentia ex ejus effectibus elucescit, nempe : 1° Hominem efficit justum, juxta illud : *Charitas operit multitudinem peccatorum*. 2° Veram amicitiam constituit inter hominem et Deum, juxta illud : *Jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos*. 3° Facit ut nos in Deo manemus. 4° Perficit omnes virtutes.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CHARITATIS ERGA DEUM ET ERGA PROXIMUM.

Q. An sit necessaria charitas ?

R. Affirmative : cum hac distinctione, nempe charitas habitualis est necessaria necessitate medii omnibus, tum adultis, tum parvulis : cum sine ejus effusione non remittatur peccatum nec salus obtineri possit. Intellige si charitas sit eadem, ac gratia sanctificans habitualis. — Charitas actualis est necessaria necessitate praecepti adultis.

Q. Utrum praeceptum charitatis erga Deum sit speciale, et ab aliis distinctum ?

R. Affirmative ; nam Deut. c. 6 traditur seorsim ab aliis praeceptis. Insuper respectu aliorum mandatorum dicitur *maximum, et primum*.

Nota. De natura ac indole verae charitatis erit, ut sit supernaturalis, interna, appretiative summa, efficax, atque universalis.

Q. An praeceptum obliget ad charitatem intensive summam?

R. Negative. Quia non est semper in nostra potestate; et intensio est proprietas accidentalis, non vero substantialis.

Q. An teneamur ad agendum semper ex motivo charitatis?

R. Negative. Quia etiam actus aliarum virtutum sunt boni.

Q. Quandonam obligat praeceptum charitatis in Deum?

R. Obligat aliquando per se, aliquando per accidens. — Per se: 1° Quando infans attingit usum rationis, satisque ipsi proposita est divina bonitas super omnia propter se amabilis. 2° In mortis articulo. 3° Saepius in vita.

Per accidens: 1° Quando est periculum labendi in mortale. 2° Cum urgeat praeceptum contritionis.

Q. Quoties in vita elicienda charitas?

R. Alii dicunt sub gravi eliciendam esse semel in anno. Alii semel in hebdomada. Sed nos cum Cardenas, Scavini et aliis dicimus, a mortali excusari non posse, qui differt per mensem actum charitatis.

Nota. Satisfacit huic praecepto qui ex corde dicit illa verba Orationis Dominicae: *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua.* Item per quodcumque opus exercitum ad finem placendi Deo; quia sunt veri actus amoris. Item gaudendo de perfectionibus Dei; vel optando ne ipse offendatur.

Q. An satisfiat praecepto charitatis per attritionem in susceptione Sacramenti Poenitentiae?

R. Negative; quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui, et proinde in ea deest motivum principale charitatis.

Nota. Certum est praeceptum charitatis negativum obligare omni tempore, cum nihil unquam agere liceat, quod Dei, proximive charitati adversetur.

§ 1. *De charitate erga seipsum, et proximum in genere.*

Q. An homo seipsum charitate diligere debeat?

R. Affirmative: quia debet proximum diligere sicut se ipsum. Atqui proximus ex charitate diligendus est. Ergo etc.

Ut hic amor rectus sit, debet esse secundum naturam rationalem, qua homo sibi velit ea bona, quae pertinent ad perfectionem ratio-

nis; non vero secundum naturam sensibilem corruptam; quia hoc est se odisse, et non amare.

Q. Quis intelligitur nomine proximi?

R. Omnes qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis vel ea jam fruuntur. Unde veniunt Angeli, Beati, animae purgantes, homines viatores sive praedestinati, sive non, sive fideles, sive infideles etc.

Q. An adsit praeceptum diligendi proximum?

R. Affirmative, juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Q. An charitas erga proximum debeat esse etiam effectiva?

R. Affirmative, juxta illud Joan. ep. 1, c. 3: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.*

Nota. Verbum *sicut* non pro omnimoda aequalitate sumendum est; sed pro sola similitudine; etenim norma est, non identitas.

Q. Quandonam obligat praeceptum dilectionis proximi?

R. Obligat per se, quando per se obligat praeceptum charitatis in Deum. — Per accidens: 1° Si odium in proximum nequeat repelli, quin actus eliciantur amoris. 2° Quando proximus est in gravi necessitate: alioquin frustraneum esset hoc praeceptum.

Regula generalis hujus praecepti pro parte affirmativa est: *Aliis faciamus, quae nobis fieri volumus:* parte negativa est: *Nemini faciamus, quae nolumus fieri nobis.*

§ 2. *De inimicorum dilectione.*

Q. An adsit praeceptum diligendi inimicos?

R. Affirmative. Legitur enim in Evangelio: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

Nota. Hoc praeceptum quatenus negativum obligat semper, et pro semper. — Quatenus affirmativum obligat ad positivam benevolentiam et externam beneficentiam pro ratione necessitatis, in qua versatur inimicus noster.

Q. Quaenam est melior, ac magis meritoria dilectio erga amicum, vel erga inimicum?

R. Secundum se considerata, est melior, ac magis meritoria dilectio erga amicum; quia illa dilectio est absolute melior, et meritoria, cujus objectum est melius. Atqui talis est amicus relate ad inimicum. Ergo etc. Ita D. Th. (2, 2, q. 27, a. 7). — Ratione

vero repugnantiae, ac difficultatis quam homo sentit in diligendo inimicum, est magis meritoria dilectio erga ipsum inimicum.

Q. Quomodo diligi potest homo iniquissimus, crudelis inimicus, qui nos quovis modo perdere nititur; cum voluntas nostra amore ferri non possit, nisi in bonum?

R. Distinguimus substantiam, idest personam et inter vitium, ac causam doloris: primam debemus amare ut imaginem Dei, a Christo redemptam, et confratrem nostrum. Secundum, seu vitium debemus odio habere, et arte et omni industria propellere; ut confrater ipse ab illo sanetur, et bonus evadat.

Q. Quomodo se gerere debet Confessarius cum poenitente, quem detegit odiis, et inimicitiis implicatum, et anxium?

R. Distinguendum; vel agitur de odio, quod tale creditur, nec est; vel de vero odio. — Si primum, Confessarius poenitentem instruat demonstrans quando sit verum odium; ne ex conscientia erronea peccet. — Si secundum, Confessarius poenitentem inducat ad vindictae spiritum deponendum; si recuset deponere, inabsolutum dimittat.

Q. Duo (puta juvenes collegialiter viventes, vel Religiosi etc.) se salutabant, et passim colloquebantur; post rixam nec se salutant, nec colloquuntur: peccantne?

R. Distinguendum: si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in communitate prout ordinarie accidit, peccant mortaliter, vel venialiter pro quantitate scandali. Igitur ut remedium apponatur non tenentur iterum specialem primariam amicitiam inire; sed sufficit, ut se habeant ad invicem, sicut ad caeteros confratres. Ita Billuart. — Si non sequatur scandalum, saltem veniale peccatum non evitant.

Q. An peccent parentes, qui recusant tum colloquium filiae, tum ejus aspectum, etiam petita venia, quia eadem filia, ipsis invitis, contraxit matrimonium cum juvene inaequalis conditionis?

R. Distinguendum; vel parentes colloquium filiae, et ejus aspectum ad longum tempus recusant, et in perpetuum recusare parati sunt; vel ad breve tempus. — Si primum, peccant graviter, nec possunt absolvi; quia permanent in odio, et vindicta. — Si secundum, non peccant; quia id honeste potest fieri in emendationem filiae, et in sui criminis poenam, aliarumque filiarum exemplum. Ita Layman, Diana, et alii.

Q. Peccatne graviter ille, qui pluribus occurrens, omnes salutat praeter inimicum, qui est cum illis?

R. Respici debet intentio personae, et magnitudo scandali. Si persona non ex odio, sed ut alter magis caveat ab offensionibus, vel alia justa causa sic agit, non videtur peccare saltem mortaliter. Ita Sylvius, Dens, et alii, quibus et nos adhaeremus.

Q. Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?

R. Qui alium offendit, debet prior per se media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis aequitas. — Si offensio sit mutua, et aequalis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inaequalis, praeeat, qui gravius offendit. Caeterum absolutae regulae assignari nequeunt, sed circumstantiae spectandae sunt. Ita communiter.

Q. An detur obligatio inimicum obvium salutandi?

R. Negative per se; quia salutatio, et colloquium non sunt signa communia proximo debita. Secus tamen dicendum est, si adjuncta status, conditionis, aliave similia postulent.

Q. Quid si inimicus primo salutat?

R. Tenemur inimico salutationem restituere: quia haec omissio ostenderet, nos in hostilitate perseverare. Excipe Praelatum, patrem, judicem, et superiores ejusmodi, qui salutationem inferiori non restituentes non videntur peccare, modo id non faciant ex odio, vel vindicta, sed ut gravitas illatae injuriae percipiatur.

Q. Quaenam dilectionis signa, et quae beneficia inimicis debentur?

R. 1° Signa, et beneficia communia praebere debemus ex praecepto. Hinc peccaret, qui inimicum excluderet a communi oratione, a communi eleemosyna, ab expositarum mercium venditinoe etc. Excipe si rationabilis causa aliud suadeat: idest: 1° Quando agitur de justa punitione, et correctione filii, vel subditi etc. 2° Quando inimicus signis illis certo abusurus. 3° Quando ex tali denegatione speretur emendatio. 4° Item pater, et mater aspectum occisoris proprii filii vitare possunt, ne excitetur in eis iterum dolor, tristitia etc.

R. 2° Signa specialia dilectionis non debemus praebere inimicis generatim loquendo. — Excipe si eorum omissio sit scandalosa; pariter si per ipsa possimus eum reconciliare Deo, et nobis: nam ad hoc impellit charitas.

Q. An offensor a laeso veniam petere debeat?

R. Affirmative per se; nisi aliud medium, vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, v. g. varia officia, aut beneficia praestando. — Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit. Ita communiter.

Q. An liceat de inimico vindictam suscipere?

R. Nunquam licet vindicta privata, dicente Domino: *Mihi vindicta, et ego retribuam.* — Licet vero sumere vindictam publicam apud tribunal, modo accusatio etc. non sit facta ex odio, et pravo animo: quia punire nocentes, refertur ad bonum commune.

Nota. S. Alphonsus (Homo Ap., tract. 4, n. 17; Op. Mor. l. 2, n. 29) ait: *In praxi ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum;* loquens de illis qui exoptant, et urgent apud judicem, ut inimicus puniatur: quia eorum amor erga justitiam videtur potius coloratus praetextus ad tegendam propriae vindictae cupiditatem.

Q. An liceat inimico aliquod malum optare?

R. Licet inimico aliquod malum temporaneum optare vel ut emendetur, vel ob bonum alterius spirituale, vel ob bonum commune regni, aut Ecclesiae, juxta illud Apostoli (ad Gal. c. 5): *Utinam abscindantur, qui nos conturbant.*

Nota 1ª. Salmanticenses admittunt etiam licitum esse patri optare mortem filii, si timeat ex ejus flagitiis familiam dehonestandam: *Quia malum optatur*, ait Angelicus (in 3 sent. d. 5, q. 1), *non in quantum malum illius, sed in quantum est impeditivum malorum alterius.*

Nota 2ª. Non licet de morte alterius gaudere ob procuratas divitias; quia semper ordo charitatis graviter turbatur. — Pariter non potest uxor desiderare mortem mariti, ex eo quod injuste ab eo male tractatur; nec filiae suae, quia ob deformitatem, vel paupertatem nubere nequit.

Q. An sit contra charitatem sibi mortem optare ob vitae infortunia?

R. Negative, si fiat ex desiderio vitae melioris, seu aeternae felicitatis, ut perspicuum est: affirmative, si fiat ex taedio vitae, vel ex animi dejectione. — Attamen non peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta fiat, ut ipsa morte durior aestimetur. Ita S. Lig. n. 30.

ARTICULUS II.

DE ORDINATIONE, ET OFFICIIS CHARITATIS.

Q. An ordo in charitate servandus sit?

R. Affirmative; juxta illud (Cant. c. 1): *Ordinavit in me charitatem.*

Q. Quotuplex est ordo charitatis?

R. Duplex, unus bonorum, alter personarum.

Q. Quotuplici modo considerari potest ordo personarum?

R. Triplici, nempe inter Deum, et nos. — Inter nos, et proximos. — Inter proximos ipsos.

Q. Ex quo petitur ordo personarum?

R. Primo ex dignitate personarum: secundo ex earum necessitate.

Q. Quaenam personae praeferendae sunt?

R. 1° Ratione dignitatis: inter Deum, et nos: 1° Est Deus. 2° Nos.

R. 2° Inter nos, et proximos: 1° Est anima nostra. 2° Anima proximi. 3° Corpus nostrum. 4° Corpus proximi.

R. 3° Inter proximos ipsos: 1° Beata Virgo. 2° Angeli. 3° Sancti juxta majorem, vel minorem sanctitatem. 4ª Justi. 5° Pater et mater, superiores, uxor, filii, fratres, sorores etc.

Q. Quaenam praeferendae sunt ratione necessitatis?

R. 1° Illae personae, quae sunt in extrema necessitate. 2° Quae sunt in gravi. 3° Quae sunt in communi necessitate.

Q. Quaenam bona aliis praeferenda sunt?

R. Primum locum tenent bona spiritualia, sive supernaturalia. — Secundum locum tenent bona naturalia, et bona corporis. — Tertium locum tenent bona externa famae, honoris. — Quartum locum tenent bona fortunae.

Q. Utrum quilibet teneatur propriam vitam corporalem exponere pro aeterna proximi salute?

Nota. Haec necessitas proximi, vel est communis, nempe, sine alterius ope facile salvari potest: vel est gravis, idest, sine alterius ope valde difficile salvari potest: vel est extrema, idest, nisi hic et nunc juvetur, in aeternum est periturus.

R. Tenetur tantum illi succurrere in extrema necessitate. Quia ait D. Joan. ep. 3, cap. 16: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Probabilius non tenetur si sit constitutus in gravi necessitate; quia potest absolute se subtrahere: dummodo non sit Pastor animarum, vel ex alio speciali motivo teneatur, v. g. ratione delicti, vel ratione publicae necessitatis; ut si plebs hostili incursione careret Sacerdote, et esset exposita gravibus periculis peccandi. Ita Scavini.

Excipe: 1° Si vita illius, qui eam deberet ponere pro fratre, sit necessaria bono communi. 2° Si non adsit spes, quod talis vitae jactus possit juvare; quia tunc inutiliter poneretur.

Q. An liceat peccare saltem venialiter, aut directe peccandi

periculo se exponere ad consulendum fratrum nostrorum saluti spirituali?

R. Negative ad utrumque; quia sub nº 63 damnata est ab Innocentio XI haec propositio: *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* — Attamen indirecte licitum est, se proximo peccandi periculo exponere, si proximus versetur in extrema necessitate spirituali; idest non intendendo peccati occasionem; sed proximi subventionem, debitis tamen adhibitis praesidiis; quia periculum hoc, quando adest gravis causa illud subeundi, non judicatur voluntarie suscipi. Ita contra paucos docent communiter Salmant., Suarez, Sanchez post S. Basilium, et D. Thomam, quibus et nos subscribimus.

Nota. Imo censent nonnulli quod adhuc deberes tali periculo te exponere, etsi lapsus sit probabilior; modo non sit moraliter certus; et hoc magis, si tenearis ex officio rigoroso subvenire proximo, ut si esses Parochus; quia rationabiliter sperandum majus Dei auxilium, ubi magis urget necessitas. Ita et nos pro certo sentimus cum Scavini.

Q. An quis teneatur cum levi damno proprio succurrere proximo in communi necessitate spirituali?

R. Affirmative; quia id amor proximi exigit. Ita communiter contra paucos. Ast non tenemur omnibus in communi necessitate positis opitulari: hoc enim impossibile est.

Q. Quisnam est ordo subventionis in eodem bonorum genere?

R. Unusquisque tenetur primum sibi ipsi subvenire, postea proximo si possit: *Aliter non est jam diligere proximum sicut seipsum*, ait D. August. (de Mend. c. 6), *sed plus quam seipsum: quod sanae doctrinae regulam excedit.* — Excipe, si agatur de bono vitae in comparatione principis, qui maxime utilis est bono communi; tunc enim bonum commune id exigit.

Q. Utrum liceat privato vitam suam exponere pro salute alterius privati ex motivo virtutis christianae, v. g. Iste aptior est ad promovendam gloriam Dei?

R. Duplex est sententia: prima negat; quia adhuc charitas non esset ordinata. — Secunda cum S. Joanne Chrysostomo communius affirmat; quia tunc non praefertur vita proximi, sed bonum virtutis vitae propriae, ait Angelicus in 3, dist. 29, a. 5. Huic secundae nos adhaeremus.

Q. Quisnam ordo subventionis servandus inter proximos in pari necessitate constitutos?

R. Cum distinctione: vel necessitas est extrema, vel est gravis. — Si primum, omnibus sunt praeferendi parentes propter principii eminentiam; et quidem pater praeferendus est matri; quia principium nobilius: deinde conjux, postea filii, etc. — Si sit gravis (idem de communi), 1° praeferenda est uxor; quia est una caro cum viro. 2° Filii, cum de substantia parentum procedant. 3° Parentes. 4° Fratres, postea sorores, propinqui, domestici, concives, commilitones, Religione conjuncti, etc.

Nota. Fieri potest per accidens, ut is alteri praeferatur, qui naturaliter deberet postponi: sic mater bona erga prolem etc. potest praeferri patri malo et proli malefico: sic filius multo necessarius in rebus domesticis praeferri potest uxori inutili et clamorosae.

Q. Quisnam ordo subventionis servandus inter proximos constitutos in necessitate inaequali?

R. Praeferendus est ille, qui in majori necessitate est constitutus; quia obligatio charitatis non est, nisi ratione necessitatis.

Nota. Intellige, quod amore complacentiae, seu ordine dilectionis sunt quidem praeferendi sanctiores: sed amore effectivo, seu subventionis, praeferri debent, qui sunt in majori necessitate.

Q. Quaenam sunt officia charitatis?

R. Sunt opera misericordiae.

Q. Quid est misericordia?

R. *Est alienae miseriae efficax compassio.*

Q. Quot sunt opera misericordiae?

R. Dividuntur in corporalia et spiritualia. — Corporalia sunt septem, juxta hunc versum:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Opera spiritualia pariter sunt septem, idest:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

§ 1. *De eleemosyna.*

Q. Quid est eleemosyna?

R. Est *opus misericordiae, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.*

Nota. Necessitas triplex est, nempe extrema, in qua de vita, vel mutilatione membrorum pauper periclitatur; gravis, in qua indi-

gens, nisi subveniatur, non potest vitare grave malum; communis, in qua pauperes ordinarii victitant, sed non absque difficultate.

Q. Quotuplicis generis sunt bona necessaria homini?

R. Triplicis, nempe necessaria vitae, sine quibus homo non potest seipsum et suos alere; necessaria status, sine quibus non potest quis statum proprium et honestum conservare; bona superflua vel vitae, vel statui, vel utrique.

Q. Utrum detur praeceptum faciendae eleemosynae?

R. Datur, et quidem naturale et divinum obligantia sub mortali: ex divo enim Joan., 1 ep., c. 3: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* — Sed charitas praecipitur sub mortali. Ergo etc.

Q. Quot sunt eleemosynae effectus?

R. Eleemosyna facta in statu gratiae, et cum debitis conditionibus, est satisfactoria, impetratoria et meritoria.

Conditiones sunt sequentes, nempe ut sit justa, prudens, prompta, secreta et humilis, hilaris, ordinata, generalis.

Q. Quinam possint eleemosynam facere?

R. Illi soli, qui liberam suorum bonorum administrationem habent; quia isti possunt bona alienare.

Q. De quibus bonis eroganda est eleemosyna?

R. 1° Nunquam eleemosyna est facienda ex bonis necessariis naturae, seu vitae; quia unusquisque tenetur vitam suam vitae alienae praeferre. Excipe, nisi pauper sit talis, a quo salus publica pendeat.

R. 2° In extrema necessitate proximo succurrendum est etiam ex bonis necessariis decentiae status nostri; quia vita proximi praevalere debet bono status nostri.

R. 3° In gravi necessitate juxta aliquos succurrendum est proximo ex bonis aliquo modo statui necessariis, seu cum modico status detrimento. — Juxta alios, ei succurrendum est tantum ex bonis, quae decentiae statui sunt superflua. — Qui hanc secundam sententiam in praxi sequitur, non videtur charitati deesse.

R. 4° In communi necessitate, licet nulla sit obligatio dandi eleemosynam huic, aut alteri in particulari; attamen ex communi Doctorum sententia a peccato excusari non posset, qui bona etiam statui superflua habens, eleemosynam non faceret.

Q. Utrum teneamur cum gravissima jactura status pauperem levare in extrema necessitate?

R. Duplex est sententia: prima affirmat; quia semper praeponderat vita proximi. — Secunda negat; quia hic adest tantum praeceptum charitatis, quae ex communi non obligat cum gravi incommodo.

Nos dicimus cum Stuardi, primam sententiam potius afficere Ecclesiasticos, ac praesertim Episcopos et Parochos, qui sunt patres pauperum et patrimonia pauperum possident. — Secunda sententia tenenda pro saecularibus.

Q. Quandonam obligat sub gravi praeceptum eleemosynae?

R. 1° In extrema necessitate. Ita omnes. 2° In gravi necessitate, si non sit qui subveniat: secus de peccato gravi non constat. Ita communiter cum S. Lig., n. 32, contra Busembaum.

Q. Quaenam quantitas bonorum sit pauperibus danda?

R. In necessitate extrema, vel gravi, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii, qui subvenire velint. — In necessitate communi, quantitas determinata assignari non potest. Sed quidam assignant vigesimam, aut etiam decimam partem eorum, quae decentiae statui supersunt. Verum probabilius et communius sufficere videtur erogare quinquagesimam partem. S. Lig., n. 32.

Q. An praecepto eleemosynae satisfaceret, qui indigenti mutuum posthac reddendum daret?

R. Cum distinctione: si indigens sit absolute pauper non satisfacit; quia adest praeceptum faciendi eleemosynam. Si habeat alibi bona, vel spem certam illa acquirendi, satisfacit; quia tunc indiget tantum mutuo, vel commodato.

Q. Quid dicendum de filiisfamilias, uxoribus, tutoribus ac servis?

R. Possunt filii, uxores, tutores erogare eleemosynas statui proportionatas, in quibus certe parentum et maritorum et pupillorum consensus rationabiliter adesse praesumitur.

Servi, quibus nullum competit jus in bona dominorum, non possunt; excipe modicas eleemosynas panis et similium, quas permittit usus ac domini praesumptus consensus.

Nota. Nulla est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus. — Tenentur medici, advocati etc. operam pauperibus gratis impendere. — Non eximuntur a praecepto eleemosynae, qui degunt in civitatibus, ubi prohibetur eleemosynae petitio.

§ 2. *De correctione fraterna.*

Q. Quid est correctio fraterna?

R. Est *admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna charitate procedens.* Ita D. Thom. (4 Dis. 19, q. 2, art. 1).

Dicitur *delictorum;* quia *magis*, ait D. Thomas, *proprie respicit omissionem, quae in ipsa transgressione considerari potest, quam transgressionis perversitatem; et propter hoc convenientius dicitur delictorum, quam peccatorum emendatio* (loc. cit.).

Q. Quotuplex est correctio?

R. Triplex, nempe juridica, paterna et fraterna.

Paterna, *est actus auctoritatis, quo superior absque forma judicii corrigit delinquentem.*

Juridica, *est actus justitiae vindicativae ordinatus ad emendationem et castigationem delinquentis.*

Fraterna, *est actus misericordiae, quo quis proximum monitione salutari a peccato revocare conatur.*

Q. An correctio fraterna sit praecepta?

R. Affirmative, tum praecepto naturali; lex enim naturae obligat ad subveniendum indigenti; tum praecepto divino (Matth. c. 18): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum.*

Nota. In te, idest *coram te*, vel *te sciente*, explicat D. Aug. (Serm. 32, alias 15, cap. 10).

Q. Quaenam est materia correctionis fraternae?

R. Est quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est, aut jam incidit; sed non adhuc emendatus est. — Etiam culpa venialis potest esse materia correctionis fraternae, cum et ipsa sit verum animae malum.

Q. Quomodo obligat haec correctio fraterna?

R. In materia gravi, correctio sub mortali facienda est, si fieri possit sine gravi incommodo et cum spe fructus. In materia levi obligatio non urget, nisi facillime possis corrigere, et obligat solum sub levi. Excipe, si sermo sit de Ordinibus religiosis. Si enim per venialia peccata aut dissolvi, aut etiam valde minui vigor disciplinae videatur, gravis esse poterit obligatio non in Praelatis modo, sed etiam in privatis, cum utrique ad gravissimum hoc malum Religionis avertendum ex charitate teneantur. Ita Ballerini.

Q. Quinam obligantur praecepto fraternae correctionis?

R. Omnes tenentur, sed maxime superiores; Eccl. enim c. 17: *Mandavit unicuique de proximo suo.* — Superiores autem tenentur hoc facere ex ipso proprio officio.

Q. Quinam sint ex praecepto corripiendi?

R. Omnes non solum aequales ab aequalibus, sed etiam superiores a subditis; quia praeceptum Domini est universale. Ast correctio superioris debet fieri seorsim et cum multa reverentia, nempe obsecrando. Debet esse benigna inter aequale, paterna erga inferiores.

Q. Quandonam obligat praeceptum correctionis?

R. Tempore opportuno, uti cum censetur magis profutura. — Quare aliquando permitti potest reiteratio culpae, ut delinquens correctus ferventius resipiscat.

Q. Quaenam requiruntur, ut quis ad fraternam correctionem obligetur?

R. Sex conditiones, nempe: 1ª Ut corripiens sit moraliter certus de peccato proximi. 2ª Si constet proximum nondum resipuisse. 3ª Ut sit probabilis spes emendationis. 4ª Ut nullus adsit magis idoneus. 5ª Ut non speretur tempus correctionis opportunius. 6ª Si materia correctionis sit necessaria.

Nota. Privati inter se raro ad correctionem teneri saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se conjuncti; quia raro simul concurrunt praedictae conditiones.

Q. Quid si dubitemus, an correctio sit profutura?

R. Si dubitemus, an sit profutura, et simul certi sumus eam non esse nocituram, tenemur corrigere: quia sicut in morbo corporali, ita in spirituali adhiberi debet remedium. — Si dubitemus, an sit proximo nocitura, debemus omittere. Excipe, nisi alioquin proximus moriturus sit in mortali.

Q. Quisnam sit modus faciendae correctionis fraternae?

R. Debet fieri cum mansuetudine magna et humilitate ita, ut corripiens *intendat correctioni, pareat pudori*, ait D. Aug., serm. 82, alibi 16, de verbis Domini.

Q. Quis ordo servandus sit in correctione fraterna?

R. Sub gravi peccato, debet per se loquendo, servari ordo a Christo praescriptus, nempe: 1° Ut fiat privatim. 2° Si non prosit, fiat coram testibus. 3° Si adhuc effectus non obtineatur, deferatur ad superiorem, juxta illud: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum; si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos testes... quod si non audierit, dic Ecclesiae.* Matth. cap. 18.

Attamen excipiuntur quatuor casus, nempe: 1° Quando crimen est publicum. 2° Quando crimen occultum vergit in grave aliorum detrimentum sive spirituale, sive corporale. 3° Quando prudenter judicatur non profuturam privatam monitionem. 4° Quando proximus cessit juri suo ad propriam famam, sicut in more est penes quosdam Regulares.

Nota 1ª. Superior vi notitiae per simplicem denuntiationem sibi factam, ut patri, non potest judicialiter procedere, quia delictum non fuit manifestum, ut judici, sed ut patri.

2ª. Peccant, qui referunt ad Superiorem defectum subditi jam perfecte emendatum.

3ª. Peccant, qui ad mediatos Superiores crimen referunt, praetermisso immediato, qui posset per se corrigere; quia famae proximi est consulendum.

4ª. Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum indoles est penitus ignota.

5ª. Scrupolosi ordinarie excusantur a fraternae correctionis officio.

6ª. Superiores tenentur inquirire subditorum peccata; sed non de certa quapiam persona, nisi ad hoc aliqua peculiaris ratio illos permoveat.

Nec facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis praebere.

Q. An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia?

R. Affirmative, si agatur de ignorantia vincibili. Si vero ignorantia sit invincibilis, vel correctio praevidetur profutura, vel non. Si primum debet fieri. — Si secundum non debet fieri, nisi agatur de rebus necessariis necessitate medii ad salutem, vel de rebus, quae publicum damnum, vel scandalum praebent, ne scilicet alii putent, id licere, quod non corrigitur. Ita Scavini, Gury etc.

CAPUT VI.

De vitiis charitati oppositis.

Q. Quae et quot sint peccata charitati opposita?

R. Omnia peccata opponuntur charitati, sed directe et specialiter opposita decem a D. Thoma (qu. 34 ad qu. 44) numerantur, nempe: 1° Odium Dei et proximi, quod opponitur gaudio de bono Dei. 2° In-

vidia, quae gaudio et bono proximi adversatur. 3° Discordia. 4° Contentio. 5° Schisma. 6° Bellum injustum. 7° Rixa. 8° Seditio. 9° Scandalum. 10° Cooperatio peccatis alienis.

Q. Quid sit odium et quotuplex est?

R. Est *actus mentis aliquod objectum aversantis.* Duplex est, scilicet abominationis et inimicitiae.

Abominatio est *actus, quo voluntas aliquid ut sibi incommodum aversatur.*

Odium inimicitiae est *actus voluntatis, quo alteri malum volumus, quatenus est ejus malum.*

Q. Quale peccatum sit odium Dei?

R. Odium inimicitiae erga Deum, est omnium peccatorum gravissimum; quia opponitur directe actui charitatis Dei. — Odium abominationis erga Deum, est aliis peccatis ex genere suo mortalibus gravius; quia voluntas per se avertitur a Deo, in aliis peccatis avertitur secundum aliud.

Q. Quale peccatum sit odium proximi?

R. Odium inimicitiae est peccatum mortale ex genere suo. — Odium abominationis est peccatum, si habeat pro objecto personam proximi. Non est vero peccatum, si habeat pro objecto qualitatem impiam personae, juxta illud: *Abominantur justi virum impium.* Proverb. c. 29.

Nota 1ª. Odium abominationis erga proximum raro est mortale; quia non ita directe per illud vulneratur charitas.

2ª. Declaranda est in confessione tum qualitas personae, quae odio habita est, v. gr. si pater; tunc enim adderet speciem: tum numerus personarum; quia tot malitiae, quot personae: tum natura mali optati. Excipe, si diversa mala apprehendantur sub uno genere mali, vel sub unico actu odii.

Q. Quid sit discordia, et quale peccatum?

R. 1° Est *dissensio voluntatis circa bonum Dei, et proximi, in qua tenemur ex charitate consentire.*

R. 2° Est peccatum ex genere suo mortale: Deus enim detestatur *eum, qui seminat inter fratres discordias* (Prov. c. 6).

Q. Quid est contentio, et quale peccatum?

R. 1° *Est pugna verborum.*

R. 2° Est sua natura mortalis, si serio fiat in re gravi, ac necessaria: quia Apostolus eam numerat inter opera, quae a Regno Dei excludunt.

Q. Quid sit schisma, et quale peccatum?

R. 1° Est *voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiae.* — Hinc schismaticus est non tantum, qui se separat a Summo Pontifice, vel proprio Episcopo; sed etiam qui ab Ecclesiae membris se retrahit in Religionis cultu, oratione, Sacramentis etc.

R. 2° Est peccatum speciale, et gravissimum; quia laedit praeclarissimum quoddam bonum commune, idest unitatem Ecclesiae.

Q. Quotuplex est schisma?

R. Duplex, scilicet purum, et conjunctum haeresi. — Purum est illud in quo, quis conservans fidem separat se vel a capite, vel a membris ejusdem. — Conjunctum haeresi est illud, quod importat dissensum in ipsa fide.

Q. Quaenam sunt schismaticorum poenae?

R. Poenae in schisma purum sunt: 1° Excommunicatio latae sententiae Papae speciali modo reservata. 2° Privatio jurisdictionis. 3° Privatio, et inhabilitas ad Beneficia. — Si vero schisma sit cum haeresi conjunctum, poenae sunt illae, quae jam in haereticos habentur constitutae.

Nota 1ª. Schismaticus non est, qui Romanum Pontificem tanquam Vicarium Christi in terris recognoscit, eique qua Pontifici obedientiam praestat; sed non vult illum recognoscere ut temporalem dominum alicujus provinciae, eique obedientiam denegat, dum jubet, ut arma deponat, ut suis politicis legibus obtemperet. Esset iste rebellis, contumax etc. et schismati forte proximus; at nondum praecise ob id de schismate culpandus.

2ª. Duobus ad Summum Pontificatum electis, si ignoretur quis ex eis legitime electus sit, et aliquis adhaereat ei, quem putat legitimum Pontificem; sed cujus electio nondum judicata est ab habente potestatem, non est vere schismaticus. Schismaticus esset, si cognita veritate, adhuc persisteret.

3ª. Non est schismaticus perfectus, qui renueret subesse Pontifici, ut est homo privatus, ex odio, v. gr. Propter aliquam ipsius personae qualitatem, aut nollet ei obedire in aliquo particulari praecepto puta restitutionis, ob ejus difficultatem. Hic enim non obstantibus, potest illum recognoscere ut Christi Vicarium, et illi subesse. Ita Billuart.

Ast periculosus est hic abstrahendi modus, et qui nimium amat distinctionibus uti circa venerationem, et obedientiam Summi Pontificis facillime omnem submissionem ei denegat. Quare licet iste non pertineret ad schisma perfectum; nihilominus in schismate imper-

fecto esset, et pariter in excommunicationem speciali modo Papae reservatam incurreret, cum Constit. *Apostolicae Sedis* Pii IX ait: *Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.*

Q. Quid est rixa, et quale peccatum?

R. 1° Est *contradictio in factis.*

R. 2° Est peccatum mortale ex genere suo; quia charitati essentialiter opponitur.

Q. Quid est seditio, et quale peccatum?

R. 1° Est *tumultuosa aggressio unius partis Reipublicae contra aliam, vel principem.*

R. 2° Est speciale, et grave peccatum; quia opponitur speciali bono, nempe paci reipublicae.

ARTICULUS I.

DE BELLO, ET DUELLO.

Q. Quid est bellum?

R. Est *publica armorum contra extraneos assumptio, reipublicae tuendae, aut vindicandae gratia.*

Hinc differt: 1° A *rixa*, quae est pugna paucorum contra paucos. 2° A *seditione*, quae est tumultus, vel conflictus multitudinis contra politicam societatem, ad quam pertinet.

Q. Quotuplex est bellum?

R. Duplex: defensivum ad propulsandam injuriam; offensivum ad obtinendam satisfactionem pro injuria.

Q. An bellum licitum sit in nova lege?

R. Affirmative, contra Manichaeos, et Lutherum, dummodo debitis conditionibus sit vestitum. Nam Christus laudavit Centurionem, qui erat militiae addictus. Ratio est: perfecta societas habere debet medium se tuendi contra injuriam, et jus suum vindicandi: interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Cum enim altiora desint tribunalia, ad quae nationes, seu principes recurrere queant, solum superest, ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur. S. Thom. 2, 2, qu. 40, art. 1, et alii.

Conditiones sunt: 1° Ut geratur auctoritate illius nullum agnoscentis superiorem. 2° Ut causa sit certe justa, et gravis, v. g. ne-

cessitas boni communis. 3° Ut recta habeatur intentio, idest non fiat ex odio, sed ex zelo justitiae.

Nota. Ante bellum a parte adversa requiritur condigna satisfactio; quae si offeratur, ex justitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse nécessarium, desinit quoque esse justum. Ita S. Thom. ibid., Billuart etc.

Q. An bellum utrinque justum esse possit?

R. Potest esse justum formaliter : quia causa licet in se injusta potest prudenter, et bona fide aestimari justa. — Non potest esse justum materialiter; quia nulla causa a parte rei potest esse utrinque justa.

Nota. Qui bellum injustum indicunt, tenentur in solidum de damno per exercitum illato; cum sint causae principales. — Milites in bello evidenter injusto tenentur singuli de damnis, quae per actionem privatam (idest non qua milites) privatis intulerint; et singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte vi, et ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint.

Q. An princeps catholicus possit turmas auxiliares praebere infidelibus, vel haereticis habentibus justam causam bellandi?

R. Potest; modo absit periculum incrementi haeresis, vel detrimenti verae Religionis; nam per se loquendo, licet alium in re justa juvare.

Q. An peccent, qui per vim, aut dolum aliquem militiae inscribunt?

R. Peccant graviter contra justitiam tum erga sic coactum, tum erga ejus parentes; ac proinde tenentur ad restitutionem totius damni, quod patitur ille, et parentes ejus.

Q. An repraesaliae sint licitae?

R. Affirmative : modo adsint sequentes conditiones : 1° Ut constet de injuria illata, et denegatione satisfactionis debitae a principe laedente. 2° Ut fiant expressa principis auctoritate. 3° Ut non fiant in Ecclesiasticos; quia immunitate gaudent; nisi constet illos fuisse belli socios. Neque fiant in eorum bona; adest enim excommunicatio a Gregorio X, et a Conc. generali Lugdunensi inflicta; et a Pio IX confirmata hoc modo, nempe est speciali modo Papae reservata si ad ipsos illa bona ecclesiasticorum pertineant ratione ecclesiae, aut Beneficii : si vero illa bona pertineant ad ecclesiam, et loca pia, tunc est tantum Papae reservata.

Q. An liceat bellum gerere cum probabilitate sui juris?

R. Controvertitur. Sed sententia negativa est longe probabilior

saltem intrinsece, et practice; quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut est bellum, requiritur moralis certitudo juris sui: haec in praxi est suadenda sententia cum S. Lig. n. 404., Billuart etc.

Q. An milites belligerare possunt cum dubio de justitia belli?

R. Cum distinctione: si milites sint subditi, et a principe coacti, tenentur obedire. Pariter potest obedire miles non subditus, sed conductus ante bellum declaratum. — Si sint voluntarii, et nondum ante bellum conducti, non possunt; sed tenentur inquirere de belli justitia; quia nemo potest cooperari ad damnum alterius, nisi certus sit de injustitia illius. Ita S. Lig. n. 408.

Q. An nocentes, vel innocentes a victore occidi possint?

R. 1° Possunt occidi nocentes, dummodo eorum mors necessaria sit ad pacem, et securitatem stabiliendam, et non se dederint, nisi cum pacto vitae servandae. Ast nunc dulcedo morum exigit eos captivos tantum habere.

R. 2° Innocentes directe occidi non possunt, nisi constet illos fuisse belli socios. — Indirecte possunt occidi, non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti ita, ut salvis istis, reliqua nocentium turba, quam destruere opus sit, interimi non possit. Ita S. Lig. n. 409.

Nota 1ª. Princeps, cognita belli justitia, eam proponere debet parti adversae, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur: imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactione adaequata, relinquere tenetur, nisi ex rigore justitiae, saltem ex charitate.

2ª. Miles edoctus a viro prudenti de injusto suo bello non potest absolvi, nisi velit quam primum potest, curare dimissionem.

3ª. Milites, quamdiu ex bello evidenter injusto sine gravi incommodo recedere nequeunt, et a principe coguntur bellare, excusantur a culpa; abstinere autem se debent, quantum sine periculo aequali possunt, ab omni injusto damno ex injustitia belli proveniente; ita nimirum, ut totam partem defensivam suorum ipsorum, et sui principis teneant, non autem offensivam.

4ª. Miles voluntarius conscius de injusto bello, nihilominus libere pugnat, ne defensionis quidem causa licite potest hostes occidere; si fugere nequeat, curare debet, ne ictibus suis feriat. Ipse enim est injustus aggressor, et jura contraria in eadem re dari nequeunt. Ita communiter.

5ª. Licet in bello justo urbes, et arces obsidere, tormenta con-

tra illas explodere; imo aliquando monasteria, et ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare, et occidere, si, v. gr., Hostes ecclesia ut arce ad se defendendum utantur.

6ª. Illicitae sunt fraudes, quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. gr. Veneno inficere puteos et fontes, vel aerem etc.; quia haec sensu communi contra jura belli pugnant. S. Ligorius n. 410 et alii. Licet vero in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallaciis decipiantur, et in discrimina conjiciantur: sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium etc.

7ª Duces et milites laedere nequeunt legatos partis adversae, quia jure gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt spiculatores, qui principem, aut ducem exercitus occulte trucident; hoc ex communi consensu ad perfidiam pertinet.

§ *unicus. De duello.*

Q. Quid sit duellum?

R. Est *periculosum certamen duorum, vel paucorum ex condicto ad certum locum et tempus initum.*

Q. An duellum sit illicitum?

R. Privata auctoritate initum etiam ad vitandam infamiam est peccatum mortale: unde illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare; quia solus Deus habet dominium vitae et necis.

Diximus *auctoritate privata;* quia auctoritate publica est solum licitum, dum inducitur ad bonum commune, v. gr. ad bellum brevius finiendum: sic David auctoritate Saulis singularem pugnam iniit contra Goliath. Secus, si aliis de causis imperatur, aut permittitur.

Diximus *ad vitandam infamiam;* quia propositio opposita est damnata ab Alexandro VII; et quia aestimatio et decus non sunt posita in vana aestimatione hujus mundi. Pariter valet, etiamsi officio et sustentatione privaretur. — Item, etiamsi certo sciat pugnam non esse secuturam. — Item, etiamsi id faciat ad bona conservanda: contrariae propositiones condemnatae sunt a Benedicto XIV an. 1752 in Bulla *Detestabilem.*

Q. Quotuplex est duellum?

R. 1° Est publicum, vel privatum. Publicum fit auctoritate principis: privatum fit auctoritate privata. 2° Est solemne, vel simplex. Solemne fit coram testibus; simplex fit iis omissis.

Nota. Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam, aut finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi rei possunt ad duellandum, spe vitae victori futuro data; quia duellum non esset initum ad bonum commune. Verum ait Layman (lib. 3, tr. 3, c. 5, n. 2), cui subscribimus, postquam princeps ejusmodi facultatem duello decertandi reis concessit, licitum videtur id acceptare non ex odio, sed praesertim propriae vitae salvandae causa.

Q. Quaenam sunt poenae contra duellantes statutae?

R. Jure ecclesiastico: 1° Excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservata a Clemente VIII; et recentius per Constitutionem Pii IX dicentis: *Duellum perpetrantes*, etc.

Nota. Incurrunt in dictam excommunicationem Papae reservatam non solum duellantes, sed etiam illi, qui ad duellum simpliciter provocant, et qui ipsum acceptant, et patrini et omnes quocumque modo sint complices, et qui qualemcumque praebent operam aut favorem, et qui de industria sunt spectatores, et qui illud permittunt, vel non prohibent quantum in ipsis est, licet sint reges, imperatores, vel cujuscumque sint dignitatis. Ita dicta Const. *Apostolicae Sedis.*

2° Privatio sepulturae ecclesiasticae, si duellantes in conflictu ipso decedant, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa. — Imo, *etiamsi extra locum conflictus Sacramentis muniti decesserint*, uti praecipit Benedictus XIV Bulla *Detestabilem*. Quare etiamsi sint absoluti ab excommunicatione, non possunt gaudere ecclesiastica sepultura.

3° In Clericos adest etiam privatio Beneficiorum jam obtentorum, et inhabilitas ad alia obtinenda.

Nota 1ª. Nec licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato pugna cesset; quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia.

Nota 2ª. Licet pugnare in duello ad meram defensionem etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut omissio bonorum secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi. — Sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum haberetur et non actualis aggressio, ut in primo casu. Ita Scavini, Gury.

Nota 3ª. Propter rixam praedictae poenae non incurruntur, etiamsi

pugnantes ex eodem rixae impetu ad locum aliquem idoneum statim se simul conferant. Ita S. Conc. Congregatio, 5 oct., an. 1744.

Nota 4ª. Dictae poenae incurruntur per quodcumque duellum stricte sumptum, idest factum de condicto, convento loco et tempore.

Q. An Episcopi possint absolvere a duello?

R. Nisi duellum sit notorium, aut deductum ad forum contentiosum, bene possunt absolvere ab excommunicatione ex capite *Liceat* in Trid.

Ast Regulares in omni loco degentes non amplius possunt absolvere a tali excommunicatione per expressam revocationem Pii IX in Constitut., ubi limitantur censurae. Intellige quoad facultatem absolvendi poenitentes saeculares et non familiares monasterii.

ARTICULUS II.

DE SCANDALO ET COOPERATIONE AD MALUM ALIORUM.

Q. Quid sit scandalum?

R. Definitur a D. Thoma, 2, 2, q. 43, ar. 1 in corp. *Dictum vel actum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.*

Q. Quotuplex est scandalum?

R. Est activum, seu datum, et est illud jam definitum; passivum, seu acceptum, et est *ruina spiritualis*, *seu peccatum proximi.*

Activum dividitur in scandalum directum seu formale, et indirectum seu interpretativum. Directum est *dictum*, *vel factum*, *quo quis expresse intendit proximum inducere ad peccatum.* — Indirectum est *illud*, *quo quis*, *licet non intendat expresse proximum ad peccatum inducere*, *tamen nonnulla dicit*, *vel facit*, *quae aliis sunt occasio peccandi.*

Scandalum passivum dividitur in pharisaicum, *quod oritur ex sola malitia accipientis propter dictum*, *vel factum alterius rectum.* — Et in pusillorum, *quod oritur ex ignorantia*, *aut infirmitate accipientis propter dictum*, *vel factum alterius rectum*, *vel indifferens.*

Q. Utrum scandalum datum sit peccatum?

R. Scandalum etiam indirectum est peccatum mortale ex genere suo et quidem distinctum a mala actione, quae occasionem ruinae spiritualis praebet; quia graviter peccat contra charitatem proximi, cui est occasio ruinae, dicente Christo: *Vae homini illi*, *per quem scandalum venit.*

Nota. Scandalum passivum non est in se speciale peccatum; quia est ruina ipsa proximi.

Q. An sit peccatum scandali petere aliquid ab eo, qui illud quidem daturus est, sed nonnisi cum peccato?

R. Cum distinctione: vel res, quae petitur est mala ex se, et fieri non potest sine peccato, v. gr. Si quaeratur a meretrice actus impudicitiae; vel res non est ex se mala, et praestari potest etiam sine peccato, v. gr. Si quaeratur mutuum ab usurario. Si primum, etsi graves Doctores dicant non esse peccatum scandali; attamen nos cum Sanchez, Navarro, Sporer, Bonacina, Cajetano, Scavini et aliis dicimus rem illam non posse peti sine scandalo, etiamsi persona, a qua petitur, jam parata sit ad peccandum. — Si secundum, distinguendum: vel adest justa causa petendi, vel non. Si adsit, petens non peccat; quia non est cooperari malae alterius actioni, sed est sibi ipsi consulere. Si non adsit, petens peccat contra virtutem tali peccato contrariam et contra charitatem; quia ex charitate obligatur vitare culpam gravem proximi, quoties potest sine gravi incommodo. Ita Scavini.

Q. An scandalum sit peccatum contra charitatem et simul contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad peccandum?

R. Tres sunt sententiae. Prima docet, solum scandalum directum esse peccatum contra virtutem, quam violat, et contra charitatem.— Secunda tenet, quod si peccetur scandalo indirecto praevidendo tantummodo proximi peccatum, quin ad peccatum inducatur, peccatur solum contra charitatem. — Tertia dicit, quod tam scandalo directo, quam indirecto peccetur et contra charitatem et etiam contra aliam virtutem. Hanc tertiam tenet Scavini adhaerens Salmanticensibus, Suaresio et aliis.

Sed nos dicimus affirmative quoad scandalum directum. Quaelibet enim virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam. Ita fere omnes. — Quoad scandalum indirectum melius est sentire cum Lugo, Gury et aliis, esse nempe tantum contra charitatem, et non contra illam virtutem, quam proximus violat ob nostrum pravum exemplum; quia secus, qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem; quod communissime Doctores negant.

Sufficit igitur in confessione exprimere generatim peccatum scandali, neque necesse est speciem peccati innuere ad quod inducti

indirecte alii fuerint. Nec necessarium est ubi eodem actu plures scandalizati fuerint, horum numerum exprimere. Ita Ballerini.

Q. An peccans cum complice declarare debeat in confessione circumstantiam sollicitationis?

R. Affirmant Salmanticenses et alii, qui ajunt, actionem inducendi ad peccandum esse peccatum distinctum et speciale. — Sed probabilius negatur, quia accedente alterius consensu, sollicitatio non est nisi circumstantia mere aggravans. — Ac proinde peccatum scandali sufficienter accusatur confitendo peccatum cum aliis commissum. Ita Lugo et alii, quibus adhaeremus.

§ 1. *De vano mulierum ornatu, et de choreis.*

Q. An peccet mulier, quae utitur ornatu vano, aut nimis exculto, fuco vultum pingens?

R. Si hoc faciat secundum decentiam status et morem patriae, vel ut placeat viro suo, vel ut virum inveniat, non peccat; quia ornatus satis cohonestatur a suo fine. — Si hoc faciat ob vanam gloriam captandam, vel ex quadam alia levitate, peccat venialiter. — Si faciat, ut provocet ad concupiscendum, peccat mortaliter; quia hoc est dare incentivum peccati.

Q. Utrum peccet mulier, quae utitur veste virili?

R. Si ob justam causam hoc facit, omni culpa carere potest. — Si ob levitatem, vel jocum, veniale non excedit, secluso scandalo, aut libidinis periculo.

Q. An peccet graviter foemina nudo pectore et nudis brachiis incedens?

R. Affirmative, si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. — Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiae minuit, cum assueta minus phantasiam excitent.

Q. An graviter peccent ii, qui larvati, seu personati incedunt?

R. Negative per se, modo scilicet eos congressus non adeant, in quibus proxima plerumque peccandi occasio occurrit.

Q. An liceat meretricibus, vel concubinariis famulari?

R. Quoad meretrices non licet, tum ob scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. — Si vero deberet excipi aliquis casus, hoc ex adjunctis personarum, vel necessitatis gradu judicandum est.

Quoad concubinarios, permitti potest, modo domi non servetur concubina: secus non ob grave seductionis periculum; nisi tamen graves vigeant rationes ejusmodi domino inserviendi, vel pietate, aut anni provectiores existimentur. Ita communiter contra Concina, qui nullam admittit exceptionem.

Q. An liceat puellae accipere munuscula ab illo, a quo praeter matrimonii finem requiritur, et amatur?

R. Negative ordinarie; quia munera mutuum amorem maxime excitant, ac fovent.—Hinc quantum fieri potest imperandum puellae, ut ejusmodi munuscula restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis comburenda tradat. Lacroix, l. 2, n. 264, et alii.

Q. An haberi tamquam licitae possint choreae cum larvis?

R. Negative generatim loquendo, et peccatum est majus, vel minus juxta varias circumstantias, et rationem majoris, vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest.

Q. An possint absolvi, qui nolunt promittere, se choreas derelicturos?

R. Negative, si illis sit occasio proxima peccandi, vel indiscriminatim choreis etiam inhonestis interesse velint. Ita communiter. — Affirmative, si tantum choreis honestis intersint: nam hac de causa poenitentes a Sacramentis non sunt removendi. Ita Bouvier, Gury, et alii.

Q. An possint facile absolvi, qui interdum ducunt choreas inter cognatos, et amicos?

R. Affirmative, si choreae fiant adstantibus piis parentibus, aut aliis, qui aetate et moribus sint conspicui. Excipe, nisi alicui etiam ibi proxima adsit peccandi occasio.

Q. An, vel quaenam sit culpa apprehendere manum mulieris in choreis?

R. Si apprehendatur de more in choreis honestis, et nulla sit prava intentio, nulla est culpa. — Si pravo affectu, culpa levis, vel gravis foret, pro affectus pravitate, aut etiam pro minori, majorique periculo consensus in peccatum.

§ 2. *De pravis libris, et de spectaculis.*

Nunquam permittenda est lectio, impressio, et divulgatio librorum fidei, et moribus omnino adversantium. Haec enim est diabolica inventio, omnium efficacissima ad animas turmatim in gehen-

nae baratrum detrudendas: est pestis omnium maxime dira, et immanis.

Q. An typis committi possint libri, qui partim boni, et partim sint mali?

R. Negative generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint: secus vero dicendum si periculum ex eorum lectione non adeo grave sit, et hoc compensari magna utilitate ex iis capienda videatur.

Typograhi consulant superiores ecclesiasticos in hujusmodi circumstantiis.

Q. An pravi libri vendi possint?

R. Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet nempe emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus, ac doctis, qui utiliter legere possunt, v. g. ad eos confutandos etc. — Excipe libros prorsus obscenos, qui radicitus sunt extirpandi.

De horum librorum donatione, et locatione dicendum est, proportione servata, quod dictum fuit de eorum venditione.

Caetera vide in articulo de lectione librorum prohibitorum.

Q. Quid dicendum de spectaculis?

R. 1° Spectacula sunt ludi, qui per mimos, sive per histriones repraesentari solent. — Per se non sunt mala, nec proinde illicita; nulli enim legi, nec naturali, nec positivae, sive divinae, sive humanae adversantur. Si igitur res turpes in eis non repraesentarentur, et aliunde abessent circumstantiae libidini fomentum praebentes, nullatenus reprobanda forent. Ita S. Thom. 2, 2, qu. 168, art. 3, et alii communiter.

R. 2° Spectacula, in quibus apparent personae diversi sexus habitu notabiliter indecenti, generatim loquendo graviter illicita sunt; quia tam actoribus, quam spectatoribus noxia sunt.

R. 3° Cum illicitum generatim non sit, justa et proportionata extante causa, alicui se periculo exponere, praesertim si salutaribus praesidiis quis, ut par est, se communiat; ideo excusari possunt tum milites qui adesse tenentur ad invigilandum, tum servi, qui gravem indignationem dominorum paterentur, si adesse renuerent etc. Ita Scavini, Gury etc.

Caetera vide in articulo de luxuria imperfecta quoad theatra, et comoedias etc.

—

§ 3. *De omissione operis indifferentis, vel boni ratione scandali, et de permissione occasionis.*

Q. An semper teneamur omittere opera nostra, si ex illis proximus sit scandalum passurus?

Nota. Opera, quae facere intendimus, alia sunt indifferentia. — Alia sunt in se bona, sed nulla lege praescripta. — Alia bona in se, quae insuper sunt praecepta, vel lege naturali, vel divina, vel humana. Unde:

R. 1° Ad vitandum scandalum infirmorum debet actio indifferens omitti; donec tollatur occasio scandali, si absque gravi difficultate fieri potest: nam ex Apostolo (1^a ad Cor. c. 8, v. 13), qui de seipso dicit: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Nam ex charitate tenemur peccatum proximi impedire quantum possumus.

R. 2° Ad vitandum scandalum pharisaicum opera indifferentia omittenda sunt, si absque difficultate omitti possunt, donec vel tollatur scandalum, vel aliquo modo minuatur per aliquam admonitionem expressam, vel tacitam: hoc, propter dictam rationem.

R. 3° Opera spiritualia consilii seu in se bona debent vel omitti, vel differri, donec tollatur occasio scandali pusillorum; modo illa opera non respiciant publicam utilitatem, vel notabilem privatam utilitatem. — Item omitti debent si malum quod timetur, sit longe majus bono, quod obtinebitur, v. g. punitio peccatoris erit omittenda, si inde schisma timeatur. Ita D. Aug. lib. 3 contra Parm. cap. 2.

R. 4° Ad vitandum scandalum pharisaicum nulla bona, sive temporalia, sive spiritualia sunt dimittenda; quia Christus docuit hoc scandalum esse contemnendum: *Sinite illos, caeci sunt.* Matth. c. 15.

R. 5° Ad vitandum scandalum passivum quodcumque sit, nihil unquam contrarium juri naturali facere licet, vel omittere aliquid quod necessarium sit necessitate medii ad salutem; quia quod est vetitum jure naturali, est intrinsece malum: *Non sunt itaque facienda mala, ut eveniant bona.* — Intellige praecepta negativa juris naturalis.

R. 6° Praecepta naturalia affirmativa, et positiva divina quandoque omittenda sunt propter scandalum pusillorum; quia non obligant pro semper; sic secundum omnes praetermittendum est praeceptum naturale correctionis fraternae, cum proximus credatur inde

pejor futurus. — Pariter integritas confessionis est de jure positivo divino; si tamen mulier sciret Confessarium ex infirmitate lapsurum casu, quo manifestaret ipsi certum luxuriae peccatum, deberet illud omittere, caeteris confessis, si alterius Confessarii copiam non haberet.

Nota. Palaus dicit in his casibus potius praecepta affirmativa legis naturalis cessant. Pariter juxta Suarez (de Char. disp. 10, sect. 3, n. 9) tunc oportet in individuo prudenter judicare, quid magis praeponderet, an ruina proximi vitanda, an opus illud omittendum.

R. 7° An omittenda sint quae sunt praecepta a lege humana vitandi causa scandalum pusillorum controvertitur. Prima sententia probabiliter negat cum Navarro, Vasquez etc.; quia leges humanae non cessant obligare ob aliorum peccata.— Secunda sententia, quam amplectimur, probabilius affirmat cum Suarez, Layman, Antoine et aliis: quia praeceptum de vitando scandalo, cum sit naturale praeferendum est praecepto mere positivo. Igitur mulier debet semel, et iterum se abstinere a Sacro, licet de praecepto, si sciat se turpiter esse concupiscendam ab aliquo determinato homine.— Non tamen tenetur se abstinere pluries ob grave incommodum, quod inde consequeretur.

Diximus *ab aliquo determinato;* quia non tenetur, imo nec potest se abstinere si tantum generatim timor subeat, ne quis forte scandalizetur.

Q. An bona temporalia erunt dimittenda, seu non curanda ad vitandum scandalum?

R. 1° Negative, si scandalum sit pharisaicum; secus occasio daretur malis bona illa rapiendi.

R. 2° Propter scandalum pusillorum D. Thomas distinguit: si bona sint aliorum, quorum nos sumus administratores, ea dimittere non possumus. — Si bona sint nostra, duplex est sententia: prima affirmat; quia melius est anima, quam divitiae multae.— Secunda, quam amplectimur cum P. Gury probabilius absolute negat, si bona sint magni momenti; quia charitas non obligat cum gravi incommodo.

Ast consulimus in praxi ut, quantum fieri potest, admoneatur de suo errore ipse proximus. Quare non teneris solvere plus aequo operario; licet praevideas illum secus esse blasphematurum.

Q. An liceat suadere minus malum ad majus vitandum?

R. Cum distinctione: vel ille, cui suadetur minus malum est

determinatus ad majus malum faciendum; vel non. Si non, non licet; nam semper malum est, malum consulere. — Si vero sit determinatus, est licitum juxta probabiliorem sententiam cum Salmanticensibus, Ligorio, et aliis: quia tunc qui suadet, vel permittit, non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris.

Neque attendenda distinctio nonnullorum, *si minus malum contineatur in majori, tunc licet: secus non;* quia non videtur omnino rationi consona. Intellige de eadem persona. Nam non liceret, suadere volenti facere malum Titio, ut faciat Sempronio, quamvis minus; tunc enim suadens esset causa determinata, directa, et efficax damni illius tertii. — Excipe, nisi hic aliter ex charitate teneatur hoc minus malum pati in se, ad damnum alterius gravissimum impediendum.

Q. An liceat aliquando occasionem peccandi proximo permittere, seu non auferre?

R. Affirmative si adsit causa; quia permittere, non est inducere. Hinc parentes, et domini possunt sinere filios, aut famulos peccare, ut opportunum eos corrigendi locum inveniant. Ita communiter.

Q. An liceat occasionem peccandi proximo permittere, aut ponere, ut reus corrigatur, aut probandi causa fidelitatem servi etc.?

R. Controvertitur: prima sententia negat; quia esset perinde ac concurrere ad peccatum. — Verum secunda, quam amplectimur, probabilius affirmat cum S. Ligorio et communiter; quia peccans non inducitur ad peccandum; sed actus ponitur indifferens cum ratione sufficienti, ut scilicet te serves indemnem a periculo damni eventuri.

Q. Titius sollicitat, ac provocat Bertam ad secum peccandum, sed non ex animo revera peccandi, sed ad experiendum, an illa sit constans, et casta; utrum graviter peccet?

R. Affirmative; quia hic actus non est indifferens, sed intrinsece malus: et ipsa petitio est ex se directe inductiva ad malum, cum ejus animus non pateat Bertae. — Similiter non est immunis a gravi peccato vir, qui petit a muliere, ut secum dormire velit; si ex modo loquendi, non indicet, se id dicere ex joco.

§ 4. *De cooperatione in genere.*

Q. Quid est cooperatio?

R. Est *concursus cum alio principaliter agente.* — Ast a theologis definitur: *Participatio quaedam ad actionem pravam alterius.*

Q. Quotuplex est cooperatio?

R. Multiplex, nempe immediata, vel mediata; proxima, vel remota; positiva, vel negativa; formalis, vel materialis; directa, vel indirecta; physica, vel moralis.

Immediata dicitur, quando cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati. — *Mediata* dicitur, quando ponit alias actiones habentes aliquam connexionem cum peccato alterius.

Proxima dicitur, quando actio cooperantis propius connectitur cum prava alterius actione. — *Remota*, quando remotius dicta actio connectitur cum prava alterius actione.

Positiva dicitur, quando cooperans ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem. — *Negativa*, quando omittit actum debitum, v. g. si non obstet, cum obstare deberet.

Formalis, quando cooperans concurrit ad malam actionem alterius cum cognitione, et volitione illius malae actionis. — *Materialis*, quando concurrit tantum ad malam actionem alterius sine intentione cooperandi ad peccatum.

Directa dicitur, quando actus pravus alterius est in nostro actu directe volitus, v. gr. Si Paulo vendas gladium, ut Petrum confodiat. — *Indirecta*, quando est volitus in alio tantum ut, v. gr., effectus in causa, vel ut aliquid cum eo connexum.

Physica, quando cooperatur agendo physice. — *Moralis*, quando jubendo, consulendo etc. quis determinat ad agendum aliquam personam.

Q. Quot modis fieri potest cooperatio?

R. Novem modis, sequentibus versiculis expressis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Q. An quandoque licet cooperari actionibus peccaminosis aliorum?

R. 1° Nunquam licet peccato alterius formaliter cooperari; quia fit vera causa moralis illius peccati.

R. 2° Cooperatio materialis licita est, dummodo actio sit per se bona, vel saltem indifferens, et adsit causa justa, et proportionata

ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus ad peccati executionem.

Q. Quot sint conditiones ad licite cooperandum actionibus peccaminosis?

R. Sunt quatuor, scilicet: 1ª Ut cooperatio sit tantum materialis, non autem formalis. 2ª Ut actus sit de se bonus, vel saltem indifferens. 3ª Ut malus effectus per bonum compensetur. 4ª Ut bonus ille effectus immediate a causa procedat, vel aliis verbis, ut sit *causa justa simul, et proportionata.*

Nota. Eo major requiritur ratio, seu causa ad cooperandum: 1° Quo propinquior, et major est cooperatio. 2° Quo probabilior, et pejor est effectus secuturus. 3° Quo probabilius est alterum non peccaturum, te non cooperante. 4° Quo magis peccatum justitiae, vel charitati repugnat.

Q. Quando agitur de praejudicio proximi, quaenam regula tenenda est?

R. En regula: *Non possumus cooperari damno alterius, nisi quando damnum, quod timemus bonis nostris, sit ordinis superioris;* sic v. gr. Si fur minetur auferre bona tua, nisi tu fureris cum ipso bona alterius, non potes consentire, et teneris tua potius perdere.

Nota. Nonnulli Theologi docent, quibus nos subscribimus, cum quis tibi minetur certam mortem, nisi tu cooperis morti sui inimici, v. gr. Praebendo ensem vel scalam, vel amica voce vocando, ut veniat, et aperiat etc., posse permitti, et fieri, cum non sint res intrinsece malae: aliunde mors tua esset certa, et mors alterius dubia.

§ 5. *De cooperatione in particulari.*

1. *Quoad famulos.*

Q. An possit famulus, metu mortis, aut mutilationis subjicere humeros hero ad fornicandum ascendenti?

R. Affirmative probabilius; quia non ponit actionem intrinsece malam. Ita S. Ligorius. — Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si quid aliud ejusmodi timeat. Ita Scavini. — Idem resolvendum in similibus, nempe scalam, vel lumen deferre etc.

Nota. Id famulus potest facere etiam metu alterius gravissimi damni, v. gr. infamiae etc.: sed nunquam sola ratione famulatus, cum sit propior cooperatio.

Q. An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?

R. Cum distinctione : si ostium sit ordinarium, et manifestum, seu aditus est omnibus communis, communius licet sola ratione famulatus ; quia ad summum esset cooperatio valde remota. — Si vero janua est occulta, et per vim est aperienda, non licet; quia est vera culpabilis cooperatio, et contrarium est damnatum ab Innoc. XI in prop. 51.

Q. An possit famulus ratione famulatus sternere equum domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari ?

R. Ad 1um. Quamvis sternere equum sit licitum per se ; sic in domum admittere foeminam, cum qua dominus peccaturus est, facem praeferre, lectum sternere, cibum vel potum ministrare : attamen nisi timeat grave damnum, ei non licet. Ita S. Ligorius.— Sed sententia probabilior docet, id licere sola ratione famulatus ; quia sunt officia per se indifferentia, vel bona, et pertinentia omnino ad famulatum : hanc nos amplectimur sententiam.

R. Ad 2um. Non licet famulo herum ad peccandum comitari, si hic animosior ex comitatu redderetur. — Si vero, non reddatur animosior, vel grave damnum ei secus immineat, licet. — Excusandus pariter est famulus, quoties non est certus de pravo animo domini sui. Ita Vogler, Gury, et alii.

Nota. Licet ancillae heram suam meretricem ornare. — Pariter licet coquis coenam, et carnes ministrare dominis jejunium violaturis. — Pariter licet famulis pecuniam dandam ad usuram numerare, deferre etc.

Q. An licet famulo dona meretrici deferre ?

R. Negative, saltem sine causa valde gravi ; quia haec turpem amorem fovent. Ita Scavini, Gury ; quibus nos subscribimus contra Sporer, et Viva, qui a culpa istos famulos excusant. Causa esset, si secus ab illa utili servitute ejiceretur; et non posset aliam invenire sic utilem.

Q. An licet famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre?

R. Quamvis S. Alphonsus doceat id non licere, etiam posita gravissima causa, quia (ait) hoc intrinsece malum est; attamen nos cum Sanchez, Vogler, Gury, et aliis dicimus licere, si adsit ratio valde gravis : quia tunc non fit ex mala intentione, sed tantum intentione vitandi malum sibi grave. Caeterum famulus non tenetur inquirere, quid in litteris contineatur.

Nota. Quae dicta sunt de famulis, dicenda etiam de filiis, uxoribus, et omnibus aliis etc.

2. *Quoad operarios.*

Q. Utrum licitum sit indiscriminatim vendere arma, etsi in genere cognoscant ex tot emptoribus iis abusuros esse?

R. Affirmative: quia secus commercium prorsus rueret.

Q. An liceat operariis theatra aedificare, ornare etc.?

R. Quoad aedificationem generatim licet, etsi causa desit. — Quoad ornamenta, et alia licet, dummodo sint honesta; quia cooperatio est adeo remota, ut non sit peccaminosa.

Q. An liceat operariis aedificare templa haereticorum?

R. Negative absolute, si hoc postuletur ab haereticis in odium Religionis. — Affirmative, secluso quovis contemptu Religionis, vel scandalo.

Q. An liceat conficere statuas falsorum deorum?

R. Affirmative, si haec debeant adhiberi ad solum ornamentum platearum, aedificiorum. — Negative omnino, si sint pagano tradenda. Ita S. Lig. n. 69.

Nota. Non licet pulsare organa, vel canere in ecclesia infidelium, si id sit in honorem idoli. — Idem si id fieret in synagogis Haebreorum, functionum tempore; esset enim concurrere, et participare in falso culto.

Q. An liceat captivis christianis ex gravi metu remigare in triremibus infidelium contra catholicos?

R. Affirmative: quia non faciunt quid intrinsece malum, nec christianis proxime perniciosum, aliunde adest gravissima causa. S. Lig. n. 73.

Nota. Intellige tantum remigare, fodere, sarcinam arma devehere, propugnacula aedificare et similia. — Item excusentur, si ex metu gravis mali vitae inferant christianis damna in rebus externis, auferendo, destruendo, comburendo etc. — Si vero hoc magnum periculum non sit, debent ex charitate, et justitia omnia haec omittere.

At minime excusantur mortis etiam metu actu pugnantes contra insontes christianos, vel catholicos, eos occidendo, mutilando, tormenta explodendo, applicando ignem navibus etc.: quia haec sunt intrinsece mala, nec illis patrocinari potest consensus ipsorum innocentium.

Q. An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?

R. Cooperari immediate non licet, v. gr. Typos ordinare. char-

tam typis apponere, impressionem dirigere etc. : quia est immediate cooperari ad causam subversionis multorum. Excipe casum gravissimi detrimenti, et ad breve tempus, ait Layman. — Mediate vero licet gravi de causa. Ita communiter.

Q. Quid de iis, qui usurariis, aut meretricibus domus locant; vel vehunt scienter meretricem ad amasium?

R. Ad 1um. In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est, ut habitent pacifice et usurarii, et meretrices, licet ipsis domum locare : nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis ; vel nisi ansam majorem darent peccatis.

R. Ad 2um. Non licet aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda. Ita Sanchez, Roncaglia, Scavini contra Sporer, et nonnullos alios. — Si vero hoc agant ad grave damnum vitandum, videtur posse esse sine culpa, etsi Angles dicat, id nunquam licere.

Nota. Licitum est sartoribus vestes conficere lacertis apertis, et nudato pectore ; quia adeo est remota cooperatio, ut non sit peccaminosa. — Pariter licet externa laetitiae signa praebere pro aliquo reprobato opere, v. gr. Faces noctu incendendo, vexilla pendendo etc., dummodo secus immineat aliquod malum, et dummodo sint aliquo modo coacti.

Q. Mevius, alioquin juvenis pius, vocatus ad sonos edendos in domo Livii, ubi inhonestae instituuntur choreae : poteritne tuta conscientia adire?

R. Si nullum timeat grave damnum se se abstinendo non potest adire ; quia sonus influit, et incitamenta ponit, et intimius incendit ipsas choreas inhonestas. — Si prudenter timeat grave damnum sibi imminere, tuta conscientia potest adire, et sonos edere ; quia nemo tenetur in magno proprii damni periculo aliorum peccata ex charitate impedire, cum hae choreae ex malitia eorum sint turpes. Ita Suarez, Palaus, et alii, quibus subscribimus contra nonnullos, qui nullimode id permittunt.

Q. Quid, si princeps ob bellum injustum praecipiat fieri publicas preces?

R. Nemo privatus, sive clericus, sive parochus principi obediendi causa, potest facere, vel indicere publicas preces, fines mutando, aut inaniter tergiversando : quia indicere publicas preces pertinet ad supremam, ac publicam auctoritatem Ecclesiae. — Fines orationum mutare, ac tergiversare, ut docet Lessius, esset publica deceptio, et

abusus apertus sacrorum, et scandalum, quod est omnino illicitum, quamvis adsit metus gravis damni.

Q. An liceat pecunia, hortationibus etc. concurrere ad publica monumenta erigenda talibus, qui eorum auctoritate et ingenio abusi sunt ad aliorum jura pessumdanda, et usurpanda; vel ob sacrilega tentamina, et impia opera sunt tantum famosi?

R. Non licet: quia esset publice, et palàm eorum principiis subscribi, et eorum iniqua molimina probari. — Neque licet id facere cum intentione referendi tantum ad bonum, quod fecerunt: quia intentio nostra non aufert scandalum, neque mutat opus determinatum. Neque ob eorum ingenium, et scientiam: quia eo magis digni sunt vituperio, quo abusi sunt peregrinis dotibus a Creatore ipsis largitis; secus et daemoni posset erigi monumentum.

3. *Quoad mercatores.*

Conclusio I. Nunquam licitum est vendere, vel dare alteri rem, aut operam de se licitam, qua male usurus certe praevidetur, quando sine damno proportionato denegari potest.

Prob. Quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, saltem cum possit sine gravi incommodo: erga a fortiori tenetur non suppeditare materiam, aut operam, qua usurus est ad peccatum.

Diximus *certe praevidetur*, quia malum non est praesumendum, nec inquisitio de ea instituenda.

Conclusio II. Licet vendere carnes diebus abstinentiae, et tempore Quadragesimae; quia venditor de rationibus ementium judicare nequit.

Q. Quot sunt regulae, quibus mercatores dirigendi sunt?

R. Sunt tres, nempe: 1ª Licet vendere res indifferentes, aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris; quia malum non est praesumendum.

2ª Non licet vendere res indifferentes, quando certo cognoscitur emptorem illis male usurum esse, nisi denegari absque gravi incommodo possint.

3ª Non licet vendere res, quae ex institutione sua, vel usu sint destinatae ad malum; nisi casu particulari constet abesse periculum abusus; vel nisi gravis, et proportionata ratio excuset.

—

4. *Quoad caupones.*

Q. An liceat cauponibus dare vinum iis, qui praevidentur se inebriaturi?

R. Non licet sine gravi ratione, ut patet, v. gr. Ob metum gravis damni, ad praecavendas rixas, blasphemias etc.

Q. An liceat cauponibus dare carnes diebus prohibitis?

R. Cum distinctione: non licet proprio motu, nisi metus gravis urgeat. — Licet communiter, quando carnes petantur; nisi petitio fiat in contemptum Religionis. Ast licitum est struere mensam cibis licitis, et illicitis cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae; quia constat plerosque carnes petituros; ideo non videtur necessarium singulis petere, quid velint. Ita Gousset, Gury.

TRACTATUS NONUS

DE VIRTUTE RELIGIONIS

Q. Quid sit religio?

R. Religionis nomen a religando ducit S. Augustinus. — A Theologis definitur: *Virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.* — Non est ergo virtus theologica; quia pro objecto immediato non habet Deum, sed cultum Deo debitum.

Q. Quodnam est religionis objectum?

R. Objectum *materiale* sunt omnes actus, qui cultum Deo exhibendum constituunt. — *Formale* est illud speciale motivum, propter quod illos actus prosequimur. Unde potest esse multiplex, nempe sanctitas Dei, vel nostra gratitudo, vel divina delectatio, etc.

Q. Quid est cultus?

R. Est *complexio illorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.*

Q. Quotuplex est cultus?

R. Duplex, nempe *internus*, qui intus in animo perficitur; et *externus*, qui interno addit externam corporis habitudinem, v. gr. genuflexio, etc.

Q. Quinam sunt actus cultus interni et externi?

R. Actus cultus interni sunt devotio et oratio. — Actus cultus externi sunt adoratio, sacrificium, votum, juramentum et sanctificatio quorumdam dierum.

CAPUT I.

—

ARTICULUS UNICUS.

DE DEVOTIONE ET ORATIONE.

Q. Quid est devotio?

R. Est *volitio efficax tradendi se prompte ad ea, quae pertinent ad cultum Dei.* — Unde est actus generalis religionis, a quo caeteri omnes informari debent.

Q. Quid est christiana perfectio, et an omnes ad illam obligentur?

R. Ad 1um. Est *consecutio plena et absoluta nostri ultimi finis, inchoative in hac vita per gratiam ; complete vero in altera per gloriam.*

Ad 2um. Si perfectio consideretur, prout excludit quod est charitati contrarium, idest peccatum mortale, sub gravi omnes obligat. — Si vero consideretur, prout excludit ea omnia, quae impediunt ne affectus totaliter dirigantur ad Deum, obligat tantum eos, qui ad consilia evangelica obligantur.

Nota. Ascetici tres perfectionis gradus assignant, nempe viam purgativam, illuminativam, unitivam.

Q. Quid est oratio?

R. Est *actus religionis, quo res decentes a Deo postulamus*, sive immediate, sive mediante Sanctorum intercessione.

Nota. Oratio late sumpta est *elevatio mentis ad Deum.*

Q. Quotuplex est oratio?

R. Praecipue est duplex, nempe *mentalis*, quae sola mente peragitur; *vocalis*, quae non solum fit mente, sed etiam ore exprimitur.

Vocalis dividitur in *privatam*, quae fit a persona privata et privato nomine. — In *publicam*, quae fit a communitate, vel a ministro Ecclesiae nomine communitatis.

Mentalis dividitur in meditationem et contemplationem. *Meditatio* est pia consideratio rerum divinarum ad concipiendam animi compunctionem, devotionem, fervorem, et mores nostros ad virtutem conformandos. — *Contemplatio* est elevatio mentis in Deum suspensae in ipso degustantis aeterna dulcedinis gaudia.

Nota. Oratio publica est praestantior privata, eique praeferenda est; quia Christus, Matth. c. 18, promittit specialem assistentiam iis, qui ad orandum in unum conveniunt.

Q. An oratio sit necessaria ad salutem?

R. Affirmative: est enim omnibus adultis necessaria necessitate praecepti, Matth. c. 7: *Petite, et dabitur vobis;* et c. 26: *Vigilate et orate;* Luc. c. 18: *Oportet semper orare, et non deficere.* Imo probabilius etiam necessaria necessitate medii; quia est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas.

Q. Quandonam urget praeceptum orationis?

R. Obligat per se et per accidens: 1° *Per se* initio vitae moralis. 2° Tempore mortis. 3° Saepe in vita, ut adimpleatur illud Christi: *Oportet semper orare;* idest omni tempore opportuno.

Nota. In adsignando tempus notabile, quod requiritur ad peccatum mortale omissionis circa orationis praeceptum communis sententia assignat unum mensem. Ita Suarez, Lessius etc. contra rigidiores, qui dicunt sufficere hebdomadam, et contra laxiores, qui requirunt integrum annum.

Per accidens urget: 1° Quoties praeceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria. 2° In gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non possit. 3° In publicis calamitatibus, vel calamitas immineat nobis, vel proximo.

Q. Quid petere debemus per orationem?

R. Absolute, et imprimis petere debemus, quae aeternae saluti expediunt, ut sunt bona spiritualia. — Conditionate, nempe si prosint saluti animae, petere debemus temporalia.

Mala temporalia, quae scilicet non sint peccata, sed poenae licite peti possunt ad merita comparanda, ad peccati poenas luendas.

Q. Pro quibus orare licet?

R. In oratione privata pro omnibus, qui nondum sunt in termino; Apost. ep. 1 ad Tim. c. 2: *Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus.*

Q. Quinam invocandi sunt in nostra oratione?

R. Deus et Sancti. Deus, ut auctor gratiarum et bonorum omnium; Sancti, ut intercessores apud Deum.

Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati, et ante usum rationis defuncti. Ita Lessius, Bellarminus, Bonacina et alii. Idem dicendum probabilius de animabus in purgatorio detentis.

Nota. Invocatio Sanctorum est de consilio, non de praece-

pto; quia Tridentinum dicit, tantum esse bonum et utile eos invocare.

Q. Quaenam sunt conditiones, ut oratio legitime fiat?

R. 1° Cum attentione, idest ut orans serio cogitet quid et quem alloquatur. 2° Cum humilitate. 3° In nomine Jesu. 4° Cum fiducia et firma fide. 5° Cum desiderio obtinendi quod petitur, secus irrisorie petitur. 6° Cum perseverantia.

Q. Ad orationem requiriturne status gratiae?

R. Negative: quia esset doctrina Quesnelli damnata a Clemente XI, divus enim Augustinus sic argumentatur: *Qui dixit propitius esto mihi peccatori, verum dixit, an falsum? Si verum dixit, peccator erat, et tamen exauditus est* (tr. 44 in Joann.).

Q. Si oratio peccatoris non est revera frustranea, ad quid valebit?

R. D. Thomas docet orationem (sic etiam opera bona) peractam a fidelibus in statu peccati mortalis *valere:* 1° *Ad assuefactionem bonorum operum.* 2° *Ad temporalium consecutionem.* 3° *Ad dispositionem ad gratiam.* 2, 2, q. 83, a. 7.

Q. Quot sunt effectus orationis?

R. Tres, nempe oratio: 1° Est meritoria. 2° Est satisfactoria. 3° Est impetratoria.

Nota. In oratione publica triplex pariter distinguitur fructus: 1° Generalis, de quo participant omnes. 2° Specialissimus, qui ipsi oranti prodest. 3° Specialis, cui nempe oratio applicatur. Ita Scavini.

Q. An oratio infallibiliter effectum sortiatur?

R. Si recte fiat distinguendum: vel ab orante funditur pro aliis, vel pro se ipso. — Si primum, non semper effectus est certus, quia Christus dixit: *Petite, et dabitur vobis;* non dixit absolute *dabitur.* — Si secundum, tunc est infallibilis, si petantur ad salutem aeternam conducentia.

Quod si pro temporalibus Deus nos non exaudiat, tunc gratia est ipsa negatio gratiae; quia forte non expedit, ut exaudiamur.

Q. An peccet, qui omittit preces vespertinas et matutinas?

R. Negative per se, si interdum tantum omittantur. — Sed si saepius omittant, non excusantur saltem a veniali, et juxta circumstantias quandoque a gravi, ob pericula quae quotidie occurrunt.

Q. Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?

R. Per se peccat venialiter, quoties sine justa ratione voluntarie distrahitur, idque valet etiamsi oratio fiat absque obligatione; quia irreverentiam aliquam Deo irrogat. Ita Elbel, n. 419, Gury.

Q. An meditatio necessaria sit omnibus fidelibus adultis?

R. Si consideretur facta illo peculiari modo, quo fit in claustris et ab Ecclesiasticis, non est necessaria omnibus fidelibus adultis. — Si consideretur ut mera et simplex rerum divinarum consideratio, est valde necessaria ad perseverandum in gratia, juxta illud Eccl. cap. 7: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

CAPUT II.

De actibus externis religionis.

Nota. De Sacrificio, in tract. de Eucharistia agemus.

ARTICULUS I.

DE VOTO.

Q. Quid est votum?

R. Definitur: *Promissio deliberata et spontanea Deo facta de bono meliori ac possibili.*

Q. Promissio facta Sanctis estne votum?

R. Est votum, quatenus promissio illa vovetur Deo in honorem simul Sanctorum. Ita omnes cum D. Alphonso, lib. 3, n. 194.

Q. In quo differt votum a simplici proposito?

R. In hoc, quod propositum quantumvis firmum non est votum, nisi adfuerit sese obligandi vera intentio. Unde potest esse simplex propositum, aut simplex promissio, quin sit ista obligatio. Neque rei propositae omissio est peccatum, nisi per accidens, v. gr. propter negligentiam etc.

Q. An votum sit res sancta?

R. Affirmative, contra Lutherum et Calvinum contrarium docentes: nam Apostolus (1ª ad Tim. c. 5) sic scribit de viduis, quae, postquam continentiam Deo vovissent, nubere iterum cupiebant: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Nota. Opus factum ex voto melius est opere, quod fit sine voto; tum quia procedit e virtute praestantiori, idest religione; tum quia sic magis Deo nos submittimus; tum quia propriae ejus bonitati superaddit bonitatem voti.

Q. Quomodo dividitur votum?

R. Dividitur in reale, personale et mixtum. — Reale, *quo promittitur res aliqua*, v. gr. eleemosyna etc. — Personale, *quo promittitur actio voventis propria*, v. gr. jejunium. — Mixtum, *quo promittitur propria actio et res aliqua*, v. gr. distributio bonorum suorum cum ingressu religionis.

Votum personale dividitur in positivum et negativum. — In liberum et necessarium. — In solemne et simplex.

Positivum, quo promittitur res facienda, v. gr. oratio.

Negativum, quo promittitur aliquid omittendum, v. g. jocus.

Liberum, quo res non praecepta promittitur, v. gr. religionis ingressus.

Necessarium, quo promittitur res jam in praecepto, v. g. a cibis vetitis abstinentia.

Solemne, *quod ab Ecclesia approbatum, ac in perpetuum acceptatum est.*

Simplex, *quod emittitur absque acceptatione Ecclesiae saltem in perpetuum;* sic vota Religiosorum Societatis Jesu ex Bulla Greg. XIII sunt simplicia; quia non sunt in perpetuum acceptata, et habentur ut solemnia.

Votum simplex dividitur in absolutum, et conditionatum. — In reservatum, et non reservatum. — In expressum, et tacitum.

Absolutum, quod fit sine ulla conditione.

Conditionatum, quod sub aliqua conditione emittitur, v. g. Voveo talem eleemosynam, si pater convaluerit.

Reservatum, quod non potest relaxari, nisi a Pontifice.

Non reservatum, cujus relaxatio haberi potest ab alio Superiore.

Expressum, quod verbis exterius profertur.

Tacitum, quando quis aliquid vult, cui scit votum esse adnexum; sic votum, quod emittitur ab iis, qui promoventur ad Subdiaconatus Ordinem, tacite emittitur.

Q. An votum unius possit alios obligare?

R. Votum personale solum voventem obligat, nec per alium impleri potest et debet. — Reale ad haeredes transit; sicut et mixtum, qua parte est reale.

Q. Quinam possunt vovere?

R. Omnes, qui sufficientem habent rationis usum, dummodo legitime non impediantur. Quare vota emissa ante septennium censentur invalida, nisi ex circumstantiis constet usum rationis adfuisse.

Q. Quinam, vel quomodo legitime impediuntur?

R. 1° Auctoritate Ecclesiae, quando imponit conditiones, ut in Tridentino praescripsit decimum sextum annum completum pro emittenda professione religiosa; secus votum est nullum.

2° Ratione materiae, si nempe res voto promissa ad dominium alterius pertineat.

3° Voluntate illius, a quo vovens dependet; sic erit de Religioso relate ad Praelatum suum.

Nota. Probabilius votum minoris emissum sine consensu tutoris non est irritum, sed tantum irritari potest. S. Lig. Op. mor. l. 3, n. 231.

Conditiones igitur ad voti validitatem requisitae, duae sunt praecipuae: 1ª Intentio vera. 2ª Materia apta.

§ 1. *De intentione ad votum requisita.*

Q. Quaenam voluntas ad voti valorem requiritur?

R. Voluntas vere et proprie se obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum ita, ut in promissario verum jus enascetur rem voto promissam exigendi; quia votum est lex privata, quam vovens sibi imponit.

Q. An valeat votum factum cum ignorantia obligationis?

R. Non valet factum cum omnimoda ignorantia obligationis, quam inducit; quia sine intentione sese obligandi nullum est votum.

Q. Quid dicendum si inadvertentiae causa hic et nunc vovens non attendat ad voti obligationem?

R. Cum distinctione: vel iste conscius est obligationis, quae voto inhaeret; vel non. Si primum, valide vovet, modo verba votum significantia proferat; quia censetur implicite ipsam quoque obligationem intendere. — Si secundum, nullum est votum; quia nemo dici potest velle obligationem, quam ignorat. Excipe, si iste voluerit, modo illo ordinario vovere, quo vovent alii; tunc implicite obligationem ipsam voluisse dicendus esset.

Q. Quaenam advertentia requiritur ad voti valorem?

R. Requiritur advertentia plena et directa. Plena, nempe qualis requiritur ad mortale. Quare votum ex advertentia semiplena, v. gr. ex repentino animi motu, vel ex contracta loquendi consuetudine, vel ex lingua praeveniente mentem, non tenet. — Directa, ut nempe votum sit in se volitum. Hinc vota emissa in ebrietate, etiam ante praevisa, et sic volita in causa, non sunt valida; quia non sunt volita in se ipsis, atque directe.

Q. An teneat votum illius, qui non vult, nec intendit votum adimplere, licet velit se obligare?

R. Affirmative; nam votum non facit intentio adimplendi, sed se obligandi.

Q. An quis possit vovere rem gravem, sed cum voluntate se obligandi tantum sub levi?

R. Affirmative; quia vovens habetur in voto uti legislator. — Sed, qui intentioni suae limites expresse non apponit, censetur, se obligare secundum rei naturam et materiae capacitatem, ac proinde sub gravi.

Q. An aliquis possit se obligare sub gravi per votum ad rem omni parte levem?

R. Negative: quia materia undequaque levis, capax est tantum levis obligationis. Ita S. Ligor., Op. mor., l. 3, n. 196.

Q. An valeat votum ex errore emissum?

Nota. Error potest esse: 1° Circa voti substantiam, v. gr. Si quis voveat ingressum in tale monasterium putans esse S. Dominici, cum sit S. Francisci.

2° Circa causam finalem voti, v. gr. Qui vovet eleemosynam Titio elargiendam, quia credit illum esse sibi consanguineum, cum non sit.

3° Circa circumstantias substantiales, v. gr. Si aliquis voveat peregrinationem ad Domum Lauretanam putans illam non distare nisi triginta leucarum itinere, cum distet tercentum.

4° Circumstantias voti accidentales, v. gr. Qui voveat dare eleemosynas Titio pauperi, quem putabat probum, cum tamen probus non sit.

R. Ad tres primos casus, quod attinet, votum in iis emissum nullum est; quia voluntas voventis ferri non potest in incognitum. — Ad quartum, distinguendum: si circumstantiae illae accidentales sint magni momenti ita ut, iis praevisis, votum non fuisset emissum, votum non tenet, quia tales circumstantiae tunc pertinent ad rationem causae finalis. — Secus tenet votum.

Nota. Excipi debent vota, quae emittuntur post novitiatum in quocumque approbato Ordine; quia irrita non sunt ob ullum errorem, nisi solum ob errorem circa substantiam. *Quia in iis*, ait Lugo (De inst. et jur., disp. 22, n. 88), *quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas juxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione, vel conditione, sed omnino absolute et inde-*

pendenter ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia ejusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones, atque adeo ipse status, quod non est juxta naturam rei, de qua agitur. Ita etiam S. Alphonsus, Sanchez et alii.

Q. Quaenam libertas requiritur ad votum?

R. Requiritur libertas perfecta adeo, ut sit in nostra potestate, votum elicere, vel non elicere; quia obligatio voti est omnino gratuita; ideo absque plena libertate contrahi nequit.

Q. An valeat votum metu factum?

R. Si agatur de metu levi, probabilius validum erit votum; quia non censetur efficaciter in actum influere, et est potius occasio, quam causa voti. — Item valet si metus sit gravis, sed juste incussus; tunc enim vovens non est rationabiliter invitus. — Item valet, si metus gravis non sit incussus ad extorquendum votum, v. gr. Qui timens latronis minas votum facit Deo, ut si liberetur, faciet etc. — Item valet, si metus gravis proveniat a principio intrinseco, vel a causa necessaria, dummodo voventi usum rationis non adimat; quia voluntas votum deliberate emittit.

Si metus sit gravis, injustus et incussus a causa extrinseca ad extorquendum votum, duplex est sententia. Prima probabiliter stat pro valore voti, quia est adhuc satis voluntarium. — Secunda probabilius negat; quia Deo id acceptum esse non potest, quod per injuriam vi ab aliquo extorquetur; hanc secundam nos cum communi Theologorum amplectimur.

Intellige de votis simplicibus. Quia certum est metum gravem injuste incussum vota solemnia invalida esse jure ecclesiastico. Ita S. Ligorius et omnes.

Q. An voto teneatur, qui dubitat utrum votum, vel merum propositum emiserit; pariter, qui dubitat an sufficientem habuerit deliberationem ?

R. Ad 1um. Si promittendo credidit se peccaturum, si forte rem propositam non exequeretur, judicari potest eum vere vovisse. — Si non ita credat, non tenetur voto; lex enim evadit dubia. Ita S. Ligorius, n. 201, et Gury.

R. Ad 2um. Si positive et graviter dubitet de sufficiente deliberatione non tenetur. Secus tenetur. — Ast plerumque ex perspectis circumstantiis res definienda est, et non facile admittenda est deficientia sufficientis deliberationis ob hallucinationis periculum. Ita Gury.

Nota. D. Alphonsus (lib. 3, n. 196 etc.) ait: *Motus irae raro impedit rationis usum.* — Et Suarez docet, quod *solus calor iracundiae per se non sufficiat ad constituendum morale dubium de sufficienti usu rationis, nisi aliae circumstantiae accedant.* — Quibus nos subscribimus.

§ 2. *De materia voti.*

Q. Quid requiritur ad votum ex parte rei promissae?

R. Tria requiruntur, nempe ut res sit de bono, de meliori et de bono possibili.

Nota 1ª. Votum de re indifferenti est nullum; modo finis non reddat bonum.

Nota 2ª. Votum de re mala non solum est irritum, sed etiam peccatum mortale; et quidem probabilius etiamsi res illa sit tantum venialiter mala, v. gr. mendacium jocosum. — Excipe, nisi id fiat ob ignorantiam voventis.

Q. Quid dicendum de matre, quae votum facit, si moriatur filius continuo aegrotus, vel quia malus?

R. Ad 1um. Plerumque excusari debet; cum id agat potius ex simplicitate et compassionis impulsu, quam ex animo malevolo.

R. Ad 2um. Potest excusari, si bona fide, vel ex ignorantia hoc faciat, vel directe intelligens bonum commune, vel melius bonum ipsius filii. Secus peccat, quia est per se malum desiderare mortem alterius.

Nota 1ª. Bonum melius intelligitur melius ejus opposito: pariter non solum melius absolute in se, sed intelligitur etiam relative ad circumstantias.

Nota 2ª. Quare, qui vovet nubere ob sui expertam fragilitatem, quamvis Lessius et alii dicant invalide vovere; attamen nos cum Salmanticensibus, Navarro, Sanchez, Viva et aliis plurimis dicimus, tale votum esse validum; quia matrimonium est majus bonum respective: *Melius est..... nubere, quam uri*, ait Apost. 1 ad Cor. cap. 7. Excipe, si aliter magis expedit bono communi ob peculiarem statum.

Q. An valeat votum non vovendi?

R. Est invalidum, quia melius est vovere. Sed validum erit, si voveas non vovendi sine licentia Confessarii, etc.

Q. Quid, si tale votum non vovendi secundo dicto modo factum transgrediaris?

R. Si memor primi voti, nihilominus vovet, peccat: et primo voto non obstante, tenetur ad secundum votum; quia est de meliori bono. Excipe, si per prius votum intenderit, nec se retractaverit, omnia sua vota in posterum edenda fore nulla, nisi accesserit Confessarii licentia. Ita S. Ligorius, lib. 4, n. 210, Billuart et alii.

Nota. Nullum est votum nunquam peccandi; quia est moraliter impossibile. — Validum et laudabile est votum vitandi omnia peccata mortalia, vel omnia venialia ex perfecta advertentia. — Item votum abstinendi a venialibus absolute in aliqua materia determinata, v. gr. non mentiendi. Ast non obligat, nisi juxta illius gravitatem, v. gr. vovens vitare mendacium, mentiendo, peccat venialiter dupliciter, idest contra veritatem et contra votum.

Q. Si una pars materiae voti sit possibilis, altera impossibilis, an vovens teneatur ad partem possibilem?

R. Tenetur, quando partes divisim sunt promissae, nec intentione voventis conficiunt unum objectum, v. gr. Qui vovet jejunare per integrum mensem, tenetur iis diebus, in quibus potest, nisi possit toto mense jejunare. — Quando vero collective sunt promissae non tenetur, v. gr. Vovere aedificare ecclesiam, si habeat pecuniam tantum pro fundamentis, non tenetur ponere fundamenta.

Q. An valeat votum de materia jam aliunde praecepta?

R. Affirmative: quia non repugnat, debitorem diversis titulis ligari. Ita communiter.

§ 3. *De obligatione voti.*

Q. An votum sit obligatorium?

R. Affirmative; ait enim (Deut. c. 23) Scriptura: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere..... et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Q. Quanta sit obligatio voti?

R. Obligatio voti gravis est in materia gravi, levis in materia levi.

Nota. Obligatio voti causatur a fidelitate in Deum; ideo est major, quam obligatio juramenti, quae est ex reverentia Dei. Ita S. Thomas 2, 2, q. 89, a. 8.

Q. Quaenam materia per se censeatur levis, vel gravis in voto?

R. Illa, quae cum ab Ecclesia praecipiatur, graviter obligat, ut jejunium, Missa etc.; vel quae comparata cum alio praecepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, aut ad Dei cultum, aut ad utilitatem proximi confert.

Q. An materiae leves in votis possint secum coalescere et peccatum mortale constituere?

R. Affirmative, si diversae materiae leves voto promissae fuerint per modum unius; et ideo dies non assignatur, ut terminus, sed ne ultra illum differatur executio. — Aliter vero esset, si illa parva materia sit affixa diei; tunc transacto die, transit etiam promissum.

Q. Quomodo id cognosci potest?

R. Interroganda est ipsa voventis intentio, suprema lex voti. — Quae si dubia sit, tunc in votis realibus coalescunt per modum unius. In votis personalibus non coalescunt. — Si pariter hoc distingui non possit, materiae censeantur affixae diei, ideo non coalescunt. Ita Scavini et communiter.

Q. An aliquis voto alieno ligari possit?

R. Negative ratione voti; quia votum est onus personale, voluntarie susceptum, et ideo nemo actionem, vel rem alienam promittere potest. — Hinc vota parentum filios dicandi cuipiam religioni etc., filios non ligant, nisi expresse cum vero consensu ratificaverint votum parentum, quamvis parentes obligantur curare modis licitis, ut ipsi filii ingrediantur dictam religionem.

Dixi *ratione voti;* quia haeres vota realia defuncti ex justitia solvere tenetur.

Nota. Sic pariter dicendum de voto mixto, pro qua parte est reale. Ast semper libera debet manere legitima, quae nullo onere gravari potest; et notandum, vota realia esse solvenda post debita justitiae, sed ante legata; nam fortius ligant. Ita S. Lig., Op. mor., lib. 3, n. 216; Pavone, Scavini et alii.

Q. Quid dicendum de voto alicujus communitatis?

R. Votum totius communitatis, vel magistratus, vel Superioris nomine totius communitatis, obligat non solum omnia membra ipsius communitatis, sed etiam posteros adeo, ut peccant contra virtutem religionis, si violent; quia haec vota, ait Suarez, sunt comparanda cum aliis pactis, quibus communitas se ligat, et quorum obligatio ad posteros transit, et eodem motivo transit, quo communitas se obligavit.

Q. An quis teneatur observare votum dubium?

R. Cum distinctione: vel dubitatur, an votum fuerit emissum, vel an votum emissum fuerit validum, vel an votum valide emissum fuerit impletum. Si primum, ad nihil tenetur, si post sufficientem diligentiam ad illud tollendum adhuc perseveret. Idem

dicendum, si dubites, an voto comprehendatur aliquid. — Si secundum, est validum, et vovens ad votum obligatur: nam *praesumitur recte factum, quod erat de jure faciendum.* Idem est in dubio, an votum fuerit emissum ante, vel post septennium; nam actus praesumitur factus tempore habili et rite, donec contrarium non constet. — Si tertium, votum certo implendum est; quia votum est in possessione.

Q. Quid de voto facto vocabulis disjunctivis?

R. Est validum; et electio debet fieri a vovente: et facta electione rem electam praestare debet, etsi postea altera pars pereat; quia votum determinavit per electionem.

Si fuerit in mora culpabili determinandi, et res una perierit, alteram debet; quia censetur voluisse obligationem indeterminatam. Si res totaliter, et omnino perierit absque sua culpa ante electionem; votum tunc corruit; quia non habet amplius potestatem eligendi, sub qua se obligavit.

Q. Quid dicendum de voto conditionato?

R. Si votum sit de conditione impossibili, et turpi est nullum; imo est impium.

Si votum sit de conditione possibili, et honesta tam praesenti, quam praeterita, statim est validum, vel invalidum, prout conditio existit, vel non.

Si sit de conditione futura, tunc statim obligat, si est de futuro necessario: sed ejus execūtio suspenditur usque ad conditionis eventum; quia talis praecise est voventis voluntas. — Si est de futuro contingenti, votum non obligat ante conditionis eventum; ipsa autem conditione cessante, votum fit nullum.

Nota. Qui vovit dare unum aureum, si omittat festo die audire Sacrum; si non audiat ob infirmitatem non tenetur dare, quia illud votum censetur poenale. — E contra qui promiserit dare aureum singulis vicibus, quibus juraverit, etsi inadvertenter juret, tenetur dare; quia iste censetur vovisse non mere in poenam, sed etiam in medicinam sui. Ita Billuart, Scavini etc.

Q. An valeat votum rei bonae cum fine pravo, aut conditione mala?

R. 1° Distinguendum; vel pravus finis est ex parte rei, quae vovetur; quod evenit, quando res voto promissa dirigitur ad finem pravum, v. gr. Si ideo voveas jejunium, ut ex illo plausum capias: si voveas centum florenos dare pauperibus ideo, ut litem injustam vincas, est invalidum; quia sumitur uti medium ad malum. — Idem

dicendum, si finis sit indifferens, ut si quis voveat jejunium, ut parcat sumptibus.

Si vero finis pravus se habeat ex parte voventis, scilicet quando non res vota, sed ipse vovendi actus dirigitur ad finem pravum, v. gr. Si quis ex corde jejunium voveat, sed id faciat elevata voce, ut ab aliis commendetur, votum validum est. — Item validum est votum ingrediendae religionis cum intentione emissum, ut postquam ingressus fuerit, fiat abbas, ut commode vivat etc.; quia non supponitur vovens elegisse tanquam medium ad malum finem; sed tanquam praesuppositum simpliciter acceptasse.

R. 2° Valet votum factum ex conditione mala, v. gr. Si quis voveat jejunium, si inimicum occidet, si furtum faciet, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto etc.; quia votum non cadit super malum, sed super ista bona, quatenus in se bona sunt, etsi aliunde conjuncta cum causa mala.

Nota. Multo magis, si votum fiat ex detestatione malae conditionis, v. gr. Si quis voveat dare eleemosynam, si, et quoties blasphemet.

Q. Quot peccata committit, qui votum violat?

R. Vel est de re jam praecepta, vel de re nullimode praecepta.— Si primum, duplex erit peccatum in voti violatione.—Si secundum, unum erit peccatum contra religionem; quia vovens imponit sibi tantum obligationem, quae exoritur vi voti.

§4. *De tempore quo votum impleri debet.*

Q. Quandonam votum implendum est?

R. Si votum sit negativum, obligat semper, uti legis negativae proprium est. — Si positivum, vel vovens designavit certum tempus; vel non. Si primum, obligatio erit pro tempore illo ita, ut peccet, nisi vovens intra illud tempus adimpleat; et illo transacto, ad nihil tenetur. Si secundum, votum adimpleri debebit quam primum moraliter, et commode poterit, habita ratione circumstantiarum.

Q. An qui praevidet impedimentum in adimpletionem voti ad aliquod tempus determinati, tempus illud teneatur praevenire?

R. Cum distinctione: Si votum est affixum alicui determinato tempori, v. gr. Vigiliae S. Petri, vel alicui integro mensi, et ideo tempus fuit sic determinatum ad finiendam obligationem, tunc non tenetur praevenire illud tempus; quia nondum urget obligatio. —

Si vero votum non fuit affixum alicui determinato tempori, sed solum fuit statutum tempus ad urgendam voti obligationem, tunc tenetur praevenire; quia jam votum obligat. — Quod si determinatum fuerit tempus ad finiendam obligationem, et tempus jam advenit, praevidens non posse votum implere in ultimis diebus istius temporis, tenetur praevenire finem dicti temporis.

Nota. Cum autem tempus ponatur ad urgendam obligationem, si intra illud tempus non adimpleatur, vovens tenetur adimplere quam primum poterit.

Q. Quaenam dilatio gravis censenda sit?

R. Cum distinctione: vel votum respiciat Dei obsequium temporaneum, v. gr. tot recitandi rosaria etc.; vel respiciat obsequium Dei perpetuum, v. gr. ingrediendi religionem. Si primum, dilatio erit mortalis, si fiat absque causa ad duos, vel tres annos, ut recte dicunt; quia quisque censetur sic obligationem accipere, ut eam non nimium differat. — Si secundum, peccat mortaliter, qui diu differt illius voti implementum, si ad sex menses juxta plurium opinionem: excipe, nisi causa satis rationabilis excuset. Ita S. Ligorius, Op. mor. lib. 3, n. 221, et Scavini, et alii.

Q. Quid si dubitetur, utrum tempus appositum fuerit ad finiendam voti obligationem, an vero ad eam sollicitandam?

R. Si agatur de votis personalibus, non ligatur post elapsum illud tempus; quia in his usu communissimum est, tempus censeri appositum ad tempus finiendum. — Si de votis realibus, ligatur; quia in his tempus censetur appositum ad sollicitandam obligationem tantum: excipe, si votum habeat specialem relationem ad diem. Ita S. Lig., Scavini, et alii.

Q. Quid, si vovens ipse in causa sit, ut conditio in voto ab ipso posita, cesset? v. gr. Titius voveat religionis ingressum, si pater approbet; deinde vero ipse Titius patris consensum impediat?

R. Si impediat rationibus, et precibus, non peccat; quia pater adhuc liber est consentire, vel non. — Si dolo, vel vi, peccat; quia ipse vera causa esset impedimenti illius.— Sed probabilius ipse tunc a voto liber est, et satis est, si eum poeniteat eo quod conditionem impedierit.

Nota. Adhuc standum est pro dissensu, si pater illico consentiat, et illico dissentiat (*si, no*): quia non attenditur praeceps, ac subitus ille consensus utpote statim retractatus; ideo non erat perfectus.

Q. Quid dicendum, si quis duo vota incompossibilia emiserit?

R. Servare debet, quod dignius est, etsi posterius factum; censetur enim votum commutatum in melius. — Si sint ferme aequalia, vel si dubitetur, tunc prius posteriori praeferat; illud enim possidet. Ita Layman, Scavini.

§ 5. *De votorum interpretatione.*

Q. Quomodo fieri debet interpretatio votorum?

R. Prima ratio interpretandi vota est ipsa voventis voluntas, a qua votum vim suam habet.

Q. Quae, et quot sunt regulae si voluntas voventis non satis cognoscitur?

R. Quatuor: 1ª Est, ut verba obligationis voti intelligantur secundum communem usum, et acceptionem regionis.

2ª Est, ut si iterum dubium maneat, ipsa materia voti inspiciatur, et obligatio accipiatur secundum ejus naturam, et necessarias conditiones.

3ª Est, ut adhuc manente dubio, votum observetur eo modo, ac si haberetur lex divina, vel ecclesiastica de eadem re. — Ideo qui vovit jejunium per mensem, non tenetur jejunare diebus dominicis. — Item qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si haec in diem dominicam incidat, die sabato jejunare potest.

4ª Regula est, ut hisce omnibus consideratis, nihilominus res remanet dubia, vota accipiantur in favorem voventis; sunt enim leges voluntatis, et quisque censetur, se velle minus obligare quam potest. Ita Salmatic., Layman, Cajetanus, Scavini, et alii.

Quare, qui vovit religionem ingredi, satisfacit voto, si minus rigidam ingrediatur; quia substantia jam impletur. — Item dictam religionem non tenetur eam inquirere extra propriam regionem, vel provinciam, si ibi non admittetur: imo si sit foemina, non tenetur quaerere monasterium extra patriam, si ibi adest. — Item qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr. eleemosynam, satisfacit dando quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut potius videatur Deum illudere.

§ 6. *De commutatione votorum.*

Q. Quid est commutatio votorum?

R. Est *substitutio operis honesti loco alterius Deo promissi, sub eodem vinculo.*

Q. Quotuplici modo fieri potest commutatio?

R. Tribus, nempe vel in bonum melius, vel in minus, vel in aequale.

Q. An vovens postea ex se commutare potest sua vota?

R. Si fiat in aliud bonum melius, potest facere auctoritate privata, seu ex se; quia minus in majori eminenter continetur. — Non potest auctoritate privata commutare in minus; quia non servat promissionem.

Utrum possit mutare votum suum in bonum aequale, controvertitur. Gury docet, communiter Doctores id permittere; sed consulit, ut hoc fiat de consilio Confessarii propter hallucinationis periculum.— Sed probabilius nos cum D. Thoma, Salmaticensibus, Suarez, Layman, Sanchez, Scavini et aliis tenemus, ipsum non posse in aequale mutare; quia res fuit promissa in specie: ergo alia, nisi sit melior, solvi nequit sine consensu creditoris, nempe Dei, cujus vices gerit Praelatus.

Q. An vota reservata possint commutari?

R. Possunt tantum commutari in alia reservata; quia eorum relaxatio, aut commutatio sibi fuit a Superiore reservata. Pariter fieri potest in statum religiosum. Ita S. Ligorius, n. 243.

Q. An, si commutatio fiat in minus sine justa causa, sit non solum illicita, sed etiam invalida?

R. Duplex est sententia; prima probabiliter negat cum Sanchez, modo suppleatur defectus; quia sic proceditur erga homines: ergo a fortiori erga Deum, cum quo mitius agitur. — Secunda cum D. Thoma (2, 2, q. 88, a. 12) affirmat, non solum esse illicitam, sed etiam esse invalidam; quia Praelatus non potest excedere suam facultatem. Utraque sententia est probabilis; ideo nos dicimus, posse Confessarium vel Superiorem uti prima sententia, modo suppleat defectum, et sic etiam vovens acquiescat judicio commutantis.

Q. Quinam habet potestatem commutandi votum?

R. Qui habet potestatem dispensandi in votis, habet etiam potestatem ea commutandi sive intra, sive extra confessionem; juxta enim regulam juris: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* — Pariter habent potestatem dispensandi in votis Regulares, qui ex privilegio possunt commutare vota in foro sacramentali, et extra confessionem. Ita Scavini.

Nota. Confessarii ad commutandum delegati non possunt exercere hanc facultatem nisi in confessione. — Insuper delegati ad commutandum, non possunt dispensare; quia minus non continet quod majus est.

Q. An Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare possit?

R. Negative: quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Excipe ob gravem causam.

Q. Quid debet observare commutans votum?

R. Sequentes regulas, nempe: 1° Si solum habeat facultatem vota commutandi, eadem non utatur, nisi pro commutatione in bonum aequale, non tamen mathematice, sed moraliter acceptum: quare latiori sensu haec aequalitas accipienda est; quia commutatio fere debet fieri in allevationem ejus, qui sese voto obstrinxit. Ita S. Lig. n. 243.

2° Ut sciat ad commutationem peragendam sufficere majorem voventis propensionem, aut minus periculum transgressionis. Quare consulit S. Alphonsus, ut interrogetur poenitens ad quae majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Op. mor. l. 3, n. 257.

Nota. Commutatio securior in omni votorum genere erit semper frequentia Sacramentorum.

3° Ut curet votum personale commutari in personale; reale in reale; mixtum in mixtum; perpetuum in perpetuum, ut possibilis proportio servetur. Excipe nisi legitimae occurrent rationes.

Q. An facta commutatione liceat redire ad primum opus?

R. Affirmative, si commutatio facta fuerit in minus, vel aequale; quia primum opus est aeque gratum Deo, imo et gratius videtur. Ita omnes. — Affirmative probabilius etiamsi facta fuerit in melius; quia commutatio fit in favorem voventis. Ita S. Lig. n. 248. — Excipe nisi certo constet voventem voluisse, se quasi novo voto ligare; esset enim tunc novus contractus.

Q. An reviviscat votum primum, ac proinde debes redire ad illud opus, si secundum post factam commutationem fiat impossibile?

R. Cum distinctione: vel voti commutatio peracta fuit auctoritate Superioris; vel peracta fuit privata voventis auctoritate. Si primum, non amplius reviviscit votum primum; etiamsi tua culpa impossibile fieret secundum; quia prima obligatio per Superioris auctoritatem dissoluta est. — Si secundum, reviviscit; quia privata auctoritate non valet extinguere rem semel promissam. Ita communissime.

Q. An commutato voto reservato, materia subrogata reservata sit?

R. Duplex est sententia; prima cum Azorio affirmat. — Secunda communior, et probabilior, quam tenemus negat, quia materia illa,

quae substituitur, non est per se reservata; quamvis idem vinculum voti habeat. Ita S. Alphonsus, et alii communiter.

Nota. Confessarius nunquam, vel difficillime veniam dare debet faciendi votum perpetuae castitatis personis in saeculo manentibus; et si quandoque concedat, nonnisi personis probatis, et aetate maturis.

§ 7. *De cessatione votorum.*

Q. Quotupliciter votum cessare, seu extingui potest?

R. Multipliciter, nempe: 1° Per cessationem causae finalis. 2° Per notabilem mutationem materiae. 3° Per commutationem. 4° Per dispensationem. 5° Per irritationem. 6° Per defectum conditionis ponendae.

Q. Quandonam votum extinguitur per cessationem causae?

Nota. Causa alia est finalis, nempe quae ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum. — Alia est impulsiva, quae allicit tantummodo ad libentius vovendum, sed ex se sola ad votum non determinat.

R. Cessante causa solum impulsiva voti, votum non extinguitur; quia non influit in voti substantiam. — Cessante causa ejus finali, tunc cessat omnis ratio vovendi; quia sine voluntate votum esse nequit. Hoc valet, etiamsi causa cesset culpa voventis. Unde debet se poenitere apposuisse impedimentum; sed non amplius adest obligatio voti.

Q. Quomodo fieri potest mutatio materiae in voto?

R. Triplici modo; nempe: 1° Si fiat illicita, vel indifferens, vel impeditiva melioris boni. 2° Si fiat omnino impossibilis. 3° Si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus; v. gr. Si vovens jejunium, postea fiet infirmus.

Nota. Tales mutationes per se loquendo voti obligationem extinguunt; quia praesumitur vovens nunquam habuisse intentionem sese obligandi in dictis casibus. Ita communiter.

Q. An invalidet votum circumstantia superveniens, quae si praevisa fuisset, vovens certo sese abstinuisset a voto?

R. Affirmative probabilius; ait enim D. Thomas (in 4, d. 38, q. 1): *Id liberat ab obligatione voti, aut juramenti, quod si ab initio accidisset, aut notum fuisset, haec fieri impediret.* Imo id locum habet, quamvis circumstantia impraevisa non sit ita notabilis.

Ast excipienda: 1° Vota simplicia castitatis, quae remanent firma ob

quamcumque notabilem circumstantiam supervenientem, etiam non praevisam. Hinc Concil. Trid. (sess. 24, c. 9) damnat eos, qui dicunt posse *contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum.*

2° Excipienda multo magis vota solemnia in professione religiosa, et susceptione Ordinum.

3° Vota, quae emittuntur a viris, aut mulieribus in aliquibus congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiae; tunc enim intervenit contractus onerosus, qui non solvitur ob quamcumque circumstantiam etiam non praevisam.

§ 8. *De irritatione, et dispensatione votorum.*

Q. Quid est voti irritatio?

R. Est *annullatio facta ab eo, cujus potestati dominativae subjecta est persona vovens, vel materia voti.*

Nota. Potestas jurisdictionis non sufficit ad irritanda vota.

Q. Quotuplex sit irritatio?

R. Duplex, nempe directa, et indirecta. — *Directa* est ea, quae fit ab eo, cujus potestati dominativae subjecta est voluntas voventis; idest directe, et immediate cadit in voventem, — *Indirecta* est ea, quae fit ab eo, cujus potestati dominativae subjecta est materia voti idest immediate cadit in ipsam materiam voti.

Q. Quaenam vota irritari possint?

R. Ea, quae sunt in praejudicium tertii; nemo enim potest vovere contra jus alterius, nec similia vota acceptat Deus.

Q. Quinam possint irritare vota directe, et quinam indirecte?

R. Omnis Superior potestate dominativa praeditus in voluntatem alterius, ut est Summus Pontifex respectu Regularium, et Monialium, et Superior regularis respectu ipsorum inferiorum, et Episcopus, si pia instituta ab ejus jurisdictione non sint exempta, potest omnia subditorum vota directe irritare.

Omnis alius superior, vel dominus irritare poterit indirecte omnia subditorum vota in iis, in quibus ejus potestas laeditur; quia quisque jus habeat, ne in suo dominio offendatur.

Q. Quodnam est discrimen inter vota irrita directe, et vota indirecte irrita?

R. Est hoc, nempe vota directe irrita, semel irrita, nunquam

reviviscunt; quia facta sunt cum implicita conditione, *nisi Superior contradixerit.* — Vota indirecte irrita reviviscunt, quando sine alterius praejudicio adimpleri possunt. Quare dici debet potius voti suspensio, quam irritatio.

Nota 1ª. Etiam Abbatissae directe possunt irritare vota Monialium subditarum. Ita Suarez (De Relig., tr. 6, l. 6, c. 7, n. 10).

Nota 2ª. Omnes Doctores excipiunt votum transeundi ad religionem strictiorem. Imo censet S. Alphonsus (lib. 3, n. 233), ne ab ipso quidem Summo Pontifice posse irritari tale votum; quamvis ipse Summus Pontifex, et Praelatus Regularis possit dispensare subditum ab illo voto.

Q. An valida sit irritatio voti facta absque causa?

R. Affirmative; quia ad validum usum juris sui non requiritur causa; sed difficulter poterit excusari a veniali. Item subditus si petat dispensari sine rationabili causa.

Nota 1ª. Vota irritanda sive realia, sive personalia probabilius valent, nisi irritentur. Ita S. Lig. lib. 4, n. 23, Salmat., Suarez, et alii.

Nota 2ª. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo revalidatur.

Q. Quinam possunt vota filiorum-familias irritare?

R. Vel agitur de filiis-familias, qui adhuc impuberes sunt; vel de filiis-familias, qui jam ad pubertatem pervenerunt. Si primum, pater (et in ejus defectu avus paternus) potest directe vota omnia filiorum irritare sive personalia, sive realia, etiam vota perpetuae castitatis, et religionis; quia in tali aetate censetur deesse perfecta deliberatio. Pariter in dubio, utrum votum ante, an post pubertatem emissum, aut etiam ratihabitum fuerit, adhuc in patre eadem facultas existit. — Si secundum, non possunt parentes, neque indirecte irritare vota personalia, v. g. castitatis, frequentiae Sacramentorum etc., nisi domesticae rerum procurationi graviter adversentur, uti esset votum peregrinationis, vel diurnae abstinentiae etc.; quia in ea aetate filii propriae saluti consulere valent. Possunt tamen irritare indirecte vota realia; quia filii in hac aetate carent administratione. Intellige, nisi agatur de peculio castrensi, vel quasi castrensi, vel de filio jam a patria potestate legitime subducto.

Nota 1ª. Quae de patre dicta sunt respectu filiorum, dicenda de tutore respectu minoris. Imo probabilius etiam de matre, licet patre existente, saltem quoad vota personalia; quia filii matri quo-

que tenentur obedire, et Angelicus indistincte parentibus hanc facultatem facit.

2ª. S. Alphonsus ait: *Potest pater irritare vota filiorum, contradicente matre; sed non sic mater, contradicente patre.*

3ª. Eadem paterna facultas, ubi alii desint, tribui solet magistro cum discipulo, et hero cum servo parvulo. Ita Suarez (de Relig. tr. 6, cap. 6).

Q. An maritus possit irritare omnia vota uxoris?

R. Duplex est sententia: prima cum Layman, Lessio, et aliis docet maritum posse tantum indirecte irritare ea vota, quae juribus suis obstant; quia quoad alia uxor non est subjecta. — Secunda probabilior, quam cum D. Thoma (2, 2, q. 88, ad 3), S. Ligorio (n. 234), et aliis tenemus, docet, maritum posse directe irritare omnia vota uxoris post matrimonium emissa; licet neque usui matrimonii, neque prolis educationi, neque domesticae administrationi adversentur, et quamvis essent exequenda post ejus mortem; quia juxta Apostolum (ad Eph. c. 5), *mulier debet esse subjecta viro, sicut membrum capiti.* Sed capiti subduntur omnes corporis actiones; ergo etiam mulier viro.

Diximus *emissa post matrimonium;* quia vota ante matrimonium emissa, potest tantum suspendere eorum executionem, si praejudicant ejusdem potestati; non enim fuerunt emissa tempore subjectionis.

Q. An uxor possit irritare vota mariti?

R. Poterit indirecte ea vota, quae adversantur usui matrimonii, et internae domus procurationi; quia uxor in istis rebus est in parte.

Q. Quid de voto castitatis a conjugibus emisso?

R. Vel emissum fuerit a conjugibus mutuo consensu, vel est ab uno tantum emissum. Si primum, communis est sententia, votum illud esse validum, et a neutro revocari posse; quia uterque cessit juri suo. Quamvis nonnulli dicant, maritum adhuc posse irritare; quia vir nequit se irrevocabiliter expoliare jure suo: sed non subscribimus. — Si secundum, validum erit votum, quantum ad non petendum debitum; suspenditur vero quantum ad non reddendum, usque ad mortem conjugis non voventis: unde talis vovens debet reddere, et non tamen petere. Conjux tamen non vovens poterit votum hujusmodi irritare.

Nota. Non videtur justum, quod tale votum sit invalidum, ut dicunt Salmaticenses; secus non indigeret irritatione.

Q. An Superior irritare possit vota a se ratihabita?

R. Affirmative; quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet. Ita S. Lig. n. 239.

Q. An domini possint irritare vota famulorum?

R. Nequeunt directe; quia non habent hanc dominativam potestatem. Possunt indirecte, seu possunt ea suspendere pro tempore famulatus, si debitis obsint officiis.

Nota. Superior Regularis potest tantum indirecte irritare vota personalia novitiorum, quae observantiam regularem impediunt: unde eorum vota reviviscunt, si contingat eos non profiteri.

Q. Quid est dispensatio?

R. Est *relaxatio voti vice, ac nomine Dei facta ab eo, qui legitimam potestatem, idest jurisdictionem spiritualem habet in foro externo.*

Q. Quinam possint dispensare a votis?

R. Jure ordinario soli possunt dispensare in votis, qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo; quia haec potestas pertinet ad externam Ecclesiae gubernationem. Quare solus Papa dispensare potest a votis pro tota Ecclesia etiam a votis solemnibus. Episcopi, vel Praelati Regulares pro subditis tantum respectivis, et solum in votis Papae non reservatis.

Q. Quaenam sunt vota Papae reservata?

R. Praeter solemnia, sunt quinque, nempe: 1° Votum castitatis perpetuae. 2° Votum religionem approbatam ingrediendi. 3° Votum peregrinationis Hierosolymitanae, idest ad Terram Sanctam. 4° Votum peregrinationis ad limina Apostolorum. 5° Votum peregrinationis ad S. Jacobum Compostellanum: quae reservatio utpote odiosa stricte accipienda et interpretanda est.

Q. Quaenam requiruntur, ut ista vota dicantur Papae reservata?

R. 1° Ut sint *vota proprie dicta.* Quare non esset reservatum votum emittendi reservatum; quia non esset votum factum, sed faciendum. Item, si non sit principaliter emissum in honorem Dei.

2° *Absoluta.* Unde non sunt Papae reservata, si sint poenalia; vel conditionata, etiam conditione impleta.

3° *Libera omnino.* Unde non sunt reservata, si sint emissa etiam sub levi metu ab alio incusso.

4° *Perfecta.* Unde non sunt reservata, si emissa sub levi obligatione, vel si non sint completa in suo genere. Hinc votum castitatis, si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum; ideo non est reservatum votum non nubendi, et similia; nec votum quod indirecte tantum castitatem respicit, uti esset votum sacros Ordines suscipiendi.

5° *Determinata.* Unde non est reservatum votum disjunctivum.

6° *Quoad substantiam.* Unde quamvis sint reservata vota, non tamen reservatae sunt circumstantiae ipsorum, v. gr. Si quis voveat ingressum in religionem arctiorem, potest etiam Episcopus dispensare, ut etiam benigniorem is ingrediatur. Ita S. Lig., Op. mor. lib. 3, n. 257.

Q. An Episcopus possit dispensare in votis reservatis?

R. Potest tantum: 1° Si urgens existat necessitas, ut si non sit facilis accessus ad Papam. 2° Quando in mora sit periculum gravis damni spiritualis, vel temporalis, proprii, vel alieni.

Nota. Quamvis dicta vota sint perfecta, et proprie Papae reservata, in istis tamen casibus, tam Episcopus, quam omnis alius habens episcopalem jurisdictionem potest ab ipsis dispensare.

Q. An Episcopus possit dispensare conjugem a voto castitatis perpetuae tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum petendum?

R. Affirmative, juxta sententiam communem contra nonnullos; quia dispensare potest ab omni impedimento exercitium actus conjugalis impediente. Ita S. Lig. n. 258, et lib. 6, n. 986, Gury.

Idipsum posse quoque Confessarios Mendicantes tum intra, tum extra confessionem S. Alphonsus docet citatis locis, et dicit hoc esse sententiam communem. Vide etiam l. c. n. 257.

Nota 1ª. Merum juramentum, quod quis emittit ad firmandum propositum, v. gr. Religionis, castitatis etc., non autem ad confirmandum votum, non est reservatum, ut advertit S. Alph. lib. 3, n. 259. Imo etiam factum ad confirmandum votum, votum esset reservatum, non vero juramentum. Ita Ballerini.

2ª Facultas dispensandi in votis Papae reservatis non est praesumenda, sed probanda. — Si vero facultas concedatur in reservatis, ad omnia extenditur, nisi excipiatur ad aliquod votum.

Q. An ad valorem dispensationis requiratur justa causa?

R. Affirmative: quia Praelati non sunt domini jurium Dei, sed solum oeconomi.

Q. Quaenam sunt justae causae dispensandi a votis?

R. Sunt tres; nempe: 1° Necessitas spiritualis voventis, v. gr. Periculum violandi votum ex fragilitate, vel quia votum emissum fuit immature, idest cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione. 2° Major utilitas spiritualis voventis. 3° Utilitas Ecclesiae, reipublicae, familiae, etc.

Nota 1ª. Si causa non sufficit ad integram dispensationem, votum partim dispensari, et partim commutari potest. Ita Scavini.

2ª. Ad legitimam dispensationem, et commutationem tria maxime sunt consideranda, nempe: quid liceat secundum aequitatem: quid deceat secundum honestatem: quid expediat secundum utilitatem. Ita S. Lig. lib. 3, n. 254.

Q. An votum emissum in utilitatem tertii possit dispensari?

R. Distinguendum: vel fuit acceptatum, vel nondum fuit acceptatum. Si primum, pariter distinguendum: vel fuit factum principaliter in utilitatem tertii, vel principaliter in honorem Dei, et secundario in utilitatem proximi. Si principaliter in utilitatem proximi, nullo modo Superior potest dispensare; quia sine injuria ille expoliari non potest. Si secundario in utilitatem proximi, tunc potest dispensare etiam sine consensu illius, juxta sanam ac probabilem sententiam plurium; quia tertius acquirit dominium dependenter a voluntate Dei, quae manifestatur per Superiorem. Si secundum, nempe nondum fuerit acceptatum, potest dispensare. Ita Scavini, Gury, et omnes alii.

Nota. Multo minus potest dispensari promissio mutua, ut contingit in votis, et juramentis perseverantiae, quae fiunt ab aliquibus congregationibus, quia adest ratio contractus onerosi.

ARTICULUS II.

DE JURAMENTO.

Q. Quid sit juramentum?

R. Est *attestatio Divini Nominis ad fidem faciendam aut promissionem firmandam.*

Q. Quanta sit efficacia juramenti?

R. Maxima est; quia adducitur Deus, qui nec falli, nec fallere potest, in testimonium: ait enim Apost. ad Hebraeos cap. 6: *Omnis controversiae finis, ad confirmationem, est juramentum.*

Q. Quaenam requiruntur ad juramentum?

R. Duo: 1° Intentio jurandi, saltem virtualis. 2° Formula juratoria, sive per Deum explicite, sive implicite per creaturas.

Q. Quaenam formulae sunt juratoriae?

R. Formula explicita ita se habet: *Coram Deo loquor; Deus scit quod non mentior; Deus videt etc.*, et alia similia.

Formula implicita est, quando sumuntur creaturae nobiliores, in

quibus specialiter elucescit divina natura, v. gr.: *Juro per animam meam, per coelum, per templum, per sanctos, per Crucem, per Evangelium, per fidem catholicam.*

Nota 1ª. Quare non vere juraret, qui diceret: *Juro ita esse per conscientiam meam, in conscientia, super conscientiam meam, in veritate rei, in fide viri probi, vel sacerdotis.* — Item: *Juro per hanc herbam; per hunc equum; per hunc lapidem etc.*

2ª. Intellige *ordinarie;* quia si quis per has voces intendat jurare, de facto jurat: unde intentio loquentis semper est attendenda.

Q. Quotuplex est juramentum?

R. Juramentum potest spectari: 1° Ratione formae. 2° Ratione temporis. 3° Ratione loci.

Ratione *formae*, aliud est verbale, quod solis verbis conflatur. — Aliud est reale, quod includit aliquam corporis actionem, v. gr. contactum Crucis. — Aliud mixtum, quod coalescit ex verbis simul, et corporis actione.

Aliud est explicitum, cum quis vocat Deum in testem verbis conceptis. — Aliud implicitum, cum quis jurat per creaturas.

Aliud solemne, quod fit cum caeremoniis quibusdam, v. gr. cum Missa etc. — Aliud simplex, quod praefert puram Dei invocationem verbis, vel signis.

Aliud contestatorium, quod simpliciter Deum vocat in testem. — Aliud execratorium, quod est attestatio Dei, ut vindicis, v. gr.: *Deus me morte puniat, si mentior.* — Aliud comminatorium, quod fit cum jurans sub attestatione Divini Numinis alteri minatur poenam, v. gr.: *Juro per Deum, quod nisi hoc feceris, poenas lues.*

Nota. Si haec verba proferantur a parentibus in filios, ordinarie non obligant; quia fiunt cum intentione simpliciter terrendi.

Ratione *temporis*, aliud est assertorium, quod est attestatio Dei ad faciendam fidem dicti. — Aliud promissorium, quod est attestatio Dei ad firmandam promissionem.

Ratione *loci*, ubi fit, aliud est judiciale, quod fit coram judice. — Aliud extrajudiciale, quod fit extra judicium.

Nota. Omnia numerata juramenta per se loquendo sunt ejusdem speciei, cum omnia Dei veracitatem respiciant.

Q. An juramentum sit licitum?

R. De fide est contra Pelagianos, Waldenses, et alios haereticos juramentum esse bonum, ac licitum, debitis intervenientibus conditionibus: in Veteri enim Testamento (Deut. c. 6) legitur: *Ac per*

nomen illius jurabis, et Paulus (2 ad Cor. c. 1) : *Testem Deum invoco in animam meam.*

Q. Quinam jurare possunt, ac debent?

R. Ad 1um. Potest omnis homo rationis particeps.

Nota. Jus civile repellit a juramento : 1° Impuberes. 2° In causa criminali etiam puberes, qui nondum ad aetatem annorum 20 pervenerint, exceptis casibus quibusdam, v. gr. Si agatur de aperiendo crimine laesae majestatis. 2° Perjuros, quibus nulla fides est habenda.

R. Ad 2um. Regulariter urget obligatio jurandi : 1° Quoties id necessarium est ad subveniendum proximo. 2° Quoties a Superiore legitime exigitur.

Nota 1^a. Clerici absque licentia Ordinarii, Episcopi absque licentia Papae, Religiosi absque licentia sui Praelati, in judicio jurare non debent coram judice non suo, etsi ecclesiastico: colligitur ex Jure canonico. — Clericus tamen, qui sine tali licentia coram judice laico comparet, et jurat, vel jurat indebito modo sine gravi causa, peccat ; at nullam incurrit poenam ipso facto, cum nulla sit statuta ; nec judicium irritum fuit.

2^a. Si Clericus citetur ut testis in causa criminali, incurreret irregularitatem, si non praemittat suae juratae depositioni protestationem praescriptam a Bonifacio VIII.

3^a. Si Ecclesiastici contractum ineant cum laicis, possunt jurare, etiam sine consensu Episcopi, ut notant Layman, et alii.

§ 1. *De conditionibus ad juramentum requisitis.*

Q. Quaenam sunt debitae conditiones, ut juramentum sit licitum?

R. Requiruntur tres ex Jer. c. 4, dicente: *Et jurabis : vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Q. Quid de veritate requisita ad jurandum?

R. Veritas hic tota subjectiva est, non objectiva ; et sufficit moralis certitudo : unde excludit omne mendacium in ipso jurante; non autem excludit omnem errorem, qui esse potest in ipsa re.

Q. An liceat in juramentis uti restrictione mentali, aut aequivocationibus?

R. Commune est, etiam apud ipsos rigidiores, licere ex justa causa uti restrictione late mentali, et verbis aequivocis etiam cum juramento, prout definivit Innocentius XI ; quia non decipimus proximum, sed permittimus ut ipse se decipiat. Secus dicendum

de restrictione pure mentali, ut constat ex prop. 26, 27, 28, damnatis ab Innoc. XI.

Nota. Si desit justa causa, tergiversatio, seu locutio aequivoca, est per se venialis juxta Salmatic., Lessium, Sanchez, Cajetanum, et alios.

Sed prohibemur sub gravi uti verbis aequivocis : 1° Si inde auditores in aliquod grave damnum inciderent. 2° Quando contractus mutuos celebramus ; debemus enim ex justitia ad mentem contrahentis nuda verba proferre. 3° Quando judex, vel Superior Communitatis in rebus sui officii legitime interrogant.

Q. An liceat jurare cum probabilitate veritatis?

R. Negative ; quia Deus nequit invocari, nisi in testimonium rei certae ; attamen certitudo quaedam moralis sufficit.

Q. Quid de judicio in juramento?

R. *Judicium hic non sumitur pro executione justitiae,* ait Angelicus (2, 2, q. 89, a. 3), *sed pro judicio discretionis.* Quare non debet fieri absque prudentia, consideratione, ac reverentia.

Q. Quid de juramenti justitia?

R. Juramenti justitia in eo consistit, ut res jurata sit justa, licita, et honesta.

Q. Quaenam sit causa sufficiens ad jurandum?

R. Quaecumque causa honesta alicujus ponderis, v. gr. Pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus etc. Ita S. Lig.

Q. Quale sit peccatum jurare sine veritate, vel sine judicio, vel sine justitia?

R. Ad 1um. Jurare sine veritate est natura sua mortale ; quia Deum adducere in testimonium falsitatis, est velle destruere ipsius veracitatem. Contrarium est damnatum ab Innoc. XI.

Nota. Attamen potest perjurium esse culpa venialis per accidens, ob defectum nempe plenae deliberationis, vel consensus ; sicut accidit in quibusdam rusticis perjurii malitiam non percipientibus.

R. Ad 2um. Jurare temere, idest sine judicio, est veniale per se, idest secluso periculo pejerandi ; quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. Ita omnes cum S. Antonino.

R. Ad 3um. Jurare sine justitia est mortale, si de re gravi agatur. Unde peccat mortaliter : 1° Qui jurando promittit se quidpiam mali esse facturum ; quia Deus invocaretur, ut patronus iniquitatis. 2° Qui juramento utitur ad consummandum peccatum etiam veniale ; quia facit Deum complicem peccati.

Q. Quid, si res juramento promissa sit tantum venialiter mala, aut vana, aut inutilis?

R. Duplex est sententia: Antoine, Billuart, Gury cum nonnullis aliis docent esse tantum veniale. — Sed Elbel, Scavini, et alii, quibus nos subscribimus, docent esse grave; quia gravis semper irreverentia est, Deum vocare testem peccati, tametsi venialis. Ita etiam S. Alphonsus dicens: *Sed magis mihi arridet sententia opposita, quam tenet Elbel* (lib. 3, n. 146); unde non exacte citatur a Gury.

Nota 1ª. Juramentum destitutum justitia non tenet; quia non est obligatorium contra bonos mores. — Hinc probabilius non obligat promissio jurata prodigi; quia saltem est leviter mala.

2ª. Neque etiam tenet juramentum, si quis juret contra evangelica consilia, quia est impeditivum inspirationis coelestis. Excipe, nisi sit in favorem tertii.

Q. An peccet graviter ex defectu justitiae, qui cum juramento se jactat de peccato commisso?

R. Probabilius non videtur peccare nisi venialiter contra religionem. Ita Suarez, Salmatic., et fere omnes. Excipe, si id contingat cum gravi audientium scandalo; vel si complacentiam peccati confirmet; vel si juramentum assumatur ad firmandam gravem proximi detractionem; tunc adhibetur, ut medium ad alterius infamiam certiorem reddendam; ideo est mortale.

Nota. Perjurium proprie ex D. Thoma (2, 2, q. 89, a. 7) erit juramentum veritate destitutum.

Q. An liceat praestare juramentum in publicae rei perturbationibus?

R. Hoc plerumque a circumstantiis pendet. Potissimum vero expedit consulere Superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire, quid pro variis circumstantiis sit agendum.

Nota. Inter juramenta prohibita referuntur ea, quae in societatibus occultis sive Carbonariorum, sive liberorum Muratorum etc. emitti solent. Ideo nulla sunt, quia non obligant.

§ 2. *De juramenti obligatione, extinctione et interpretatione.*

Q. An res juramento promissa sit praestanda sub gravi?

R. Cum distinctione: si res juramento promissa sit gravis, utique sub gravi praestari debet, juxta illud Matth. c. 5: *Reddes Domino juramenta tua.* — Si vero res promissa sit levis, controvertitur;

alii cum Lessio et Bonacina docent, sub gravi esse praestandam; quia in juramento non datur materiae parvitas. Alii cum S. Antonino, Antoine, Layman etc. docent, sub levi esse praestandam; quia nisi praestetur, non committitur mendacium, sed infidelitas; et infidelitas, cum res promissa non sit gravis, protrahi non potest ad culpam gravem. Hanc secundam sententiam nos sequimur.

Q. An detur parvitas materiae in transgressione juramenti promissorii?

R. Duplex est sententia: prima negat; quia violatur promissio jurata. Ita Bonacina etc. Secunda sententia, quam tenemus cum S. Alph. (Hom. Ap., n. 13) et Suarez et aliis, affirmat; quia non committitur mendacium, sed infidelitas, ut diximus.

Q. An obligatio juramenti promissorii transeat ad haeredes?

R. Duo distinguenda cum D. Thoma, nempe promissio et vinculum religionis. Si promissio sit licita et acceptata, transit ad haeredes, qui in omnia jura et onera realia defuncti succedunt. Vinculum religionis ex juramento ortum, cum sit personale, non obligat haeredes, qui ideo non sunt perjuri, si illud non servent, quamvis sint injusti.

Nota 1ª. Qui ex multo quod promisit, non omittit nisi quidquam parvum, non peccat mortaliter, est certum; v. gr., qui juravit vinum non bibiturum, non peccabit mortaliter parum vini bibendo. Ita Scavini.

2ª. Non peccat contra juramentum, qui urbanitatis causa juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum etc., si postea ab altero coactus prius sedeat, etc.; quia est nullum defectu intentionis; vel si valeat, ab altero relaxatur. Ita Scavini.

Q. Quid de juramento metu gravi et injusto extorto?

R. Distinguendum: vel agitur de juramento, quod a jure ipso sive civili, sive ecclesiastico irritatur; vel de juramento, quod nulla lege prohibetur. Si primum, certum est nullum esse juramentum; quia est contra leges illud infirmantes. — Si secundum, quamvis D. Antoninus, Sanchez et nonnulli alii teneant esse invalidum; quia juramentum sequitur naturam actus; attamen nos cum Angelico, Lugo, Scavini et aliis dicimus, juramentum illud obligare erga Deum; est enim regula generalis, quodlibet juramentum esse servandum, quando potest sine peccato.

Diximus *erga Deum;* quia non obligat erga hominem. Unde postquam recte tradidisti quod Titio jurasti, potes repetere in

judicio quod solvisti propter obligationem tantum erga Deum. Ita D. Thom. (2, 2, q. 89, a. 7), Scavini et omnes alii.

Nota. Compensatio in hoc casu non videtur licita, quamvis Gury affirmet; quia Romani Pontifices exigunt, ut petatur dispensatio, ut obviaretur periculis hallucinationis ac perjurii. Ita etiam Reinffenstuel (lib. 1, tit. 40, n. 59).

Q. An quis ex juramento ficto et doloso obligetur?

R. Tripliciter hoc fieri poterit, nempe cum fit: 1° Sine animo jurandi. 2° Sine animo se obligandi. 3° Sine animo adimplendi.

Si primum peccat, ut constat ex propos. sub numero 25 damnata ab Innoc. XI: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.* — Sed communissime docent, eum peccare tantum venialiter, si aliunde animum habeat implendi, nec res sit coram judice, vel contractibus; quia tunc non esset gravis deceptio, et esset inanis Divini Nominis usurpatio.

Si secundum, communius docent, quod graviter peccant. Alii docent id esse tantum veniale; quia non est juramentum, sed vana usurpatio Divini Nominis. — Sed nos dicimus esse grave, si fiat coram judice, vel in contractibus propter gravem deceptionem; esse leve, si extra istos casus.

Nota. Unde probabilius sic jurans per se non tenetur juramentum servare; tum quia invalidum, tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta jurantium intentionem; quae cum non sit se obligandi, non importat nisi simplex propositum, quod in conscientia per se sub peccato non obligat. Ita Scavini et alii, quibus et nos adhaeremus.

Si tertium, peccat mortaliter; quia violat quod vero juramento juravit, et semper tenetur servare promissum.

Nota. Quamvis in juramento promissorio includitur etiam assertorium; aliquis tamen posset jurare solum de proposito, seu intentione praesenti, v. gr. Juro me nunc voluntatem habere Romam sequenti mense iturum; quod sane propositum sine perjurio dein quis frangeret. Ita Layman (lib. 4, tr. 3, c. 4, n. 4), cui adhaeremus cum Ballerini.

Q. Quandonam non obligat juramentum promissorium?

R. In sex casibus, nempe: 1° Cum est de re illicita: *Juramentum enim non est vinculum iniquitatis.* 2° Cum est de re impossibili: *Impossibilium nulla est obligatio.* 3° Cum est de re indifferenti ex se et ex fine et circumstantiis. 4° Cum est de re, cujus oppositum

est melius. Excipe, nisi sit factum in favorem tertii. 5° Cum est factum per errorem, vel dolum circa substantiam rei promissae, vel circa causam finalem et motivam. 6° Cum materia jurata notabiliter est mutata.

Q. An obliget juramentum factum contra prius juramentum?

R. Distinguendum: si juramentum alteri opponatur in actu jurandi, valet, licet peccaveris jurando, v. gr. Si prius jures te non amplius juraturum; postea jures jejunium, teneris ad illud jejunium. — Si opponatur priori in materia jurata, secundum juramentum est nullum; quia esset de re illicita, v. gr. Qui juravit matrimonium Berthae, et postea jurat Titiae, hoc secundum est invalidum, etiamsi postea Bertha promissionem remittat ex regula: *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit.*

Q. Quomodo juramentum extinguitur et cessat?

R. 1° Per remissionem illius, in cujus favorem juramentum fuit praestitum, si fuerit promissorium, quia subtrahit materiam juramenti. 2° Per cessationem causae finalis. 3° Per mutationem notabilem. 4° Per irritationem. 5° Per commutationem, vel dispensationem.

Q. An liceat exigere juramentum ab eo, qui praevidetur pejeraturus?

R. Non licet personae privatae, absque justa causa; quia nullus privatus habet jus exigendi juramentum, nisi quatenus utilitatem, aut commodum ex tali juramento sperare potest. Attamen, licet judici ad instantiam partis; quia id exigit ordo juris et officium judicis.

Diximus *absque justa causa;* nam ex probabiliori sententia contra nonnullos potest; quia ab eo petitur juramentum, quod est licitum, et non perjurium. Ita S. Ligorius, Suarez et alii.

Nota. Licet cum causa privato exigere juramentum ab eo, qui jurat per falsos deos.

Q. An potestas delegata dispensandi in votis extendatur etiam in dispensandis juramentis?

R. Duplex est sententia: Suarez docet *extendi ad dispensandum in juramentis piis circa eandem materiam, quando per se stant, suamque obligationem producunt* (lib. 6, c. 14, n. 6). Sed Scavini cum aliis absolute docet, non extendi ad dispensandum in juramentis, cum sit diversum vinculum; huic sententiae adhaeremus.

Nota 1ª. Sacra Poenitentiaria relaxat juramenta, quae non sint in favorem tertii ex Bulla *Pastor* Bened. XIV.

2ª. Non peccat, qui secretum juratum detegit, si non potest illud servare sine gravi suo, vel alterius damno; quia obligat sub conditione, *nisi graviter noceat.* Excipe, secretum consilii et confessionis, quae in omni casu ob publicum bonum expedit observare.

3ª. Raro peccant parentes non adimplentes juramentum puniendi filios, quia plerumque est de vindicta inordinata.

4ª. Plerumque etiam mercatores non videntur ligari juramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; quia isti non habent animum jurandi, aut certe juramento inest tacita conditio, *nisi aliter res melius cedere videantur.* Ita communius.

Q. Quomodo juramentum interpretandum est?

R. 1° Juxta usum receptum. 2° In favorem illius, qui illud emisit.

Quare in juramento promissorio semper tacite intelligi debent conditiones: 1° *Si potero.* 2° *Salvo jure Superiorum.* 3° *Si is, cui promissio a me fit, eam acceptat, vel non remittat.* 4° *Si res non fuerit notabiliter immutata.* 5° *Si alia pars fidem servaverit;* casu, quo agatur de promissione reciproca.

Nota. Non licet praestare juramentum a gubernio Ecclesiae Romano-Catholicae hostili propositum verbis, quibus illimitata obedientia continetur. Nam Sacra Poenitentiaria, die 10 dec. 1860, dubio an poterat fieri juramentum hisce verbis: « *Giuro fedeltà ed* « *ubbidienza a Vittorio Emmanuele re d'Italia e suoi successori. Giuro* « *di osservare lo Statuto ed ogni altra legge dello Stato pel bene in-* « *separabile del re e della patria Italia.* »

Respondit: *Juramentum, prout exponitur, non licere; tolerari autem posse juramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur juxta formam a s. m. Pii VII approbatam.* V. tract. de legibus c. 6, de legis humanae vi, etc.

APPENDIX

De adjuratione.

Q. Quid sit adjuratio?

R. Est *actus religionis, quo quis alterum rogat, vel ei praecipit per Deum.*

Q. Quotuplex est?

R. Alia est *solemnis*, quae fit ab Ecclesia modis constitutis. — Alia

privata, quae fit a quocumque sine solemnitate. — Alia *deprecativa*, si precibus. — Alia *imperativa*, si imperio fiat.

Q. An licita sit adjuratio?

R. Affirmative; dummodo fiat in veritate, in judicio, et in justitia, sicut juramentum.

Nota 1ª. Adjuratio solemnis illicita est sine permissione Episcopi loci; quia sub gravi prohibetur: imo Clerici suspensionem incurrunt, si absque debita Episcopi facultate exorcismos facere praesumunt. Ita S. Lig., de adj. n. 4.

2ª. Adjuratio privata licita, vel illicita est in omnibus circumstantiis, quibus licitum, vel illicitum est juramentum.

3ª. Adjuratio contra daemones fieri debet tantum modo imperativo, et ad amovenda damna, et vexationem obsessi, non vero ad vanitatem, et curiositatem.

4ª. Solae intellectuales creaturae directe adjurari possunt.— Creaturae irrationales indirecte, adjurando nempe daemones, ne per eas nobis noceant.

Q. An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?

R. Affirmative, si Episcopus re plane cognita approbet; sed a scandalo et contemptu Ecclesiae sedulo cavendum.

Q. De quibusnam rebus daemon interrogari possit?

R. De omnibus generatim, quae ad ejus expulsionem conducunt, v. g. de tempore, et causa possessionis, de signo egressus etc. Ita S. Lig.

Q. Quomodo peccet, qui daemonem de iis, quae ad rem non faciunt, curiose interrogat?

R. Per se graviter peccat, si multos sermones inutiles cum daemone obsidente habeat; a fortiori, si cum ipso jocetur. Secus, si unam, vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat.

Q. Quaenam sint signa verae possessionis?

R. Praecipua sunt: 1° Loqui idiomate prorsus ignoto. 2° Occulta, et distantia manifestare, quae naturaliter ab homine cognosci nequeunt. 3° Parere mandato mere interno Sacerdotis 4° Majorem apparere daemonis vexationem, aut majorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum.

—

ARTICULUS III.

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Q. An praeceptum festorum sit naturale, an positivum?

R. Cum D. Thoma, *partim est morale, idest naturale, partim vero caeremoniale, in quantum determinatur tempus speciale in signum creationis mundi.* 1 p. q. 22, a. 4.

Nota. Determinatio temporis ad Deum colendum, ac modus cultus Ecclesiae fuerunt relicta: ideo ipsa sabbatum transtulit in diem dominicam ob multas rationes.

Q. Quisnam potest festa instituere?

R. 1° Non potest princeps saecularis; nec potest imminuere, aut ea transferre; quia nulla est ei in spiritualibus potestas.

R. 2° Potest Summus Pontifex pro tota Ecclesia. — Episcopus pro sua Dioecesi; modo accedat Cleri, populique consensus, si agatur de festo perpetuo; et modo res sit de festo alicujus Sancti, non vero Beati.

Nota. Pro festis generalibus totius Ecclesiae nihil potest Episcopus; cum agatur de lege Superioris.

Q. An praeceptum sanctificandi festa obliget sub gravi?

R. Affirmative, et est certissimum apud omnes Theologos. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Nota. Hoc praeceptum quatenus ab Ecclesia determinatum obligat omnes fideles rationis compotes, idest statim post septennium, vel circa septennium.

Q: Praeceptum sanctificandi festa ad quid obligat sub gravi?

R. Ad duo, nempe: 1° Ad audiendum sacrum. 2° Ad abstinendum ab operibus, quae dicuntur servilia.

Q. Estne de necessitate concio audienda in festis ad hoc praecise, ut ipsa dicantur sanctificari?

R. Negative; quia nullibi legimus hoc praeceptum stricte tale: unde, qui Missam audit, et a servilibus abstinet, non peccat contra praeceptum speciale de observantia festorum.

Q. Tenenturne fideles concionem, et instructionem audire festis diebus?

R. Affirmative generatim; sed non vi praecepti sanctificationis festorum; sed quatenus quisque tenetur discere necessaria ad sa-

lutem, nec ea discere potest, quin concionibus illis, ac praesertim catechesibus intersit; et nisi quatenus absentia potest scandalum procreare, uti in parvis praesertim oppidis solet contingere. Extra istos casus non tenentur.

Q. An, vel qualis sit obligatio assistendi vesperis, diebus dominicis festis?

R. 1° Nulla est obligatio urgens sub gravi, iuxta omnes Theologos.

R. 2° Nec probabilius sub levi, per se, et directe; non enim cognoscitur haec obligatio.

Nota. In praxi sedulo urgendi sunt fideles, ut Officio vespertino, aliisque publicis divini cultus exercitiis studiose interveniant.

§ 1. *De operibus, quae diebus festis vetantur, et de causis, ob quas opera servilia permittuntur.*

Q. Quotuplex operum genus quoad festa distinguitur?

R. Praecipue triplicis generis, nempe servilia, liberalia, et media, seu communia.

Opera *servilia* sunt ea, quae a servis et infima plebe, seu mercenariis exercentur, qualia sunt omnia opera artium mechanicarum.

Opera *liberalia* sunt ea, quae ad animum excolendum spectant, et ab anima praecipue procedunt.

Opera *communia* sunt ea, quae a liberis, et servis promiscue exercentur.

Q. Quid dicendum de operibus servilibus in diebus festis?

R. Prohibentur ex veteri lege, et Jure canonico: hoc praeceptum obligat: 1° Integro die festo, idest ab hora 12ª noctis praecedentis usque ad horam item 12ªᵐ noctis sequentis. 2° Omnes fideles septennio majores, et ratione utentes. 3° Sub mortali, quia est res ex genere suo gravis.

Nota 1ª. Similiter haec opera prohibentur, etiamsi fiant recreationis causa, et solatii.

2ª. Numerantur inter opera servilia etiam illa, quae levem laborem exigunt, ut rosaria, scapularia, immagines cereas etc. facere.

Q. Quid dicendum de operibus liberalibus?

R. Nulla lege prohibentur, et ubique a timoratis exercentur.

Nota. Sculpere communiter inter servilia amandatur, saltem in aestimatione hominum.

Q. Quid dicendum de arte pictoris, seu pingere?

R. Duplex est sententia: prima cum Suarez docet, esse opus servile. — Secunda cum Layman, et aliis probabilius docet, esse opus medium, vel potius opus liberale; et hanc secundam sententiam nos tenemus. Excipe vero tingere pannos, dealbare, vel colorare parietes. Item excipe laborem in praeparandis coloribus, et tabulis dolandis.

Nota. Non est opus servile delineare, retrahere immagines, vel exemplaria acu, ut solent foeminae. Ita Viva, et alii. Item exercere artem fotographicam, etsi tot apparatus praerequirat.

Q. Quid de impressione, ac compositione?

R. Characteres componere videtur permissum, cum sit quaedam quasi scriptio ordinata ad mentem instruendum. Excipe, si aliter ferat consuetudo.

Impressio est vetita, utpote opus servile.

Q. Quid dicendum de operibus communibus in festis?

R. Licita sunt. Sed magna quaestio in iis assignandis: qua in re consulenda est consuetudo legitima, et communis aestimatio.

Q. Quid de iis, qui currus, vel jumenta ducunt cum onere in festis?

R. Alii absolute permittunt.— Alii docent, id illicitum esse cum sit proprium servis: huic secundae sententiae nos adhaeremus.

Q. An liceat molere in festis?

R. Alii cum Sanchez affirmant, si mola aqua, vel vento volvatur: imo Croix affirmat non esse illicitum saltem graviter etiam cum bestiis molere. At Lambertini id permittit tantum ex necessitate, vel ex legitima inducta consuetudine: huic nos adhaeremus.

Q. Quid de operibus forensibus in festis?

Nota. Haec opera sunt actiones judiciales, et mercatus, qui fiunt cum strepitu.

R. Ex consuetudine permittuntur nundinae universales, imo alicubi etiam mercatus. — Actiones judiciales permittuntur, dummodo fiant sine strepitu. — Merces vendi possunt clausis januis, maxime cum emptores pro tunc indigeant; exclusis semper horis divinorum officiorum. — Permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, aliosque similes actus facere, qui non requirunt strepitum judicialem. Ita Scavini.

Q. Quodnam tempus constituat materiam gravem in opere diebus festis prohibito?

R. Non conveniunt Theologi: alii enim assignant tres horas; alii unam; alii communius duas horas. Sed nos cum Scavini tenemus

ad mortale requiri duas horas cum dimidio; quam sententiam hac nostra aetate communiorem, et probabiliorem dicit Croix.

Q. An peccet graviter dominus, qui imponit decem servis, singulis servilem laborem integra hora in festo?

R. Licet multi cum Alasia docent, dominum graviter delinquere; attamen communius, et probabilius docent alii cum Sanchez, Salmatic. etc. non excedere veniale; nam singuli operantes venialiter tantum peccant; neque eorum opera uniuntur in unum. Hanc secundam sententiam tenemus.

Q. An liceat iter agere pedibus, aequo, curru?

R. Affirmative; ut ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est, ut antiquata. — Pariter licet uti lectica ab hominibus portata. Ita S. Lig. n. 275.

Q. An liceat venari, et piscari?

R. Affirmative; quia haec non sunt opera servilia, et consuetudine tolerantur; modo non fiant magno cum labore, conatu, strepitu, vel apparatu. Ita S. Lig. n. 283, et alii communiter contra paucos.

Q. An excuset otii vitandi ratio?

R. Negative communiter loquendo. Sed Layman, Mazzotta excipiunt, si otium probabile peccandi periculum inducat. Ast S. Alphonsus hoc libentius restringit ad casum, in quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, quod raro accidit.

Q. Quaenam causae opera servilia in festis permittunt?

R. Sunt septem: 1° Dispensatio. 2° Pietas. 3° Charitas. 4 Necessitas. 5° Consuetudo. 6° Utilitas. 7° Rei parvitas.

Q. An Episcopus possit dispensare ab opere servili?

R. In festis communibus ad valide dispensandum opus est, ut habeat justam causam. — In festis vero synodalibus, seu peculiaribus suae Dioecesis valide dispensat etiam sine causa.

Nota 1ª. Excusantur pauperes, qui aliter se, suosque alere non possint, modo privatim, et secluso scandalo laborent.

2ª. Excusantur omnes, quorum opera incaepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum etc. — Item sartores, qui conficiunt vestes funebres, aut nuptiales, quas neque per se, neque per alios ante festum perficere valent. — Item agricolae, qui ob praeteritam, aut imminentem pluviam foenum, vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

3ª. Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile, et cito invenire sine magno incommodo non possint.

4ª. Excusantur quoque probabiliter illi, qui laborant ob lucri notabilis et extraordinarii circumstantiam; quia pro istis tale lucrum omittere, idem est ac damnum grave pati. Ita S. Lig. n. 296, 304.

CAPUT III.

De vitiis religioni oppositis.

Q. Quot sunt vitia virtuti religionis opposita?

R. Sunt duplicis generis, alia nempe per excessum, idest quibus cultus exhibetur Deo pravus in se, vel inordinatus in modo: haec vitia *superstitionis* nomine solent indicari. Alia per defectum, quae nomine *irreligiositatis* exprimuntur.

Q. Quid, et quotuplex est superstitio?

R. Est *cultus vitiosus veri, vel falsi numinis.*— Duplex est, nempe superstitio veri numinis, quae est veri numinis cultus indebitus; et superstitio falsi numinis, quae est cultus dei non veri, v. gr. Jovis etc.

ARTICULUS I.

DE SPECIEBUS SUPERSTITIONIS FALSI NUMINIS.

Q. Quot sunt species superstitionis falsi numinis?

R. Sunt quinque, scilicet: idololatria, divinatio, vana observantia, magia, et maleficium.

§ 1. *De idololatria.*

Q. Quid est idololatria et quotuplex est?

R. Est *cultus divinus creaturae exhibitus.* Duplex est, interna, seu formalis; et externa, seu materialis. *Interna* est ea, qua quis divinum cultum creaturae defert ex eo quod putet eam esse Deum. — *Externa*, seu materialis, est ea, qua quis sine existimatione Divinitatis, et interiori submissione, creaturae divinum cultum defert.

Nota. Huic divisioni correspondet divisio idololatriae in perfectam, in imperfectam, et simulatam, quam praebet Scavini. Nam perfecta reducitur ad formalem; imperfecta, et simulata reducuntur ad externam materialem.

Q. Quale peccatum est idololatria?

R. Est scelus omnino atrocissimum in primo Decalogi praecepto prohibitum.

Q. Quaenam sint idololatriae causae?

R. Duplicem assignat S. Thomas (2ª 2ªᵉ q. 94, art. 5): nempe dispositivam, et consummativam. Dispositiva triplex est: 1 Inordinatio affectus amoris, vel venerationis hominum erga aliquem hominem. 2° Naturalis delectatio de repraesentatione. 3° Ignorantia veri Dei.— Consummativa fuit, et est daemon, qui se exhibet hominibus colendum.

§ 2. *De divinatione.*

Q. Quid est divinatio?

R. Est *occultorum inquisitio ope daemonis ad hoc invocati.*

Nota. Daemon potest vocari, vel expresse, vel tacite, utendo scilicet mediis, nullam vim ad occultorum notitiam habentibus naturaliter, neque ex instituto divino, neque ecclesiastico.

Q. Quid de mortuorum apparitionibus?

R. Certum est, esse possibiles mortuorum apparitiones; ait enim D. Augustinus (lib. De cura pro mortuis): *Magnae impudentiae est negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti.* Ast caute admodum fides eis est adhibenda.

Q. Quid de iis, qui somniis fidem habent?

Nota. Somnia vel sunt naturalia, vel casualia, quae oriuntur ex diverso in mente nostra phantasticarum idearum concursu; vel sunt a Deo; vel sunt a daemone, qui phantasiam commovendo in mente nostra somnia procreat.

R. Quoad somnia naturalia superstitiosum non est, conjicere praesentem corporis valetudinem, vel etiam statum ejusdem futurum; quia inter haec intercedit vera, et naturalis connexio. Sed esset superstitiosum, inde conjicere futura, ac libere contingentia.

Quoad somnia casualia est superstitiosum futura deducere. Sed non videtur peccare mortaliter, qui ob somnium praecedens omittit, vel ponit actionem indifferentem.

Quoad somnia quae probabilius sunt a Deo, tenemur fidem adhibere.

Quoad somnia diabolica, credere est mortale; ait enim Script. Levit. c. 19: *Non observabitis somnia.* Unde est vera *oniromantia.*

Q. Quomodo somnia poterunt a se invicem discriminari?

R. Regula est: si somnium impellat ad bonum; vel si post somnium

persona se sentiat alacriorem ad bonum etc., tunc provenire merito censetur a Deo. Si e contra, est omnino rejiciendum. — Si adhuc quoad qualitatem somnii dubium remaneat, praestat somnium habere ut est immissum a daemone.

Q. Quot sunt species divinationis?

R. Generatim sunt tres; scilicet: *necromantia*, *astrologia judiciaria*, et *sortilegium*.

Q. Quid est *necromantia?*

R. Est *responsio daemonis immediate invocati*. Sed praecipue fit per mortuos.

Nota. Ad *necromantiam* aliquo modo, sive mediate, sive immediate referuntur aliae species divinationis: sic si fiat ex idolis, vocatur *oraculum:* si ex vatibus, aut chartis, *vaticinium:* si ex garritu avium, *augurium:* si ex earum volatu, *auspicium:* si ex visceribus animalium, *aruspicium:* si ex lineis manuum, *chiromantia:* si ex signis in terra, *geomantia:* si ex aliquo casu, vel somnio, *oniromantia:* si ex lineamentis vultus, *physiognomia:* si ex signis in aqua, *hydromantia:* si ex signis in igne, *pyromantia:* si per vocem ex umbelico, aut pudendis, *pythonismus*, et sic de aliis.

Q. Quale peccatum est divinatio?

R. Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, ne per ignorantiam quidem; patet enim pactum cum daemone esse quid gravissime illicitum. — Divinatio tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem, vel ignorantiam, vel ob defectum fidei certae. Ita S. Lig. n. 7, et alii.

Q. An peccet graviter, qui utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur, se nullum cum daemone commercium intendere?

R. Affirmative; quia agit contra suam protestationem, et daemonem implicite invocat, cum nec Deus, nec Angeli talibus se immisceant. Secus tamen in dubio, an effectus habeatur a causa naturali. Ita S. Lig. n. 8, Lacroix et alii.

Q. Quid dicendum de *chiromantia?*

R. Graviter peccant, qui (*zingari*) tam orridam artem exercent, etiam ratione scandali. — Qui autem eosdem adeunt, manus iisdem ostendentes, ut bonam, vel malam fortunam inde ediscant, peccant mortaliter, si firmiter eis credant; venialiter (secluso scandalo) si ob solam curiositatem, vel ridendi gratia id faciant.

Nota. Qui ob curiositatem postulant, ut vates id faciat; si ipse

consentiat serio operando, difficiliter a cooperatione graviter culpabili excusari possunt.

Q. Quid, et quotuplex est *astrologia judiciaria?*

R. Est *astrorum consideratio*. — Duplex est, nempe naturalis, si praedicat effectus necessarios, qui aliquam connexionem naturaliter habent, ut pluviae etc.; et est licita, et valde laudabilis. — Proprie judiciaria, si ex consideratione astrorum praedicat futura libera contingentia; et est omnino illicita, et superstitiosa, praesertim si fiat de persona particulari; quia corpora coelestia nihil omnino possunt in libera hominum voluntate, juxta damnationem datam a Sixto V. Haec autem si fundetur in astris ut signis, erit simplex divinatio; si fundetur in iis ut causis, est etiam haeresis; quia per eam tollitur humana libertas.

Nota. Si praedicat effectus quidem naturales, sed non necessarios, plerumque vana est: sic vanitates, mendacia, temeritates reputantur praedictiones, quae quotannis evulgantur per ephemerides (*almanacchi*), non vero superstitiosae.

Q. Quid, et quotuplex est *sortilegium?*

R. Est *divinatio per sortes*. — Triplex est, nempe per sortem divisoriam, per sortem consultatoriam, et per sortem divinatoriam.

Q. An aliquando licitus sit usus sortium?

R. *Sortes divisoriae*, quibus decernitur quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis etc. vacant omni superstitione, et culpa.

Sortes consultatoriae, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitae, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium desit.

Sortes divinatoriae, quibus rei occultae manifestatio inquiritur, sunt semper graviter illicitae, et verae superstitiones; quia intervenit tacita daemonis invocatio, cum medium sit improportionatum effectui.

Q. An licitus sit usus virgae divinatoriae?

R. Damnandus quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem ejus, qui eam manu premit; quia nulla adest proportio inter rem naturalem, et hominis intentionem.

Non videtur damnandus usus virgae ad detegendas aquas, vel metalla; nam potest moveri vi attractionis etc. Ita communius recentiores.

Q. An liceat veritati per daemonum invocationem obtentae fidem adhibere, nostramque rationem agendi secundum illam componere?

R. Affirmative per se loquendo; quia etsi medium inquirendi veritatem sit illicitum; veritas tamen semel obtenta bona est, ac utilis. — Diximus *per se loquendo*, quia periculosum, ac stultum est, se patris mendacii discipulum constituere.

§ 3. *De vana observantia.*

Q. Quid est vana observantia?

R. Est *superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia, et improportionata.*

Q. Quale sit peccatum vana observantia?

R. Est peccatum mortale ex genere suo, quia in ea daemon invocatur saltem tacite, et implicite; sed fit veniale ob ignorantiam, simplicitatem, et bonam fidem.

Nota 1ª. Tot sunt species vanae observantiae, quot sunt effectus. Unde si observentur inutilia ad aliquid cognoscendum, dicitur *ars notoria*: si ad sanitatem obtinendam etc., *observatio sanitatum*: si futuram adversitatem, vel prosperitatem, vel eventus in genere, *observatio eventuum etc.*

Nota 2ª. In dubio, num effectus proveniant a causa naturali, an a daemone, tribui possunt viribus naturae; et licitum est illos procurare.

In dubio, an effectus a daemone, vel a Deo producantur, si certo constet eos a causa naturali provenire non posse, daemoni tribuendi sunt; nisi sanctitas operantis, vel alia clara indicia contrarium persuadeant. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus, nec ne. Ita S. Lig. n. 20; S. Thom. 2, 2, q. 96, ar. 1, et alii communiter.

Q. Quomodo cognoscitur vana observatio?

R. Praesertim: 1° Ex insufficientia causae ad effectum naturaliter producendum. 2° Ex adjunctione vanae, vel falsae circumstantiae, quasi necessario requisitae. 3° Ex infallibilitate, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus. Ita S. Lig. n. 16.

§ 4. *De magia et maleficio.*

Q. Quid, et quotuplex est magia?

R. Est *ratio operandi mira, ope daemonis explicite, vel implicite invocati.* Duplex est, alia *naturalis*, et est ars operandi mira per causas naturales, sed occultas. Haec licita est, imo laudabilis, modo

absit scandalum, vel deceptio, et spiritus superstitiosus. — Alia *superstitiosa*, et jam definivimus.

Q. Quale peccatum est magia?

R. Est grave peccatum mortale ex genere suo.

Q. Quid, et quotuplex est maleficium?

R. Est *ars nocendi aliis cooperatione daemonis.* — Differt a magia, eo quod haec tendit ad faciendum mira; illud dirigitur ad noxia.

Duplex est, nempe *veneficium*, et *amatorium*, seu *phyltrum*. — *Veneficium* est ars diabolica, qua alicui in propria persona, vel animalibus damnum infertur, v. gr. morbos suscitando, mortem, vel tempestates producendo etc. — *Amatorium*, seu *phyltrum* est ars diabolica, quae vehementer ad libidinem excitat erga determinatam personam; phantasiam immutando, et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo; quin tamen libertatem tollat; quare qui non resistit huic libidini, sed consentit, peccat mortaliter etc. Ita S. Lig. n. 23.

Q. Qualem malitiam continet *maleficium?*

R. Triplicem malitiam mortalem; nempe contra religionem, charitatem, et justitiam.

Q. An peti possit a mago, ut maleficium tollat?

R. Negative: quia est intrinsece malum cooperare ad cultum daemonis. Secus si rationabiliter possit praesumi illud mediis naturalibus auferendum esse. Ita communiter Theologi.

Q. Quaenam sunt lamiae, seu striges?

R. Dicuntur illae perditae mulieres, quae ope daemonum hominibus insidiantur, noxia contra ipsos moliendo, omni incantationum, ac maleficiorum genere.

Q. Quid de istis strigibus dicendum?

R. Non potest negari, quod reapse dentur. Imo docent Theologi, opinionem contrariam esse etiam periculosam in se, et valde injuriosam Ecclesiae Catholicae; quippe quae contra lamias sive striges poenas indixit gravissimas. Vide Perrone, de Angelis etc. Ita Scavini.

Unde licet, non omnia, quae circumferuntur, credenda sunt; attamen veritas doctrinae, quae eas admittit, est omnino fatenda.

Q. In quam poenam magi et malefici incurrunt?

R. Si fiat cum haeresi formali, incurrunt excommunicationem speciali modo Papae reservatam. Id facile evenit quando v. gr. miscen es sacras, diabolum ceu Deum adorant; vel consultant de iis, quaet solus Deus nosse potest.

Nota 1ª. Nisi sit haeresis, incurrunt in excommunicationem, sed probabiliter haec est tantum ferendae sententiae.

2ª. Malefici tenentur ad reparationem omnium damnorum illatorum.

Q. An divinatio, vana observatio, et magia differant specie inter se?

R. Negative; quia parvi refert, utrum a daemone occultorum notitia, aut effectus mirandi petantur. Ast *maleficium* differt specie ab omnibus; quia praeter peccatum Religioni oppositum, includit peccatum contra justitiam et charitatem.

Monitum. Parochi, concionatores et catechistae cavere sedulo debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegiis et superstitionibus vulgo incognitis; sed brevem habeant sermonem tantum de iis, quae in illa regione nota sunt, ne ea edoceant potius quam ab iis avertant.

Q. Quid de daemonis possessione et obsessione?

R. Possessio in eo consistit, ut daemon corpori humano quodam modo uniatur, et in illo et per illud extraordinaria operetur.

Obsessio est, quando in corpore humano daemon non residet, sed tantum externe operetur, illud variis modis vexando.

Revera dantur possessiones et obsessiones, et sine errore in fide negari non possunt; constat enim variis locis sacrae Scripturae. Hinc Ecclesia adhibet exorcismos ad daemones fugandos.

§ 5. *De magnetismo; mensis circulatoriis, et spiritismo.*

Q. Quid dicendum de magnetismo?

R. 1° Triplex praecipuus magnetismi effectus seu gradus exhibetur: 1° Status somni, quo sensus penitus consopiuntur, ut in somno naturali.

2° Status somnambulismi, in quo, quis usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, quae ab ipso postulantur.

3° Mira sui status cognitio, et remediorum suis morbis convenientium, nec non visio actionum aliorum hominum, etiam longe distantium, et eorum omnium, quae tum prope, tum procul peraguntur.

R. 2° Theologi et medici in tres abierunt sententias: Prima sententia in omni casu rejicit, et execratur magnetismum, velut opus diabolicum; miri enim, ajunt, illius effectus neque ex Deo, neque ex natura repeti possunt.

Secunda sententia tenet omnes magnetismi effectus a naturae viri-

bus procedere posse : quia inesse possunt quibusdam humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quae in aliorum corpora, mediantibus organis, in ipsam animam agant; non enim omnes naturae vires cognoscimus.

Tertia sententia distinguit inter varios effectus a magnetismo productos. Hinc docet probabiliter admitti, ut naturales posse effectus magnetismi in primo, et forte secundo gradu, scilicet in somno, et somnambulismo; non vero in tertio gradu, seu in statu visionis.

Sed nos dicimus, quod haec tertia sententia poterat ad summum sustineri in primordiis magnetismi, quando nempe causa proportionata effectibus dicti primi et secundi gradus adhibebatur, ut v. gr. fricationes in corpore, gesticulationes, et similia. — Nunc autem prima sententia est tenenda; quia simplex voluntas, vel intentio magnetizantis, quae adhibetur, est causa omnino improportionata, imo omnino incapax producendi gratia relatos effectus trium praedictorum graduum.

Revera haec causa non est voluntas cum suis actibus immanentibus; quia virtus actus immanentis tota in ipsa voluntate consummatur, nec ad extrinsecum sibi effectum transilit. — Neque est voluntas utens ministerio alterius potentiae: quia ita circumscribitur facultate ejusdem potentiae, ut effectus ipsam facultatem excedere non possit, sic v. gr. Magnetizans, qui nescit aliquam rem, quam quaerit, quomodo transmittere in magnetizatum poterit? — Neque est fluidus; quia inter substantiam spiritualem et materialem non datur medium. Quare Sacra Congreg. S. Rom. Inquisitionis in Epist. Encyclica ad omnes Episcopos 4 augusti 1836 docet quoad magnetismum: *In his omnibus, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum.* Unde magnetismus est omnino reprobandus, ut diabolica operatio.

Nota. Neque dicatur, posse effectus primorum, et secundorum graduum etiam provenire a causa naturali; nam etiam causa praeternaturalis potest simul producere effectus utriusque ordinis.

Q. Quid dicendum de mensis circulatoriis, vulgo *tavole rotanti?*

R. Omnia, quae de ipsis narrantur, sunt omnia opera diabolica; quia nulla dari potest proportio naturalis inter effectus, et causam, siquidem lignum, aut lapis non possunt percipere quaesita ab homine facta, nec ad illa respondere.

Nota. Neque fas est, tabulas, aliasve res hujusmodi interrogare

experimenti, aut joci gratia; neque enim licet in re evidenter mala experimentum tentare, nec de ea recreari.

Q. Quid dicendum de spiritismo?

R. Spirituum consultationem diabolicam esse, et proprie dictam divinationem sacris litteris tam severe prohibitam. — Pariter non solum graviter illicitum est spiritus de occultis consulere, et interrogare, sed etiam consultationi quamvis tantum passive interesse; quia est peccatum cooperationis rei intrinsece malae.

ARTICULUS II.

DE SPECIEBUS SUPERSTITIONIS VERI NUMINIS.

Q. Quid, et quotuplex est superstitio veri Numinis?

R. Est *cultus indebitus Deo vera exhibitus.* Duplex est, cultus nempe falsus, et cultus superfluus. *Cultus falsus* est ille, qui continet aliquid falsi, vel in se, vel in sua significatione. — *Cultus superfluus* est cultus veri Dei ab illius instituto alienus propter res inutiles ad Dei honorem mentisque devotionem.

Q. Quale peccatum sit cultus falsus, et quale cultus superfluus?

R. 1° Cultus falsus est semper ex se mortalis, nec admittit parvitatem materiae, quia gravem injuriam Deo infert.

R. 2° Cultus superfluus est solum venialis, sepositis prohibitione, scandalo, et contemptu caeremoniarum Ecclesiae; quia irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem.

CAPUT IV.

De irreligiositate.

Q. Quid, et quotuplex est irreligiositas?

R. 1° Est *vitium, quo Deus in se, vel in rebus, aut personis sacris inhonoratur.*

R. 2° Quintuplex est, nempe: 1° Tentatio Dei. 2° Sacrilegium. 3° Blasphemia. 4° Perjurium. 5° Simonia.

Nota. De perjurio, et simonia alibi commodius egimus; nunc de aliis.

ARTICULUS I.

DE TENTATIONE DEI.

Q. Quid est tentatio Dei?

R. Est *dictum, vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere exspectatum.*

Q. Quotuplex est tentatio Dei?

R. Duplex, nempe explicita, seu formalis; implicita, seu interpretativa. *Explicita* est, quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam facit animo eam explorandi. — Tentatio Dei *implicita* est, quando quis petit vel facit, quod ex natura sua non potest alium in finem referri, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem, de qua nullatenus dubitat. Dupliciter haec fieri potest: 1° Cum quis negligit media ordinaria et a solo Deo temere exspectat effectum. 2° Quando quis sponte, et absque legitima causa se conjicit in tale periculum, ut nequeat liberari sine Dei miraculo.

Q. Quale peccatum est tentatio Dei?

R. Est peccatum mortale ex genere suo, sive fiat expresse, sive fiat implicite; quia gravem audaciam, gravemque erga Deum importat irreverentiam.

Nota 1ª. Probabilius tentatio explicita ab implicita non differt specie; sed eam tantum aggravat.

2ª. Diximus *ex genere suo;* nam tentatio implicita potest esse veniale peccatum in eo, qui non advertit actionem suam pertinere ad tentationem Dei.

Q. An liceat petere ab ipso Deo miraculum, vel martyrio ultro se offerre?

R. Ad 1um docent communiter, licere petere a Deo miraculum, quoties adsit utilitas gravis ad nostram, aut aliorum salutem, ad Ecclesiae bonum, vel ad divinam implendam voluntatem. Sed qui peteret absolute miraculum ad conversionem haereticorum, aut peccatorum extra casum particularis inspirationis, peccaret; quia satis sufficiunt fidei nostrae testimonia, ac ordinaria auxilia.

R. Ad 2um cum D. Thoma affirmative, si adsit legitima causa, v. gr. ad vitandas blasphemias, etc. Si secus sit, non licet; cum nemo sit vitae suae dominus.

Nota. Peccat per se venialiter, qui ex negligentia imparatus ac

cedit ad praedicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium. — Item, qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem ; quia ibi non est gravis deordinatio.

ARTICULUS II.

DE SACRILEGIO.

Q. Quid est sacrilegium ?

R. Est *violatio rei sacrae.*

Q. Quotuplex est sacrilegium ?

R. Triplex, nempe personale, reale, et locale. — Personale est *violatio personae sacrae.* — Locale est *violatio loci sacri.* — Reale est *violatio rei sacrae, distinctae a persona, et loco,* v. gr. indigna administratio, vel susceptio Sacramentorum.

Q. Quot modis committitur sacrilegium personale ?

R. Tribus: 1° Inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum. 2° Luxuriose violando personas Deo dicatas, etiam solis tactibus. 3° Personas ecclesiasticas subjiciendo judicio fori.

Q. Quot modis committitur sacrilegium locale ?

R. Tribus: 1° Peccatis omnibus, quibus ecclesia polluitur de Jure canonico, scilicet effusione sanguinis, et seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati, aut infidelis in ecclesia. 2° Peccatis omnibus, quae fiunt contra immunitatem, et sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixae, et similia. 3° Actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, strepitus judiciorum, nisi gravis causa excuset. Ita S. Lig. n. 36.

Q. Quot modis committitur sacrilegium reale ?

R. Sex modis: 1° Indigna administratione, aut susceptione Sacramentorum. 2° Indigna tractatione sacrarum Reliquiarum, imaginum etc. 3° Profanatione vasorum, instrumentorum, et ornamentorum sacrorum. 4° Furto rei ad cultum divinum, vel ad ecclesiam pertinentis. 5° Abusu Scripturae, v. gr. verba ejus detorquendo ad vana. 6° Vasorum sacrorum, corporalium etc. incuria in iis, qui haec religiose curare debent. Ita S. Lig. n. 48.

Q. Quale peccatum est sacrilegium ?

R. Est peccatum mortale ex genere suo, tantoque gravius, quanto res quae violatur, est sanctior, et sacratior. — Potest tamen esse veniale ratione parvitatis materiae, vel imperfectione actus. Ita omnes.

Nota. Sacrilegium specie differt prout personam, locum, aut rem sacram afficit: unde in confessione istae circumstantiae explicandae sunt. Ita S. Lig. n. 37; S. Thomas 2, 2, q. 99, a. 3.

Q. An ecclesia violetur, ita ut reconciliatione indigeat, si quis in ipsa pro defensione fidei homicidium, et ita martyrium intra ecclesiam patiatur?

R. Affirmative quatenus consideratur ut injuriosa actio ex parte occidentis, cum ut talis sit revera sacrilegum et injuriosum homicidium: sic Glossa communiter recepta in capite *Si ecclesiam unic. de consecr. eccl.* in 6, ubi dicit: *Actio displicuit, passio grata fuit.*

Q. An sit sacrilegium violatio personae voti simplicis castitatis ligatae extra religionem?

R. Controvertitur. Prima sententia affirmat; quia per quodlibet castitatis votum homo vere Deo consacratur. Ita Billuart, et S. Lig. n. 47 ut probabilius. — Secunda non minus probabilis negat; quia per votum simplex castitatis persona non fit sacra; ad hanc enim personam consacrandam publica Ecclesiae deputatio requiritur.

Rationabilior videtur secunda sententia: ut enim ait Suarez (de sacrileg. lib. 3°, cap. 2, n. 1): *Non quaelibet privata devotio, aut propositum se totum dicandi ad divinum cultum constituit personam sacram, sed necesse est, ut ex jure fiat talis consecratio personae.* Haec autem consecratio fit vel per sacram ordinationem in Clericis, vel per dedicationem ad Dei cultum in statu religioso; quemadmodum idem Suarez, et Layman (lib. 4, tr. 10, c. 7, n. 4) docent. Insuper ex omnium consensu sacrilegium circa personas vere sacras committitur non solum per actus castitati oppositos; sed etiam per violentam in ipsos manuum injectionem. Nemo autem habuit sicut reum sacrilegii illum, qui percussit personam privato castitatis voto obligatam. Ballerini ait: *Opposita opinio contra se habet communem Theologorum doctrinam.* Hanc sententiam nos amplectimur per dictas rationes, et per alias, quas omittimus brevitatis causa.

Nota. Quisquis legatus sit voto castitatis, etiam simplici, quoties hoc violet certo duplex committit peccatum, alterum nempe contra castitatem, alterum nempe contra Religionem ratione infidelitatis quatenus non servat promissionem Deo factam. Intellige duplex peccatum committit persona tantum quae violat hoc suum votum simplex; non vero ille, qui cum ipsa peccat contra castitatem.

Q. An omnia peccata luxuriae in ecclesia, aut coemeterio commissa, sint sacrilegia?

R. Peccata mere interna non sunt habenda ut sacrilegia; quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro. Ita communiter.— Item sacrilegium erit desiderium peccandi in loco sacro habitum extra ipsum; non vero desiderium conceptum in loco sacro peccandi extra eundem. Quoad peccata externa, certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem etc. — An vero committatur, etiam per alia peccata externa gravia, v. g. tactus graviter turpes, controvertitur. Probabilius affirmant S. Ligorius n. 459, Collet, Scavini etc. Negant autem non improbabiliter Sanchez, Tamburini, Bonaciña etc. Sed videtur prima praeferenda.

Q. An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?

R. Constat esse sacrilegium omne furtum rei sacrae, et etiam rei non sacrae, commissae tamen loci sacri custodiae, ut patet ex Jure canonico c. *Quisquis* 21 etc., ubi legitur: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Quoad res, quae casu, aut per accidens in ecclesia reperiuntur, ut crumenae etc., controvertitur. Prima sententia cum Lugo, et Lessio negat. — Alia probabilius affirmat cum Layman, Salmat., et aliis; quia semper verificatur, quod talis furetur *non sacrum de sacro.* Hanc secundam et nos tenemus.

Q. An laesio quorumcumque ad Clericos pertinentium sacrilegium constituat?

R. Negative; sed tantum laesio bonorum, quae Clerici possident, non suo, sed Ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt; quia haec tantum sunt sacra. Ita S. Lig. n. 42, et alii communiter.

Q. An vasa, et vestes sacrae converti possint in usus profanos?

R. Affirmative; si res totaliter ita immutetur, ut ad communem reducatur. Secus autem, si totaliter non immutetur.

Nota. Hic non intelliguntur ea, quae non benedicuntur, ut tapetes, candelabra. Ita S. Lig. n. 41.

Q. An calices, aliaque vasa, sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda, debeant a Sacerdote exsecrari?

R. S. R. Cong. 20 apr. 1822 negative respondit.

Q. Quaenam sunt poenae in sacrilegos?

R. Post Const. *Apostolicae Sedis:* 1° Incurrunt excommunicationem Papae reservatam percussores Clericorum; et Monacorum (si

fiat suadente diabolo). 2° Incurrunt excommunicationem Papae speciali modo reservatam interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, Nuncios: item qui in his praestant auxilium, consilium, vel favorem. 3° Incurrunt in eandem excommunicationem speciali modo Papae reservatam usurpantes aut sequestrantes (quacumque sint dignitate) jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum, aut Beneficiorum pertinentes. 4° Incurrunt excommunicationem nemini reservatam alienantes, et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico.

Nota 1ª. Fures qui expoliant ecclesiam bonis, etiamsi hoc faciant cum januae etc. effractione, nunc nullam incurrunt excommunicationem.

2ª. Extra hos casus nulla habetur censura sacrilegis adnexa, praeter perpetuam inhabilitatem ad Missae celebrationem contra abutentes Sacrificio Missae ad sortilegia, ex Benedicto XIV.

3ª. Certum est, sacrilegium non esse furtum in claustris, vel in oratorio domus privatae; esset vero furtum in oratoriis xenodochiorum, etsi non benedictis ab Episcopo. Ita S. Ligorius, Op. mor. lib. 3, a. 39.

ARTICULUS III.

DE BLASPHEMIA.

Q. Quid est blasphemia?

R. Est *contumeliosa in Deum locutio.*

Dicitur *in Deum*, consideratum nempe vel in se, vel in suis Sanctis, et creaturis in ordine ad Deum ipsum; quatenus nempe in iis elucet aliqua et specialis divina perfectio.

Nota 1ª. Verba haec ex subito impetu spirituum prolata: *Per Deum, per Christum; Corpo di Dio, Sangue di Cristo me la pagherai; nego Dio se non ti ammazzo; Cristo Santo! Sacramentum! Sanguis Christi; hoc est verum, sicut Deus;* non sunt verae blasphemiae; sed indignae dumtaxat divini Nominis usurpationes, et secluso scandalo excusantur ordinarie a peccato gravi; quia ex ignorantia, aut indeliberatione (ut plurimum) proficisci censentur, et referuntur potius in homines, quam in ipsum Deum, vel Christum.

2ª. Sunt vero blasphemiae verba haec: *Male eveniat Ecclesiae;*

maledictum Pascha; nego Sacramenta; maledicti sint Sancti, etc.; quia in his speciali modo elucet sanctitas, et divina perfectio.

Q. Quid de illis, qui maledicunt vivis, vel sibi ipsis?

R. Maledictio est imprecatio mali, quatenus malum est. unde non est blasphemia, sed dira imprecatio.

Q. Quid, si quis maledicat defunctis?

R. Maledicere defunctis non erit blasphemia; cum animus maledicentium ad hoc non feratur, ut iis maledicat, prout sunt creaturae Dei. Imo plerumque neque mortale est; quia per id eisdem neque in se, neque ex mente proferentium infertur gravis injuria.

Q. Quid si quis maledicat toti mundo, vel daemoni?

R. Maledicere toti mundo est mortale; in ipso enim totaliter sumpto specialiter elucet Dei bonitas, sapientia ac potentia. — Excipe, si intelligatur ille mundus, qui virtuti adversatur.

Maledicere vero diabolo raro est mortale; quia ipse fere semper solet maledici, ut auctor malorum, vel Dei inimicus. At ratione scandali non decet christianum nominatio assidua diaboli, ideo potest esse grave.

Q. Quotuplex est blasphemia?

R. Multiplex: 1° Ratione *intentionis*, alia est directa, quae Deum directe aggreditur ex intentione ipsum inhonorandi, et dicitur diabolica. — Alia indirecta, et est, cum quis advertenter profert verba blasphemiae, sed absque directa intentione Deum inhonorandi.

2° Ratione *modi*, alia est interna, alia externa. — Interna dicitur blasphemia cordis, quae in animo consummatur, quin prodeat exterius. — Externa, quae dicitur blasphemia oris, vel operis, est ea, quae verbis, aut factis manifestatur.

Nota. Si in solis factis consistat blasphemia, tunc improprie dicitur blasphemia.

3° Ratione *verborum*, alia est simplex, alia haeretica, alia haereticalis, alia imprecativa, alia dehonestativa.

Simplex est *contumeliosa in Deum locutio, quin aliam malitiam includat.*

Haeretica, seu formalis, est *ea, quae continet haeresim, vel negando Deo quod fides docet illi convenire, vel eidem attribuendo quod fides inficiatur.*

Haereticalis est *ea, quae haeresim profert ore, eam tamen non credit corde.*

Imprecativa est, *cum quis Deo malum imprecatur.*

Dehonestativa est *ea, quae vera de Deo, vel de Christo pronuntiat, sed irreverenter, per contemptum ex ira et malo animo erga Deum.*

4° Ratione *objecti*, dividitur in eam, quae fertur immediate in Deum, et in eam immediate in Sanctos.

Nota. Haereticam profert blasphemiam qui ex animo dicit: *Dio non ha cura di me; tutti i malanni a me*, cum Deo de omnibus sit cura; *Dio non è morto per me; Dio è parziale; Dio non si ricorda di me.* — Attamen, ut plurimum talia proferentes a gravi excusantur (etsi redarguendi), cum haec proferant ex inconsideratione, vel doloris gravitate. — Item esset blasphemia dicere: *Nolit, velit Deus, a dispetto di Dio lo farò, etc.*

Q. Quot modis committi potest blasphemia haereticalis?

R. Triplici modo: nempe tribuendo Deo quod ei non competit; vel auferendo Deo quod ei competit; vel tribuendo creaturae quod Dei proprium est.

Q. An omnes blasphemiae species differant inter se, ideoque an Confessarius debeat inquirere super earum diversitate?

R. Si blasphemia procedat ex desperatione, vel ex odio, aut infidelitate, ut si sit imprecativa, haeretica, vel haereticalis, explicanda est: quia haeretica est etiam contra fidem; haereticalis etiam contra praeceptum fidem exterius profitendi; imprecativa etiam contra charitatem. — Item aperienda est blasphemia, quae fuerit directe volita. — Utrum sit aperienda blasphemia in Sanctos, non vero in Deum, disputant Theologi. Alii probabiliter affirmant; quia est etiam contra duliam etc. — Sed negandum cum Layman, Sanchez, Viva et aliis; quia singulae aequaliter adversantur virtuti religionis; et qui blasphemant Sanctos, peccant contra latriam: ideo sufficit dicere se blasphemasse.

Nota. Si aliquis contumeliam proferat in Sanctos non quatenus Sancti sunt, sed in quantum homines in terra fuerunt; tunc non est blasphemia in Deum redundans, sed blasphemia contra duliam tantummodo; et quidem venialis, si non dicatur ex odio, vel indignatione, sed ex joco etc.

Caeterae blasphemiae certo speciem non mutant, ideo non sunt de necessitate explicandae in sua qualitate.

Q. An qui unico actu blasphemat duodecim Apostolos, committat duodecim peccata?

R. Controvertitur: prima sententia probabiliter affirmat. — Se-

cunda, quam tenemus, probabilius negat, docens esse unum tantum peccatum; quia suam malitiam desumit ex sua relatione ad Deum; unde unica injuria Deo infertur.

Q. Quale peccatum est blasphemia?

R. Est peccatum ex genere suo mortale, ait enim D. Hieronymus (lib. 7 in Is., c. 18): *Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in excelsum os suum.*

Q. An blasphemia admittat parvitatem materiae?

R. Negative: quia quaelibet Dei contumelia, aut maledictio est gravissima injuria contra honorem Dei strictissimo jure debitum. — Venialis tamen esse potest quandoque ex defectu requisitae advertentiae et deliberationis ad mortale; sic qui ira, vel alia animi passione abreptus prorumpit in verba blasphemiae, eorum significationem minime advertens, iste non peccat, nisi venialiter.

Nota. Multi admittunt parvitatem materiae in his, quae fiunt contra Sanctos; sed id debet intelligi cum Sanctis contumelia fiat, in quantum homines in terra fuerunt.

Q. Qui consuetudinem blasphemandi habent, peccantne mortaliter toties, quoties inadvertenter blasphemant?

R. Affirmative, nisi dent operam sedulam ad illam extirpandam; quia ad hoc sub gravi tenentur: secus est interpretative velle permanere in periculo proximo peccandi, cum pravus habitus vehementer ad suos actus provocet. — Negative, si dent operam, et tamen iterum labantur interdum; quia non sunt perfectae voluntariae, utpote retractatae proposito illo efficaci. — Ast non excusabuntur a veniali; quia adest semper aliqua advertentia in blasphemante.

Nota 1ª. Ad blasphemiam perfectam non est necessaria expressa et explicita intentio Deum inhonorandi; sed implicita sufficit, idest cum quis ex ira, aut ex joco cum advertentia proferat ea, quae aliquam Dei contumeliam continent.

2ª. Blasphemia est spuere in coelum, infrendere dentibus in illud, dicere se aliquid agere Deo invito, et similia.

3ª. Non peccat graviter qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata, aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat. Intellige, secluso scandalo. — Pariter, qui diceret: *Can di Dio, della Madonna.*

Q. An appellatio nominis Dei, vel Jesu non contumeliosa, sed per modum loquendi sit blasphemia?

R. Negative, sed vana usurpatio.

Q. Quandonam est vera blasphemia maledictio creaturarum?

R. Quando blasphemantur ut creaturae Dei, idest cum relatione ad Deum. — Item, quando maledicitur creatura, quae de se specialem habet relationem ad Deum, v. g. Animae nostrae, Fides catholica, coelum et similia.

Q. An vana usurpatio nominis Dei sit semper peccatum et quale?

R. 1° Per se peccatum est; quia laedit reverentiam divino Nomini debitam (Eccl. 23, 10): *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.*

R. 2° Per se peccatum veniale est; quia reverentia illa non graviter laeditur. — Mortale vero evadere potest ob contemptum formalem, aut iram gravem; quia tunc censetur participare de ratione blasphemiae.

Q. An sit peccatum usurpare inutiliter nomina Sanctorum?

R. Affirmative; quia quod dicitur de sanctissimo Dei Nomine, idem, proportione reservata, dicendum est etiam de nominibus Sanctorum.

Q. Quid debet facere qui audit aliquam blasphemiam?

R. Si blasphemia non sit haeretica, nec haereticalis, ad nihil tunc tenetur. — Si sit talis, tunc intra mensem ex Decreto S. R. Inquisitionis debet blasphemantem denuntiare. Intellige, si id proferant serio et advertenter; quia non est haec obligatio, si hae blasphemiae proferantur ex ignorantia, aut lapsu linguae, aut eo iracundiae impetu, ut proferentem e rationis usu abpripuerit; aut si proferantur sine pertinacia, quae semper necessaria est, ut denuntiandi gravem obligationem inducat. Ita Salmat., Scavini et alii.

Q. In quam poenam incurrit proferens blasphemiam haereticam?

R. Ratione haeresis in excommunicationem speciali modo Summo Pontifici reservatam. Intellige modo dicatur cum plena advertentia et pertinacia.

Nota. Si blasphemia procedat ex infirmitate, est in Patrem. — Si ex ignorantia, est in Filium.— Si ex malitia, est in Spiritum Sanctum.

TRACTATUS DECIMUS

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

—

Q. Quaenam sunt virtutes cardinales?

R. Sunt quatuor: *Prudentia, fortitudo, temperantia. et justitia.*

Nota. Partes cujuslibet cardinalis virtutis sunt triplicis generis: aliae integrales, et sunt quaedam conditiones requisitae ad actum virtutis integrum exercendum: aliae subjectivae; aliae potentiales, quae sunt virtutes secundariae.

CAPUT UNICUM

—

ARTICULUS I.

DE PRUDENTIA.

Q. Quid est prudentia?

R. Est *virtus moralis, qua dignoscitur quid in quolibet negotio agendum sit, vel fugiendum.* Unde in alias virtutes generalem habet influxum.

Nota. Non loquitur hic de terrena prudentia, quae suum finem constituit in carne, vel divitiis. Huc revocatur modernus ille moderantismus, qui sub fucato prudentiae nomine a nonnullis praedicatur, et in ruinam Religionis et societatis inductus est.

Q. Quodnam est objectum prudentiae?

R. Objectum *materiale* sunt actiones humanae particulares, de quibus judicatur, an honestae sint, an turpes. — Objectum *formale*

est conformitas actionum humanarum cum veritate hic et nunc practica.

Q. Quot sunt officia prudentiae?

R. Tria: nempe bene consultare de honestate, vel inhonestate agendorum; bene judicare de mediis pro loco et tempore adhibendis; et bene imperare executionem.

Q. Quotuplex est prudentia?

R. Duplex: *personalis*, quae solum bonum operantis attendit; et *gubernatrix*, quae attendit bonum communitatis.

Gubernatrix dividitur in perfectam, et dicitur politica; et in imperfectam, et dicitur oeconomica, qua pater recte regit suam familiam.

Q. Quaenam sunt vitia opposita prudentiae?

R. Prudentiae per defectum opponuntur *praecipitatio*, *inconstantia* et *negligentia*. Per excessum vero opponuntur *prudentia carnis*, *astutia*, *sollicitudo temporalium*, et *sollicitudo futurorum*.

ARTICULUS II.

DE FORTITUDINE.

Q. Quid est fortitudo?

R. Est *virtus cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis tempore et loco debito aggredienda, et ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios.*

Q. Quodnam est subjectum fortitudinis?

R. Est voluntas, prout est appetitus sensitivus irascibilis.

Nota. Duo sunt actus fortitudinis, nempe ardui aggressio, et incommodi perpessio.

Q. Quodnam est objectum fortitudinis?

R. Objectum *materiale* sunt pericula et labores. — Objectum *formale* est honestas, quae in hoc consistit, ut homo circa labores et terribilia moderate se gerat, neque timori nimium cedendo, neque ultra modum se dando audaciae.

Q. Quaenam sunt vitia fortitudini opposita?

R. Sunt temeritas per excessum et ignavia per defectum.

Temeritas est *vitium, quo quis periculis, contra rectae rationis dictamen se committit;* scilicet quando, ubi et quomodo non oportet.

Ignavia est *vitium, quo quis ab iis deterretur periculis, quibus sese,*

pro tempore et loco, exponere potest et debet. Utraque potest esse peccatum mortale.

Q. Quaenam sunt virtutes fortitudini adnexae?

R. Sunt *magnanimitas*, quae inclinat ad actus heroicos in omni genere virtutum. — *Magnificentia* seu *munificentia*, quae inclinat ad magna opera magnis sumptibus efficienda. — *Patientia,* quae firmat animum in tolerantia afflictionum. — *Perseverantia*, qua homo, non obstantibus quibuscumque malis, in opere incepto firmiter perseverat. — *Longanimitas*, quae nos firmat in exspectatione. — *Constantia*, quae roborat ac firmat volubilitatem nostram.

Q. Quot sunt gradus fortitudinis?

R. Sunt quinque: 1° Animum vincere, iracundiam cohibere, et voluptates contemnere. 2° Vitam propriam periculo exponere ob bonum spirituale et corporale proximi. 3° Martyrium appetere corde magno et volenti. 4° Mala gravissima et ipsam etiam mortem, si ex improviso contingat, fortiter et patienter tolerare. 5° Mala et mortem pati etiam cum sincero animi gaudio.

ARTICULUS III.

DE TEMPERANTIA.

Q. Quid est temperantia?

R. Est *virtus cardinalis, quae juxta rectae rationis dictamen moderatur affectum usumque voluptatum gustus et tactus.*

Q. Quodnam est objectum temperantiae?

R. Objectum *materiale* sunt delectationes corporeae. — *Formale* est earumdem usus honestus.

Nota. Si autem temperantia sumatur pro quacumque temperie, tunc ipsa erit virtus generalis.

Q. Quot sunt vitia temperantiae opposita?

R. Sunt duo; scilicet insensibilitas per defectum, et intemperantia per excessum.

Insensibilitas est *vitium, quo quis omnes corporis delectationes etiam necessarias refugit, aversatur.* — Est peccatum veniale ex genere suo; esset tamen mortale, si quis per eam refugeret id, ad quod graviter obligatur, v. gr. Si quis negaret debitum conjugi exigenti.

Intemperantia est *vitium, quo quis voluptates gustus, et venereorum immoderate appetit, rationisque, ac legis divinae regulam, in earum*

usu, excedit. — Est peccatum mortale ex genere suo, ut diximus de luxuria et gula etc.

Q. Quot sunt species temperantiae?

R. Sunt quatuor (quae a Scavini dicuntur partes subjectivae), nempe *abstinentia*, quae moderatur affectum, usumque cibi. — *Sobrietas*, quae moderatur affectum, usumque potus inebriare valentis. — *Castitas*, quae cohibet, vel moderatur appetitum, et usum venereorum. — *Pudicitia*, quae cohibet, vel moderatur oscula, tactus, amplexus, eorumque delectationem.

Nota. Partes integrales temperantiae sunt : 1° Verecundia, seu timor turpitudinis. 2° Honestas, seu amor decoris.

Q. Quot sunt virtutes temperantiae adnexae?

R. Praecipue sunt, *mansuetudo*, *clementia*, *modestia* et *eutrapelia*, quas Scavini vocat partes potentiales temperantiae.

§ 1. *De mansuetudine, clementia, modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu, et simplicitate.*

Q. Quid est mansuetudo?

R. Est *virtus, quae iram coercet, ne exsurgat, nisi quando, quantum, et quomodo oportet.*

Mansuetudo non excludit iram moderatam, quando causa illius est justa. *Qui sine causa irascitur, reus erit*, ait D. Chrysostomus, *qui vero cum causa, non reus erit.* Quia tamen difficillimum est passione illa uti cum debito moderamine, ideo mansuetus homo internam irae passionem non debet admittere, sed pro rei exigentia, se exterius gerere pro irato, debitam correptionem faciendo, debitamque poenam infligendo.

Q. Quid est clementia?

R. Est *virtus, quae vindictam coercet, ne ultra debitos fines exiliat.*

Tunc est vera clementia quando poena mitigatur per quantum justitiae et disciplinae bonum fert, et ratio publici boni exigit : secus est mollities si fiat per excessum ; si vero per defectum, est crudelitas.

Q. Quid est modestia?

R. Est *virtus, quae exteriores hominis actiones, et corporis ornatum ita moderatur, ut nullius offendat aspectum.*

Modestiae fundamentum in humilitate situm est : hinc a quibusdam definitur *humilitas practica.* — Si desit humilitas, dicitur men-

dax, et superba modestiae ostentatio, idest hypocrisis. — Unde in quatuor est collocanda, nempe in oculis, in verbis, in risu, et in incessu.

Q. Quid est humilitas?

R. Est *virtus firmans voluntatem, ne inordinate extollatur.*

Tres sunt humilitatis gradus: 1° Est subdere se majori, et non se praeferre aequali. 2° Se subdere aequali, et non se praeferre inferiori. 3° Subesse minori, in quo est perfectio.

Humilitas in veritate fundatur, et procedit. Sed potest quis absque falsitate, non judicio absoluto, sed quasi suspensivo, ut dicit Esthius, pronuntiare se omnibus viliorem vel secundum defectus occultos, quos in se recognoscit et dona, quae in aliis latent, aut quae eis conferenda sunt; vel etiam quatenus si aliis datae fuissent gratiae, quae datae sunt ei, melius Deo respondissent etc.

Media conservandi humilitatem sunt: 1° De se nihil neque bene, neque male loqui. 2° De aliis semper bene loqui. 3° Libenter obedire. 4° Tentationes contrarias illico Confessario aperire. 5° Nos cum illis comparare, qui etsi forsan inter pericula, tamen nobis meliores sunt.

Q. Quid est studiositas?

R. Est *virtus, quae affectum discendi, et cognoscendi ad rectae rationis tramites moderatur, ac temperat.*

Duo sunt praecipua munera studiositatis, nempe: 1° Cupiditatem sciendi intra limites coercere. 2° Torporem ingenii excutere, et animum ad necessaria, vel utilia perdiscenda inflammare. Primo muneri adversatur inanis curiositas. — Secundo adversatur pigritia, seu negligentia, quae a rerum pulcherrimarum studio mentem avocat; ac ingenium turpi otio non tantum languescere, sed etiam hebescere cogit, et dicitur negligentia.

Quoad socordiam, et negligentiam sciant juvenes: 1° Gravi culpa se inquinare, si debitum studium omittant, vel, quod pejus est, aliorum depravatos mores imitentur. 2° Sine vitio esse non posse temporis jacturam. 3° Postea hujus negligentiae et jacturae temporis futurum esse, ut sese poeniteant, sed frustra, et irreparabiliter.

Q. Quid est eutrapelia?

R. Est *virtus, quae in recreationibus modum servat honestum.*

Ut honestus modus servetur in jocis, tria necessario cavenda sunt: 1° Nempe ut vitetur jocatio petulans, offensiva. obscena vel pa-

rum honesta. 2° Ut vitetur dissolutio. 3° Ut ludi, et joci congruant personae, loco, tempori etc.

Q. Quid est ornatus et simplicitas?

R. Tam ornatus, quam simplicitas definiuntur: *Virtus, quae externum corporis cultum ad decoris, et honestatis regulas moderatur, ac regit.*

Tria praecepta tradit D. Thomas, ne per excessum, vel per defectum in ornatu peccetur: 1° Ne cultum nitidiorem affectent, quam ferat status, et dignitatis conditio. 2° Ne exquisitas et effoeminatas in cultu delicias sectentur. 3° Ne temporis nimium, ac diligentiae in id conferant, quod ad corporis ornatum, cultumque pertinet.

§ 2. *De castitate conjugali, viduali, et virginali.*

Q. Quid sunt istae tres species castitatis?

R. 1° Castitas conjugalis *est voluntas constans, et efficax abstinendi ab omni actione, et delectatione venerea cum non conjuge, et ea recte utendi cum ipso conjuge.*

Haec est de praecepto a conjugibus servanda; ait enim Apost. (ad Eph. c. 3): *Omnis autem fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et Dei.*

R. 2° Castitas vidualis *est voluntas constans, et efficax abstinendi in posterum ab omni actione, et delectatione venerea percepta in conjugio.*

Hoc debet intelligi extra novum conjugium; quia potest novum inire matrimonium.

R. 3° Castitas virginalis *est voluntas constans, et efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione, et delectatione venerea.*

Nomen virginis a *virore* provenit; sicut enim dicitur *virens*, et in suo virore consistere, quod non est adustum per caloris adustionem; sic *virens*, seu *virgo* nuncupatur, qui adustionem delectationis venereorum non est expertus.

Nota. Virginitas non consistit essentialiter in integritate corporalis membri, sed in proposito voluntatis abstinendi a delectatione venerea. Unde si contingat per alium modum membri integritatem corrumpi, non magis praejudicat virginitati, inquit D. Thomas (2, 2, q. 152, art. 1), quam si corrumpatur manus, aut pes. Quare virginitas amittitur irrevocabiliter per solam voluntariam pollutionem quoquo modo contingat, modo sit voluntaria.

—

APPENDIX

De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate, et comitate.

Q. Quid dicendum de gratitudine?

R. 1° Est virtus, *quae tum beneficiorum quibus affecti sumus, memoriam retinet, tum iisdem remunerandi voluntatem habet.* Hanc virtutem commendabat Paulus dicens: *Grati estote.*

R. 2° Duplex est gratitudinis praeceptum: 1° Ut cum possumus, paria et etiam majora beneficia referamus. 2° Ut cum referre non possumus, saltem gratias agere, et constanter habere satagamus.

Gratitudini opponitur *ingratus animus*, et *egoismus*, cujus est acceptum beneficium dissimulare, vel non aestimare satis, vel vituperare, vel habere pro maleficio. *Hoc tu cave tanquam maximum crimen*, ait Seneca (lib. 4 de Benef.). Aristoteles dicit: *Dixeris cuncta maledicta, si ingratum dixeris.*

Q. Quid est benevolentia?

R. Est *illa animi affectio, qua aliis bonum volumus, et optamus.* Ad eam nos impellit tam natura, quam religio.

Q. Quid, et quotuplex est amicitia?

R. 1° Est *mutuus, manifestus, et gratuitus amor inter aliquas personas, quae sibi invicem bene volunt, et se mutuo bonis cumulare desiderant.* Quare tria requiruntur, nempe ut amor sit mutuus, ut sit gratuitus, ut mutuam honestorum bonorum communicationem importet.

R. 2° Est multiplex, nempe vera, et falsa; corporalis, et spiritualis; sensibilis, et sensualis; prout bona quae communicantur vera vel falsa sunt, temporalia vel spiritualia, sensibilia vel sensualia. Solum amicitiae, quae fundatur in virtute, convenit *hoc amicitiae sanctum, ac venerabile nomen.*

Amicitias sensuales nec contrahere licet, nec fovere; cum fundentur in peccato, dicente S. Ambrosio: *Non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus.* — Amicitiae sensibiles, quae fundantur in bonis corporis sensibilibus, v. gr. pulchritudine, tractu, voce etc., licet non sint aperte inhonestae, sunt tamen valde imperfectae, et periculosae. maxime si contingant inter personas diversi sexus; ideo reprobandae sunt a moralista. A sensibilitate ad sensualitatem parva distantia; imo ad eam marte suo ducit. — Amicitias sanctas, spirituales, ad virtutem directas fovere, est maximum

bonum. Nonne inter se junguntur, hac aetate nostra, filii tenebrarum ad malum? Cur non filii lucis ad bonum? Hinc Scriptura: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: amico fideli nulla est comparatio* (Eccli. 6).

Q. Quid est liberalitas?

R. Est *virtus, quae nos docet ordinem ad rectae rationis tramites servandum in largiendis pecuniis et rebus omnibus, quae solent pecunia aestimari.* Oritur ex ea charitate, qua totum genus humanum secum una debet conciliari. — Differt a misericordia, quae tribuit indigentibus, haec omnibus: a magnificentia, quae respicit sumptus egregios, haec mediocres.

Conditiones liberalitatis praecipuae sunt: 1° Ut quod datur, honestatis et benevolentiae causa detur. 2° Ut largitiones ad facultates nostras accomodemus. 3° Ut quisque caveat quibus dandum, quantum, et quo tempore: omnia enim secundum ordinem fieri debent. 4° Ut libenter et hilariter elargiamur; nam ut recte ait poeta: *Cum properat gratia, grata nimis.*

Q. Quid est affabilitas?

R. Est *virtus, qua quis in convinctu, et in omni vitae consuetudine facilem se aliis exhibere, et iisdem, ut decet, obsequi studet.* Vir affabilis medius est inter ineptum assentatorem, ac hominem nimis austerum. *Homo*, ait Angelicus (2, 2, q. 124, a. 2), *tenetur ex naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat.*

Officia affabilitatis sunt: 1° Omnes benigne audire, eosque hilari vultu alloqui. 2° Interroganti humaniter respondere, licet importunus aliquando videri possit. 3° Obvios salutare, et salutationibus respondere, ea honoris, et benevolentiae significatione, quam vel locorum consuetudo, vel dignitas, vel urbanitas exigit. 4° Vocem, verba, gestum, et vultum ita componere, ut sit argumentum charitatis vere christianae, sic dicere possimus cum Apost. (1 ad Cor. 10): *Per omnia omnibus placeo.*

Affabilitati opponuntur *assentatio*, et *asperitas*. — Prima reperitur in illis, qui omnia ad alterius voluntatem sive vera, sive falsa, sive bona, sive mala, et loquuntur, et faciunt, et laudant: haec est viro ingenuo, et christiano indigna. — Secunda est in iis, qui habitum habent perversum nihil unquam dicendi ad cujuscumque voluptatem, improbandi semper aliena facta et dicta, omnia aegre ferendi. Haec in quibusdam superbissimis hominibus cernere est.

Q. Quid dicendum de comitate, ac urbanitate?

R. 1° Comitas est *virtus*, *quae servat decorem in jocis.* Discrimen inter affabilitatem, et comitatem hoc est, quod prima teneat modum in suavitate sermonis; altera in conversationibus, et in ludis. — Adversatur comitati *scurrilitas*, et *rusticitas.* Prima est insulsa quaedam, et molesta dicacitas saepe etiam odiosa, qua ordo, et modus omnis in jocis, ludisque pervertitur. Secunda est vitium, quo nec festivitate jocorum, nec conversationis jucunditate quis delinitur.

R. 2° Quamvis affabilitas, et comitas ad urbanitatem referantur; tamen differunt in hoc, nempe urbanitas latius patet, et omnes ferme hominis actiones, et mores respicit, ut boni sint ac decori.

TRACTATUS UNDECIMUS

DE JUSTITIA ET JURE

CAPUT I.

De natura justitiae.

Q. Quid est justitia?

R. Justitia sumitur tribus modis: 1° *Pro gratia sanctificante*, quam qui habet, dicitur justus. 2° *Pro complexione omnium virtutum:* sic qui legem adaequate implet, vocatur justus. 3° *Pro speciali virtute morali*, de qua hic disserimus.

Justitia prout est virtus moralis definitur a jurisconsultis post Ulpianum: *Constans, et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* — Clarius definiri potest: *Virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad aequalitatem.*

Dicitur *firmans voluntatem*, quia est habitus constanter bene disponens subjectum suum; qui enim semel, aut bis, non vero semper, et in omni eventu vellet cuique suum jus reddere, non haberet virtutem justitiae.

Dicitur *alteri*, quia nulla est stricte justitia ad seipsum; justitia enim debet constituere aequalitatem, quae necessario dicit relationem ad duo.

Dicitur *jus suum*, idest debitum rigorosum, cujus violatio non solum est peccatum, sed etiam obligat ad restitutionem.

Dicitur *ad aequalitatem*, idest per commensurationem rei, quae reddi debet, cum jure alterius.

ARTICULUS UNICUS

DE JUSTITIAE DIVISIONE, AC OBJECTO.

Q. Quomodo dividitur justitia?

R. Dividitur in legalem, commutativam, et distributivam.

Justitia legalis est *virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum*

reipublicae debitum, ratione juris alti, quod habet in personas privatas, et earum bona. — Duplex est, nempe imperans, et exequens.

Justitia distributiva est *virtus moralis inclinans eum, qui communitati praeest, ad distribuenda officia, et bona communitatis juxta cujusque meritum, si sit remuneratoria, vel ad irrogandas poenas juxta modum culpae, si sit vindicativa.* — Unde justitia distributiva duplex est, nempe remuneratoria, et vindicativa.

Justitia commutativa est *virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigorosum secundum proportionem arithmeticam;* idest secundum aequalitatem rei ad rem, solutionis ad debitum, nullo habito respectu ad conditionem personae, cui fit solutio; per quod differt a justitia distributiva, quae servat proportionem geometricam, quae est adaequatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis, et meriti personarum, quibus res distribui debent.

Q. An justitia legalis sit quaedam specialis virtus?

R. Affirmative, cum D. Thoma; quia habet objectum formale distinctum ab objecto aliarum virtutum.

Q. Quaenam sit justitia stricte sumpta?

R. Est sola commutativa, quae reddit alteri, quod ei stricto jure debetur. Unde ex ea sola oritur obligatio restitutionis, non autem ex distributiva, nisi quatenus commutativae sociatur, quod plerumque contingit.

Nota. Justitia commutativa locum non habet inter Deum et creaturas, inter patrem et filium, inter dominum et mancipium, si considerentur qua tales; quia tanta inter ipsos est unio, ut exigat debitum religionis erga Deum, pietatis erga patrem, amoris erga filium, obedientiae erga dominum etc., et non debitum justitiae.

Q. Quodnam sit objectum justitiae?

R. Objectum *materiale* est res, aut actio alteri debita, et reddenda; quia circa illam versatur justitia. — Objectum *formale* est eadem res, prout stricte debita, et ad aequalitatem reddenda; quia sub hoc respectu speciali, ita spectatur a justitia, ut sub eodem ab aliis virtutibus non attingatur.

Q. Quodnam est fundamentum justitiae?

R. Est jus.

CAPUT II.

De jure.

Q. Quid sit jus?

R. Jus accipitur: 1° Pro lege. 2° Pro re justa. 3° Pro scientia juris, vel jurisprudentia. 4° Pro sententia judicis. 5° Pro legitima facultate, de qua hic disserimus, et definitur: *Legitima facultas ad aliquid faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo disponendum in suum commodum, cujus violatio injuriam constituit.*

Dicitur *facultas* vel in modum potentiae activae, v. gr. ad aliquid faciendum; vel in modum potentiae passivae, v. gr. jus quod habes, ut alaris. — Dicitur *legitima*, idest a lege concessa.

Q. Quomodo dividitur jus?

R. Dividitur in jus in re, quod quis habet in re jam sua, et obtenta per legitimum titulum et rei traditionem; et in jus ad rem, quod quis habet, ut res fiat sua. Haec divisio respicit jus, prout accipitur in stricto sensu; in lato sensu dividitur sicut lex.

Nota. Jus naturale et jus positivum differunt: 1° In eo, quod ea quae sunt juris *naturae*, ideo sunt praecepta, quia bona; ideo prohibita, quia mala: ea quae sunt juris *positivi*, ideo sunt bona, quia praecepta; ideo mala, quia prohibita. 2° Jus naturale obligat omnes; jus positivum eos tantum, quibus vel a Deo, vel ab hominibus imponitur. 3° Jus naturae est immutabile, jus positivum mutabile.

Q. Quodnam discrimen intercedit inter eum, qui habet jus in re, et eum, qui habet jus ad rem?

R. Ei, qui habet jus in re, conceditur actio realis, ita ut res illa possit vindicari et repeti quocumque transierit. — Ei, qui habet jus ad rem, conceditur tantum actio personalis in eum, qui illam rem debet; quia non res, sed persona est tunc obligata.

Q. Quaenam requiruntur, ut aliquis habeat jus in re?

R. Tria, nempe: 1° Existentia rei. 2° Titulus, v. gr. emptio, donatio etc., cujus defectu fures et usurarii non habent jus in re circa pecunias furto, vel usura acquisitas. 3° Traditio rei.

Q. Quaenam requiruntur, ut aliquis habeat jus ad rem?

R. Unum tantum necesse est et sufficit, nempe justus titulus.

Q. Quot sunt species juris?

R. Sunt sex: nempe usus, ususfructus, servitus, habitatio, superficies, et dominium.

ARTICULUS I.

DE USU ET DE USUFRUCTU.

Q. Quotuplex est usus?

R. Duplex: usus juris, et usus facti.— Usus juris est *jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia.* — Usus facti est *actualis usus rei alienae, revocabilis ad nutum concedentis.*

Verba, *salva ejus substantia*, non sunt stricto sensu accipienda, nisi agatur de terra, quae per se est frugifera sine sui consumptione, vel alteratione; nam res aliae per qualemcumque usum aliquo modo substantialiter consummantur.

Q. Ad quid teneatur usuarius?

R. 1° Rem integram conservare proprietario. 2° Non uti re concessa, nisi ad suum usum quotidianum et ad usum familiae, sed non potest ipsos fructus vendere, locare, dare etc. 3° Solvere tum debita ordinaria, quibus gravatur res, qualia sunt salaria, tributa annua etc.; tum modicas impensas pro rei reparatione.

In rebus etiam unico actu consumptibilibus, separabilis est usus facti a dominio; constat: 1° Ex SS. Pontificibus Nicolao III, Clemente V et Alexandro IV in dubiis quoad Regulam Fratrum Minorum. 2° Quia usus rei pro arbitrio revocabilis non est dominium, ideo usus rei unico actu consumptibilis potest separari a dominio.

Q. Quid est ususfructus?

R. Est *jus utendi et fruendi re aliena, salva ejus substantia.*

Nota. Usufructuarius potest vendere, locare, donare omnes fructus; sed non potest vendere, aut donare ipsum usumfructum absque consensu proprietarii.

Q. Ad quid teneatur usufructuarius, ut salva maneat rei substantia?

R. Ad quatuor: 1° Tenetur praestare cautionem de re utenda instar boni patrisfamilias. 2° Si gregis usumfructum habeat, in locum capitum demortuorum, alia capita e foetu, quem percipit, submittere debeat. Sic dicendum de sylva, aut vinea, tenetur alias arbores plantare etc. *in locum demortuarum arborum. Ast arbores vi*

tempestatis, non culpa fructuarii eversas, ab eo substitui non placet. Ita Justinianus. 3° Si in aedibus sit constitutus usus fructus, tenetur ad modicam earum reparationem, non vero ad magnos sumptus. 4° Ei incumbunt onera rei fructiferae adnexa, ut tributorum solutio.

Nota. Usufructuarius nullum jus habet in metalli fodinas, nec in thesauros etc., qui durante usufructu invenirentur.

Q. Quomodo acquiritur ususfructus?

R. Dupliciter: 1° Legis dispositione. 2° Privata dispositione, puta testamento, contractu.

Q. Quomodo amittitur ususfructus?

R. Jure Romano amittitur: 1° Per mortem usufructuarii. 2° Per destructionem rei. 3° Per praescriptionem factam a directo domino. 4° Per omnimodam mutilationem, v. gr. si pratum fiat stagnum. 5° Per consolidationem, v. gr. si usufructuarius fiat dominus rei. 6° Per renuntiationem, quae si fraudulenta poterit invalidari. 7° Per majoritatem adeptam, vel per emancipationem filiorum, vel pro matre ad secundas nuptias convolata.

ARTICULUS II.

DE SERVITUTE, HABITATIONE, ET SUPERFICIE.

Q. Quotuplex est servitus?

R. Duplex, nempe activa et passiva. Active sumpta est *jus, quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat.* — Passive sumpta est *subjectio rei alienae, ut quid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia.*

Utraque duplex est, nempe realis et personalis. *Realis* est ea, per quam res rei servit, ut si ager tuus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi jus transeundi per tuum. — *Personalis* est ea, qua res personae obligatur, ut si habeam jus non propter agrum, sed aliunde huc transeundi ; vel persona rei, ut si Titius agrum meum excolere debet.

Servitus realis multiplex est, nempe ratione *originis* vel est *naturalis*, vel *legalis*, vel *conventionalis.* — Ratione *objecti* est *urbana*, vel *rustica.* — Ratione *modi* est *continua*, vel non *continua*, *apparens*, vel non *apparens.*

Naturalis constituitur ad naturalem locorum dispositionem, v. gr. Si ager inferior tenetur suscipere aquas, quae ex agro superiori

naturaliter fluunt. — *Legalis* per legem constituitur, v. gr. jus luminis, stillicidii etc. — *Conventionalis*, hominum facto et conventione stabilitur. — *Continua* est quando non indiget hominis facto, ut durare possit, puta luminis, aquaeductus, etc. — *Non continua*, quando sine facto hominis exerceri nequit, v. gr. servitus itineris, aquae hauriendae, etc. — *Apparens*, si exteriori signo aperte declaratur, v. gr. fenestra, janua, etc. — *Non apparens*, quando tali signo caret, puta prohibitio altius tollendi domos, etc. — *Urbana*, quae praedio urbano debetur. — *Rustica*, quae praedio rustico debita est.

Nota. Praedium urbanum est omne aedificium habitandi causa confectum sive in urbe, sive in villa, et hortus ei annexus.— Praedium rusticum sunt ager, vinea, pratum, pecorum stabulum a domo sejunctum.

Servitutes urbanae sunt: 1° Ut lignum in tuum parietem admittatur. 2° Ut stillicidium in tuas aedes recipiatur. 3° Ut murus altius non attollatur. 4° Ut fenestra in muro non aperiatur.

Servitutes rusticae aliae sunt nominatae, idest *iter*, *actus*, *via*, *aquaeductus*. Per *actum* intelligitur jus agendi vehiculum, aut jumentum; per *iter* intelligitur jus, quo pedes, aut eques potest transire, vel ambulare per alienum fundum; non tamen ducere jumentum, aut vehiculum, etc. — Innominatae sunt jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, arenae fodiendae, calcis coquendae, etc.

Q. Quaenam sunt jura et obligationes servitutum?

R. Deficiente conventione, praecipua jura sunt: 1° Qui active jus habet ad servitutem omnia perficere potest opera, quae necessaria sunt ad ea utendum et ad eam conservandam. 2° Si dividatur fundus, ad cujus utilitatem constituta est servitus, haec debetur cuique parti fundi divisi. 3° Servitutem serviens nihil agere potest, ex quo servitutis usus minueretur; et reciproce is, cui debetur servitus, nihil facere potest, unde gravior evadat.

Q. Quomodo extinguatur servitus?

R. 1° Tempore elapso, vel impleta conditione, si sub conditione constituta fuerit. 2° Renuntiatione expressa, vel tacita proprietarii. 3° Confusione, idest si serviens servitutem rei subjectae dominus fiat, et viceversa. 4° Praescriptione, seu non usu per triginta annos. Imo cum servitutes habeant rationem immobilium, praescribi possunt per spatium temporis, quod in his praescribendis servatur.

Ad acquirendum praescriptione jus servitutis, v. gr. jus viae, acquaeductus, etc. per alienum fundum, debet praescribens exercere actus positivos, quibus tale jus acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat, jus illud ad se pertinere. Nec sufficit scientia et tolerantia illius, contra quem praescribitur, si titulum non habeat. Si vero titulum habeat, hujusmodi scientia ac tolerantia non requiritur. Ita Gury.

Q. Quid sit habitatio?

R. Est *jus habitandi in alienis aedibus, salva earum substantia.*

Nota. Nisi alia sit conventio, habitatio regitur eodem modo, quo ipse usus; quare subjicitur iisdem legibus.

Q. Quid sit superficies?

R. Est *jus, quo quis alieni fundi superficiem possidet, et in eo aedificare potest.*

Nota. Superficiarius habet dominium utile domus superficiariae. — Dominus fundi habet proprietatem; unde superficies comprehendi potest sub usufructu latius sumpto.

CAPUT III.

De dominio.

—

ARTICULUS I.

DE DOMINIO IN GENERE.

Q. Quid est dominium in genere?

R. Est *jus gubernandi subditos, vel disponendi de re tanquam sua.* Unde duplex est dominium, scilicet jurisdictionis, et proprietatis.

Dominium jurisdictionis est *legitima potestas gubernandi subditos liberos.* — Actus gubernandi sunt *praecipere, vetare, permittere, judicare, punire, praemiare* in ordinem ad bonum commune.

Dicitur *liberos*, quia mancipia pertinent ad dominium proprietatis.

Dominium proprietatis est *jus disponendi de re tanquam sua, nisi lex, vel pactum obsistat.* Sic, licet pupillus sit suorum bonorum dominus, ea tamen non potest alienare, etc.; aliud est igitur jus

disponendi, aliud actus disponendi; jus manet integrum, solus actus prohibetur a lege in nonnullis circumstantiis.

Q. Quomodo dividitur dominium?

R. Praecipue dividitur in plenum, seu perfectum et non plenum, seu imperfectum.

Dominium plenum est *jus disponendi de re, illiusque fructibus tanquam suis.*

Dominium non plenum est *jus disponendi, vel de re sola*, et tunc dicitur *dominium directum; vel de solis fructibus rei*, tunc dicitur *dominium utile.*

Diximus *praecipue;* quia communiter dividitur etiam in dominium altum et in dominium humile. — Dominium *altum* pertinet ad rempublicam in bona et personas subditorum; quare non est verum dominium, sed jus administrationis, et jus praescribendi quid ad bonum commune necessarium sit. — Dominium *humile* est dominium privatorum. Hoc est verum dominium.

Q. Quaenam requiruntur ad dominii acquisitionem?

R. Ordinarie duo requiruntur, nempe *titulus*, et *traditio.* — Titulus, quia est radix dominii; traditio, quia ex lege habemus: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur* (Antiquus Codex de pactis).

Q. Quid est titulus?

R. Est *radix, unde dominium, aut jus quodvis oritur*, v. g. emptio, donatio, etc.

Q. Quotuplex sit titulus?

R. Quadruplex, nempe verus, coloratus, praesumptus et existimatus. — *Verus* est ille, qui a parte rei subsistit, et est vera radix dominii. — *Coloratus*, qui bona fide creditur esse verus, licet, ob latentem aliquem defectum, talis non sit, v. gr. Venditio ab eo facta, qui rei venditae dominus merito credebatur, licet talis non esset. — *Existimatus* est, qui prudenter creditur interfuisse, licet non interfuerit, v. gr. Si filius ex haereditate possideat rem, quae a patre putetur empta, cum empta non sit. — *Praesumptus*, quem jus ob temporis diuturnitatem intervenisse supponit, cum tamen forte non intervenerit; hic potius dicendus est defectus tituli, quam titulus.

Q. Undenam repetenda sit origo dominii proprietatis?

R. Ex divisione rerum tanquam ex prima radice dimanavit. Certum est enim, omnia in prima origine mundi fuisse communia com-

munione negativa; Adamo enim et ejus posteris terram absque ulla divisione tradidit Deus; ideo omnia erant communia, idest nullius in individuo.

Q. Quo jure et quando facta fuerit rerum temporalium divisio?

R. 1° Nec a jure divino; quia nullibi apparet, Deum talem distributionem fecisse, aut praecepisse. — Nec a jure naturali; quia natura omnia sunt communia communione negativa. — Nec a jure gentium; quia in primaeva aetate post divisionem bona unius non erant bona alterius. — Nec a jure civili, quia jus civile supponit proprietatem; sed bonorum divisio oritur ex illa facultate connaturali, quam habet homo sibi vindicandi ea, quae nullius sunt; et ita sua sibi facere, ut alterius esse nequeant absque suo consensu, et hoc nulli juri repugnat, imo est omni juri conforme.

R. 2° Bonorum divisio primaeva aetate facta fuit, statim ac plures fuerunt homines in terra; sic Abel pastor effectus, ovile fecit sibi proprium, *Deo* enim *obtulit de primogenitis gregis sui* (Gen. c. 4); Cain agricola factus est, et sibi vindicabat fructus; Henoch habuit propriam domum, etc.

Certum est igitur jus dominii de se inviolabile esse. 1° De jure naturae; nam eo sublato subverteretur societas. 2° De jure divino, ut patet ex septimo et decimo praecepto Decalogi: *Furtum non facies: Non concupisces domum proximi tui* (Exod. c. 20). 3° Ex lege ecclesiastica et civili, ut utriusque fori legislatione comprobatur.

Q. Quodnam discrimen est inter dominium et jus?

R. 1° Omne dominium producit aliquod jus; sed omne jus non est dominium. 2° Jus latius patet, quam dominium; nam dominium respicit res tantum exteriores; jus vero resultat ex omnibus, quae nobis pertinent tam intus, quam extra. 3° Dominium amplectitur omnes usus rei; jus autem habet pro objecto qualemcumque partem usus.

Q. An divisio rerum sit licita et necessaria?

R. 1° Esse omnino licitam, est de fide, juxta illud: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, cui tributa, tributa, etc.*

R. 2° Attentis circumstantiis vitae humanae est omnino necessaria, ad pacem, tranquillitatem, prosperitatem, imo ad vitam societatis. Nam post peccatum, homines elati superbia, avari, cupidi, desides ac negligentia torpescentes circa bona communia omnes vellent cuncta sibi occupare, omnibus dominari. et nulli servire, nec laborare. Hinc jurgia et bella quotidiana exsurgerent, et omnia in ruinam abirent, etc.

Corollarium. Systema igitur *Communistarum* et *Socialistarum:* 1° Est impium; quia sapientissimum rerum ordinem a Deo statutum ac sancitum penitus tollit, et suavem divinae Providentiae oeconomiam funditus subvertit. 2° Societati summe noxium; ejus enim totalem subversionem inducit, quia sine jure proprietatis, societas humana stare nequit. 3° Est in se absurdissimum; quia attentis circumstantiis, in quibus post peccatum inveniuntur homines, est omnino impossibilis et stulta communio bonorum, ut supra dictum fuit.

Idem dicendum de *Radicalismo*, qui proclamat aequalitatem omnium civium in auctoritate et jurisdictione. Societas enim absque capite esse non potest, et statim ac in effectum vellet reduci hoc systema, horrenda anarchia succederet et societas evanesceret.

Ridiculus insuper et omnino impossibilis (praesentibus circumstantiis) est *Fourierismus*, seu *Systema Phalansterianum*, quod dividit regionum incolas in varias sodalitates ac quasi cohortes; unicuique adsignat communes domos ad domicilium, ad victum, ad artes liberales et vulgares, ad opera, ad lucra sub datis legibus et aliquali superiorum regimine. Nam quomodo locum habere queat in tanta praesertim diversarum gentium multitudine, indole, genio, tenacitate, pertinacia? Infinita essent jurgia, incommoda, horrifica familiarum corruptio, etc.

ARTICULUS II.

DE OBJECTO DOMINII.

Q. Quodnam est objectum dominii?

R. Objectum dominii sunt omnes res externae, et interiores, quae hominis usui subjiciuntur.

Q. Quotuplicis generis sunt res, quae esse possunt in hominis dominio?

R. Sunt quadruplicis generis; nempe corporeae, et incorporeae. *Corporeae* sunt, quae sensibus obnoxiae. — *Incorporeae*, quae percipiuntur tantummodo intellectu, et in jure consistunt, v. gr. Jus haereditatis etc.

Mobiles et immobiles. *Mobiles*, quae solae partem non faciunt, sed loci mutationem de facili recipiunt. — *Immobiles* appellantur res, quae transferri nequeunt.

Q. An vita hominis sit objectum illius dominii?

R. Negative quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit. — Affirmative quoad dominium utile, seu hominis operas; quia quilibet homo est dominus propriae operae; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et in dominium alterius tradere.

Nota. Licet aliquando gravi, ac justa de causa aliquid vel facere, vel omittere, vel permittere, ex quo mors propria sequatur; dummodo ea minime intendatur: praeceptum enim conservandi, vel defendendi vitam est affirmativum, ideoque non obligat semper, et pro semper.

Q. Licetne se interimere ad vitandam mortem duriorem, v. g. Si quis suo inimico hanc faciat optionem, ut nempe eligat, an ipse velit veneno, ac laqueo se interimere, secus gladio illico ab alio transfodiendus, potestne hic venenum sumere?

R. Aliqui id permittunt; quia esset eligere minus malum ex duobus malis necessariis. — Sed negandum est, cum communi; quia esset se directe interimere; quod nunquam licet sine divino instinctu.

Q. Ex quibus titulis induci possit servitus?

R. Ex quatuor sequentibus titulis: 1° Ex pacto, seu renuntiatione propria. 2° Ex jure belli. 3° Ex delicto, seu ex justa condemnatione. 4° Ex nativitate in statu servitutis.

Q. An respublica habeat dominium in subditos?

R. Habet dominium in sibi subjectos quoad eos gubernandos, ac regendos; Deus enim praecipit, ut illi subditi simus. — Quoad vitam ipsorum habet dominium indirectum ratione publici boni, cui providere tenetur; non vero directum, quia est solius Dei.

Q. An homo habeat dominium propriae famae?

R. Affirmative. Ratio est, quia fama est fructus nostrae industriae, meritis nempe nostris productus. — Attamen prudentia exigit, ut homo eam non prodiget sine justa ratione, et aliquando tenetur sub gravi eam sedulo servare ratione scandali, vel damni alterius etc.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO DOMINII.

Q. Quodnam est subjectum dominii?

R. Post Deum, est sola creatura rationalis; quia dominium est gitima facultas disponendi pro libitu de re aliqua, tamquam sua. Diximus post *Deum;* quia solus Deus habet supremum, absolu-

tum, et independens dominium in res creatas. Hoc dominium nulli potest communicari; quia pendet a creatione, et conservatione, quibus Deus abdicare se nequit. — Id tamen non impedit quominus Deus queat dominium particulare communicare creaturis rationabilibus.

Angeli, et daemones dominium habent suarum actionum, non autem proprie rerum corporalium, juxta illud: *Terram autem dedit filiis hominum.*

Q. An infideles, haeretici, et peccatores sint capaces dominii?

R. Affirmative contra Joannem Huss, et Wiclefum, ut patet ex sacra Scriptura, quae uti veros dominos agnoscit tum principes infideles, quales fuerunt Pharao, Cyrus, aliique; tum peccatores, ut Salomon, etc.

Q. An parvuli, et amentes sint capaces dominii?

R. Affirmative. Nam usus rationis necessarius quidem est ad disponendum hic et nunc de bonis, seu ad usum dominii, non vero ad habendam possessionem, seu dominium habituale.

Q. An Ecclesia sit capax legitimi dominii in bona temporalia?

R. Affirmative, est de fide. Concilium enim generale Constantiense damnavit has Wiclefi propositiones sub n. 10: *Contra sacram Scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones;* sub n. 32: *Ditare Clerum est contra regulam Christi.* Et Concilium Tridentinum dixit *anathema* contra usurpatores bonorum Ecclesiae.

§ 1. *De dominio Clericorum.*

Q. An Clerici habeant dominium in bona temporalia?

Nota. Triplicis sunt generis bona Clericorum; nempe *Patrimonialia*, quae Clericis obveniunt ex titulo laicis quoque communi, v. g. haereditate, donatione, officio docendi profana, etc. — *Quasi-patrimonialia*, quae Clericis obveniunt non tamquam fructus Beneficiorum, sed ut stipendia quaedam pro functionibus ecclesiasticis. — Mere *Ecclesiastica*, et sunt ea, quae Clericis obveniunt ex puro titulo Beneficii. Hisce addi possunt etiam bona Parsimonialia, quae Clericus seponit parce vivendo ex Beneficii fructibus, et quae honeste vivendo consumere posset.

R. Si sermo sit de bonis patrimonialibus, certum est Clericos esse absolutos illorum dominos; quia Clericus est per se dominii vere capax, nec ulla lege prohibetur quominus de praedictis bonis libere disponat.

Si vero sit de bonis quasi-patrimonialibus, quaestio est inter Theologos, an perfectum habeant dominium in ista bona. — Sed nos cum Benedicto XIV, et permultis Theologis sententiam affirmantem tenemus. Ratio est, quia bona haec non sunt fructus Beneficii, neque pretium muneris sacri, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur Clericus, aut etiam quaedam largitio a fidelibus ad Clerici sustentationem erogata. Ita etiam S. Lig. n. 491.

Si sermo sit de bonis mere ecclesiasticis, distinguendum: vel agitur de bonis honestae sustentationi necessariis, vel de bonis parsimonialibus, vel de bonis superfluis. — Circa prima et secunda bona, certum est Clericos habere verum dominium perfectum. Quoad prima, ratio est, quia ecclesiae ministrans de ecclesiae bonis honeste vivere potest; siquidem ad hunc praesertim finem beneficia instituta sunt. Quoad secunda, ratio est, quia Clericus jus strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit parcius vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera ejusdem potestate manet, quippe jus illud omnino absolutum est. S. Lig. n. 491, Lessius, et alii communiter.— Circa bona superflua nullum habet dominium; quia in usus pios, vel in pauperes erogare beneficiarios teneri sub mortali omnes concedunt.

Nota 1ª. Inter bona quasi-patrimonialia adnumerantur distributiones quotidianae, quae dantur Canonicis; quia istae non dantur immediate ob titulum Beneficii (quamvis ex titulo Beneficii proveniant); sed ob servitium uti merum personae stipendium. Idem dicendum de reditibus stolae, ut ajunt, v. gr. pro funeralibus, etc.

2ª. Superfluum censetur, quod honestae sustentationi superest. Porro honesta Clerici sustentatio ea est, quae Clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Idcirco non excludit honestas recreationes, moderatas donationes, et alias hujusmodi expensas; haec vero non possunt regula generali determinari, sed prudenti timoratae conscientiae judicio. Ita Billuart ar. 5.

3ª. Peccatum expendendi superflua in usus profanos, ut pertingat ad mortale, majorem requirit materiam, quam in furto: divus Thomas requirit *multum excessum* (2, 2, q. 185, a. 7), nempe juxta veriorum sententiam partem vigesimam superfluorum; sic v. g. Si Clericus ex viginti millibus superfluis mille expendat in usus profanos, graviter peccat. Ita S. Lig. n. 491, 4, et alii communiter.

Q. An beneficiatus teneatur etiam ex justitia ad superflua pau-

peribus distribuenda, ita ut negligens non tantum peccet pro gravitate materiae, sed insuper teneatur ad restitutionem?

R. Duplex est sententia: prima probabilior affirmat cum Antoine, Layman, et aliis dicens, illa esse bona pauperum; ac proinde Clerici sunt dispensatores tantum, non domini. — Secunda valde communior inter recentiores negat cum D. Antonino, et aliis, quam et nos amplectimur, dicente D. Thoma: *Si Clericus abutatur fructibus suae praebendae, non tenetur ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam* (Quodl. 6, q. 7, a. 12); Conc. Trident. insuper dicit, eos *facere fructus suos:* igitur si *suos*, ex justitia non debent aliis praebere, sed tantum ex praecepto Ecclesiae dandi superflua pauperibus.

Q. An omnia superflua sint irroganda absolute pauperibus?

R. Exclusa gravi necessitate, potest Clericus bona superflua impendere pro arbitrio in quoscumque usus pios, puta ad Dei cultum augendum, etc. — Si vero pauperes gravi necessitate laborarent tam spirituali, quam temporali, nequiret beneficiarius superflua in alios usus impendere; quia urget praeceptum naturale, vi cujus qui habet statui superflua, ea tenetur sub gravi pauperibus elargiri.

Q. An Clerici possint servare superfluum in futurum?

R. Affirmative; quia per se nulla est obligatio subito irrogandi superflua, imo laudabiliter servari possunt ad fundationem piam, modo absit periculum, ne postea ad usum profanum convertantur. S. Thom. 2, 2, q. 185, a. 7; S. Lig. n. 491.

Q. An Clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus Beneficii se sustentare possit?

R. Affirmative cum S. Ligorio n. 391, S. Thom. 2, 2, q. 185, a. 7. Ratio est, quia non ratione paupertatis, sed laboris Clericus ad sustentationem jus habet. Ideo potest patrimonio parcere, dum fructibus Beneficii utitur ad sustentationem suae dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis Apost. (1 Cor. c. 9): *Quis militat suis stipendiis unquam?... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

Q. An etiam pensionarii superfluum in pauperes erogare debeant?

R. Negative; quia Summus Pontifex justa de causa pensiones de fructibus Beneficii extrahendo jam eosdem fructus ad usus pios applicat; unde fructus isti obligationem alterius applicationis secum non ferunt. Ita S. Lig. 491, Lugo, et alii.

Q. An pensio, quae in Gallia, et in Belgio Sacerdotibus a gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat?

R. Affirmative; quia pensio praedicta videtur statuta in compensationem bonorum ecclesiasticorum ex concordato an. 1801 pro Gallia, et ex decisione Sac. Poenitent. 19 januarii 1819 pro Belgio. Ergo pensio illa eamdem habet naturam, ac bona, quibus substituitur.

Haec resolutio vero applicari debet solis salariis fixis, et non debet extendi ad oblationes fidelium, ex ipsius Sac. Poenit. decisione 19 jan. 1819.

Q. An computandae sunt inter bona ecclesiastica pensiones, quae tribuuntur a gubernio italico Parochis, Canonicis, et aliis Ecclesiasticis?

R. Negative; quia non conferuntur a gubernio vi concordati inter Papam et gubernium; ideo non recognoscuntur ab Ecclesia illae pensiones tanquam bona ecclesiastica, sed solum tanquam auxilia, et quaedam compensationes ob sacrilegam expoliationem bonorum ecclesiasticorum. Imo Parochi juxta decisionem Sac. Poenitentiariae die 10 decemb. 1860 illa subsidia a gubernio petere nequeunt, quae idem gubernium iis Parochis promittit, qui numerum animarum quinquies centum majorem habent, et redditum octingentis francis minorem.

Q. An Parochi, et caeteri Ecclesiastici, quibus decimarum abolitione per gubernium italicum facta damnum illatum est, compensationes ab ipso gubernio propositas accipere possint?

R. Sacra Poenitentiaria die 10 decemb. 1860 respondit: *Posse juxta oraculum SS. Domini, titulo merae compensationis pro damno sibi a gubernio illato ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a gubernio assignatas, facta tamen prius sive ab Ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis Parochis, seu Ecclesiasticis in particulari protestatione per hujusmodi perceptionem nullo modo recognosci, aut adprobari decimarum abolitionem a gubernio factam, et caute monitis earumdem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a gubernio latae ab onere easdem solvendi liberatos.*

Nota. Non sunt computandae inter bona ecclesiastica pensiones, quae tribuuntur a gubernio Religiosis e monasterio ejectis; sunt enim auxilia, vel compensatio quaedam bonis patrimonialibus omnino aequiparanda.

§ 2. *De dominio filiorum-familias, et de patria potestate.*

Filii-familias proprie dicuntur illi, qui ex legitimo matrimonio, cujuscumque sint sexus, adhuc paternae potestati subjacent.

Q. Quot, et quaenam sunt bona filiorum-familias?

R. Quadruplicis generis sunt; nempe *castrensia*, quae in militia, vel occasione militiae, vel in obsequio principis, vel in custodia alicujus arcis acquiruntur.

Quasi-castrensia, quae acquiruntur vel ex Beneficio ecclesiastico, vel ex officio publico, v. gr. judicis etc., vel ex professione scientiae, et artis liberalis.

Adventitia, et sunt ea, quae neque a patre, neque intuitu patris adveniunt filio, sed aliunde, v. gr. successione in bona materna, amicorum donatione, etc.

Profectitia, et sunt ea, quae filius acquirit, vel ex bonis patris, vel intuitu patris.

Q. De quibus rebus seu bonis filii-familias nondum emancipati dominium habere possint?

R. Bonorum castrensium, et quasi-castrensium habent plenum, ac perfectum dominium. — Adventitiorum habent quidem dominium directum; sed pater habet eorum usumfructum, et administrationem.

Nota. Excipitur a jure: 1° Si pater huic usufructui renuntiaverit. 2° Si haec data sint filio ea conditione, ne ususfructus patri concedatur. 3° Si filio non sit relictus, nisi ususfructus; quia super usumfructum non potest statui alius ususfructus.

Profectitiorum vero filii-familias nec directum, nec utile habent dominium, sed penes patrem remanet; quia ita est dispositio juris.

Q. An filii familias possint sibi in conscientia vindicare aliquod lucrum, seu stipendium exigere a patre, ideo quia in ejus negotio laborant, ipsumque adjuvant?

R. Distinguendum: si in negotio patris impendant laborem ordinarium citra conventionem nihil sibi retinere possunt filii-familias; quia lucra eo in casu non sibi, sed patri acquirunt. — Si vero in negotiis impendant laborem extraordinarium, et prae caeteris fratribus, vel sororibus adlaborent patrimonium paternum augendo etc., tunc ea extraordinaria sibi acquirunt, juxta illud axioma legis: *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* Excipe, si remittere debuerint ob patris necessitatem.

Q. An filius-familias habeat dominium plenum in bona mobilia ipsi data a parentibus, aut cognatis?

R. Distinguendum: si haec bona non sint illico usu consumptibilia, uti vestes. libri etc., utile tantum habebit in iis dominium, quia haec communiter putatur intentio parentum. — Si vero ea bona primo usu consummentur, ut pecunia etc., tunc si data absque ulla conditione de iis pro nutu potest disponere; si cum conditione, non habet dominium, sed debet impendere juxta conditionem.

Q. An filius censeatur renuntiare usufructui, ad quem jus habet, si, eo vidente, et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?

R. Negative generatim loquendo. Silentium enim non potest aequivalere renuntiationi, quia metus reverentialis obstat.

Q. Utrum bona a filiis-familias in domo paterna proprio labore comparata, profectitia sint, an adventitia?

R. Distinguendum: Si filius ex solis operibus artificialibus lucrum reportaverit, illud erit adventitium, ac proinde recuperare potest post patris obitum, deductis tamen alimentis a patre susceptis. — Si filius lucratus fuerit aliquid ex bonis patris, ejusque nomine negotiante, tunc illud erit profectitium.

Nota 1ª. Si bona adventitia filii sint consumptibilia, pater de ipsis potest disponere, sed cum onere restitutionis prouti generatim in casu dominii sic divisi fieri solet. Ita Gury, licet alii Theologi contrarium sentiant, dicentes inter patrem et filium non adesse strictam obligationem justitiae commutativae.

2ª. In dubio, an lucrum venerit ex bonis patris, vel alterius, ut profectitium habendum est, quando filius bona paterna administraverit.

Q. Quid est patria potestas?

R. Est *quoddam quasi imperium a lege parentibus datum tam relate ad custodiam, et educationem filiorum, quam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium.*

Nota. Duo sunt effectus patriae potestatis, nempe a jure naturae, et a jure civili. Jure naturae parentes habent jus, et officium simul educandi, instituendi, et corrigendi filios etc. Jure civili parentes habent jus quoad filiorum bona, ut ipsi ea administrent etc.

Q. Quot modis patria potestas dissolvitur?

R. Pro ea parte, qua patria potestas innititur jure naturali nunquam dissolvitur. — Pro ea parte, qua innititur jure civili, dissolvitur: 1° Si filius compleverit annum 21. 2° Si pater abutatur ipsa

patria potestate, accedente tribunalis declaratione. 3° Emancipatione, ad quam deveniri non potest ante annum 18 completum filii. 4° Sententia judicis criminalis damnans patrem ad mortem, vel ad triremes perpetuo.

Q. Quid est mancipatio?

R. Est *actus legitimus, quo pater liberos a sua potestate dimittit, ut sui juris efficiantur.*

Nota. Minor ipso jure emancipatus evadit, si matrimonium contrahat.

§ 3. *De dominio uxorum.*

Q. Quotuplicis generis sunt bona uxorum?

R. Triplicis generis, nempe *Dotalia*, quae uxor tradidit marito ad sustentanda onera matrimonii. — *Paraphernalia*, quae uxori obveniunt extra dotem sive donatione, sive haereditate, etc. — *Communia*, et sunt ea, quae tempore matrimonii communi labore et industria sunt acquisita.

Q. Quorum bonorum uxores possint habere dominium?

R. 1° Uxor habet dominium perfectum bonorum paraphernalium jure communi. 2° Uxor habet dominium directum dotis; maritus vero administrationem et usumfructum. 3° Bonorum communium uxor habet proprietatem pro dimidia parte; sed administratio et ususfructus sunt penes maritum.

Q. An uxor ex bonis communibus, vel ex fructibus suae dotis eleemosynas facere possit?

R. Affirmative, etiamsi alioquin habeat bona propria, modo id fiat juxta conditionem et consuetudinem aliarum mulierum ejusdem conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. Maritus autem rationabiliter uxorem privare nequit jure ei legitima consuetudine concesso. Ita communiter cum Lugo, S. Lig., n. 340.

Q. An teneatur ad restitutionem maritus, qui notabilem partem bonorum communium prodige, vel male impendit?

R. Controvertitur inter Theologos: prima sententia probabilis affirmat, quia etiam uxor habet dominium dimidiae partis illorum bonorum. Ita Antoine, etc. — Secunda sententia etiam probabilis negat generatim, dummodo maritus non excedat limites juris sibi a lege concessi; quia maritus non tenetur reddere rationem stricte

suae administrationis. Unde peccat contra pietatem erga uxorem et filios, non contra justitiam. Hanc secundam nos amplectimur.

Q. An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis communibus, aut de fructibus dotis ad sublevandam necessitatem parentum, vel filiorum, qui ex primo matrimonio suscepti fuerint?

R. Negative, si paraphernalia non habeat, nec vir necessaria dare velit; quia jure naturae tenetur uxor praedictos consanguineos alere, et maritus in id consentire debet. Ita S. Lig., n. 542, cum aliis.

Q. An uxor bona hoc modo accepta restituere teneatur, cum venerit in mariti haereditatem, vel cum dotem suam recuperaverit?

R. Negative, si bona haec sint parvi momenti; quia tunc habentur ut eleemosynae communes. Ita omnes. — Affirmative, si bona subtracta sint magni momenti. Ita S. Lig., Gury etc., licet plures alii negent. — Per ly *magni momenti* intellige, quod subtractio illorum bonorum notabilissimum detrimentum attulit administrationi domesticae. Secus non tenetur restituere; quia onera omnia, quae stante matrimonio uni conjugum obveniunt, alteri communia censentur.

Nota. Si maritus in detrimentum familiae bona dilapidet, vel prodigat, potest uxor ea abscondere et in bonum familiae reservare.

§ 4. *De dominio auctorum.*

Q. An violet jus alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?

R. Affirmative, quia jure naturali aperte repugnat; cum opus, quamdiu in lucem emissum non fuerit, sub dominio auctoris prorsus remanet. Usurpator igitur ad restitutionem et damnorum compensationem tenetur. Ita Carriere et alii.

Q. Quid dicendum de eo, qui typis ederet lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris?

R. Probabilius non violat jus alienum; quia sicut res in communitate tradita fit communis, ita et doctrina (seu lectiones) verbis publice enuntiata.

Q. An typis mandari possit in regno vicino liber recenter vulgatus sine licentia auctoris?

R. Videtur affirmandum probabilius. Idem dicendum de inventoribus variarum artium.

ARTICULUS IV.

DE ACQUISITIONE DOMINII.

Q. Quot sunt modi acquirendi dominium rerum?

R. Potest acquiri: 1° Occupatione. 2° Inventione. 3° Praescriptione. 4° Accessione. 5° Contractibus.

§ 1. *De occupatione.*

Q. Quid est occupatio?

R. Est *apprehensio rei corporalis in nullius dominio existentis, animo eam sibi comparandi.*

Q. Quot sunt species occupationis?

R. Tres, nempe inventio, venatio et piscatio.

Q. Cujus sunt animalia venatione et piscatione capta?

R. Vel haec animalia sunt mansueta, vel mansuefacta, vel fera. Si mansueta, illa semper sunt domini sui, etsi ab ejus conspectu se subtraxerint; quia animalia domestica nunquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habere existimentur. Quoad illa igitur occupationi locus nunquam dari potest.

Si mansuefacta, quoadusque ea retinent consuetudinem ad dominum revertendi, semper sunt domini, perinde ac animalia mansueta; ejusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. — Si vero illam consuetudinem amiserunt, erunt primi occupantis, non secus ac animalia fera; quia in eo casu cum iis aequiparantur.

Nota. « *Ogni proprietario di sciami di api ha diritto di inseguirli* « *sul fondo altrui, ma deve risarcire il danno cagionato. Se durante* « *due giorni abbia cessato d'inseguirli, può il possessore del fondo* « *prenderli e ritenerli.* » Ita Codex civilis.

« *I colombi, conigli e pesci, che passano ad altra colombaia, coni*- « *gliera o peschiera, si acquistano dal proprietario di queste, quando* « *non vi siano attirati con arte o frode.* » Ita Codex.

Si animalia sint fera, apud omnes definitum est eadem esse primi occupantis, etiam contra voluntatem principis venationem prohibentis.

Q. Cujus sit fera ab uno laesa et ab alio capta?

R. Ex Justiniano (Inst. De rer. division.) ea est capientis. — At in dubio praeda dividenda est pro ratione dubii.

Q. Ad quem pertineat fera laqueo, item piscis retibus inhaerens?

R. Si inhaereat inextricabiliter, est ponentis laqueum et rete, quia est occupata per instrumentum; si extricabiliter, est primi occupantis propter contrariam rationem.

Q. Si fera quam insequor cadat in laqueum tuum, cujus erit?

R. Cum Tournely (Tract. de just., pag. 2, c. 1 de domin.) : si aliter occupaturus eram, quod ex inflictu vulnere debet judicari, erit mea; si vero occupaturus non eram, erit tua. In dubio juxta nonnullos debet dividi; juxta alios erit primi occupantis.

Q. An licitum sit occidere columbas, gallinas alienas etc., agro tuo nocentes?

R. Non licet, si non inferant grave damnum, vel facile abigi possint.

Q. An lapilli, gemmae, corallum etc., quae in litore maris inveniuntur, sint primi occupantis?

R. Affirmative. Ita Justinianus.

Q. Ad quem pertineant spolia, quae in fluminibus inveniuntur?

R. Ex jure naturali, de iis sicut de rebus nuper amissis est judicandum.

Q. Ad quem pertineant lapidicinae, fodinae plumbi, ferri, quae sunt in fundo alicujus?

R. Pertinent ad dominum fundi ex jure naturali. Idem dic de venis metallicis auri et argenti; sed attendendae locorum leges.

§ 2. *De inventione.*

Q. Quid est inventio?

R. Est *quaedam occupatio rei a domino suo separatae ita, ut sit nullius.*

Q. Quid est thesaurus?

R. Est *vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.*

Q. Cujus sit thesaurus inventus?

R. 1° In fundo proprio inventus, totus est inventoris.

2° Inventus in fundo alieno casu fortuito, media pars fit inventoris, et altera domini fundi.

3° Inventus in fundo alieno, absque consensu domini, totus adjudicatur domino fundi; sed non tenetur dare ante sententiam judicis.

4° Inventus de industria in fundo alieno cum consensu domini, totus adjudicatur inventori, nisi intervenerit dolus, etc.

5° Inventus in fundo communitatis, ecclesiae, etc., in thesaurum jus habet simul cum inventore ipsa communitas, ecclesia, etc. Ita Scavini.

Q. An, qui sciens in agro alieno latere thesaurum emit agrum illum communi pretio, acquiret dominium illius thesauri?

R. Si ante emptionem scivit, sed nondum fodit, acquirit dominium totius thesauri; quia thesaurus ille, cum lateat, non auget valorem fundi. Ita S. Thom. 2, 2, qu. 66, ar. 5, Lugo, Billuart et alii.

Q. Quid si thesaurum inventum et apprehensum in fundo alieno, iterum in eo recondas et fundum illum emas?

R. Id licitum esse jure naturae. — Attento autem jure positivo medietas thesauri pertinet ad dominum fundi, etiam ante sententiam judicis.

Nota. Per dominum fundi intelligitur, qui habet dominium directum fundi ipsius, non vero qui habet utile tantum.

Q. Cujus sunt bona derelicta et vacantia?

Nota. Bona derelicta sunt ea, quae dominus ipse rejicit animo a se abdicandi eorum dominium. — Bona vacantia sunt ea, quae quis reliquit ab intestatu moriens, quin habeat haeredes intra decimum consanguinitatis gradum.

R. 1° Bona derelicta ex lege civili si mobilia, sunt primi occupantis; si immobilia, cedunt fisco. — De jure naturali vero primi occupantis fiunt, quia nullum amplius dominum habent; cedunt ergo primo occupanti.

R. 2° Bona vacantia indiscriminatim pertinent ad fiscum. — De jure naturali dicendum sicut dictum fuit de bonis derelictis.

Q. Quid dicendum de rebus amissis et ab alio inventis?

R. Si dominus inveniri possit, res ei restituenda; quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum. — Si adhibita diligentia sufficienti ejus dominus non comparet, tres sunt sententiae. Prima docet, rem illam pauperibus esse erogandam, aut in pios usus consumendam. — Secunda sententia docet cum Soto, Navarro etc., illam posse sibi vindicare. — Tertia, quam nos amplectimur cum Gury, Scavini etc., distinguit: vel est possibile, seu adest spes dominum invenire, vel non. Si prius, tunc ei conservanda est, aut ejus pretium; et si neutrum servari potest, debet

distribui pauperibus; quia dum talis spes durat, dominus habet dominium rei; ideoque illa distribuenda est juxta ejus praesumptam voluntatem. Si secundum, potest inventor sibi retinere, cum sit nullius: et si casu postea dominus compareat, nihil ei debetur, cum amiserit omne jus; quia res pro derelicta haberi jure potest, ac proinde a primo occupante fuit legitime acquisita. Ita S. Lig.

Nota. Si, dum erat spes inveniendi dominum, res pauperibus distributa fuerit, et postea dominus compareat, pauperes non tenentur restituere; cum enim nec res, nec ejus pretium posset conservari, res applicata fuit juxta praesumptam voluntatem domini, et haec voluntas praesumpta in illo momento aequivalebat verae voluntati domini. Si vero applicata fuerit in pios usus, vel sibi, debet dominus aliquo modo reintegrari, nisi praecesserit tempus praescriptionis, idest ante biennium, vel triennium juxta civiles codices; quia tunc dominus nondum amisit dominium, et cum illa applicatione non censetur res omnino dispersa et irreperibilis, sicut censetur quando est pauperibus distributa; unde non potuit esse voluntas praesumpta domini, vel si fuerit, censetur ad tempus et revocabilis. Si autem praecesserit tempus praescriptionis, nihil restitui debet.

Q. An opifex, qui in domo aliqua laborando invenit in quodam angulo parietis, vel in arca veteri summam pecuniae, illius partem retinere sibi possit?

R. Distinguendum: si adsint vestigia ex quibus judicetur, pecuniam hanc esse cujuspiam personae, vel familiae, tota huic reddi debet; quia pecunia haec reputanda est ut bonum nuper amissum. — Secus, dimidiam partem sibi retinere potest; quia tunc rationem thesauri habere videtur. Ita Gury.

Q. Bona naufragorum suntne habenda ut derelicta?

R. Negative, haec enim propria dominorum permanent; quia palam est, ea non ejici animo, quod quis ea faciat sua.

§ 3. *De accessione.*

Q. Quid est accessio?

R. Est *modus acquirendi dominium in rem aliquam, ex eo quod res illa ad nostram accedat, et cum ipsa uniatur.*

Q. Quot modis dominium transfertur per accessionem?

R. Per novem modos, nempe per alluvionem, per specificationem, per adjunctionem, per commixtionem et confusionem; per inaedifi-

cationem, per implantationem et sationem, per alveum, per insulam, per nativitatem.

Nota. Circa indicatos modos transferendi dominium unaquaeque natio habet regulas et legem particularem ex jure particulari nationis desumptam. Hic nos notamus quid Jure romano sit dispositum.

1° *Per alluvionem.* Id quod vi aquarum *insensibiliter* uni fundo detrahitur et alteri adjicitur, fit domini fundi, cui fit adjectio. — Si non *insensibiliter*, sed statim subita aquarum tempestate pars notabilis tui praedii adjiciatur meo, ea tibi remanet; verum jus alluvionis non obtinet in lacus et stagna.

2° *Per specificationem*, cum res aliena ad aliquam speciem artificii insumpta est. Si materia ad priorem statum possit reduci, tunc species pertinebit ad dominum materiae, v. gr. Si ex auro meo poculum feceris, meum est poculum; teneor tamen solvere artificium. Si ad priorem statum non poterit redire, ad eum spectabit species, qui speciēm formavit; v. gr. Si ex alienis lanis vestem conficias, vestis est tua, sed teneris solvere pretium lanae et damna si quae sint, et ad hoc datur actio alteri.

3° *Per adjunctionem*, cum quid, ornatus causa, adjicitur rei alterius, ut si quis alienam domum pinxerit, accessio ejus est qui erat dominus rei, nec tenetur ad impensas, nisi tale ornamentum postulaverit; quia *accessorium sequitur naturam principalis*, sive magnitudine, sive pretio. — Si tamen ornamentum longe superaret pretio rem cui adjectum est, ornamentum haberetur pro principale, et pertineret ad eum a quo prodiisset: ait enim Justinianus (Inst., lib. 2, tom. 1, n. 34): *Ridiculum est picturam Apellis in accessionem vilissimae tabulae cedere.* Sed tenetur priori domino tabulae de damno.

4° *Per commixtionem et confusionem* duarum rerum principalium ad diversos dominos pertinentium. Si res commixtae separari possint, debent separari; si non possint separari, v. gr. mel et vinum simul confusa, tunc quod resultat, fit utrique commune pro rata materiae. — Quod si forte materia unius praestantior sit, dominus praestantioris materiae totam rem commixtam vel confusam repetere potest, facta alteri debita compensatione.

5° *Per inaedificationem.* Aedificium in nostro fundo constructum ab alio nostrum est, secundum hanc regulam: *Aedificium semper solo cedit.* Si tamen quis aedificavit bona fide, ei solvendae sunt materia et impensae; secus. si mala fide. Lib. 38, ff. de rei vindicatione.

6° *Per implantationem et sationem.* Arbores et plantae in aliquo fundo a quolibet collocatae cedunt domino fundi, *si modo radices egerint; antequam enim radices egerint, ejus permanent cujus fuerant.* Ita Justinianus (ibid., n. 33). *Qua ratione autem plantae solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quae sata sunt, solo cedere intelliguntur.*

7° *Per alveum.* Si fluvius, alveo priori derelicto, alium sibi quaerat, vetus alveus vicinis praediis cedit.

8° *Per insulam.* Insula, quae in mari nota est, fit occupantis.

9° *Per nativitatem*, seu quando ex animali nostro aliud nascitur, etsi conceptum de masculo ad alium pertinente; qui enim habet matrem, jus habet ad omnes ejus partus; hinc axioma: *Partus sequitur ventrem.*

§ 4. *De praescriptione.*

Q. Quid est praescriptio?

R. Est *acquisitio dominii vel juris per possessionem bonae fidei continuatam tempore per legem definito.*

Praescriptio duplex est, nempe acquisitiva, et liberativa. Acquisitiva potius est *usucapio*, et est acquisitio juris. Liberativa est proprie praescriptio, quae est liberatio ab aliqua obligatione. — *Usucapio* dicitur, quia res capitur usu ; *praescriptio* sic dicitur , quasi exceptio, quae opponitur domino rei.

Praescriptio introducta fuit jure gentium , et civili ob bonum commune et publicum, ne videlicet dominia rerum maneant incerta, ne lites multiplicentur, ne titulorum fictores aliena bona invadant; ut negligentia, vel desidia hominum, res et jura sua prosequi negligentium, aut acuatur, aut puniatur ; quare fundamentum habet in jure naturali. Ita D. Thom. *Quodlib.* 12, a. 25, Canonistae, et Theologi omnes.

Regula generalis est, ut omnes praescribere possint, qui capaces sunt acquirendi dominium. — At nemo contra se ipsum praescribit, v. gr. Si Beneficiatus jam a multo tempore ex errore quatuor celebraverit in hebdomada Missas, cum tamen ex Beneficii fundatione non obligetur nisi ad duas, non ideo tenebitur in posterum ad quatuor.

Fundamentum praescriptionis est *possessio*, juxta illud juris: *Sine possessione praescriptio non procedit.*

Praescriptio ratione temporis triplex est : alia nempe est *brevis*

temporis, quae complectitur spatium sex mensium ad decennium; haec vocatur ordinaria, sive particularis. — Alia *longi temporis*, quae complectitur spatium annorum triginta; et vocatur generalis. — Alia *temporis longissimi*, quae complectitur spatium annorum quadraginta, sexaginta, vel centum; haec vocatur generalissima. Addi potest immemorabilis, et est temporis spatium, cujus initii non exstat memoria, etiam apud seniores.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad legitimam praescriptionem?

R. Quinque requiruntur, nempe res apta, ut praescribatur; possessio vera; titulus; bona fides; tempus a lege definitum.

Notandum I. *Quoad res inaeptas ad praescriptionem.*

Q. Quaenam sunt res, quae non sunt capaces praescriptionis?

R. Sunt: 1° Ea, quae non veniunt in civile commercium, ut res sacrae, coemeteria, jura spiritualia, quae possideri nequeunt a laicis. — Item neque ea, quae sunt juris naturalis et divini: sic subditus nequit praescribere immunitatem ab obedientia; nec contra visitationem extinctive, bene vero translative, ita nimirum ut alteri, quam Episcopo, v. gr. Praelato Regulari debeatur obedientia, et competat visitatio. — Insuper nunquam praescribi possunt majoratus, fidei commissa, primogeniturae, termini provinciarum, dioecesium, et parochiarum, bene vero limites praediorum privata auctoritate, aut conventione statuta spatio 40 annorum. — Neque praescribi possunt res merae facultatis, seu gratuitae voluntatis, et ideo licet quis per centum annos continuos ivisset ad certum quoddam molendinum, vi praescriptionis non posset obligari ad continuandum. — Pariter contra bonum adventitium filii-familias, dotalitium uxoris alienatum a patre, vel marito non curret praescriptio, nisi tempore inchoando post mortem patris, vel mariti, cum antecedenter a jure agere impediantur. — Contra pupillum sine licentia tutoris alienantem rem aliquam non currit praescriptio etiam respectu ignorantis quod pupillus nequeat rem alienare, bene vero respectu ignorantis ipsum esse pupillum, quia est ignorantia facti.

2° Res deputatae publicis usibus, ut via, platea, pontes etc.

3° Res furtivae, vel vi ablatae quoad possessorem malae fidei; quod certum est pro foro interno,

4° Servitutes praediales, aut non apparentes, aut non continuae, si excipiatur servitus transitus necessarii.

5° Actio ad reclamandum statum proprium relate ad filium.

II. *Quoad bonam fidem.*

Q. Quid sit bona fides in hoc casu?

R. Est *judicium prudens et fundatum*, *quo quis prudenter existimat rem, quam possidet, esse suam, etsi forte non sua sit, vel se esse liberum ab aliqua servitute, quae vi praescriptionis extinguitur.*

Nota 1ª. Est regula 2ª juris in 6 : *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Et Patres Conc. Lateran. dixerunt : *Definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis.*

2ª. Non requiritur bona fides ad extinguendas praescriptione servitutes praediorum rusticorum, ad quam praescriptionem non requiritur ullus actus praescribentis, sed tantum non usus illius, cui jus servitutis competit. Requiritur vero in servitutibus urbanis, contra quas cum non praescribatur sine aliquo actu positivo praescribentis, requiritur ut hic ponatur cum bona fide, qua quis se liberum a servitute putet.

Q. An praescribat haeres, qui dubitat de bona fide antecessorum?

R. Affirmative ; quia mala fides per se, et ordinarie praesumi non debet, cum nemo malus praesumatur, nisi probetur. Ita communiter.

Q. An mala fides antecessoris semper impediat successorem a praescriptione?

R. Affirmative, si haeres succedat ex titulo universali, saltem pro praescriptionibus ordinariis, seu 10 vel 20 annorum ; quia fictione juris haeres censetur esse unica persona moralis cum antecessore. — Negative, si succedat titulo particulari, v. gr. donatione, legato, vel contractu, etc. ; quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione, vel alio contractu.

Q. An mala fides antecessoris noceat successori universali, etiam quoad praescriptionem 30 annorum, idest si haeres bona fide haereditatem adiit, dein per 30 possidet?

R. Gousset cum aliis docet non nocere ; quia tunc omnes actiones praescribuntur. Verum sententia probabilior, et tenenda docet no-

cere; quia haeres censetur esse unica persona moralis cum antecessore, ideo sicut succedit in onera, ita et in vitia defuncti, cujus personam sustinet. Hinc si res ab antecessore fuerit furto, vel usura ablata, ejus successor universalis nequit in conscientia rem illam praescribere, licet sit in bona fide (cum invincibiliter ignoret malam fidem antecessoris), ideoque statim ac id advertit, rem illam domino suo reddere debet, etsi a pluribus annis ipse bona fide eam retinuerit.

Q. An mala fides antecessoris noceat haeredi mediato?

R. Controvertitur: Gury post alios plures Theologos respondet *negative probabilius*; quia hic non censetur facere unicam personam cum antecessore. Lugo (de Just. disp. 7, n. 61), Layman, Frassinetti, et alii docent, neque mediatum successorem universalem praescribere ejusmodi rem posse; haeres enim universalis tenetur ad omnia debita defuncti saltem juxta haereditatis vires, consequens est, ut etiam haeres universalis mediatus ad haec defuncti debita teneatur, non obstante ejus bona fide: non enim restituit, quia a se consumpta sunt; sed quia defunctus antecedenter se obligavit ad omnia damna subsequentia impedienda, et resarcienda. Haec secunda sententia est conformior principiis; ideo hanc tenemus.

Ita Gousset: « *Pietro è possessore di buona fede d'una cosa, che non gli appartiene: egli la possiede come sua tutto il tempo richiesto per prescrivere. Paolo, suo figlio e suo erede presuntivo, conoscendo perfettamente che questa cosa non appartiene a Pietro, non l'ha avvertito, per tema d'interrompere una prescrizione, onde sperava d'avvantaggiarsi un giorno. Pietro muore, e Paolo nella sua qualità di erede universale raccoglie con la successione il fondo, che il padre aveva prescritto. Può egli Paolo conservarlo senza ingiustizia?*

« *Può conservarlo; perchè Paolo ha peccato contro la carità, non avvertendo nè suo padre, nè la persona contro la quale correva la prescrizione; ma non ha peccato contro la giustizia. E il padre divenuto padrone e proprietario del fondo che ha prescritto, ha potuto trasmetterlo a suo figlio. Non si obbietti la mala fede del figlio; essa non ha potuto viziare il possesso del padre, il quale era di buona fede; essa non ha per conseguenza potuto impedire la prescrizione.* » Alii hoc negant: sed sententia affirmativa alteri praeferenda est, quia conformior est principiis praescriptionis, et successionis cum titulo universali.

« *Un minore può egli prescrivere con un possesso di buona fede?*

« *Lo può, perchè la prescrizione decorre a merito di tutti coloro, che « in buona fede posseggono civilmente con un titolo traslativo di pro« prietà reale, o presunto. — Ma divenuto maggiore potrà egli con« servare i beni, che ha prescritto di buona fede, nel caso che il tutore « fosse stato di mala fede? Crediamo che egli possa conservarli, poichè « ha in suo favore il titolo di una prescrizione legittima : la mala fede « del tutore non può nuocere ai diritti che il minore ha dalla legge. Se, « durante la sua amministrazione. il tutore ha danneggiato un terzo, « egli solo debbe starne pagatore.* » Cui et nos subscribimus.

Q. Si quis putat rem esse suam ex ignorantia culpabili poteritne iste praescribere?

R. Vel ignorantia haec est graviter culpabilis, vel leviter. Si primum, non potest praescribere; quia nemo ex propria culpa debet commodum reportare. — Si secundum, videtur nobis probabilius cum Alasia praescribere posse: nam Conc. Later. IV non damnatur nisi sola fides cum peccato mortali. Adde: si ignorantia leviter mala impediret praescriptionem, res esset innumeris scrupulis obnoxia; nam posset quilibet illius suspicione agitari quotidie. S. Lig. Op. mor. l. 3, n. 511. Hanc et nos amplectimur sententiam.

Nota. Si quis dubitet an res sua sit, nec ne, si hoc dubium oriatur initio possessionis, tollitur bona fides; quia, eo stante, esse non poterat in possessore illa animi affectio, qua putaret rem esse suam. — Si vero illud oriatur in decursu, tunc tenetur diligentiam adhibere ad veritatem inveniendam. Quod si adhibita diligentia dubium perseveret, ex communi, et probabiliori sententia potest rem illam sibi retinere; quia in dubio *melior est conditio possidentis.* Ita Billuart, Croix, Lessius, Lugo, et alii celebriores Theologi.

Q. Quae ignorantia officiat praescriptioni?

R. Ignorantia juris clari, invincibilis, et inculpata, impedit praescriptionem, juxta illud juris: *Juris ignorantia negatur in usucapione prodesse; facti vero ignorantiam prodesse constat.*

Diximus *juris clari*, quia jus vere dubium sufficit ad praescriptionem. Ita Lessius.

III. *Quoad titulum.*

Q. Quinam titulus requiritur, et sufficit ad praescribendum?

R. Sufficit coloratus, vel existimatus, cum tunc satis salvetur bona fides.

Nota 1ª. Non requiritur titulus verus, quia hic non indiget praescriptione.

2ª. Pro praescriptione 30 annorum nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia, modo adsit bona fides. In hoc casu habetur titulus praesumptus.

3ª. Titulus vitiosus allegari non potest, juxta axioma: *Melius est non habere titulum, quam titulum vitiosum.*

IV. *Quoad tempus requisitum.*

Q. Quod tempus requiritur ad praescribendum?

R. Ad praescriptionem generalem quoad actiones omnes tam reales, quam personales requiritur spatium triginta annorum.

Quoad praescriptiones particulares pro bonis *immobilibus* privatorum cum titulo requiruntur inter praesentes decem anni, et viginti inter absentes; sine titulo, triginta annis. Quod si partim absentes, partim praesentes sint, duo anni absentiae reputantur pro uno praesentiae.

Ad praescribendum quoad bona *immobilia* contra Ecclesiam Romanam, et Summum Pontificem requiruntur centum anni; contra alias Ecclesias, vel pias causas requiruntur quadraginta anni; contra monasteria privilegiata, ut Benedictinorum, requiruntur sexaginta anni.

Quoad bona *mobilia* etiamsi sint Ecclesiae, dummodo non sint res pretiosae, cum titulo requiruntur tres anni inter praesentes, et quatuor inter absentes; sine titulo requiruntur triginta anni, quae praescriptio dicitur longissimi temporis respectu rerum mobilium. Quare si Petrus, v. gr. per novem annos possederit domum bona fide titulo universali, et perceperit fructus, et nunc ad certam cognitionem venit domum esse Pauli, tenetur restituere domum et fructus si exstent, aut id, in quo ex illis factus est ditior, fructus inquam a triennio infra tenetur restituere, minime vero a triennio supra; quia fructus sex annorum jam sunt praescripti, cum pro eis sit elapsum tempus triennii.

Nota. Minores, Ecclesiae, loca pia, majores in praescriptione decem, vel viginti annorum habent quatuor annos postquam sciverint completam praescriptionem ad petendum beneficium restitutionis in integrum.

Ad praescribendum respectu debitorum sive rerum mobilium, sive immobilium contra creditores requiruntur triginta anni. Ita Goritia.

Q. Quinam censentur praesentes?

R. Juxta jus commune sunt, qui in eadem provincia, et sub eodem regimine commorantur.

Nota. Per bona immobilia veniunt etiam beneficia, census, reditus, jus patronatus, ususfructus, et servitutes; at servitutes non apparentes, vel discontinuae, praescriptioni non subjiciuntur.

Tempus praescriptionis computatur in dies, non in horas.— Anni primi bonae fidei numerandi sunt cum annis posterioris possessionis bonae fidei.

Q. Utrum praescriptio dominium transferat in foro etiam conscientiae, ita ut completa praescriptione, non teneatur qui praescripsit restituere, etiamsi cognoscat rem fuisse alienam?

R. Affirmative; quia dominium illius rei legitima auctoritate fuit translatum propter bonum commune, ne scilicet dominia essent incerta etc. — Imo si quis transacto tempore legitimae praescriptionis veniens in cognitionem, quod res illa sit alterius, ex ignorantia juris alteri restituisset, posset illam denuo repetere et vindicare a quocumque.

Q. Quandonam infirmatur praescriptio?

R. Infirmatur renuntiatione expressa vel tacita, suspensione, interruptione, et prohibitione.

Q. Quandonam praescriptio dicatur interrupta?

R. Quando ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. — Fieri potest dupliciter: 1° *Naturaliter*, si amittat possessionem per tempus anno integro majus, aut superveniat mala fides. — 2° *Civiliter*, si lis moveatur juridice circa possessionem.

Q. Quandonam dicitur praescriptio suspensa?

R. Quando impedimentum ei objicitur, ne procedat ulterius, v. g.: 1° Tempore pestis, belli, etc.; qui tunc judicia exerceri nequeunt. 2° Contra Ecclesiam dum caret Superiore. 3° Contra pupillos toto tempore, quo pupilli remanent. 4° Contra quemlibet, qui jus suum prosequi nequit.

Non currit igitur praescriptio, sed dormire dicitur toto tempore, quo quis vel non potest, vel non permittitur agere. — Differentia inter dormitionem et interruptionem est, quod per dormitionem tempus praeteritum computatur, secus per interruptionem.

—

V. *Quoad possessionem.*

Q. Quid, et quotuplex est possessio?

R. 1° Definiri potest: *Detentio rei, vel fruitio juris per se, aut per alium, qui nostro nomine rem illam detinet, vel illud exercet.*

R. 2° Duplex est; alia est possessio facti, alia juris. — Possessio facti definitur: *Apprehensio rei, corporis, animi et juris adminiculo.*

Dicitur: 1° *Adminiculo corporis*, quia ut res aliqua incipiat possideri, debet corporaliter apprehendi vel in se, v. gr. manibus etc.; vel in aliquo instrumento in quo censeatur contineri, v. gr. clavium traditione. 2° *Animi*, quia debet apprehendi animo possidendi: unde depositarius non dicitur possidere depositum. 3° *Juris*, quia necesse est, ut jus non impediat talem apprehensionem, sicut impedit, ne laicus apprehendat rem sacram.

Possessio juris definitur: *Jus insistendi rei tamquam suae, non prohibitae possideri.* Hoc jus oritur ex possessione facti.

Q. Quomodo dividitur possessio juris?

R. Dividitur in civilem, in naturalem, et in mixtam. — *Civilis* est ea, qua res corpore et animo apprehensa, solo animo retinetur, v. gr. Sic possidet res suas, qui ab eis abest. — *Naturalis* est ea, qua res corpore et animo occupatur, v. gr. Possidet naturaliter qui rem de facto occupat per se, vel per alium cum animo eam retinendi. — *Mixta* est quando quis corporis et animi adminiculo rem ita naturaliter possidet, ut nullus alius ejusdem rei possessionem civiliter retineat. Haec est perfectissima possessio.

Q. Quot conditiones debet habere possessio?

R. Quatuor, nempe: 1° Debet esse dominativa, seu res debet haberi animo proprietarii, non vero depositarii. 2° Tranquilla, ita ut nulla litis contestatio de re intercesserit. 3° Certa, hoc est non aequivoca. 4° Continua, seu non interrupta, donec tempus requisitum compleatur.

Conditio, *ut sit publica*, valebit pro fure, qui ideo occultet, ut a possessione tranquilla non perturbetur, donec praescriptionis tempus implere possit. Quare valet tantum quoad forum externum, non vero quoad internum, in quo requiritur bona fides.

Nota 1ª. Aliquando possessio naturalis separatur a civili, v. gr. quando fur occupat rem meam; tunc ille naturaliter possidet, ego civiliter.

Nota 2ª. Possessio hos habet effectus: 1° Parit praescriptionem, et dominium possidendi acquirit. 2° In dubio melior est conditio possidentis. 3° Possessor non tenetur probare rem esse suam. 4° Turbatus in possessione, in ea est restituendus priusquam de possessionis justitia agatur.

Q. Quomodo acquiritur possessio?

R. Tribus modis, nempe apprehensione vera; apprehensione ficta, v. gr. si tradantur claves domus; et apprehensione legali, idest quando res acquiritur sola legis dispositione sine corporis, et animi adminiculo.

Nota. Datur etiam possessio civilissima, quando nempe ex dispositione legum dominium, et possessio citra actum apprehendendi verum, vel fictum transfertur, ut v. gr. collatio beneficii ecclesiastici. — Ad praescribendum sufficit possessio civilissima; vel requiritur naturalis simul et civilis, quatenus et cum dominii opinione, et cum voluntate uti suam possidere intendat.

TRACTATUS DUODECIMUS

DE CONTRACTIBUS

CAPUT I.

De contractibus in genere.

ARTICULUS I.

DE NATURA, ET DIVISIONE CONTRACTUS.

Q. Quid sit contractus?

R. Est *pactum ultro citroque, vel alterutro tantum, obligationem pariens.*

Q. Quomodo dividitur contractus?

R. Dividitur praecipue: 1° In nominatum, et in innominatum. Nominatus est *ille, qui proprium, et speciale nomen habet*, v. gr. venditio. — Innominatus est *ille, qui caret nomine speciali;* et fit quatuor modis, nempe *do ut des; do ut facias; facio ut des; facio ut facias.*

2° In nudum et vestitum. Nudus est *ille, qui caret omni firmamento, quo actionem civilem parere possit.* — Vestitus est *ille, qui tali firmamento innititur.*

Nota. Firmamenta juris sunt scriptura, stipulatio, testes, juramentum etc.

3° In purum, et non purum. Purus est *ille, cui nullum adjicitur accidens. ideo absolute fit.* — Non purus est *ille, cui additur aliquod accidens*, puta conditio; et quintuplex est, nempe *ad diem; ad modum; ad causam: ad demonstrationem; ad conditionem.*

4° In formalem, seu explicitum; et in virtualem, seu implicitum.

Formalis est *ille, qui habet adnexum expressum consensum contrahentium.* — Virtualis est *ille, qui tacitum consensum habet adnexum.*

5° In bilateralem, et unilateralem. Bilateralis est *ille, qui ultro citroque obligationem parit.* — Unilateralis, *qui alterutro tantum obligationem parit.*

Nota. Bilateralis vocatur etiam onerosus. Unilateralis vocatur gratiosus.

6° In realem, et consensualem. Realis est *ille, qui in sua specie non perficitur, nisi per traditionem rei, de qua convenitur;* ut est pignus, commodatum, depositum, etc. — Consensualis est *ille, qui solo contrahentium consensu rite exhibito completur;* ut est locatio.

7° In contractum bonae fidei, et stricti juris. Primus est *ille, in quo judex ex aequo, et bono multa moderari potest, quae licet a contrahentibus expressa non fuerint, censentur tamen, secundum bonam fidem, contractui inesse.* — Secundus est *ille, in quo judex ad verba contrahentium adstringitur.*

Q. Quaenam essentialiter requiruntur ad rite contrahendum?

R. Quatuor essentialiter requiruntur, nempe: 1° Contrahendi capacitas. 2° Validus contrahentium consensus. 3° Materia apta. 4° Causa ad se obligandum apta.

MONITUM. Nos circa contractus dicimus tantum quid de jure canonico, et de jure communi fuerit statutum. Remittimus itaque Confessario consulere peritos, vel leges civiles propriae regionis praesertim circa aliquos contractus, quorum valor a juris civilis dispositionibus pro tempore vigentibus maximopere pendet.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO CONTRACTUS.

Q. Quinam contrahere possint?

R. Omnes, et soli, qui liberam suorum bonorum habent administrationem, nisi a jure impediantur.

Nota. Infans est ille, qui primum septennium nondum complevit. — Pupillus, qui nondum pervenit ad pubertatem, et cui assignatur tutor. — Puberes dicuntur pueri, qui ad aetatem 14, et puellae 12 annorum pervenerunt. — Minores sunt filii usque ad aetatem 25; filiae 21 annorum.

Q. Quinam sunt inhabiles ad contrahendum?

R. In multis, aut saltem ad firmiter contrahendum sunt inhabi-

les minores, uxores, mortui civiliter, interdicti, et prodigi, prout dicturi sumus.

Nota 1ª. Minor, et pupillus pubertati proximi non possunt sine auctoritate tutoris, aut curatoris contrahere in suum incommodum; possunt tamen in suum commodum (Inst. de auct. tut., init.).

Nota 2ª. Pupilli, et minores, etiam de consensu tutoris, non possunt valide alienare bona immobilia, nec mobilia, quae servando servari possunt, ut aurum, gemmae etc., nisi accedat judicis auctoritas (lib. 22, cod. de adm. tut. et curat.).

Q. In quo discrepant interdicti, et prodigi a minoribus ratione inhabilitatis?

R. Interdicti dicuntur, qui judicis sententia declarantur incapaces exercendi actus civiles, seipsosque regendi ob statum imbecillitatis, dementiae, aut furoris. — Prodigi sunt illi, qui bona sua large inutiliter, et male profundunt. Quare cessat interdictio cessante causa, cujus tamen cessatio declarari debet a judice, ut interdictus possit iterum civiliter agere; minor vero major aetate factus, natura liber est. — Insuper interdictis restituitur, ut interdictis; quia ipsorum conventiones ipso jure penitus irritantur, licet non interveniat laesio; et minori non ut minori, sed ut laeso.

Q. In quibus casibus uxor potest contrahere, aut disponere de dote, ejusque fructibus, ac de bonis familiae?

R. In his, nempe si maritus sit absens, amens vel fatuus, interdictus, vel si expresse, aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitus.

Q. De quibus uxor potest pro libitu contrahere etiam invito marito?

R. De bonis paraphernalibus.

Q. Quid dicendum de civiliter mortuis?

R. Civiliter mortui dicuntur illi, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, ad deportationem damnati fuerint. Hi amittunt omnia bona, quae transeunt ad haeredes; nullum est eorum testamentum; non possunt recipere donationes, successiones inter vivos, sed tantum ea quae sunt necessaria ad sustentationem; sunt incapaces donandi bona, quae acquisiverint sive inter vivos, sive testamento, sed post mortem naturalem ad gubernium transeunt.

Nota 1ª. Hi vero inhabiles sunt tantum ad ea quae lege determinantur: unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii non sunt incapaces; sic non prohibentur accipere donationes manuales, etc.

2°. Tutores, vel curatores durante tutela, et cautela contrahentes cum pupillis, et minorennibus, nullus et irritus est contractus et quidem non solum civiliter, sed et naturaliter. — Executores testamentorum nequeunt de rebus defuncti contractus inire absque judicis, aliorumque omnium executorum voluntate. — Advocati nequeunt emere clientum bona, de quibus lites agunt.

3°. Accipientes aliquid a pupillo, vel minorenne sine auctoritate tutoris vel curatoris, aut decreto judicis, possunt illud tuta conscientia sibi retinere, quia si non probabilius, certe non minus probabile est, quod naturaliter obligentur pupilli, et minorennes.

4°. Restituere aliquem in integrum idem est, ac reducere eum in illum statum, in quo erat ante laesionem, quod a solo judice praestari potest, et solet omnibus aetate minoribus pro casu, quo ex contractu, vel quasi contractu, notabiliter, prudenti judicio laesi essent, nec aliud medium suppeteret contractum revocandi, etsi hujusmodi contractus initus esset de consensu tutoris, aut curatoris, vel etiam judicis decreto. Excipe si, pubertate jam adepta, ipsum juramento sponte facto confirmaverit.

ARTICULUS III.

DE MATERIA CONTRACTUS.

Q. Quid intelligitur per ly *materia* contractus?

R. Intelliguntur res, et facta, seu ea omnia, quae sub hominis dominio cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habent.

Q. Quibus conditionibus debet gaudere res, ut in contractum deducatur?

R. Sex, nempe, ut sit possibilis, honesta, determinata, pretio aestimabilis, in civili commercio posita, et propria tradentis.

Dicitur: 1° *In civili commercio*, secus non esset alienationi apta. 2° *Determinata* saltem in specie, secus contractus esset incertus, ac illusorius, v. gr. «*Se vi promettessi un animale,*» nullus est contractus. Attamen non officit quod ignoretur quantitas, modo ex adjunctis determinari possit, v. gr.: « *Se mi obligassi a darvi del grano in genere, l'obligazione è nulla, la qualità essendo troppo incerta, e potendo liberarmi con qualche esigua quantità di grano. Ma se vi prometto del grano per il nutrimento d'un anno, l'obligazione è valida,*

« *potendo essa farsi determinata.* » 3° *Propria tradentis*, secus nequeunt a nobis in obligationem deduci.

Q. An res futurae constituant objectum contractus?

R. Affirmative; quia spes rerum futurarum apud omnes habetur pretio aestimabilis. Excipitur successio haereditaria personae viventis, circa quam omnis stipulatio, seu pactum, habetur nullius roboris, ne locum praebeat captandae mortis alienae.

Q. An possis pretium accipere pro actione tua ex justitia alicui jam debita, si eadem actio alteri prodesse possit, illaeso jure prioris, cui debetur?

R. Affirmative; quia non laedis jus prioris cum quo contraxeras, et posteriori te utilem praestas.

Q. An pretium accipi possit pro re debita non quidem ex justitia, sed ex alia virtute, v. g. Si accipias pecuniam ad jejunandum tempore Quadragesimae?

R. Affirmative saltem probabilius; quia illud ex mera liberalitate datur, et donum mere gratuitum censetur.

Q. An valeat contractus, si materia sit tantum ex parte possibilis?

R. Affirmative, si res sit divisibilis in se, et divisibiliter de ea contractum sit: secus, si sit indivisibilis.

Q. An res mere spiritualis possit esse objectum contractus?

R. Distinguendum: affirmative si sit contractus gratuitus, quia nihil obstat: sic ex obligatione fidelitatis promittere poteris orationes, Missas, etc. — Pariter affirmative si sit contractus onerosus, modo res spiritualis sit ex utraque parte; quia tunc nulla simonia in permutatione adesse potest. Intellige, nisi accedat Ecclesiae prohibitio. — Negative vero, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex altera; quia esset simonia.

Q. An materia contractus onerosi esse possit res temporalis spirituali adnexa?

R. Affirmative, si adnexa sit antecedenter, seclusa Ecclesiae prohibitione in casibus particularibus, modo tamen pretium propter spirituale adnexum non augeatur. — Si vero adnexa sit concomitanter, distinguendum: negative, si adnexa sit intrinsece et necessario, quia tunc res temporalis nullum habet valorem independenter a re sacra, ut est labor Sacerdotis absolvendo etc. Affirmative, si adnexa sit extrinsece.

Q. An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?

R. Distinguendum: ante positionem operis turpis affirmative; quia dominium rei hujus non fuit valide translatum. Ita omnes.— Post operis positionem, duplex est sententia. Prima communior, quam tenemus, docet, pretium posse accipi, et retineri, imo, et dari ex justitia debere; quia intervenit duplex contractus: unus absolutus, nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; alter conditionatus de tradendo pretio, si opus turpe positum fuerit, et hic, impleta conditione, fit validus. Alia sententia probabilis negat cum Roncaglia, Frassinetti, etc.; sed non attendenda propter invalidas rationes, quibus innititur.

Q. Si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, an illa denegato consensu, rem retinere possit?

R. Affirmative; quia nullum intercessit pactum de peccato patrando, et ideo donatio omnino liberalis habenda est.

ARTICULUS IV.

DE CONSENSU CONTRAHENTIUM, ET CAUSA IN CONTRACTIBUS.

Q. Quasnam conditiones habere debet consensus ad valorem contractus?

R. Quatuor, nempe debet esse internus et verus, liber ac plene deliberatus, exterius manifestatus, mutuus.

Debet esse *internus et verus*, idest ut contrahens veram habeat voluntatem explicitam, vel implicitam sese obligandi. Hinc in jure: *Stipulatio quae verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.*

Mutuus, quia contractus est conventio duorum, vel plurium: hinc si sit onerosus, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio. Si gratuitus sit, requiritur cessio ex una parte, et acceptatio ex altera.

Nota. In contractibus onerosis regulariter loquendo debet esse explicitus, quia nemo censeri debet in se gravem obligationem assumere, nisi certo constet de ejus voluntate, ex regula juris: *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.* In materia favorabili taciturnitas, regulariter loquendo, reputatur pro consensu, juxta regulam 43 juris, in 6°: *Qui tacet, consentire videtur.*

Q. An valeat contractus initus sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi?

R. Ad 1um. Si magis efficax et absoluta sit voluntas promittendi et contrahendi, quam voluntas te non obligandi, orietur obligatio et valet contractus; quia qui vult principale, vult etiam quidquid ei

necessario adnexum est. Si vero voluntas te non obligandi praevaleat voluntati contrahendi, non valet, quia conditio apposita est contraria substantiae contractus. Ita S. Lig. n. 710. Quare Confessarius ut judicet, tantum interroget poenitentem an habuisset veram ac resolutam voluntatem contrahendi; et si respondeat affirmative, valet contractus.

R. Ad 2um. Valet contractus; quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. Ita S. Lig., et alii communiter.

Nota. Non est necesse, ut consensus utriusque partis simul eliciatur. Quia consensus unius semel datus, nec revocatus, moraliter perseverat ita ut accedente alterius consensu, statim perficiatur contractus.

Unde qui ficte in contractum consentit, tenetur in foro conscientiae partem deceptam indemnem facere, et si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, consensum internum praebere, et contractui stare. Ita S. Lig. Hom. Ap. tract. 10, n. 93.

Quod si contractus ficte initus executioni fuerit mandatus, nullum dominium reipsa translatum est; ideo deceptus habendus est tanquam possessor bonae fidei, deceptor autem tanquam possessor malae fidei.

Si mecum contrahas per procuratorem contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu nondum acceptaveris; quia acceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

Q. Quaenam adversantur consensui in contractibus?

R. Adversantur error, dolus, ac metus.

§ 1. *De errore ac dolo, quoad contractum.*

Q. Quid est error?

R. Est aestimatio unius pro alio; *errare enim*, ex Augustino, *est aliud pro alio putare.*

Q. Quid est dolus, et quotuplex est?

R. 1° Dolus est *omnis calliditas ad circumveniendum et decipiendum alterum exhibita.*

R. 2° Dolus, sic etiam error duplex est, nempe circa substantiam rei de qua contrahitur; vel circa qualitatem accidentalem ipsius rei.

Dolus, vel error circa qualitatem accidentalem duplex est, nempe *antecedens;* et est ille, qui ita dat causam contractui, ut sine illo non fuisset initus; *concomitans*, seu incidens in contractum, est ille,

qui non dat causam contractui, sed tantum ad contrahendum libentius impellit.

Conclusio 1ª. Error, vel dolus circa substantiam rei, vel circa qualitatem redundantem in rei substantiam, vel circa naturam contractus, qualiscumque sit, etiam concomitans, contractum jure naturae irritat.

Prob. Absque substantiali consensu, nullus est contractus; atqui ubi est error et dolus circa substantiam rei etc., non est consensus substantialis: ergo etc.

Conclusio 2ª. Error, vel dolus concomitans circa qualitatem rei accidentalem non irritat contractum, nisi contrahens serio dicat se nolle contrahere, nisi stante tali qualitate.

Prob. Adest verus et absolutus consensus circa rem ipsam: ergo validus est contractus. Unde, non potest rescindi ad arbitrium decepti, sed ad aequalitatem reduci debet.

Diximus *nisi contrahens* etc., quia tunc contractus esset conditionatus, et deficiente conditione, non subsisteret.

Conclusio 3ª. Error, vel dolus antecedens circa qualitatem rei dans causam contractui, contractum non invalidat.

Prob. Error, vel dolus dans causam contractui non impedit consensum substantialem; differunt enim haec duo: *Contrahere noluissem, et nolui contrahere;* posterius consensum tollit, non prius, ut patet. Ergo etc.

Q. An hic contractus, cui error dedit causam, possit in irritum revocari pro arbitrio ejus, qui deceptus est?

R. Distinguendum: tripliciter contingere potest error et deceptio: 1° A propria decepti opinione. 2° Ab altera parte contrahente. 3° A tertia persona. Si primum, vel tertium, et contractus sit onerosus, non potest rescindi ad arbitrium decepti; quia pars contrahens non ei fecit injuriam. — Si secundum, nempe ab altera parte contrahente, contractus, etsi validus, potest rescindi pro arbitrio decepti, si sit solubilis; quia decipiens fecit injuriam.

Diximus *si sit solubilis;* quia contractus indissolubilis (ut matrimonium, et professio religiosa) non potest rescindi; unde in his contrahentes consentiunt irrevocabiliter, juxta naturam illorum contractuum.

Diximus *onerosus;* quia circa contractum gratuitum, ut sunt promissio et donatio liberales, nonnulli Theologi affirmant non posse rescindi. Sed nos, juxta communem sententiam, contrarium

tenemus; si mutatio notabilis adveniat, aut error fuerit circa notabilem quantitatem; quia illa pacta pendent ab unius voluntate, qui potest contractui apponere, quam voluerit conditionem, qualis est haec, *ut nolit obligari irrevocabiliter, si notabilis sit error, vel mutatio.*

§ 2. *De metu quoad contractum.*

Q. Quotuplex est metus?

R. Duplex est, levis scilicet et gravis. — Gravis subdividitur in absolute gravem, et respective gravem, ut diximus.

Nota 1ª. Metus oriri potest, vel ab intrinseco, v. gr. infirmitate; vel ab extrinseco naturali, v. gr. metu naufragii; vel ab extrinseco libero juste metum incutiente, v. g. metus mortis incussus a rege; vel ab extrinseco libero injuste metum incutiente, v. g. a latronibus.

Nota 2ª. Metus ab extrinseco, vel incutitur ad extorquendum consensum; vel ob alios fines.

Conclusio 1ª. Metus gravis ortus ab intrinseco, item ab extrinseco naturali, item ab extrinseco libero juste metum incutiente, si non perturbet rationem, ut consensus non sit sufficiens ad peccatum mortale, contractum non irritat.

Prob. Hi contractus, licet sint secundum quid involuntarii, sunt tamen absolute voluntarii. Nec possunt rescindi, quia sola causa rescindendi contractum est injuria; sed in hoc injuria non est. Ergo etc.

Conclusio 2ª. Contractus initus ex metu gravi, injuste ab extrinseco libero ad extorquendum consensum incusso, jure naturae et positivo validus est; sed rescindibilis ad arbitrium vexati, saltem ab altera parte contrahente, quibusdam contractibus exceptis.

Prob. 1° Quod sit validus. Revera in eo est consensus, cum sit simpliciter et absolute voluntarius; et injuria non est causa immediata contractus, sed consensus contrahentis.

Prob. 2° Quod sit rescindibilis. Quia sicut vexans tenetur in conscientia injuste vexatum indemnizare; item damnum passus potest per contractus rescissionem se indemnem reddere, etiam independenter a sententia judicis. Quod si alter renuat, potest occulte sibi compensare. Ita communiter cum D. Lig., lib. 4, n. 716.

Diximus *jure positivo canonico*, in quo dicitur: *Quae metu et vi fiunt, debent in irritum revocari* (cap. 2 De iis, quae vi, vel metu fiunt): ergo non sunt in ipso facto irriti.

Diximus *quibusdam contractibus exceptis;* quia jure positivo sunt

irriti: 1° Matrimonia, probabilius etiam sponsalia; nam connexorum idem debet esse judicium. 2° Dotis promissio, aut solutio. 3° Professio religiosa. 4° Promissio vel traditio rerum Ecclesiae. 5° Jurisdictio metu gravi extorta. 6° Electio Papae. 7° Absolutio a censuris. 8° Renuntiatio ecclesiasticorum Beneficiorum. 9° Omnes alii contractus gratuiti.

Q. An sit irritus contractus, vel privata auctoritate rescindibilis si metus gravis et injustus a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit injuriae particeps?

R. Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat; quia ratione injuriae, etiam a tertio illatae, res priori domino obligata manet, et consequenter cum illo onere ad quoslibet transit. — Secunda, et ipsa probabilis negat; quia cum neutra pars injuriam fecerit, nulla ex natura rei ratio adest, cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero. — Haec secunda videtur rationabilior, ideo tenenda; quia secus innocenter esset punita pars, quae a contractu resilire nollet.

Q. Si metus gravis fuerit quidem injuste incussus, sed non ad consensum extorquendum?

R. Videtur sic distinguendum: 1° Si metus ab altero contrahentium sit incussus, non valet contractus, vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda, quae ex injuria proveniunt. Ita Reuter, n. 127, Lugo, disp. 22, n. 177, et alii. — Secus, si metus proveniat a tertio; quia nullus contrahentium injuriam intulit.

Q. An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?

R. Distinguendum: si subditus operatur ex sola reverentia Superiori debita, subsistit contractus. Si vero haec reverentia induat timorem alicujus gravis damni imminentis ex inobedientia, potest in conscientia irritari. Quod verius etiam dicendum est de precibus importuni, si minas includant, adeo ut videatur intercedere moralis coactio. Ita Scavini.

Resolves 1° Si Titius intulit tibi metum, ut rem aliquam Cajo tradas, non tenet contractus, si Cajus, quo tempore rem a te acceptat, injuriam tibi illatam novit; ipse enim metum incutere censetur per Titium. Si vero novit posterius assimilandus est posses-

sori bonae fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac detegit esse alienam. Ita Billuart, disp. 1, a. 1, et alii.

2° Si quis tibi damnum ex mera malevolentia pariat, atque adeo nihil a te postulat; tu vero sponte pecuniam promittas, ut illaesus evadas, eam tradere non teneris; quia licet metus non fuerit in ordine ad contrahendum, habet tamen pro objecto solam injustae vexationis cessationem; atqui vexator hanc vexationem vendere nequit: ergo quidquid sic acquirit, ut malae fidei possessor accipit, adeoque restituere debet. Ita Billuart et alii.

3° Si viator a latrone oppressus, transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio; quia metus non est ejus causa, sed occasio tantum. — Attamen si summa enormis esset, imminuenda foret.

§ 3. *De causa in contractibus.*

Q. Quid de causa in contractibus dicendum?

R. Non requiritur, ut sit expressa; sed si sit nulla, vel falsa, vel illicita, tunc invalidus est contractus, quia deficit in substantiali.

Nota. Causa est nulla, quando ratio ob quam quis se obligavit non subsistit, v. gr. Si donaveris 100 scutata Titio intuitu illius initi matrimonii, et matrimonium non fuerit initum. — Causa est falsa, si ea non sit nisi apparens. — Causa est illicita, si opponatur vel legi civili, ut est obligatio imposita non nubendi; vel bonis moribus, v. gr. Ut si aliquid tribuas judici ideo, ut male judicet; vel bono publico, v. gr. Ut quis habeatur uti legitimus, cum non sit.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONE CONTRACTUUM.

Q. Quinam est effectus contractus?

R. Est *perfecta obligatio*, *vel utrumque*, *vel unum afficiens contrahentium juxta naturam contractus.*

Obligatio contractus definitur: *Juris vinculum*, *quo ad aliquid adstringimur vel dandum*, *vel faciendum*, *vel omittendum.*

Q. An contractus sine solemnitatibus a jure requisitis factus liget conscientiam?

R. Triplex est sententia. — Prima probabilis affirmat, quia legislator non potest naturalem obligationem tollere. — Secunda probabilis negat, quia homines possunt inter se statuere certas con-

ditiones, sine quibus contractus non valet; ergo a fortiori potest apponere istas conditiones respublica. — Tertia docet praeferendum est possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum. Hanc sententiam in praxi tenemus cum S. Alphonso n. 711, ubi addit: *Hanc sententiam esse in praxi omnino tenendam, ex eo quod, cum possessio jus certum tribuat, nequit possessor expoliari, nisi constet de jure alterius.*

Q. Quorsum obligat contractus rescissioni obnoxius?

R. Dici potest conditionate obligans, scilicet, si nullitas non invocetur; legislator enim ad bonum pacis noluit, ut ejusmodi contractus invalidi censerentur, et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur et obtineretur.

Q. Quibusnam signis distingui possit, utrum lex irritet contractum ipso facto, vel ob defectum solemnitatis, vel post judicis sententiam tantum?

R. In assignandis istis regulis non concordant Theologi, neque jurisperiti. Lex tamen videtur ipso facto irritare in conscientia et ante judicis sententiam:

1° Quando irritatio fundatur in lege determinativa proprietatis; quia ad principem vi supremae potestatis pertinet dominium rerum determinare. Hinc ipso facto irritae sunt dispositiones, quibus reservatio haeredum necessariorum laeditur.

2° Quando irritatio spectat actum bono publico nocivum; quia nisi princeps haberet potestatem ipso facto in conscientia irritandi actus civiles bono communi noxios, deordinationem in societate nequiret efficaciter impedire. Hinc ipso facto irritae sunt ex utraque parte conventiones ob causam turpem.

3° Quando irritatio fundatur in motivo boni publici; quia secus legislator scopum suum sufficienter non obtineret. Sic irritae sunt ipso facto dispositiones immobilium dotalium.

Q. Quam obligationem parit contractus?

R. Omnis contractus validus, etiam nudus, parit obligationem in conscientia, licet in foro externo non det actionem, nisi juramento firmetur; quia jure naturae quisque tenetur servare fidem datam, cum eam fallere intrinsece malum sit.

Diximus *nisi firmetur juramento;* quia contractus nudus per juramentum fit vestitus.

Q. Quotuplex distinguitur obligatio in contractu?

R. Triplex, nempe mere naturalis, mere civilis, et mixta. — *Mere*

naturalis obligat in conscientia, sed nullam dat actionem in foro externo. — *Mere civilis* actionem parit in foro externo ob aliquam facti praesumptionem, quae, cum non subsistat, non obligat conscientiam. — *Mixta*, quae obligat in utroque foro.

Item obligatio conventionalis solet distingui in simplicem et qualificatam. *Simplex* est ea, quae nullam habet adjunctam conditionem, quae proinde statim vim exerit suam. — *Qualificata*, quae aliquam secum affert conditionem.

§ 1. *De interpretatione contractuum.*

Q. Quomodo interpretandus est contractus?

R. Regula generalis est, ut praestetur non solum quod in contractu expressum est; sed etiam omnia quae aequitas, consuetudo patens, ac certa lex cuique conventioni adscribunt.

Q. Quid si aliquod hujusmodi sit obscurum?

R. Istae quatuor assignantur regulae, nempe: 1° Attendenda est potius communis contrahentium voluntas, quam literalis verborum sensus; et clausula ambigua exponenda in eo sensu, qui effectum producit, et verba ambigua in sensu contractui magis consono. 2° Contractui semper inesse censentur clausulae, quae ex usu exprimi debent; et unae per alias explicantur. 3° Verba etsi generalia non complectuntur nisi res, de quibus partes constat voluisse contrahere. 4° Specialis casus in contractu indicatus ad clarius explicandam obligationem, non excludit alios, ad quos obligatio extendi potest.

§ 2. *De obligationis extinctione.*

Q. Quomodo contracta obligatio solvitur?

R. 1° *Solutione* ipsius debiti, uti patet.

2° *Novatione;* evenit quando nova constituitur obligatio, veteri extincta: esset v. gr. si quod tu mihi debes ex empto, paciscamur, ut illud ex tunc mutuum habeas.

3° *Remissione libere facta a creditore:* etiam tacita sufficit; attamen ea non praesumitur ex pignoris tantummodo restitutione. — Item *legali compensatione*, v. gr. 100 tibi debeo pro vino, et pro 100 pannum tibi vendo. — Item *confusione*, nempe debiti et crediti in eandem personam reunione: esset v. gr. si creditor fiat haeres sui debitoris.

4° *Rei debitae interitu*, si nempe agatur de re certa et determinata,

quae absque culpa debitoris interierit, ut est, v. gr. Talis equus. Intellige, nisi ipse se obligaverit etiam ad casus fortuitos. — Aliud dicendum est, si agatur de debito rei incertae et indeterminatae; nam genus non perit; v. gr. Si promiserim equum in genere.

5° *Conditione actum resolvente*, quae cum verificetur, rem in pristinum statum ita remittit, ac si nulla esset inita conventio. — Item valet *de praescriptione.*

6° *Actione nullitatis*, *vel rescissionis.* Nulla declaratur obligatio, si defecerit in substantialibus, ut si intervenerit dolus, vis, error in re substantiali. — Rescinditur autem, si intervenerit laesio gravis.

Nota. Actio *nullitatis*, atque *rescissionis* per quinque annos durat, nisi aliter cautum sit: quod tempus quoad vim incipit a die ejus cessationis; quoad errorem, vel dolum a die qua illorum cognitio habita fuit; quoad interdictos et inhabilitatos a die qua interdictio vel inhabilitas cessavit; quoad minores a die qua majorem aetatem adepti sunt; quoad uxores a die solutionis matrimonii.

Actio *nullitatis* generatim admittitur: 1° Si minor non emancipatus actum perfecit sine concursu illius, qui ipsum legitime repraesentat. 2° Si minor emancipatus ex se actum perfecit sine sui curatoris concursu. 3° Si non fuerint observatae solemnitates, quas lex speciatim praescribit pro aliquibus actibus. — Nemo autem jus habet, ut sibi restituatur quod tribuit minori, interdicto aut inhabilitato, aut uxori, si conventio nulla declarata fuerit, nisi probari possit solutum in dictorum commodum cessisse.

Q. An cessio bonorum a solutione integra liberat?

R. Negative sive cessio sit voluntaria, sive judiciaria. Non primum, quia creditores non sunt facti omnino indemnes, et proinde remanet adhuc inaequalitas reparanda. Ita S. Lig. n. 669, Gousset n. 772, et alii. — Non secundum, quia cessio judiciaria importat tantum quod debitor amplius judicialiter urgeri non possit; proinde si nova bona acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus debet. Ita S. Lig. ibid. Excipe, si ex rerum adjunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

Q. An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?

R. Non potest retinere res magni valoris; secus peccat contra justitiam, quia damnum creditoribus infert. — Si vero in magna versetur indigentia potest quaedam bona servare, quibus sustentetur cum familia. Post factum autem inquietandi non sunt illi, qui res vere sibi necessarias modici valoris sibi retinuerint. Ita Vogler n. 542, Gousset, et alii.

CAPUT II.

De contractuum modificationibus.

Q Quid, et quot sunt contractuum modificationes?

R. 1° Sunt *quaedam clausulae praeter contractuum naturam, et essentiam adjectae, ita ut eorumdem obligationem contractuum vel firment, vel perimant, vel augeant, vel suspendant.*

R. 2° Sunt tres, idest: 1° Juramentum. 2° Modi. 3° Conditiones.

ARTICULUS I.

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO.

Q. In quo differt obligatio juramenti ab obligatione contractus?

R. In hoc, nempe obligatio juramenti inducit obligationem religionis, et afficit, et obstringit immediate jurantis personam; unde ad haeredes non transit: obligatio vero contractus inducit obligationem justitiae, et afficit etiam contrahentis bona, ideoque ad haeredes obligatio integra transit.

Q. An contractus invalidus firmetur juramento?

Nota 1ª. Juramentum firmat contractum, quando contractum invalidum efficit validum; unde inducit obligationem religionis, et justitiae.

Nota 2ª. Juramentum sive firmet contractum, sive non, est validum, si possit servari sine peccato jurantis, vel sine damno alterius; alias est invalidum, nec obligat, quia non est vinculum iniquitatis.

R. 1° Contractus jure naturae irriti, juramento non firmantur; quia juramentum est actus omnino extrinsecus contractui, et proinde ejus vim supplere nullatenus potest, juxta axioma: *Juramentum sequitur naturam actus.* Ita Billuart, et alii. — Item ipso facto irriti de jure positivo juramento non firmantur; cum enim lex irritans innitatur motivo boni communis, atque adeo ordinis publici, juramentum esset contra bonum commune, ac proinde vinculum immorale, quod Deus sancire non potest. Ita communis cum Billuart.

R. 2° Juramentum dolo extortum non firmat contractum, si dolus dederit causam contractui; quia juramentum non confirmat incognita.

R. 3° Juramentum extortum vi, metu gravi injuste incusso ab

eo, cui juratur ad firmandum contractum invalidum, vel rescindibilem non firmat contractum, quia potest rescindi per relaxationem juramenti, quod probabilius est validum, licet D. Antoninus cum nonnullis aliis doceat, esse invalidum.

Nota. Si juraverit dispensationem se non petiturum, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, juramentum est validum, et servandum.

Q. An juramentum firmet contractus lege positiva rescindibiles?

R. Negative probabilius, quando rescindibilitas intuitu boni publici inducitur. — Probabilius autem juramentum valet, si rescindibilitas inducta fuerit in privatam contrahentium utilitatem.

ARTICULUS II.

DE CONTRACTU CONDITIONATO.

Conditio *est qualitas contractui adjecta*, *quae consensum et obligationem suspendit donec impleatur.* Exprimi solet per particulas *nisi*, *si modo*, etc.

Quando adimpleta est conditio, contractus transit in absolutum, quin necesse sit renovare consensum, ut communius et probabilius tenent doctores.

Q. Quotuplex est conditio?

R. Multiplex, nempe alia est *expressa*, alia *tacita*, quia bona fide contrahentes, censentur consentire, quidquid, attenta conventionis natura, postulant aequitas, lex aut consuetudo.

Alia est *de praesenti*, v. gr. Promitto, si meus es cognatus.

Alia *de praeterito*, v. gr. Promitto si inimicum visitasti.

Alia est *de futuro necessario*, v. gr. Vendo tibi, si es moriturus

Alia est *de futuro contingente*, v. gr. Promitto tibi si nupseris

Alia est *impossibilis*, v. gr. Promitto tibi, si coelum digito tetigeris.

Alia est *honesta*, v. gr. Promitto, si Sacro adsis.

Alia est *turpis*, quae vel rem malam continet, vel est boni impeditiva, vel praecedenti obligationi adversativa.

Alia est *contraria substantiae contractus*, v. gr. Ducam te in matrimonium, si vis vitare generationem, vel solvere matrimonium post aliquot tempus.

Alia est *potestativa* vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est.

Q. Quid dicendum de istis conditionibus contractui appositis?

R. 1° Conditio de praesenti, vel praeterito contractum non suspendit; sed si conditio existat, statim valet contractus; si non existat non valet, etiamsi ignoretur (Leg. *Cum ad praesens*, ff. *Ne certum petetur*).

R. 2° Conditio de futuro contingente suspendit contractum usque ad ejus adventum; qui enim promittit aliquid dare sub conditione non necessaria, non intendit illud dare, nisi posita conditione.

R. 3° Conditio impossibilis de praesente, praeterito, vel futuro contractum irritat; quia est signum, non adesse consensum serium, sed potius dissensum.

R. 4° Conditio turpis de futuro contractum irritat tum jure naturae, tum civili; quia alterum directe alliceret ad peccatum; et nemo potest ad peccatum se obligare. Excipiuntur in jure civili communi, donationes inter vivos, et per testamenta, in quibus conditiones turpes pro non adjectis habentur. — Item dicendum de conditione turpi, aut impossibili matrimonio adjecta, modo substantiae contractus contraria non sit. Ita ex Jure canonico.

Diximus *turpis de futuro*, quia turpis de praesente non allicit ad peccatum, sed illud supponit factum; ergo non irritat contractum.

R. 5° Conditio contraria substantiae contractus irritat contractum; quia contractus subsistere nequit absque sua substantia.

R. 6° Conditiones potestativae adimpletae censentur non solum quando revera praestatur quod instar conditionis injunctum fuit; sed etiam: 1° Si impedimentum conditionis impediverit tertius, cujus intererat eam haud impleri, cum contrahens implere ipsam vellet. 2° Si impeditum sit implementum facto tertii, in cujus persona conditio implenda erat.

Conditio *si nupseris* non est turpis, si esset determinata ad aliquam personam, v. gr. si nupseris Paulo; quia justa et honesta ratio tunc adesse potest. — Item valet etiamsi religionem amplectaris; quia cum conditio retrahat a statu perfectiori, censetur inhonesta, et consequenter non apposita.

Legatum factum virgini sub conditione *si non nupserit*, valet etiamsi nubat, quia haec conditio est nociva reipublicae, ideo turpis. — Si legatum factum sit viduae sub eadem conditione, non valet, si vidua ad alias nuptias transeat, quia saepe familiarum interest, ut vidua non nubat.

—

ARTICULUS III.

DE CONTRACTU MODALI.

Modus est *qualitas adjuncta contractui absoluto, et substantialiter completo, addens aliquid in onus, aut favorem contrahentis.* — Obligat statim, nec irritus est, etiamsi modus non servetur; nisi aliter contrahens expresserit. — Contractus semper est validus sive modus sit honestus et possibilis, sive non. Si enim est honestus et possibilis, inducit obligationem adimplendi modum ; secus non.

Q. Quot sunt modi?

R. Quinque praecipui sunt modi contractibus adjungi soliti, nempe: 1° *Ad diem.* 2° *Ad causam.* 3° *Ad demonstrationem.* 4° *Sub poena.* 5° *Sub disjunctione.* Demonstratio est *appositio signi ad ostendendam rem de qua contrahitur, vel personam cum qua contrahitur.*

Q. Quomodo obligent contractus modales?

R. 1° Contractus ad diem certum, statim parit obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem praefixum. Contractus ad diem incertum, suspendit contractum.

R. 2° Contractus ad causam nullus est, si causa finalis non subsistat, quia non adest consensus substantialis. — Est validus, si sola causa impulsiva deficiat, quia ille defectus non tollit consensum circa motivum principale et finale volendi.

R. 3° Si demonstratio falsa est circa substantiam aut personam, contractus est nullus ; si circa qualitatem, seu accidens, subdistinguo : si qualitas accidentalis est deducta in pactum est etiam nullus ; secus validus.

Q. Si demonstratio est falsa circa numerum, vel quantitatem rei, excessus potestne retineri?

R. Si demonstratio est taxativa non potest ; si ostensiva potest.

Nota. Dēmonstratio sumitur taxate cum donatio incipit a numero vel mensura, v. gr. Do 100 nummos in tali arca reconditos. Sumitur demonstrative, cum donatio incipit a re ipsa, quae datur, v. gr. Do pecuniam, quae est in tali arca, et constat ex 100 nummis.

R. 4° Contractus sub poena, debetur ex justitia, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non sit, v. gr. Tibi domum aedificabo cum tali dimensione ; sin autem, tibi solvam mille francos. Poena tamen moderata esse debet ; secus non obligat. — Si vero absque culpa contractus suo caret effectu, non tenetur ante sententiam judicis.

R. 5° Contractus sub disjunctione, vel alternatione, v. gr. Promitto bovem, aut aequum, parit obligationem tradendi unam ex rebus deductis, et nulla res determinata debetur.

Electio rei per se pertinet ad debitorem. Si utraque perierit absque culpa debitoris, penitus cessat obligatio; si vero debitor est in culpa, distinguendum: vel ipsi competit jus electionis, vel creditori. Si primum, tenetur solvere pretium alterutrius ad suum arbitrium, si simul perierint; vel ejus, quae ultima periit, si diverso tempore perierint, quia haec facta fuit unicum objectum obligationis. Si secundum, solutio fit ad arbitrium creditoris.

ARTICULUS IV.

DE QUASI-CONTRACTU, DE DELICTO, ET QUASI-DELICTO.

Q. Quid est quasi-contractus?

R. A jurisperitis definitur: *Factum hominis voluntarium, et licitum, ex quo enascitur aliqua obligatio erga tertium, aut etiam mutua partium inter se obligatio.*

A Theologis definitur: *Assumptio alicujus officii;* sic comprehenduntur munera, quae quis quoque modo suscipit, qualia sunt judicis, tutoris, advocati, parochi etc.

Duae sunt species quasi-contractus, nempe: 1° *Negotiorum gestio,* et evenit quando quis alterius negotium suscipit sive inscio, sive sciente proprietario. *Inscio: « esempio: Paolo è assente dalle sue « possessioni; giunge il tempo della vendemmia. Pietro, uno dei suoi « amici, si trova sopra il luogo, e fa raccogliere le uve: per tal modo « contrae la tacita obbligazione di farle pigiare, e di adoperare nella « fabbricazione del vino la necessaria diligenza, e di riporlo in si- « curo, dopo che sarà fatto.» — Sciente; « esempio: Se io mi trovo sul « luogo, allorquando il mio amico s'ingerì nel raccolto del mio vino, « e gli permetto la gestione.»* Ita Gousset.

Proprietarius debet implere obligationes ab illo contractas, et eum indemnem facere.

2° *Solutio rei sibi indebitae,* idque contingit quando quis aliquid non suum accipit. Huic applicandae sunt regulae quae respiciunt possessorem bonae, vel malae fidei.

Q. Quid delictum, et quasi-delictum?

R. Factum hominis culpabile, ex quo alter damnificatur, si cum

directa damnificandi intentione ponatur, erit *delictum*. Si vero ponatur quidem cum culpa, sed absque directa nocendi intentione, ut si adsit peccaminosa ignorantia, vel inadvertentia, habetur *quasi-delictum*. Damna, quae ex hisce factis eveniunt, resarcienda sunt; qui enim est in culpa, tenetur de damnis.

ARTICULUS V.

DE CULPA IN CONTRACTIBUS.

Q. Quotuplex est culpa in contractibus?

R. Duplex, theologica, et civilis. *Theologica* est ea, quae veram rationem peccati sive mortalis, sive venialis habet.— *Culpa civilis* est omissio alicujus diligentiae per ignorantiam, incuriam, aut inadvertentiam, ex qua alicui damnum creatur, sive omissio sit peccatum, sive non.

Nota. Culpa civilis non obligat in conscientia ante sententiam judicis, nisi sit conjuncta cum gravi culpa theologica.

Q. Quotuplex est culpa civilis?

R. Triplex; culpa lata, levis, et levissima.

Lata est omissio diligentiae, quam communiter homines ejusdem conditionis adhibere solent.

Culpa *levis* est omissio diligentiae, quam prudentiores solent adhibere.

Culpa *levissima* est omissio diligentiae, quam adhibere solent prudentissimi.

Q. Quaenam sunt leges, quae obligant in conscientia ad restitutionem, et quidem ante sententiam judicis?

R. Quoties gravis culpa theologica conjuncta sit cum culpa civili, quatuor istae leges sunt tenendae:

1ª Si contractus cedat in gratiam solius dantis, rei detentor ad restitutionem non tenetur, nisi ex culpa lata, et dolo: ratio enim naturalis postulat, neminem teneri majorem adhibere diligentiam erga rem alienam, quam sine ullo suo commodo recipit, quam erga res proprias.

2ª Si contractus cedat in solius recipientis utilitatem, recipiens tenetur eandem restituere, si perierit ex sua culpa levissima, non autem ex casu fortuito. Ita jura statuunt ad pacem publicam et ut contrahentes diligentiores reddantur in custodia rerum alienarum quas apud se habent: obligant tamen post sententiam judicis. Ve-

rum in foro conscientiae probabilius non tenetur ex culpa levissima; ex vi enim contractus nemo tenetur adhibere majorem diligentiam ad servandas res alienas quam proprias, nisi specialiter conventio interveniat.

3ª Si contractus cedat in utilitatem (ut in locatione) utriusque, locatarius ad restitutionem tenetur ex culpa lata, et levi, non autem ex levissima: ratio enim postulat ut nemo debeat adhibere tantam diligentiam, quantam adhiberet si in sui tantum utilitatem accepisset; hinc famuli tenentur de culpa levi.

4ª Pro obligatione restituendi ex quasi-contractu, sive ex contractu virtuali, haec est regula: Cum quis ex officio suo aliquid facit in utilitatem alterius, non accipiendo mercedem, tenetur tantum de culpa lata et dolo; si recipiat mercedem, tenetur de culpa lata, non vero de leviori, nisi in duobus casibus: 1° Nempe, cum res sit tanti momenti, ut summam cautionem exigat. 2° Cum quis tanquam in sua arte peritissimum sese obtulerit quaerenti.

CAPUT III.

De contractibus gratuitis.

Q. Quot sunt contractus gratuiti?

R. Sunt sex, nempe: promissio, donatio, commodatum et precarium, depositum et sequestrum, mandatum et gestio, mutuum.

ARTICULUS I.

DE PROMISSIONE GRATUITA.

Q. Quid est promissio gratuita?

R. Est *deliberata, et spontanea fidei obligatio facta alteri de re bona, possibili, et a promissario acceptata.*

Conditiones quae requiruntur in promissione sunt: 1° Ut adsit voluntas se obligandi saltem virtualis, et implicita, quam censetur habere quisque serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat. 2° Ut sit externata, et acceptata. 3° Ut consensus promittentis sit plene liber, et spontaneus, ac proinde absit omnis error, et dolus circa substantiam, et causam finalem, omnisque coactio, vel metus injustus.

Promissio si fiat sub quadam verborum formula uno interrogante, altero respondente, v. gr. si unus dicat: dabis mihi librum? et alter respondet: dabo, dicitur *stipulatio*.

Q. Quae, et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatae?

R. Triplex est sententia. Prima docet, promissionem per se solum obligare sub peccato veniali, et ex mera fidelitate; quia promissio obligat tantum ex honestate, nempe vinculo fidelitatis, quae non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. Ita Salmat.

Secunda docet, in re gravi obligare sub gravi ex justitia; quia promissio gratuita non est diversi ordinis ac promissio onerosa, ratione obligationis. Ita Antoine, et alii.

Tertia sententia communior, et probabilior, quam amplectimur cum Billuart, Lugo etc., distinguit dicens, si promissor intendat se solum obligare ex honestate morali fidelitatis, promissio per se solum obligat sub peccato veniali; si vero intendat se obligare stricte et ex justitia, tunc promissio per se obligat sub mortali, quia obligatio promissionis pendet ex intentione promittentis.

Q. Quaenam materia censeatur gravis in promissione?

R. Requiritur quantitas quadruplo major quam in furto mortali. Ita S. Lig.

Q. An promissio facta propter opus illicitum obliget?

R. Ante patratum crimen, v. g. adulterium etc., non obligat, quia jure naturali est invalida. Patrato opere malo, promissor obligatur ad solutionem pretii promissi, quia posita conditione, impletio promissionis non est turpis, cum non alliciat ad peccatum.

Q. An aliquis possit promissionem acceptare per alium?

R. Affirmative, nempe per illum ad id electum, aut per filium, aut familiarem, etc.; quia unam moraliter personam cum eo constituere censetur.

Q. Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi, aut sub levi?

R. Probabilius pro minima parte standum est; quia in dubio non est imponendum onus certum, praesertim in promissione, quae maximam requirit spontaneitatem. Ita S. Lig. n. 720.

Nota. Promissio obligat per accidens sub gravi ex justitia, si proximus patitur grave damnum ex promissione non servata. Scavini, et alii.

Q. An obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius, vel promittens?

R. Ad 1um. Affirmative, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam familiae promissarii, vel ejus haeredum; negative, si facta fuerit in gratiam promissarii, quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus.

R. Ad 2um. Negative, si promissio erat personalis; affirmative, si fuerit realis, quia tunc transit ad haeredes.

Nota. Mortuo promissario ante acceptationem nequeunt ejus haeredes promissionem acceptare; facultas enim acceptandi est personalis. Intellige quando constat, promissionem fieri in gratiam promissarii.

Q. Quomodo cessat obligatio promissionis validae, et acceptatae?

R. Cessat: 1° Remissione promissarii. 2° Desitione causae finalis. 3° Mutatione notabili rei promissae. 4° Si promissarius non stet suis promissis. S. Lig. juxta regulam illam 25 juris in 6: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.*

Nota 1ª. Ante acceptationem expressam, vel tacitam non dicitur promissio, sed simplex pollicitatio, quae obligat quidem ex veracitate, sed non ex justitia.

Nota 2ª. Promissiones dandi aliquid etc. communiter non sunt, nisi mera propositi significatio, enuntiantis voluntatem aliquid faciendi, dandi, etc., sed absque animo se obligandi neque ex fidelitate, neque ex justitia; promittens enim intendit ordinario suum propositum tantum enuntiare.

ARTICULUS II.

DE DONATIONE.

Q. Quid est donatio?

R. Est *rei, aut juris alicujus gratuita concessio.*

Q. Quotuplex est donatio?

R. Dividitur: 1° In *realem*, quae fit traditione rei; et in *verbalem*, quae fit solis verbis. Prima dat *jus in re;* secunda, solum *jus ad rem.*

2° Dividitur in *pure liberalem*, quae nullam supponit obligationem; et in *remuneratoriam*, quae supponit obligationem gratitudinis.

3° In *donationem inter vivos*, qua donator privat se actualiter, et modo irrevocabili re aliqua in favorem donatarii acceptantis; et in *donationem mortis causa*, qua quis sic donat, ut velit rem concedere donatario post mortem suam.

I. *Notandum quoad donationem inter vivos.*

Quando prohibentur donationes alicui, non prohibentur remuneratoriae proportionatae obsequiis alias non debitis.

Q. Quaenam conditiones sint necessariae ad validitatem donationis inter vivos?

R. Sunt sequentes: 1ª Ut donator rei donandae habeat dominium, et administrationem a lege non prohibitam. 2ª Ut donatarius rem donatam recipere possit. 3ª Ut res donata non sit alteri obligata. 4ª Ut donatio fiat cum debitis solemnitatibus a jure requisitis, quae sunt tres, idest *traditio*, *acceptatio*, *et insinuatio.*

Nota. Defectu primae conditionis praecipue sunt invalidae donatio patris in filium nondum emancipatum; donatio omnium bonorum praesentium, et futurorum etc., nisi vero haec ultima donatio sit juramento firmata.

Q. An donatio valeat, si donator moriatur ante acceptationem?

R. Duplex est sententia. Prima affirmat cum Salmaticensibus, quia cum gratia sit donatio, gratia non extinguitur morte donantis. — Secunda quam tenemus probabilius negat, quia voluntas donantis defuncti non conjungitur cum voluntate recipientis, nec ad acceptationem requiritur. Sed si res acceptata fuit in bona fide, juste poterit retineri. Ita S. Lig., et communiter.

Q. An mortuo donatario ante acceptationem, ipsius haeres possit donationem acceptare?

R. Negative probabilius, nisi sit filius; quia tunc praesumitur talem esse mentem donantis. Ita Lessius, et S. Ligorius.

Q. Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?

R. Distinguendum: si donator revocet donationem antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio, jam nuntius nihil amplius potest efficere; omnis enim potestas offerendi, vel tradendi est ipsi adempta. S. Lig. Hom. Ap. n. 130. — Si non innotescat nuntio ante executionem, tunc vel ille se habet solum instar nuntii referentis alterius donationem, aut rem tradentis; vel habet mandatum faciendi donationem. Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur; quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent ejus acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est.

Donatio sicut et promissio facta per literas ad ipsum nominatim

scriptas, vel per nuntium, aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio, aut eo, qui donatorem repraesentat, vel per alias literas ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter constare nequit de mutuo consensu in idem placitum. S. Lig.

Q. An obliget donatio jurata, sed non acceptata?

R. Negative; quia juramentum sequitur naturam actus: atqui donatio ante acceptationem non est firma. Ita S. Ligorius, Salmatic., et communiter contra Layman.

Q. An donatio acceptata possit revocari?

R. Donatio *inter vivos* non potest revocari, nisi ob tres causas:

1ª *Ob ingratitudinem donatarii.* Excipe donationes factas matrimonii causa, et in pios usus, et remuneratoriam.

2ª *Ob prolem postea susceptam.* Ex Jure Romano tantum revocari potest, quantum ad filii legitimam. Sed ait Ligorius cum aliis, ad aedificationem expedire, ut totum restituatur.

3ª *Si sit inofficiosa*, idest privans filios sua legitima.

Hisce potest adjungi alia causa, idest ob conditionem non adimpletam. — Habetur ingratitudo donatarii: 1° Si attentat mortem donantis. 2° Si ei denegat alimenta. 3° Si saevitias, vel alia delicta contra eum committat. — Per conditionem non adimpletam, vel per prolem postea susceptam, vel quando est inofficiosa, ipso jure revocatur: per ingratitudinem vero datur actio donatarii petendi infra annum revocationem donationis.

Q. An conjuges sibi invicem donare possint?

R. Ex Jure Romano generatim invalidae sunt conjugum reciprocae donationes. Excipe: 1° Nisi donatio juramento sit firmata. 2° Si interveniat mors donantis, qui ante donatarium decedat, modo res in vita tradita sit. 3° Si donatio sit remuneratoria, vel fiat causa mortis. 4° Si uxor donet viro, ut aliquam dignitatem consequatur. S. Lig. n. 723.

Donatio in hoc differt a promissione, quod nempe donatio est datio rei, promissio datio fidei: donatio, non vero promissio ex natura sua habet vim transferendi statim dominium de praesenti.

II. *Notandum quoad donationem causa mortis.*

Donatio *mortis causa* est natura sua revocabilis, ideo potest semper a donatore revocari.

Ut de jure communi valet donatio mortis causa: 1° Fieri debet intuitu mortis, secus donatio inter vivos censeretur. 2° Acceptari

debet ante mortem donatoris ab ipso donatario. 3° Si donatarius praemoriatur, ipso facto revocatur, nec ad ejus haeredes transit. Ita S. Ligorius n. 741. — Itidem revocatur donatio mortis causa, si donator periculo supervixerit. Ita Ballerini, etc.

Q. An ille, cui mortis causa donata est res mobilis, possit illam occulte recipere, mortuo donatore?

R. Affirmative, saltem probabilius, modo sit certus de donatione, et ultima voluntate defuncti; habet enim jus in re donata; ergo jure suo utitur. Ita Gury.

Q. An valeat donatio manualis ab ipso facta sub ea conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat?

R. Affirmative. Etenim: 1° Valet ut donatio mortis causa. 2° Valet etiam quatenus donatio *inter vivos*, si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis; quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest. Ita Gury.

Q. An eadem donatio valeat sub conditione ut restituatur, si repetatur?

R. Affirmative: quia valere potest tanquam donatio mortis causa propter traditionem realem, quae non minus roboris habere debet, licet nulla mortis mentio fiat.

Verum non est donatio mortis causa, sed *inter vivos*, dispositio, qua quis nunc, et irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cujus usum, vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem.

Pariter vim donationis mortis causa non habent promissiones, quae solent fieri in vita de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis, etc.; neque vi talis promissionis quispiam poterit, vel quid minimum praetendere; quia promissiones illae non aliud solent denotare quam merum propositum, seu bonum animum donationis alias faciendae. Cavendum igitur, ne famuli, et amici etc. facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur, atque adeo res quasvis, praetextu promissionis vel donationis occulte surripiant.

Q. Quotuplex est donatio mortis causa?

R. Quadruplex, nempe testamentum, codicillus, legatum, et fideicommissum.

III. *Notandum quoad donationes quae possunt, vel debent venire in* collationem.

Quandoque accidit, quod aliquis fiat haeres illius, a quo aliquid antea accepit, et defunctus nihil expresse statuit, quo aequalitati

inter haeredes derogetur: in hoc casu supponitur in intentione ejus tantummodo fuisse temporanea successio fruitionis rei datae; idcirco mortuo donatore res ipsa in communem successionem debet referri: id lex vocat *collationem.*

Collatio igitur est *actus, quo unus ex haeredibus ad summam bonorum, quam testator inter haeredes dividendam reliquit, ea bona refert, quae a donatore accepit, ut inter omnes ex aequo dividantur.*

Eximuntur a collatione variae donationes, idest: 1° Si quae testator dedit, haeredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo praecipui juris intra limites partis, de qua disponere poterat. 2° Si expensae factae a donatore fuerint in alicujus favorem, v. g. in alimenta, vestes, munera consueta, etc. Item expensae nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendae, et similia. Ita S. Ligor., n. 955.

Q. An referendi sint fructus rerum referibilium, quos percepit donatarius ante mortem testatoris?

R. Negative; quia non subjiciuntur collationi, nisi a die qua successio aperta fuit; secus omnino frustranea fuisset donatio.

Q. An filius teneatur referre ea, quae de bonis paternis male expendit, v. gr. in ludis, potationibus, etc.?

R. Negative, nisi expensae fuerint excessivae; minime vero, si plus non expendit, quam pater contentus fuisset, ut in honestas recreationes impenderet. Ita S. Lig., n. 957.

Item non sunt conferendae expensae factae a patre in gratiam filii pro doctoratu, beneficio, studiis, libris etc. etc.; quia haec in bonum commune familiae cedunt, nempe in ejus honorem, commodum etc. Aliunde gratuito a parentibus filio donata censentur. Ita S. Lig., n. 955. Excipe tamen, si expensae extraordinariae fiant.

Q. An conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum?

R. Affirmative, si redimatur in propriam utilitatem; quia id aequalitas postulare videtur; secus, si filius redimitur in utilitatem patris, v. gr. infirmi, senis, vel pauperis, aut familiae sustentandae; quia familia, quae commodum percipit, onus etiam ferre debet. Ita Gousset, Gury et alii.

§ 1. *De testamentis eorumque revocatione, et executore.*

Q. Quid est testamentum?

R. Est *voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult cum directa haeredis institutione.*

Dicitur *sententia*, idest certum et deliberatum animi judicium; hinc ipso jure naturae nullum est testamentum, si testator non libere egit, quia vel non compos mentis, vel deceptus, vel coactus vi aut precibus importunis, aut metu gravi etiam reverentiali; haec enim tollunt consensum ad actum liberum. Dicitur *post mortem* etc.; quia, ut valeat testamentum, mors necesse est intercedat testatoris, utpote cujus voluntas usque ad mortem natura sua revocabilis est.

Juxta sententiam communiorem et probabiliorem facultas testandi repetenda est primario a jure naturali. Nam apud omnes ultimà voluntas ut quid sacrum habetur; ex jure enim naturae quisque potest disponere de bonis suis prout vult. Secundario repetenda est a jure civili, quia est ordinata ad bonum societatis.

Q. Cujusmodi testes requiruntur in testamentis?

R. Ex Jure romano debent esse masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non intestabiles a lege (idest qui juxta leges testimonii dicendi jus non habent), non haeredes ex testamento, nec domestici testatoris vel haeredis; non tamen excluduntur legatarii. Ita S. Lig., n. 919.

Q. Quotuplex sit testamentum?

R. Dividitur in olographum, solemne et privilegiatum. — *Olographum* est illud, quod propria manu testatoris scribitur: viget solum in locis consuetudinariis.

Solemne est illud, in quo servantur omnes formalitates a jure praescriptae. Hoc vel fit scripto, et dicitur *scriptum*, vel fit viva voce, et dicitur *per nuncupationem*. — Pariter vel est *clausum*, quod sigillo signatum traditur subscribendum septem testibus, idoneis, masculis, puberibus etc., quibuscum subscribit testator, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet; vel est *apertum*, quod fit coram septem testibus sive scripto aperto, sive viva voce.

Privilegiatum est illud, quod valet etiamsi non omnes formalitates juris serventur; tale est testamentum militis, et testamentum ad pias causas.

Q. Quaenam solemnitates jure communi ad testamentum requiruntur?

R. 1° Ad testamentum *olographum* nulla requiritur solemnitas, nisi ut totum a testatore scriptum, et subscriptum sit sine interlineis ab extranea manu; et apponatur dies, mensis et annus, quo confectum est, sub poena nullitatis. — Exemplum: *« Pietro muore*

« *senza aver potuto sottoscrivere il suo testamento olografo, fatto a fa-* « *vore di Caio. Caio, imitando il carattere di Pietro, sottoscrive il te-* « *stamento nella vece di Pietro. Nasce il dubbio tra parenti se sia o no* « *vera sottoscrizione di Pietro. Si porta in giudizio. Il giudice sentenzia* « *a favore di Caio.* » Quid judicii? — Resp. Cajus ad restitutionem tenetur, quia per fraudem haereditatem sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab haereditate exclusus fuisset.

R. 2° Ad testamentum *solemne* requiruntur septem testes, qui sint mares, puberes et capaces ad recipiendum ex testamento, qui omnes debent subscribere.

R. 3° Ut testamentum *ad pias causas* sit validum in foro externo requiritur ut duo testes adsint. Ut valeat in foro conscientiae sufficit ut testator sit liber in dispositione et habilis ad testandum, et capacitas sit in eo, in cujus favorem fit dispositio.

Nota. Testamentum speciale seu privilegiatum ad triplicem classem revocatur: 1° Ad testamentum tempore pestis, vel contagii, quod valet receptum a notario, vel a judice, vel a sacerdote assistente, aut ab aliis, qui dictorum vices gerant; et duo sint testes etiam alterutrius sexus, modo sexdecim annos compleverint: valet ad sex menses post morbi cessationem. 2° Ad testamentum conditum in itinere super mari, quod a superioribus navis potest recipi; sufficiunt duo testes: valet ad tres menses, ex quo testator in terram descendit. 3° Ad testamentum militare, quod recipi potest a superiore militiae, aut chirurgo, si miles aegrotet; sufficiunt duo testes etiam alterutrius sexus, modo compleverint sexdecim annos; valet ad tres menses a cessatione impedimenti.

Q. An testamentum destitutum solemnitate a jure civili requisita, validum sit in conscientia?

R. Triplex est sententia: prima negat, quia in lege *Hac consultissima*, dicitur: *Ex imperfecto autem testamento voluntatem teneri defuncti non volumus.* — Secunda sententia communis docet esse validum, quia, ait Gury, jus testandi antecedit omnem legem civilem. — Tertia sententia probabilior, et in praxi tenenda, docet favendum esse possessori, donec accedat sententia judicis; quia potius omni jure est jus possessionis; sane nimis durum esset in tanta animorum conflictatione, ut quis proprio marte re, quam jam possidet, expoliare se debeat.

Quare legitimus haeres non tenetur solvere legata ex tali testamento indicta; at e contrario legatarius si jam bona fide ipsa

legata sit consecutus, non tenetur illa haeredi restituere, nisi accedat judicis sententia, cui parendum est ob bonum commune, ut paci consulatur, simulque litibus ponatur finis; unde rescisso testamento, et haeres et legatarius tenentur in foro conscientiae bona accepta reddere, et via compensationis nullo modo uti possunt. Ita S. Lig., Sanchez et alii.

Q. An testamenta vel legata ad causas pias sint valida, si solemnitatibus, seu formis legalibus careant?

R. Duplex est sententia; prima negat, quia bona temporalia cujuscumque sint generis, per se loquendo, principibus temporalibus sunt subjecta. — Secunda sententia communis inter Theologos et Jurisperitos affirmat; quia causae piae pertinent ad Ecclesiam, ejusque subjacent jurisdictioni; porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae jurisdictioni suae directe subsunt. Ita Jus canon. Decr. 1, 3, tit. 26, c. 2, et Conc. Trid., sess. 22, c. 8, *de Reform.;* ita pariter S. Ligorius, Lessius et alii. Hanc secundam nos amplectimur.

Q. Quomodo infirmari, vel revocari potest testamentum?

R. Duplici modo: 1° *Expresse;* seu 1° per destructionem testamenti; 2° per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimitur; 3° per testamentum novum priori contrarium; sed tunc revocatio non censetur integra, nisi dispositiones testamenti novi omnibus dispositionibus prioris sint contrariae.

2° *Tacite*, per donationem, venditionem, permutationem, destructionem, aut quamlibet dispositionem rei legatae, qua mutatio testatoris manifestatur.

Ad revocationem testamenti reducitur quando dispositiones testamentariae evadunt infirmae ob quasdam circumstantias, v. g. Si legatarius moriatur ante testatorem, vel ante executionem alicujus conditionis, si res legata pereat, etc.

Q. Quid dicendum de executore testamenti?

R. 1° Potest esse masculus, vel foemina, etiam minor si expleverit 17 annum; laicus et clericus, etiam Religiosus, de sui Superioris licentia, exceptis Fratribus Minoribus, ut Clem. decrevit cap. *Exivi*, § *Utrum etiam.*

2° Tenetur executor omnia sincere exequi juxta mentem testatoris.

3° Executori non debetur salarium, nisi testator aliquid ei constituisset.

4° Pro dispositionibus profanis debet disponere intra annum post aditam haereditatem; et intra sex menses pro legatis piis, etiamsi haereditas non sit adita. Si in eo sint negligentes, a judice possunt compelli.

Impensae, quae fiunt ab executore testamenti muneris sui adimplendi causa, ex rebus haereditariis solvi debent. Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum; sed si acceptet, ad rationem gestionis tenetur. — Antequam hoc munus accipiat, curet ut fiat inventarium, praesente vel rite advocato proximo haerede.

§ 2. *De testatoribus et haeredibus.*

Q. Quinam sunt inhabiles ad testandum?

R. 1° *Jure naturae* sunt inhabiles ii omnes, qui mentem sanam non habent, ut sunt amentes, furiosi, nisi habeant lucida intervalla.

R. 2° *Jure civili* sunt inhabiles: 1° Impuberes. 2° Mutus et surdus a nativitate. 3° Mancipium. 4° Capitali crimine damnatus. 5° Prodigus 6° Filius-familias, etiam consentiente patre, de bonis adventitiis testari non potest. Si sit pubes, potest de bonis castrensibus, etiam patris consensu non requisito.

R. 3° *Jure canonico* sunt inhabiles: 1° Clerici de bonis mere ecclesiasticis (possunt tamen de iis disponere ad pias causas). 2° Religiosi post emissam professionem. 3° Usurarii notorii, nisi prius restituerint usuras, vel de iis restituendis idoneam cautionem praestiterint. 4° Haeretici publici. Sed non est in usu haec lex, ubi haeretici cum catholicis permixtim vivunt.

Q. An testator ad haereditatem possit vocare quem voluerit?

R. Affirmative; sed salva portione legitima filiis debita: dummodo vero vocatus capax sit ad acquirendum per testamentum.

Q. An testator teneatur sub gravi bona dare cognatis, qui non sunt haeredes necessarii?

R. Quoad fratres et sorores tenetur dare sub gravi, si sint in gravi necessitate, non quidem ex justitia, sed ex praecepto charitatis. — Quoad alios consanguineos non videtur adesse gravem obligationem eos caeteris praeferendi, etiamsi gravi necessitate laborent. Ita communiter cum S. Lig.

Q. Quid est haereditas?

R. Definitur: *Successio in jus, quod defunctus habebat tempore mortis.*

Institui possunt haeredes, quicumque a jure positivo non sunt

specialiter prohibiti, licet usu rationis careant. — Ex Jure romano prohibentur damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, eorumque filii spurii.— Haeres quilibet renuntiare potest haereditati apertae, juxta axioma: *Nemo haeres nisi velit.*

Q. Quotuplicis generis haeres distinguitur?

R. 1° *Legitimus*, qui de jure succedit ab intestato. 2° *Necessarius* qui a testatore excludi non potest. 3° *Voluntarius*, qui haeres vocatur ex libera testatoris voluntate.

Haeredes necessarii sunt in utroque jure omnes cognati in linea recta, nempe: 1° Descendentes in propiori gradu. 2° Ipsorum defectu ascendentes tum ex parte patris, tum ex parte matris in gradu pariter propiori.

Haeredes legitimi sunt omnes consanguinei propioris gradus etiam in linea collaterali usque ad decimum gradum in Jure romano, usque ad quintum in computatione canonica.

Si testator in suo testamento praeteriret aliquem ex haeredibus necessariis nullum esset testamentum quoad institutionem haeredis, et haeredi praeterito competeret actio triginta annorum ad testamentum nullum dicendum. Legata tamen et fidei commissa subsisterent.

Quaecumque dispositio testamentaria nulla est, si ille, in cujus favore facta est, testatori non praevixerit.

Q. Quaenam sunt jura, et obligationes haeredum?

R. Generatim haeredes succedunt in omnia jura et onera defuncti, quia illius personam repraesentant; excipiuntur ea tantum, quae personae defuncti natura sua vel pacto erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno jure acquirunt, ejus obligationes, et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent. Sic v. gr. Si Titius moriens diceret Sylvio haeredi naturali: Sponde mihi, te legata haec soluturum esse; haeredis autem promissis confisus Titius abstineret a conficiendo, vel immutando testamento, vel ab iisdem legatis inscribendis: ex jure naturae Sylvius in foro conscientiae ad solvenda omnia legata promissa teneretur non obstante defectu formarum; quia: 1° Nonnisi ea conditione testamentum accepit. 2° Quia per promissionem suam confectionem, aut mutationem testamenti impedivit.

Q. An haeredes necessarii exhaeredari possint?

R. Affirmative; et causae, ob quas filius exhaeredari potest sola patris auctoritate, sunt: 1° Si filius injiciat manus in parentem;

aut contumeliose eum tractet. 2° Si ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus. 3° Si rem habeat cum ejusdem uxore. 4° Si nolit fidejubere ad patrem e carcere liberandum. 5° Si patrem a condendo testamento prohibuerit. 6° Si filia recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat. Ita ex Jure Rom. S. Lig. n. 948.

Pater potest a filio exhaeredari non solum ob tres priores supradictas causas, sed etiam si vitae filii insidias struxerit, vel si pater matri venenum praebuerit, vel vicissim, seu alias graves injurias fecerit.

Fratres et sorores possunt exhaeredari a fratre tribus causis, scilicet: *Si fratri insidias, perniciemque ferat. — Si scelera affingat ferro, focoque pianda. — Aut si fraternas perdere tentet opes.*

§ 3. *De haeredis institutione, et substitutione, et fideicommisso.*

Q. Quid de haeredis institutione?

R. 1° Institutio haeredis est *designatio personae, quae succedat titulo universali in jus, quod defunctus habet tempore mortis.*

R. 2° Designatio personae fieri potest variis modis: 1° *Pure*, si testator instituat haeredem, quin causam indicet. 2° *Sub causa*, quando nempe exprimitur ratio; si haec causa finalis sit unica et falsa nulla est dispositio. 3° *Sub demonstratione*, quando scilicet testator non nominat expresse personam, vel rem legatam; sed personam, et rem circumlocutionibus demonstrat et indicat. « *Per esempio: Il testatore dice: lascio a Pietro cento scudi. Dall'amicizia, e dall'affetto che ha verso di una persona che si chiama Pietro, si può conoscere che è dessa intesa dal testatore: perció valida la disposizione. — Valido ancora sarebbe il legato seguente: Lascio lire mille a colui, che primo interverrà a' miei funerali: questa persona, incerta da principio, può divenire certa nel tempo successivo.* » 4° *Sub modo*, quando scilicet haeredi aliquid faciendum injungitur, vel omittendum. 5° *Sub conditione*, quando nempe habet aliquam conditionem adjectam vel resolutivam, vel suspensivam. Si haeres ante verificationem conditionis resolutivae moriatur, nulla est dispositio - v. gr.: « *Tizio lega a Paolo cento lire, se la madre di lui si rimarita. Se Paolo muore prima che la condizione sia adempiuta è nullo il legato, nè i suoi eredi avranno diritto a cosa alcuna.* » Si haeres ante verificationem conditionis suspensivae moriatur, valida est dispositio; v. gr.: « *Io lego a Pietro la somma di lire cento, che gli si pa-*

« *gherà se suo padre viene a morire: siccome è certo che suo padre « morrà, Paolo dal momento della mia morte acquista un diritto irre« vocabile sul legato delle lire cento; ma l'esecuzione è sospesa sino alla « morte del suo padre. Se Paolo muore prima di questa epoca, i suoi « diritti passeranno ai suoi eredi, che potranno reclamare il pagamento « del legato, allorchè il padre di Paolo sarà morto.* »

Nota. « *Nel testamento si hanno per non apposte le condizioni im« possibili, e quelle contrarie alle leggi, o al buon costume;* » nempe vitiantur, sed non vitiant; nemo enim cogitans de morte jocare voluisse censetur, vel malum agere.

Q. An qui fuit institutus haeres per testamentum, aut qui talis est ab intestato, teneatur adire haereditatem?

R. Negative; quia hominum facultates plerumque fallant. Sed potest adire haereditatem beneficio inventarii. Secus, si pure, et simpliciter acceptet haereditatem, tenetur omnia legata, et debita certa, et realia solvere, saltem in foro externo, licet excedant vires haereditatis. — Diximus *saltem in foro externo;* quia an etiam teneatur in foro conscientiae quoad excessum prae bonis acceptis, controvertitur; sed probabilius, et communius negatur. Ita Salm., Gousset, et alii; ideo haec tenenda sententia.

Q. An parentes teneantur, si non ex jure civili, saltem in conscientia filios suos instituere in toto asse?

R. Non videtur teneri in conscientia, sed sufficit si eis relinquant portionem legitimam, prout est in jure praescriptum, saltem si haec ipsis sufficiat ad vivendum secundum propriam conditionem. — Peccarent tamen, si ita se gererent ex odio in filios; vel etiam juxta multos si absque causa sufficienti reliquam haereditatem darent extraneo; quia videtur contrarium ordini charitatis.

Q. An parentes teneantur filios instituere in parte aequali?

R. Si in familia adsint filii, qui de ea, et de parentibus ipsis specialiter prae aliis fratribus sint benemeriti, nihil impedit, quominus in testamento parentes eos caeteris praeferant aliqua ex parte, salva semper legitima; quia ratio dictat plus merentibus, plus deberi. Attamen caveant parentes, ne ideo concitent odia, et discordias.

Q. Quid est substitutio?

R. Est *scriptio alterius personae in locum haeredis, vel legatarii, qui nolit, vel non possit haereditatem, vel legatum percipere.*

Substitutio latius se extendit, quam fideicommissum. Unde duplex est substitutio, alia fideicommissaria, quae idem est ac fideicom-

missum; et alia directa, qua quis directe, et proprio nomine, loco alterius ad haereditatem vocatur.

Substituti tenentur onera implere, quae imposita fuerint eis, in quorum locum substituuntur, nisi onera illa nonnisi primitus vocatis praesumantur imposita. Si inter plures cohaeredes, vel legatarios, qui vocati sint in parte inaequali, substitutio ad invicem praescripta sit, illa haereditatis, vel legati inaequalitas observanda est in ipsa etiam substitutione. Exemplum: « *Suppongasi che il testatore* « *lasci un'eredità di lire* 40,000, *e chiami eredi per una metà Giacomo*, « *per un quarto Pietro*, *e per un ottavo caduno Carlo e Giovanni*, *sosti*- « *tuendo detti eredi reciprocamente tra loro. Ove Pietro non possa*, *o non* « *voglia accettare la parte allegatagli*, *che sarebbe di* 10,000, *questa* « *somma spetterà per tre quarti* (7,500) *a Giacomo; e per un ottavo* « (1,250) *caduno a Carlo e Giovanni*, *per la ragione che Giacomo era* « *chiamato ad una parte maggiore di tre quarti di quella*, *in cui erano* « *istituiti tanto Carlo*, *che Giovanni.* »

Attamen si una cum ipsis alia persona substituatur, tunc portio vacans inter singulos in parte aequali dividenda est.

Q. Quid sentiendum de haereditate fiduciaria?

R. Fiduciaria institutio *ea est*, *qua quis instituitur haeres*, *vel legatarius*, *data clam fide de legato*, *vel haereditate alteri restituenda*. Differt a fideicommissaria, quia in illa clam, in ista palam onus restitutionis imponitur. Haec successionis species cum litium fons esset, non amplius admittitur in foro externo. — Diximus *in foro externo;* nam cum sic institutus verus non sit haeres, haereditatem retinere non potest; sed tenetur clam datam fidem exequi, si legitima sit: vel haereditati renuntiare, ut sic illa ad haeredes transeat.

Q. Quid si testator haeredem amicum vocat, sed cum pacto, ille bona reddat filio suo spurio?

R. Probabilius nobis videtur in hoc casu amicum teneri bona restituere haeredi ab intestato; quia ex una parte non tenetur tradere spurio utpote contra legem: ex altera non potest sibi ea bona retinere, quia testator intentionem non habuit ea ipsi tradendi. Ita Scavini, cui subscribimus.

Q. Quid est fideicommissum?

R. Est *ultimae voluntatis dispositio*, *qua testator fidei haeredis committit aliquid alteri tradendum.*

Nota. Si fideicommissum sit universale, deducitur *trebellianica*, idest quarta pars haereditatis, quam haeres fiduciarius potest de-

trahere a fideicommisso. — Duplex est : aliud per quod donatarius bona sibi data alteri statim remittere debet; aliud in quo potest bona sibi data aliquo tempore, vel usque ad mortem suam servare, et deinceps alteri tradere tenetur.

Q. An valeat in foro conscientiae fideicommissum in favorem ejus, qui per leges non potest haeres, vel legatarius institui, puta uxor, spurius etc.?

R. Negative. Quia leges justae non in foro tantum externo, sed et in foro interno obligant.

Q. An valeant in foro conscientiae substitutiones fideicommissariae lege prohibitae?

R. Videtur eadem esse quaestio ac pro testamentis, quae formalitatibus destituuntur : unde possessori ante judicis sententiam favendum est.

Q. An valeant in foro conscientiae fideicommissa occulta pro causis piis, seu sub forma donationis simulatae, testamenti, aut legati ficti in favorem alicujus privati?

R. Affirmative : constat ex sequenti declaratione S. Poenitentiariae 23 junii 1844. Proposita enim sequenti quaestione : *Eudorius haeredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem, Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso, ut eandem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudorio, haereditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit?*

Sacra Poenit. respondet : *In casu exposito Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certe cognitam, pro foro conscientiae.* Ratio dicta fuit in testamentis ad pias causas, quae formis carent.

Nota. Existente civili lege, quae solvat substitutiones fideicommissarias, plures quaestiones posse exoriri si fideicommissum commixtum sit cum causa pia.

Ad solvendas quaestiones haec prae oculis habenda esse tanquam generalia criteria : quoties locus pius seu ecclesia haeres a testatore vocetur, et descendentes ex aliqua familia usufructuarii dicantur, tum haereditaria bona colligata manere loco pio seu ecclesiae,

nisi forsan appareat fere vanum esse haeredis nomen ecclesiae tributum, quasi vero datum fuerit ad palliandum fideicommissum.

Quoties vero fideicommissum fuerit constitutum, quod tandem in ultima sede, deficiente linea vocata, in loco pio seu ecclesia consistere debeat, ob hoc remotum jus ecclesiae tributum non impediri haeredes, quominus bona haereditaria distrahant, permittente civili lege bonorum hujusmodi distractione; quamvis ea in destructionem honestarum nobiliumque familiarum vergat.

In quovis tamen casu sarta tecta manere debere legata pia, quae cum fideicommisso sint connexa. Ita S. Congreg. Episc. et Reg. — Vide Acta S. Sedis in comp. redacta, vol 3, pag. 532.

§ 4. *De haereditate ab intestato, et haereditate jacente.*

Q. Quid est haereditas ab intestato?

R. Est *cum ob defectum testamenti lex decernit quis debeat succedere in bonis defunctis.* Hinc huic haereditati non fit locus, nisi deficiente testamento, ex illo juris: *Non fit locus provisioni legis, nisi cum cessat provisio hominis.*

Testamentum deficere dicitur, cum non est conditum, aut conditum est invalide, vel haeredes nolunt aut nequeunt illud acceptare.

Haec successio fit *in capita, et in stirpes.* In capita, quando haereditas dividitur in tot partes viriles, seu aequales, quot sunt capita, seu personae proprio jure concurrentes ad haereditatem; v. g. Titius genuit Petrum, et Paulum. Petrus, et Paulus succedunt Titio patri per capita, ideo in parte aequali; cum ambo sint in uno, et eodem gradu. — In stirpes, cum succeditur jure repraesentationis, idest succedentes obtinent partem, quam accepisset defunctus, cujus personam repraesentant: unde hic non attenditur numerus personarum, sed stirpis suae familiae; v. gr. Titius genuit Petrum ac Paulum. Et ipse Paulus, qui nunc defunctus est, genuit Joannem, ac Jacobum. Titii haereditas dividitur in duos partes: una erit Petri; altera autem filiorum Pauli, qui iterum illam dimidiam partem aequaliter dividunt inter se.

Repraesentatio non fit in linea ascendentali, in qua proximior excludit remotiorem; sed tantum in linea recta descendentali in infinitum, et in transversali ad decimum gradum. Etiam absentes et incapaces repraesentantur; imo illi etiam quorum successio renuntiata fuit: renuntiantes enim successionem proprii patris, non renuntiaverint jus repraesentationis, quod ad eos particulariter pertinet.

Nota. Filii illegitimi, alii dicuntur naturales, alii spurii. Filii naturales sunt ii, qui nascuntur ex simplici fornicatione; spurii dicuntur ii, qui ex parentibus incestuosis, vel adulteris, vel solemni voto ligatis oriuntur. Legitimantur filii vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum principis.

Q. Quinam ordo est servandus in successione haereditatis ab intestato?

R. Sequens: 1° Jure communi succedunt filii legitimi, et legitimati: item adoptivi, eorumque descendentes succedunt adoptanti in concursu aliorum filiorum; « *ma sono estranei alla successione di tutti* « *i congiunti dell'adottante.* » Item filii naturales respectu matris, et ideo matre decedente ab intestato relinquendo post se filios tum legitimos, tum pure naturales, aequaliter succedunt omnes: saltem extra casum, quo filii procreati essent ex matre pluribus exposita, alias ex illustri familia; nam in hoc casu tales filii non succedunt ab intestato matri habènti filios legitimos: respectu vero patris non succedunt filii naturales non legitimati, sed solum in sextam partem bonorum, quae pars dividenda est aequaliter cum propria matre, adeo ut una filio illegitimo, altera vero ejus matri remaneat. Spurii vero filii, jure sive civili, sive canonico non succedunt, ne quidem quoad minimam partem sive matri sive patri, etsi postea inter patrem et matrem initum fuisset legitimum matrimonium: ex *Jure novellarum*, ut expresse decisum habetur, per textum allatum a Reinffenstuel lib. 3, Decretal. tit. 27, n. 31, sed solum ei debentur alimenta.

2° Succedunt alii descendentes in defectu filiorum et filiarum per lineam rectam vel in stirpem, vel in capita. Hinc si pater intestatus decedens unum filium, et decem nepotes ex praemortuo altero filio relinqueret post se, isti decem nepotes succedunt in stirpem, idest in locum sui patris praemortui, et omnes simul tantum acquirunt, quantum acquireret pater eorum, si viveret; si vero tantum duos vel tres filios, aut filias relinquat post se, succedunt hi in capita, seu aequaliter.

3° Succedunt ascendentes in defectu descendentium per lineam rectam, servata tamen praerogativa ita ut proximiores gradus excludant recentiores: et hinc mortuo filio, vel filia ab intestato non relictis post se descendentibus succedunt.

4° Succedunt collaterales fratres, et sorores in defectu descendentium, et ascendentium, ita tamen ut germani excludant uteri

nos, et consanguineos, et in horum defectu eorum proles, vel in stirpem, si aliquis eorum praemortuus fuisset, vel in capita, si omnes fratres mortui fuissent; ex quo sequitur, quod si ex praemortuo fratre germano defuncti decedentis ab intestato exstarent tres proles, et ex premortua sorore sex, tota substantia relicta a defuncto patruo dividenda esset in novem partes aequales.

5° Succedunt fratres, et sorores deficientibus etiam fratribus, et sororibus germanis, aut horum prolibus, aequaliter sive consanguineae, sive uterinae aequaliter, exclusis omnibus aliis collateralibus, et quidem nulla habita ratione, an bona relicta proveniant a patre, vel matre, juxta probabiliorem sententiam.

6° Succedunt alii consanguinei deficientibus etiam fratribus, et sororibus uterinis, alii consanguinei aequaliter, ita ut propinquiores excludant remotiores, pares autem gradu succedunt non in stirpe, sed in capita.

7° Succedit uxor deficientibus descendentibus, ascendentibus, ac collateralibus sanguine junctis, nisi in contrarium obstant pacta dotalia, statuta, vel consuetudines locorum, supposito tamen, quod matrimonium inter ipsos fuerit legitimum, nec inter ipsos tempore mortis fuisset divortium ex legitima causa factum.

Quae si sit indotata, et paupercula, succedit in quartam partem si maritus praeter uxorem etiam tres liberos, vel alios sanguine junctos relinquat. *Ex juris dispositione Novellae* 117, c. 5 *apud Ferraris verb. successio ab intest.* num. 14. Si vero quatuor, vel plures filios, aut filias relinquat, succedit in parte virili, seu accipit tantam portionem, quantam quaevis proles legitima; hujus tamen quartae, vel virilis portionis uxor, solum succedit quoad usumfructum ad dies vitae, dum succedit una cum liberis; si vero succedat cum solis collateralibus, succedit etiam quoad proprietatem, nihil tamen horum percipit uxor, si dotem attulit, et maritus relinquat post se proles, vel consanguineos.

8. Succedit fiscus praedictis omnibus deficientibus, vel laicalis, si defunctus ab intestato sit laicus; vel ecclesiasticus, si defunctus fuerit Clericus non beneficiatus; si vero defunctus sit Clericus beneficiatus, succedit ecclesia cui deservit.

Q. Quid dicendum de haereditate jacente?

℟. Quando alicujus substantiae non cognoscitur haeres, vel ii, qui cogniti sunt, haereditati renuntiaverunt, haereditas illa dicitur *jacere*, vel *jacens*, quasi nempe sit sine domino: et quando haere-

ditas talis est, deputatur ad eam administrandam idonea persona curatoris nomine nuncupata, quae ad ea omnia tenetur, ad quae obligatur haeres cum beneficio inventarii.

Interim exquiritur si qui sint veri haeredes, qui si inventi omnes renuntient, vel nullus post triginta annos compareat, haereditatem praescribit fiscus.

§ 5. *De legitima.*

Q. Quid est legitima?

R. Est *quaedam portio haereditatis defuncti ex legum civilium praescripto personis quibusdam debita pleno jure.* Dicitur *legum civilium praescripto*, quia ex lege naturae patres filiis, filii parentibus non legitimam, sed tantum quod necessarium est ad sustentationem suppeditare tenentur.

Q. Quaenam sit legitima pars haereditatis haeredi necessario reservanda?

R. Ex Jure Romano, si deficiant descendentes, legitima ascendentium est semper tertia pars haereditatis.

Legitima reservata filiis legitimis est tertia pars haereditatis, ubi non sunt plures quam quatuor filii; et media pars, si plures sint.

Filii illegitimi non legitimati per subsequens matrimonium succedunt matri, ut filii legitimi, et non patri; sed si pater moriatur ab intestato, sine uxore et prole legitima, tunc succedunt ei in sexta parte bonorum dividenda per partes aequales inter ipsos; quoad reliqua vero succedunt alii haeredes ab intestato. Si vero mater eorum sit superstes, eadem sexta pars per partes aequales dividenda cum ipsa matre.

Si vero sint spurii, nonnisi necessaria victui, et amictui recipere possunt tum ex parte patris, tum ex parte matris.

Q. An peccent in foro conscientiae contra justitiam parentes, si laedant legitimam filiorum per testamentum, vel donationes inter vivos, aut contractus simulatos?

R. Affirmative per se cum sententia communiori: lex enim gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiae requisitis, scilicet est justa, utilis bono publico, et ipso facto irritans. Ita Gousset, et alii.

Diximus *per se:* quia non videntur ullo modo peccare parentes, qui justa de causa partialiter legitimam filiorum laedunt in aliquo casu particulari. Tunc cessat finis legis, quae attingere non intendit

illos casus particulares, v. g. Si pater donationes quasdam tribueret filio probo remunerationis gratia, unde minus filio dissipatori obveniret. Ita Gousset n. 794, Gury, et alii.

Quare non est inquietandus filius, qui majorem partem haereditatis acceperit cum detrimento alterius haeredis, quando parentes videntur ei aliquo modo favisse, et ipse sit in bona fide, vel non sit dispositus ad restituendum. Imo theologis non paucis videtur, legem civilem non posse obligare parentes ad aequalitatem inter filios servandam. Nos hanc sententiam admittimus modo honestae sustentationi aliorum filiorum sufficienter providerint, nec pravo fine moveantur.

Q. An parentes donationes manuales alicui e filiis, vel extraneis, aut causis piis, erogare possint?

R. Parentes licite facere possunt donationes sequentes: 1° Quae fieri solent inter conjunctos, et amicos aequalis conditionis, ut munuscula etc. 2° Donationes remuneratorias pro quantitate, et qualitate meriti juxta aestimationem prudentium; quia potius solutio debiti alicujus, quam gratuita donatio dici istae debent. 3° Donationes quaslibet, modo integram filiorum legitimam relinquat. Ita Ballerini post Lugo, et alios.

§ 6. *De legato, et codicillo.*

Q. Quid est legatum?

R. Est *ultimae voluntatis dispositio, qua testator particulare donum ab haereditate selectum, directis verbis alicui relinquit.*

Nota. Si legatum sit universale deducitur *falcidia*, idest quarta pars haereditatis, quam haeres (legitima jam deducta) potest detrahere a legatis.

Legatum esse potest: 1° Purum seu absolutum, vel conditionatum. 2° Universale, vel particulare: titulo universali, v. gr. Lego omnia mobilia; vel particulari, v. g. Lego talem summam.

Legatum illis modis fit, quibus testamentum. Insuper *in diem*, cum quis, v. g. dat aliquid ad quinquennium. *Ex die*, ut cum non dat, nisi post certum tempus a suo decessu. *Disjunctim*, si diversis diversa tribuat. *Conjunctim*, si pluribus aliquid leget. *Alternatim*, quando tribuit facultatem eligendi inter plura. *Legatum generis*, quando legatur res determinati generis. *Speciei* si legetur, v. gr. equus arabus. Tandem distinguitur etiam legatum *alimentorum*

quod comprehendit victum, vestitum, habitationem, et quandoque etiam institutionem legatarii conditioni respondentem.

Q. An legatum relictis puellis, ut matrimonium ineant, possit in conscientia dari religionem ingredientibus?

R. Affirmative, si legatum relictum sit personae determinatae (idem dicendum etiam de haereditate), quia testator nominando personam censetur habere specialem affectionem ad ei subveniendum, ideoque jus praesumit ipsum voluisse ei legare etiam casu ingressus in religionem. Excipe, nisi aliter constet de mente testatoris; quia praesumptio cedit veritati. — Negative, si legatum sit relictum indeterminatis puellis; quia esset in aliarum praejudicium; tales enim testatores saepe, et pie providere sic intendunt puellis nubere volentibus, ne periculo exponantur prostitutionis; ideo mens testatoris servanda est in specifica forma quamdiu potest, nec recurrendum ad ejus voluntatem praesumptam, quando habetur voluntas contraria expressa.

Q. Quid si legatum relictum sit puellis ut nubant, et jam ipsae sine dote nupserint?

R. Si legatum relictum sit puellis determinatis, bene dari potest his, etsi jam nuptis; nam tunc perseverat finis testatoris, idest vel ut nubant, vel ut nuptae decentius vivant. Excipe si constet, expresse testatorem voluisse subvenire nubendis ad periculum prostitutionis vitandum; tunc enim per matrimonium, remoto periculo, cessat profecto jus ad legatum.

Item legatum relictum foeminis collocandis, tradi potest viduis iterum nupturis, si non adsint aliae foeminae aetate nubiles.

Q. Quid si legatum relictum sit orphanis, darine poterit pauperibus habentibus patrem inutilem?

R. Negative, si concurrant orphani; quia voluntas testatoris adimplenda est in sensu proprio. Secus dari potest; sic enim adimpletur voluntas testatoris, quae est opitulari filiis indigentibus; quia inutilis in jure reputatur mortuus (ex Glossa ad verb. *Inutilem* in c. 2 inter corporal. tit. de trans. Epis.).

Si legatum sit relictum virginibus ad nubendum, non poterit dari corruptae si publice constat de corruptione: secus poterit, quia virgo reputatur. Imo poterit illud petere, si aliae virgines desint.

Nota. Legatum relictum pauperibus debet distribui juxta charitatis regulam, nempe praeferendi sunt: 1° Conjuncti testatoris pro-

ximiores. 2° Pauperes testatoris concives. 3° Magis indigentes, et etiam nobiles, ex Barbosa. 4° Pauperes probatioris vitae. 5° In pari necessitate foeminae, cum sint majori periculo expositae: ita communiter. Si testator dixerit legatum esse pauperibus distribuendum, non potest illud tradi uni tantum, si et alii adsint pauperes.

Q. Quaenam sint jura, et onera legatarii?

R. Si legatum sit *simplex*, legatarius jus ad illud habet ab ipsa morte testatoris, illudque jus ad legatarii haeredes transmittitur. Si sit *conditionale*, verificatio exspectanda est: adstringi tamen potest haeres ad dandam cautionem.

Constituunt partem rei legatae ornatus, novae extructae aedes in fundo legato, et ampliationes locorum septorum factae postquam testator legaverat; non vero augumentum ejusdem proprietatis novis fundis acquisitis licet contiguis.

Q. Quid venit in legatis nomine mobilium, seu bonorum mobilium?

R. Bona mobilia ea sunt generatim, quae e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia etc. Hinc si dicat testator: lego mobilia Cajo, et immobilia Sempronio, Cajus jus habet ad omnia bona mobilia; quia mens testatoris evidenter patet ex oppositione mobilium ad immobilia. Item si dixisset solum: lego Cajo bona mobilia. Ita Gousset, et alii.

Q. Quinam possunt legata reducere, aut commutare?

R. Si legatum sit profanum, poterit princeps illud commutare in aliud legatum profanum, et etiam in pium, quia tunc commutaret in melius. Poterit autem Pontifex legatum pium in aliud pium convertere; quia suprema potestas gubernandi Ecclesiam requirit de piis causis disponere prouti necessitas, et spiritualis utilitas exigit. S. Lig. n. 931.

Episcopi neque justa de causa commutare possunt; ex Tridentino enim Conc. sess. 22, cap. 8 imponitur Episcopis solicitudo ultimas voluntates sedulo exequendi. Ita S. Lig. n. 391. — Excipiendi probabilius sunt casus, qui si a testatore praevisi fuissent, certo effecissent, ut aliter disponeret, v. gr. Si reliquerit pecuniam ad vasa sacra pro ecclesia, et haec vasis non indigeat; vel si legatum ad finem suum applicari nequit.

Nota. Hae legati commutationes nequeunt fieri, nisi justa, et necessaria causa: secus, juxta communem et veriorem sententiam, nullius ponderis aestimandae sint, etiamsi factae sint a Pontifice;

quia princeps, et Pontifex non tamquam domini agunt, sed uti testatorum voluntatis tutores.

Q. Quid est codicillus?

R. Est *ultimae voluntatis dispositio, qua circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo, vel demendo immutatur.*

Q. Quaenam solemnitates jure communi ad codicillum requiruntur?

R. Ad codicillum requiruntur tantum quinque testes etiam non rogati. inter quos admittuntur etiam mulieres, ut docent communiter doctores, quorum ratio est, quia nulla lege prohibentur.

ARTICULUS III.

DE DEPOSITO, ET SEQUESTRO.

Q. Quid est depositum, et quotuplex est?

R. 1° Depositum est *contractus, quo res mobilis custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur, ut reddatur eadem.* — Qui rem deponit dicitur *depositor*, vel *deponens;* cui depositio datur dicitur *depositarius.*

Dicitur *res mobilis*, quando enim alicui committitur custodia, seu vigilantia alicujus immobilis, v. g. vineae non habetur depositum, sed mandatum. Dicitur *res custodienda;* quia depositario custodia rei est commissa, non vero usus concessus. Dicitur *suscipitur;* quia non sufficit mera traditio ex parte deponentis, sed requiritur susceptio ex parte depositarii.

R. 2° Duplex est, voluntarium nempe, et necessarium. *Voluntarium* fit libero partium consensu; sed locum habere nequit inter personas ad contrahendum incapaces. — *Necessarium* est illud, cui dat causam casus inopinatus, v. g. incendium, naufragium etc

Q. Quaenam sunt depositarii, et deponentis obligationes?

R. 1° Depositarius tenetur ad tria, nempe: 1° Ad diligentem rei depositae custodiam quasi ea esset sua: imo ad majorem, si eam promiserit; vel si sponte se obtulerit; vel si conventa sit aliqua remuneratio ipsi tribuenda; vel in ejus commodum tantum vergat depositio; vel tandem si expresse se obligaverit ad respondendum pro quacumque culpa. 2° Depositum restituere cum fructibus perceptis, statim ac a deponente petitur, etsi nondum expiraverit tempus in conventione ipsa determinatum ad restitutionem faciendam. Excipe si cognoscatur rem esse furtivam, vel deponens factus sit

incapax ad acceptandum ex lege, vel obstet sequestrum, vel saltem in foro conscientiae, nisi depositarius justam habeat compensationis causam. 3° Indemnem deponentem servare, si res sua culpa deterior facta sit: vel etiam si sit in mora culpabili, et res perierit, etsi casu fortuito.

R. 2° Deponens tenetur: 1° Ad nutum depositarii rem suam recipere. 2° Damna resarcire, quae alter passus est. Imo potest depositarius depositum retinere donec integram acceperit indemnitatem.

Q. Depositarius potestne re sibi deposito tradita uti?

R. Distinguendum: Si res sit usu consumptibilis ut, v. g. triticum, vinum, pecunia etc., et ea tradita sit certo numero, pondere, et mensura etc., non videtur graviter peccare iis utens, si certus sit tantumdem habiturum, quando repetetur. Secus si agatur de pecunia tradita, sacculo, vel arca inclusa, vel munita sigillo, si tunc ea utatur, graviter peccat: non tamen fructus inde perceptos tenetur restituere; quia sunt fructus industriae, non rei; cum res usu consumptibilis per ipsum usum non fructificat, sed destruatur.

Pecunia sive creverit, sive decreverit restituenda est ea, qua accepta fuit specie, si nempe tot argentei nummi depositi fuerint, tot argentei nummi restituantur. Si vero depositum non sit res primo usu consumptibilis, ut currus, equus, tunc si depositarius ea utatur sine deponentis consensu expresso vel praesumpto, non solum peccat; sed fructus inde perceptos tenetur restituere, cum res domino suo fructificet. Scavini.

Q. Ex qua culpa teneatur ad restitutionem depositarius, si depositum pereat, aut deterius fiat?

R. Depositarius tenetur solum de dolo, et culpa gravi. — Excipe: 1° *Si seipsum pro deposito obtulerit, vel si aliquid pro ejus custodia receperit*, ait Justinianus, tunc tenetur de culpa levi. Hinc molitores, stabularii etc. tenentur de culpa levi. 2° Si pactum sit de maxima custodia: si depositum sit in favorem solius depositarii, tunc tenetur de culpa levissima post sententiam judicis.

Q. Quid et quotuplex est sequestrum?

R. 1° Est *contractus, quo res de qua est controversia alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur cum fructibus ei, cui adjudicabitur a judice.*

R. 2° Duplex est, conventionale, et judiciale. Primum fit sola partium voluntate. Secundum fit judicis praecepto. Utrumque extenditur ad bona tam mobilia quam immobilia.

Nota. Si sequestrum sit gratuitum iisdem subjacet legibus, ac depositum proprie dictum. Si vero non sit gratuitum, tunc fit operae conductio, istiusque contractus legibus subjicitur.

ARTICULUS IV.

DE COMMODATO, ET PRECARIO.

Q. Quid est commodatum?

R. Est *contractus, quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad determinatum tempus, ante quod repeti non potest.*

Q. Quaenam sint obligationes commodantis?

R. Tenetur: 1° Aperire vitium rei commodatae. 2° Tenetur non repetere commodatum ante tempus de quo expresse, vel implicite conventum est; alias tenebitur de damno erga commodatarium. Excipe casum in quo commodanti simile damnum ex carentia rei suae inopinato immineret; quia censetur sub hac tantum conditione concessisse rei suae usum.

Q. Quaenam sunt obligationes commodatarii?

R. Tenetur: 1° Non uti re commodata nisi ad usum sibi concessum, ad quem solum jus habet; *alias furtum committit*, ait Justinianus. 2° Tenetur rem commodatam conservare ea cura, quam diligentes homines in rebus suis similibus adhibere solent. 3° Tenetur rem commodatam, finito tempore, restituere, etiamsi non repetatur. Excipe si absque sua culpa inciderit in impotentiam reddendi tempore praefixo; vel si commodatum retineat per compensationem indirectam, idest usque dum commodans solvat debitum. 4° Ad impensas modicas et necessarias ad rei commodatae conservationem, non vero ad extraordinarias.

Q. Ex qua culpa teneatur commodatarius quoad forum internum, et quoad externum?

R. 1° Non tenetur, nisi culpa juridica cum gravi culpa theologica conjuncta sit.

R. 2° Quoad forum externum vero ex Gregorio IX: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur* (lib. 11 de contr. c. unico de commod.); non autem tenetur de casu fortuito, nisi aut pactum speciale, aut mora tempore praefinito restituendi, aut etiam culpa lata praecesserint.

Q. Quid est precarium?

R. Est *gratuita rei quoad solum usum concessio revocabilis ad nutum concedentis.*

In hoc tantum a commodato precarium differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile est.

Si commodatum fuerit precarium, recipiens non tenetur, nisi de dolo, et culpa lata restituere; quia precarium potest semper a domino revocari, non autem commodatum. Precarium cessat per mortem accipientis; non autem per mortem dantis, nisi ab haeredibus revocetur.

ARTICULUS V.

DE MANDATO, ET GESTIONE.

Q. Quid est mandatum?

R. Est *obligatio aliquid agendi in alterius commodum gratis suscepta.*

Q. Quaenam sunt obligationes mandantis?

R. Tenetur: 1° Praebere necessaria ad mandati executionem, et solvere sumptus. 2° Tenetur ratum habere quod a mandatario bona fide, ac prudenter gestum est. 3° Mandàtarium indemnem servare de impensis, et damnis, quae prudenter agendo subiit.

Q. Quaenam sint obligationes mandatarii?

R. Tenetur: 1° Negotium susceptum diligenter adimplere tanquam proprium. 2° Non potest mandati sui fines transire. 3° Tenetur nullam mercedem ex opera sua gratis promissa exigere, aut retinere per occultam compensationem. 4° Non potest per se sibi retinere lucrum si vendat, nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat.

Per accidens tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retìnere pretii excessum: 1° Si res speciali ejus industria et indebito labore melior evaserit. 2° Si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum. 3° Si in meram ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor majorem summam obtulerit. Ita S. Lig., n. 825.

Mandatum tribus modis scinditur: 1° Revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest. 2° Renuntiatione mandatarii tempore debito notificata. 3° Morte naturali vel civili, aut interdictione sive mandantis, sive mandatarii.

Gestio negotiorum est quasi-contractus, quo quis absentis et igno-

rantis negotium utiliter gerendum suscipit sine mandato expresso, sed ex ejus commissione rationabiliter praesumpta.

Gestor negotii adstringitur iisdem obligationibus, quibus mandatarius.

Dominus absens, cujus negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit. Ita Gury.

Probabilius jus habet ad mercedem congruentem; secus enim pauci inveniuntur, qui negotia absentis gerenda sponte suscipiant. Ita Antoine c. 4, et alii.

Q. Ex qua culpa teneatur mandatarius et negotiorum gestor?

R. Si mandatum gratis suscepit, tenetur de dolo et culpa lata; si pro mercede, vel si se obtulit, tenetur de culpa levi; et absque speciali conventione non tenetur adhibere majorem diligentiam, quam adhiberet, si rem suam ageret et negotium postulat.

ARTICULUS VI.

DE MUTUO.

Q. Quid est mutuum?

R. Est *contractus, quo rei primo usu consumptibilis numero, pondere, vel mensura constantis dominium gratis transfertur alteri, cum obligatione eandem, vel aliam ejusdem speciei et bonitatis post lapsum temporis restituendi.*

In voce mutuo inest reciprocatio mei et tui, adeo ut vis ejus sit: *Meum tuum fiat, et retro tuum meum.* Res primo usu consumptibiles censentur ea omnia, quae natura sua, seu physice destruuntur, et consumentur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, etc., quae secundum jura censentur *quaecumque pondere, numero et mensura constant* (l. 2, ff. *De rebus creditis*).

Moraliter vero destruitur pecunia mutuo data, quae licet usu non pereat in se, ei tamen perit, qui illam alteri tradit.

Dicitur *dominium* (non vero ut in donatione) *transfertur;* secus nequit ea uti, cum nemo possit ad libitum consumere, quod suum non est; quare distinguitur a deposito. — Dicitur *cum obligatione eandem* etc. *restituendi.* Nam si res traderetur absque ulla obligatione restituendi, esset donatio. Si non eadem esset restituenda ut

v. gr. vinum pro frumento, esset permutatio. S. res identica, idest eadem physice et in individuo, v. gr. idem equus, esset commodatum, vel locatum. — Dicitur *ejusdem speciei et bonitatis;* quia qui mutuum dat, servari debet indemnis; quod non esset, si non restitueretur res ejusdem bonitatis. — Dicitur *post lapsum temporis*, sic distinguitur a cambio; item a precario, quo res ad mentem concedentis tribuitur et reddi debet statim ac a domino expostulatur.

Quo circa in mutuo res perit accipienti, in caeteris tradenti.

Unde mutuum est contractus *realis;* quia sola traditione rei perficitur; *non solemnis*, quia nulli speciali formae a lege subjicitur; *unilateralis*, quia nulla retributionis obligatio urget mutuantem; *gratuitus*, quia per se censetur solum in mutuatarii gratiam initus.

Qui mutuum dat, dicitur *mutuator*. Qui vero illum accipit, appellatur *mutuatarius*. Res autem, quae mutuo datur et capitale constituit, *sortis* nomine solet in scholis appellare.

Q. Quinam mutuum dare possint?

R. Omnes, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, neque lege prohibentur. Illud vero recipere possunt, qui ex contractu valent obligari.

Q. An mutuum sit aliquando de praecepto stricto?

R. 1° Interdum adest praeceptum charitatis, mutuandi divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam indigent; quia praeceptum charitatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, cum in pari casu nobis praestari vellemus. Intellige, modo non postulent mutuum ad augendas opes; quia hujusmodi divites in nulla necessitate constituuntur, ideo praeceptum non urget.

2° Datur praeceptum charitatis strictum dare mutuum pauperibus, qui in necessitate versantur, et postea sunt habituri, unde reddant; quia adest stricta obligatio charitatis subveniendi proximo in necessitate posito.

3° Non datur praeceptum mutui erga pauperes, qui re et spe sunt veri pauperes; ipsis enim eleemosynam erogare debemus.

Nota. Antequam confessarius hanc mutuandi obligationem urgeat perpendere sane debet, charitatis praeceptum non adstringere cum gravi incommodo; grave autem incommodum perraro abest ob gravissimas molestias recuperandi quod fuit mutuo datum.

Q. Quaenam sunt obligationes mutuantis?

R. Tenetur: 1° Monere mutuatarium de vitio rei, si quod sit, alioquin tenetur de damno. 2° Non repetere statim mutuum, sed tem-

pore praefixo; quod si nullum praefixum sit, non potest repetere, nisi post aliquod tempus judicio prudentis assignabile.

Q. Quaenam sunt obligationes mutuatarii?

R. Tenetur mutuum tempore praefixo restituere, vel si nullum sit praefixum, quoties a mutuante rationabiliter repetetur; alias, tenebitur damna ex sua mora secuta resarcire.

Nota. Dicitur mutuum cum obligatione reddendi, quae obligatio spectat omnes mutuatarios, exceptis pupillis et filiis-familias, qui mutuum sine consensu patris, vel tutoris acceptum, non tenentur in conscientia restituere, etiam post mortem patris, vel tutoris, si illam in usus inutiles consumpserint. Tenentur vero restituere, si pecuniam in usus necessarios, vel utiles impenderint; quia tunc locupletiores facti sunt.

Q. In qua bonitate mutuum reddi debeat?

R. Si mutuum sit in pecunia, debet reddi in bonitate extrinseca, nisi aliter juste conventum sit. — Si mutuum consistat in aliis rebus fungibilibus, debet reddi in bonitate intrinseca.

Quare si dubium sit, an tempore restitutionis res valitura sit pluris, vel minoris, licet pacisci, ut reservata eadem bonitate et mensura reddi suo tempore debeat, etsi pretium ejus valde sit auctum; quia cum utrinque aequale fuerit periculum, eo ipso jam aequalis servatur, v. gr. Si aurei tempore restitutionis faciendae crevissent in pretio, non posset mutuans exigere a mutuatario tot aureos, quot ipse mutuavit. Quod si vero valor extrinsecus monetae decrevisset, in tali casu deberet mutuatarius addere supplementum, et non satisfaceret restituendo tot, quot accepit. Ita S. Ligorius, n. 782.

Si certum sit, vel longe probabilius quod tempore solutionis valor aucturus sit, non licet per se pactum praedictum; quia non servatur aequalitas, sed plus exigitur, quam datur, v. gr. modius tritici nunc valet tribus francis, et valiturus sit quatuor tempore restitutionis. Excipe tamen si mutuator conservaturus esset illud usque ad tempus incrementi, adest enim titulus lucri cessantis. Ita S. Lig., n. 782, Lacroix, Gury et alii.

Si praevideatur pretii immutatio, tantum potest repeti et mutuatarius solvere debet, quanti res valebat, cum mutuo tradita est; quia revera non plus exigitur, quam datum fuit. Ita S. Ligorius, ibid., et alii.

—

§ 1. *De usura, seu de lucro percepto ex mutuo.*

Q. Quid est usura?

R. Usura dicitur ab usu, et definitur sumpta pro lucro: *Lucrum ex mutuo immediate proveniens.* — Sumpta pro contractu definitur: *Contractus mutui, quo lucrum ultra sortem exigitur, vel intenditur, tanquam debitum praecise vi mutui.*

Dicitur *vi mutui;* quia si aliquid alio justo titulo exigatur, non est usura, sed indemnizatio.

Nota. Si primario quis mutuet ex charitate et secundario tantum, mediante liberalitate, aut gratitudine mutuatarii aliquod lucrum speraret, non esset usura. Illa autem secundaria intentio cognoscitur ex dispositione mutuantis, qui ita est affectus, ut etiamsi non crederet, sibi aliquid dari supra sortem, adhuc tamen mutuaret, ait D. Antoninus (2 par., tit. 1, c. 2, § 1).

Q. Quotuplex est usura?

R. Alia est aperta seu explicita, alia implicita, alia palliata, alia realis, alia mentalis, alia usura sortis, alia usura usurae.

Usura *aperta* seu *formalis* est ea, quae percipitur ex contractu mutui, cum pacto expresso aliquid supra sortem accipiendi.

Usura *implicita* est illa, quae sufficienter declaratur aliquo actu.

Palliata est ea, quae percipitur ex contractu mutui latentis sub alio contractu, v. gr. Societatis, vel depositi.

Realis est ea, quae percipitur ex aliquo pacto sive explicito, sive implicito. Si exerceatur erga pauperes, dicitur oppressiva. Si erga divites, dicitur enormis.

Mentalis est illa, quae in solo animo intenditur, vel speratur, quin deducatur in pactum.

Usura *sortis* est ea, quae immediate provenit ex pecunia mutuo data.

Usura *usurae* est ea, quae percipitur ex lucro usurario.

Q. Quo jure usura sit prohibita?

R. Est prohibita: 1° *Jure naturali*, quia usurarius vendit mutuatario, quod suum non est; dominium enim rei mutuatae vi mutui transiit totum apud mutuatarium. 2° *Jure divino*, Lucae cap. 6: *Benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes*; quibus verbis prohiberi usuram, definierunt Conc. Lateran. III et V. 3° *Jure canonico*, ut constat ex integro titulo de usuris in corpore canonici

juris, ubi Alexander III (1180), Urbanus III (1186), Innocentius III (1213), aliique Pontifices usuras gravissime damnant.

Nota. Ex dictis patet esse omnino illicitum ac injustum lucrum etiam minimum exigere vi mutui.

Quod si veteri lege Deuteronomii c. 23, v. 19, permitteretur usuras exigere ab alienis, hoc erat in compensationem, quam Hebraei licite facere poterant contra populos finitimos, sibi inimicos, eo vel magis, quia id eis permittebatur a Deo, qui omnium rerum habet altum dominium.

Q. Quid dicendum, si usurae jam acceptae sint, ac illae jam fructum produxerint?

R. Sunt usurae restituendae, quia sunt res alterius. Fructus vero ab illis provenientes non sunt restituendi, si provenerint ex pecunia; quia sunt fructus industriae, non rei. Secus, si fructus proveniant a domo, vel agro, etc. Ita Angelicus.

Q. Quid de iis, qui sunt causa, ut usurae solvantur?

R. Non solum peccant, sed tenentur etiam ad restitutionem, si usurarius non restituat; quia efficaciter influant in alterius damnum. Unde tenentur consulentes, judices, advocati, notarii, consules, legislatores omnesque potestates, quae non excludendo a proprio territorio usurarios, vel aliter in causa sunt, ut solvantur usurae. Excipe, si expediret ad majora mala vitanda.

Q. Quid de haeredibus usurarii, qui usuras non restituerint?

R. Tenentur haeredes usuras restituere secundum vires haereditatis; quia collective sumpti repraesentant defunctum in bonis.

Nota. Utrum teneantur in solidum disputatur inter Theologos; sed sententia negativa videtur satis probabilis; quia partialiter tantum in bona usurarii singuli succedunt; ergo pro parte sua tantum singuli tenentur. Excipe, si res ipsa usuraria apud unum exstet.

Q. Quid de famulis, qui dominis usurariis cooperantur?

R. Si agatur de famulis non principalibus, neque peccant, neque tenentur ad restitutionem; quia eorum opera non censentur directa in damnum cooperatio. Si sermo sit de famulis principalibus distinguendum: vel isti cooperantur debitores cogendo ad solutionem etc.; vel cooperando, hortando simpliciter ad solutionem. Si primum, probabilius peccant, et tenentur ad restitutionem in defectu dominorum, cum vere sint causae injustae in damnum alterius proxime cooperantes. — Si secundum, non videntur peccare, modo habeant justam causam id faciendi, v. gr. metus gravis damni; quia ra-

tione tantum famulatus totaliter non excusantur a peccato. Ita S. Lig., Op. mor., l. 3, n. 788.

Q. An in dubio utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis, vel non, possis id retinere?

R. Affirmative, cum sententia communi, et probabiliori, nisi aliud ex circumstantiis definiri debeat. Ita S. Lig., n. 761.

Q. An mutuans retinere possit, quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum sibi denegetur?

R. Affirmative probabilius; quia requiritur ad usuram, ut detur ex vi pacti, sive ut debitum ex justitia. Ita communius.

Q. An sit usura si mutues ea lege, ut mutuatarius sibi necessaria justo pretio in tua officina emat?

R. Affirmative, si hoc deducatur in pactum; quia onus mutuatario imponitur, et ipsius libertas restringitur, quod illicitum et injustum est. Ita S. Lig., n. 780.

Q. An possit in pactum deduci donatio antidoralis, seu quae ex animo grato fiat?

R. Negative; quia ex pactis necessario oritur justitiae titulus, non vero donatio erogata ex mere animo grato; unde si fiat, est vera usura contra justitiam. Ita S. Ligorius n. 764, et alii communiter.

Q. Utrum carentia pecuniae, vel obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, sit sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi?

R. Negative; quia utrumque est de intrinseca ratione mutui: contrarium fuit damnatum ab Alexandro VII prop. 42, quae ita enuntiatur: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Verum si tempus esset multum, et aliquo modo extraordinarium, v. gr. post tres, vel quatuor annos potest aliquid percipere non ratione commoditatis, qua privatur, sed ratione oneris peculiaris et extra ordinem, quod in se suscipit mutuans, quod est pretio aestimabile: et propositio damnata ab Alex. VII non dicit *usque ad longum tempus*, sed *usque ad certum tempus.* Ita Sporer, Medina, et alii, quibus et nos subscribimus.

Q. Utrum ratio pecuniae praesentis, quae datur pro pecunia absente, quae est retribuenda, sit titulus aliquid supra sortem recipiendi?

R. Negative; quia est essentialis mutuo, non reddenda nisi in

futurum : contrarium est propositio damnata ab Innocentio XI, prop. 41 : *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

Q. Utrum labor in numeranda pecunia sit justus titulus aliquid supra sortem recipiendi ?

R. Negative ; nisi sit extraordinarius; quia labor ille est mutuo intrinsecus.

Q. Utrum utilitas, et commoditas , quam ex mutuo percipit mutuatarius, sit justus titulus aliquid recipiendi supra sortem?

R. Negative ; quia haec proprie non oritur ab ipsa re mutuata, sed ex mutuatarii conditione, ac industria ; ideo si mutuans illum fructum perciperet , meteret ubi non seminasset : quod est omnino illicitum.

Nota. Tunc pactum est usurarium in mutuo, cum est pretio aestimabile ; nam tunc onus, et gravamen importat. Non est vero usurarius, qui exigit rem jam debitam ex justitia, nempe ut desistat a privata vindicta etc. Item si exigat benevolentiam, et amicitiam, modo in pactum non veniat : secus esset propositio damnata ab Innoc. XI, idest : *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur , ex benevolentia, et gratitudine debitum...*

Si mutues cum pacto, ut mutuatarius tibi eodem tempore aliquid aliud remutuet, non est illicitum , esset enim permutationis quaedam species. Esset autem illicitum, si apponeres pactum, ut remutuet tibi postea, seu alio quovis tempore, quando fortasse indigebis, quia in hoc casu imponeres onus mutuatario.

Q. An liceat mutuum petere, vel accipere sub usuris ?

R. Distinguendum : non licet petere absque gravi necessitate , quia nullo modo licet aliquem inducere ad peccandum. Est licitum vero in gravi necessitate propria, vel aliena ; quia ait D. Thomas (2^a 2^{ae} q. 78, art. 4 in corp.) : *Gravis necessitas est justa causa non impediendi peccatum alienum.*

Q. An usurarii vere fiant usurarum domini ?

R. Negative ; quia non transfertur dominium sine justo titulo.

Q. An usurarius mentalis teneatur ad restitutionem?

R. Distinguendum : si usura sit pure mentalis , nihil restituendum est, cum nihil sit receptum ; sed sufficit se poenitere ob malam illam animi voluntatem. Si vero usura sit mentalis pariter di-

stinguendum: vel usura mentalis se habet ex parte tam mutuantis, quam mutuatarii, ita ut mutuans lucrum accipiat tanquam pretium, et mutuatarius illud ut tale solvit; vel se habet ex parte solius mutuatarii, quatenus dat lucrum ut pretium, et mutuans accipit bona fide ut gratis datum; vel se habet ex parte solius mutuantis, quatenus mutuatarius dat gratis, et mutuans recipit uti pretium. Si primum, est restituendum; tunc enim non adest titulus legitimus retinendi. Si secundum, tenetur restituere, cum noverit mutuatarium non gratis praestitisse; quia licet non teneatur restituere ex injusta acceptione, tenetur tamen ex re accepta. Si tertium, potest lucrum retinere, sed interim est culpandus ob malam conscientiam, quam habet. Ita S. Lig. Op. mor. lib. 3, n. 761.

Q. Quid dicendum de Montibus Pietatis, ut vocant?

R. Montes Pietatis definiri possunt: *Cumulus pecuniarum ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, ex illis mutuo accipere possint ad tempus, quae sibi sunt necessaria;* et ideo *pietatis* dici solent cum pium sit pauperum necessitati providere.

Si mons sit valde dives, nihil est percipiendum. Ita S. C. C. penes Benedict. XIV, De Syn. Dioec. lib. 10, c. 5; S. Lig. Op. mor. lib. 3, n. 765, et alii. Si non sit valde dives aliquod auctarium exigitur ratione tantum expensarum ad alendos ministros, aliaque onera sustinenda.

§ 2. *De titulis ab usura excusantibus.*

Q. Quid est titulus?

R. Hic nomine tituli intelligitur *ratio, cujus intuitu aliquid in mutuo exigitur.* Titulus intrinsecus mutuo esset v. gr. aliqua temporis mora, ob hunc titulum nequit aliquid recipi.

Q. Quot sint veri tituli mutuo extrinseci, ob quos licet aliquid exigere supra sortem?

Nota. Ante responsionem notandum, quod mutuum dupliciter considerari potest, nempe mutuum in strictu sensu, seu proprie, vel in lato sensu, seu improprie sumptum. Mutuum *proprie et stricte sumptum*, est contractus essentialiter gratuitus, qui enim dat mutuum, debet ex pura liberalitate se obligare ad illud omnino gratis exhibendum, juxta illud: *Mutuum date, nihil inde sperantes.*— Mutuum *late sumptum* est illud, quod fit cum aliquo lucro intra aequitatis, et justitiae limites. Ideo dum nomine appellatur mutuum, revera est contractus onerosus, idest locationis, sicut docet Alphon-

sus Tostatus (in cap. 25 Matth. quaest. 181): *Si pro usu rei (aliquid petitur), aut accipitur pecunia, aut alia res; si alia res est contractus innominatus... Si autem pecunia recipiatur, erit contractus locationis. Et ideo cum debeat mutuum esse gratuitum, si non sit, desinit esse mutuum, et est alius contractus etc.* Ita pariter sentiunt Petrus de Ancharano in 5 decret. tit. 19, cap. 1, et Card. Hostiensis sum., lib. 5, de usuris, § 1.

R. 1° Tituli mutuo stricte sumpto sunt quatuor, nempe: 1° *Damnum emergens.* 2° *Lucrum cessans.* 3° *Periculum sortis.* 4° *Poena conventionalis.*

R. 2° Tituli mutuo late sumpto sunt quinque; iis enim recensitis adjungitur *Lex civilis.*

Q. Pecunia potestne esse materia tam mutui stricte sumpti, quam mutui late sumpti?

R. Affirmative in utroque casu. Quoad primum enim a nemine potest in dubium revocari. Quoad secundum hodie pro certo est habendum: nam per consolidata, arcas parcimoniae, et alias plurimas, ac diversas laudabiles institutiones pecunia adeo fructum reddit, ut majori pretio fit aestimabilis, quam bona rustica et urbana. Insuper id comprobat consuetudo in orbe terrarum ubique etiam apud ipsos timoratos recepta. Praeterea Ecclesia tam pro fidelibus, qui unico titulo legis praetendunt recipere lucrum in mutuo, tam pro praesbyteris edocentibus, legem principis esse titulum sufficientem percipiendi lucrum, respondit: *Non esse inquietandos* (S. Congr. S. Officii die 31 aug. 1830). His notatis sic argumentatur:

Verba *non esse inquietandos* aliter accipienda sunt quando agitur de privatis operationibus nonnullorum fidelium, et aliter quando agitur de doctrina, quae a sacris ministris in foro conscientiae edocetur. In actionibus enim privatis Ecclesia pia mater quandoque sic respondet, ne fiat peccatum mortale, quod non est tale ratione simplicitatis, ac bonae fidei filiorum suorum. Sed cum de doctrina agatur fidelibus tradenda, nullo modo potest ita respondere, si minima inhonestas in ea reperiatur; secus enim immoralitate conciliaretur, quod nefas est cogitare. Atqui S. Alphonsus ad hanc formulam, *Non sunt inquietandi*, datam iis, qui dictum lucrum ex mutuo faciebant, istam glossam subjecit: *Quae verba non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significant* (lib. 6, n. 765). Ergo majori cum securitate, ac morali certitudine debent accipi illa verba *non sunt inquietandi* data praesbyteris edocentibus liceitatem

percipiendi lucrum a mutuo unico titulo legis civilis. Pecunia igitur licite potest esse et revera est materia etiam mutui late sumpti.

Q. In quibus casibus nequit fieri mutuum late sumptum; et in quibus potest fieri?

R. 1° Quando proximus constitutus in gravi necessitate petit mutuum ad sustentationem sui, vel familiae; tunc enim urget praeceptum: *Mutuum date, nihil inde sperantes;* cum mutuans vi praecepti charitatis teneatur velle pecuniam a se mutuatam applicari ad solam pauperis sustentationem. Quod si aliquid supra sortem accipiat, tenetur restituere ex charitatis officio, non vero ex justitiae debito. In hoc enim casu renuntiare lucro ex sola charitate debet.

R. 2° Potest fieri mutuum late sumptum quando proximus petit mutuum vel ad negotiationem faciendam, vel ad rebus domesticis meliori modo consulendum; vel mutuum petit pauper, qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat, se ope istius pecuniae adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit. Nam praeceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem, et suum pretium retinet.

Q. Quid sit damnum emergens, et quid lucrum cessans?

R. 1° Est *detrimentum, quod in suis rebus patitur mutuator ratione mutui.*

R. 2° Lucrum cessans est *id, quod servata re vel pecunia sua lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.*

Tam ob damnum emergens, quam ob lucrum cessans licet mutuanti aliquid exigere a mutuatario: *Hoc enim*, ait D. Thomas (2, 2, q. 62, art. 4), *non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare.* Sane non patitur aequitas, ut quis lucrum amittat, vel damnum sentiat ex beneficii collatione.

Q. Quot sint conditiones, ut tituli damni emergentis, et lucri cessantis sint justi?

R. 1° Ut mutuum sit vera causa damni, aut lucri cessantis. 2° Ut mutuatarius moneatur de damno emergente, aut lucro cessante, alias non consentiret in illorum compensatione. 3° Ut auctarium non sit majus damno orto ex mutuo, aut lucro sperato, deductis expensis faciendis, et periculis incurrendis. 4° Ut mutuans non exigat compensationem lucri cessantis statim mutuo dato: nec cogat mutuatarium ad aliquid solvendum pro damno probabiliter eventuro, si velit se obligare ad solvendum totum damnum, quod reipsa contigerit.

Q. An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?

R. Affirmative probabilius cum S. Lig. n. 769. Ratio est, quia etiam tunc mutuatarius, cum mutuum acceptat, est vera causa damni emergentis. Mutuans enim non offert absolute, sed sub conditione compensationis obtinendae. Ita Gury.

Q. An liceat mutuanti ab initio pacisci de certo lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?

R. Affirmative; dummodo proportio juxta damni probabilitatem servetur. Ita S. Lig. n. 770, Salm. c. 3, et alii.

Q. An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniae mutuum, si aliam pecuniam otiose serves?

R. Affirmative, si hanc reservaveris ad usum familiae, vel ne tuum statum probabili periculo esponas; quia non teneris ratione mutui tuam rem negligere. Ita S. Lig. n. 771. Secus nihil exigere poteris; quia si posses exigere, tunc mutuum non amplius esset contractus natura sua gratuitus, sed semper per se esset causa cur lucrum cessaret; ac proinde vi mutui ipsius aliquid semper exigi posset; quod est contra Ecclesiae doctrinam, et communitatem Doctorum: ergo in hoc non est audiendus Gury.

Q. Quid et quotuplex est periculum sortis?

R. Est *timor prudens, ne sors recuperari possit.*

Duplex est, commune seu ordinarium, et particulare seu extraordinarium.

Q. Quodnam ex istis sit justus titulus?

R. Est solum periculum extraordinarium, ait enim D. Thomas (opusc. 73, de usu, a. cap. 1): *Propter periculum futurae difficultatis in sorte recipienda licet carius justo vendere, dare* etc. Non vero periculum ordinarium, quia est intrinsecum mutuo.

Periculum sortis est legitimus alicujus lucri titulus. Ratio est, tum quia si abdicata spes lucri pretio est aestimabilis, aestimabile erit a fortiori periculum damni probabilis; tum quia pluris aestimantur res in tuto, quam in periculo positae; tum etiam quia constat ex decisione *Sac. Congreg. de Propaganda* pro Missionariis Sinensibus ab Innoc. X approbata, anno 1645. Vide S. Lig. n. 765. Excipe si mutuatarius sortem per pignus assecuret; quia sic periculum cessat. S. Lig. ibid.

Q. In quo consistit poena conventionalis?

R. In hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore praefixo illam non restituat.

Poena conventionalis legitimus est titulus accipiendi praeter sortem id, de quo conventum est; quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii praecaveatur. Ita S. Ligorius n. 766.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut poena conventionalis sit legitimus titulus?

R. Sunt tres: 1° Ut mora debitoris sit notabilis, et culpabilis. 2° Ut poena non apponatur in fraudem usurariam, sed sola voluntate sortem recuperandi. 3° Ut poena sit moderata, et culpae proportionata. Ita S. Lig. n. 766, et alii communiter.

Q. In qua ratione fundatur justitia hujus tituli poenae conventionalis?

R. In hac, nempe quia mutuatarius differendo culpabiliter solutionem debiti, peccat contra jus mutuantis: ergo potest juste puniri poena proportionata.

Q. In quo consistit titulus legis civilis?

R. In hoc, nempe quod lex civilis permittit lucrum quinque pro centum in materia civili, et sex pro centum in materia commercii; in quibusdam locis ubi floret commercium decem, vel duodecim pro centum.

Q. Utrum lex civilis admitti possit ut titulus legitimus in foro conscientiae?

R. Acriter inter Theologos disputatum fuit. Verum nunc post responsionem SS. Pontificum Pii VIII, et Gregorii XVI: *Non sunt inquietandi, donec S. Sedes aliquid circa hoc definierit*, apud recentiores Theologos communiter habetur ut titulus legitimus etiam in foro conscientiae. Nam sufficientia motiva habet legislator id faciendi, nempe impedit lites circa existentiam, extensionem, et valorem aliorum titulorum; commercium fovet; industriam excitat; enormes usuras extinguit conveniens lucrum civibus praebendo; adjuvat cives, qui secus nec commercium, nec industriam exercere valerent, etc. Quae omnia sunt maxima bona in societate.

Q. Quibusnam liceat percipere 6 pro 100 ratione commercii juxta legem civilem?

R. Licet: 1° Certo mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuantibus, quia omnino de commercio agitur. 2° Licet etiam mercatoribus respectu aliorum non mercatorum, quia lex favere com-

mercio intendit. 3° Si agatur de aliis non mercatoribus respectu mercatorum controvertitur: negant communius; quia lex, quae mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret, si interesse majus solvere deberent. — Affirmant plures etiam inter jurisperitos; quia verba legis sunt generalia *in materia commercii*, nec constat qualis sit sensus genuinus illorum verborum. Sed nos dicimus: si mutuator cogat, aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum prima tenenda est sententia: secus, secunda licite potest teneri; quia non apparet sufficiens ratio, cur mutuator in gratiam alterius debeat amittere illam partem lucri.

Nota. Non ideo posset quilibet non mercatoribus etiam ab alio non mercatore 6 exigere; eo quod mercatori mutuare potuisset; nam nullo modo in commercio pecuniam reponit; nec ratione damni emergentis inniti valeret, cum lex unice intendat commercio favere.

Q. An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit 5, vel 6 pro 100?

R. Affirmative, si lex, perpensis omnibus circumstantiis, videatur justa, idest appareat aequalitas inter lucrum lege permissum, et valorem usus pecuniae, aut pericula sortis. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, nec non ad pecuniae raritatem, ex qua ejus pretium, et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.

Q. An, vel quatenus requiratur bona fides ad lucrum ex mutuo percipiendum titulo legis civilis?

R. Requiritur respectu peccata vitandi, quae consistit in conscientia certa etc. Non vero respectu justitiae, quia est quid mere indifferens; siquidem mala fides efficere non potest, ut contractus, qui in se saltem probabiliter justus est, usurarius evadat; et in contractibus omnis conventio probabiliter justa, consensu partium certo justa evadit.

Q. An liceat excedere taxam legalem in mutuo ratione damni emergentis et lucri cessantis?

R. Negative respectu pauperum, vel aliorum, qui in necessitate mutuum petunt. Si pecuniam in utilitatem alterius tradatur, controvertitur. Prima sententia affirmat ratione justae compensationis. Secunda negat; quia compensationes damnorum provenientium ex obligatione pecuniaria exigi possunt juxta taxam legalem. In praxi haec secunda potest teneri tantum in casu, in quo mutuator cogat, aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum: secus non apparet

ratio, cur mutuator emergentis damni detrimentum in gratiam alterius subire debeat.

Q. An liceat percipere interesse ex ipso interesse ?

R. Affirmative ex lege civili etiam pro foro interno, dummodo terminus contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit, et adfuerit petitio judiciaria ac praecesserit conventio sive explicita, sive implicita, et ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat. Ita Gury cum aliis.

Nota. Non sunt obligandi ad restitutionem poenitentes, qui lucrum acceperunt juxta legem cum mala fide, idest putantes se tale lucrum percipere non posse ; quia ex eo quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur eos fuisse injüstitiae reos.

Qui urgeret poenitentem ad restitutionem in hoc, ipse ad damnum poenitentis resarciendum adigendus foret; siquidem ex doctrina communiter recepta Confessarius indebitam restitutionem temere praescribens, damnum illatum tenetur reparare.

Laudandae sunt institutiones seu arcae parsimoniae, subveniunt enim viduis, famulis, pauperibus, etc., dum modica eorum pecunia quodammodo accipitur mutuo et census ipsis rependitur.

Nequit exigi duplum lucrum propter alium titulum praeter illum legis civilis, v. gr. Si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro quinque, decem exigere non potes ob accedentem legis titulum; quia, juxta omnes, saltem quando lucrum cessans, vel damnum emergens non excedit taxam legalem, nihil praeter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis adversetur.

Pariter qui mutuo accipit pecuniam juxta taxam legis, non ideo eandem pecuniam alteri remutuandi exigere decem potest; quia deficit titulus ad quinque superflua accipienda. Permittitur tamen nummulariis (*banchieri*), qui ex statu suo mutuum frequenter accipiunt, ut remutuare valeant aliquid ultra taxam legis, v. g. 1 pro 100 ratione laboris, temporis, impensarum etc. — Item non videtur contra legem civilem aut naturalem per se, quod quis mutuo accipiat pecuniam pro 3 vel 4, et eandem remutuet pro 5 in 100.

CAPUT III.

De contractibus onerosis.

Q. Quot sunt contractus onerosi?

R. Sunt sequentes, nempe locatio, conductio, emptio, venditio, cambium, census, emphyteusis, feudum, contractus societatis, pignus, hypotheca et transactio.

ARTICULUS I.

DE LOCATIONE, ET CONDUCTIONE.

Q. Quid sint conductio, et locatio?

R. 1° Conductio est *contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio comparatur.*

R. 2° Locatio est *contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio conceditur.*

Nota. Locatio et conductio sunt unus idemque contractus, qui ex parte dantis *locatio*, ex parte accipientis *conductio* appellatur.

In locatione generatim haec sunt attendenda: 1° Locatio fieri potest scripto, aut verbo. 2° Locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat. 3° Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad haeredes transit. 4° Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat juxta locorum consuetudinem et rei locatae naturam.

Q. Quaenam sunt obligationes locatoris?

R. Tenetur: 1° Rem non locare pretio justo pluris. 2° Aperire conductori vitia rei locandae occulta et noxia. 3° Impensas in rei reparationem necessario factas solvere. 4° Remittere, vel minuere pensionem, quando ob casum fortuitum conductor nullum omnino, vel modicum fructum ex re conducta percepit. Excipe, nisi conductor aliter convenerit. 5° Non locare rem suam ei, qui ea male usurus est. 6° Rem ante tempus constitutum non potest repetere. Excipe, si non solverit pensionem in locato trium. vel quatuor annorum, statuto tempore; et per biennium, in locato quinque, vel

decem annorum: si casus improvisus accidat: si re locata abutatur: si egeat refectione.

Q. Quaenam sint obligationes conductoris?

R. Praecipuae sunt: 1° Non uti re locata, nisi ad usum concessum. 2° Pensionem, statuto tempore, solvere. 3° Non dimittere ante tempus constitutum. 4° Rem locatori remittere in bono statu. 5° Modicas impensas necessarias ad conservationem rei solvere.

Q. Ex qua culpa teneatur conductor locatori?

R. In foro externo tenetur de culpa levi. In foro interno probabilius requiritur gravis culpa theologica.

Q. Quid juris, si domus locata incendio pereat?

R. In foro conscientiae ad nihil tenetur locatarius, si absque sua culpa fuerit incensa. In foro externo de damno tenetur, nisi probet illud accidisse citra ullam, etiam juridicam suam culpam.

Q. Quid dicendum de locatione operum?

R. Locator famuli vel operarii tenetur cum eo de justa mercede convenire, qualis est, quae communiter talibus dari solet. Si determinatio mercedis fuit relicta ad conductoris arbitrium, hic justam, saltem infimam, dare debet. Herus autem famulum ante tempus dimittens sine sufficienti causa, damnum inde emergens resarcire tenetur. — Si famulus vel operarius ultro sese offerat, tuque eo non egeas, sed ex charitate tantum suscipias, quid ei dare debeas dicetur in § de Compensatione.

Q. An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis ob grandinem, vel ob aliud infortunium extraordinarium?

R. Negative. Nam consuetudo generalis introduxit, ut si ingens sit jactura, aliquid remittatur. Excipe, nisi in fructibus per alios annos perceptis aequa detur compensatio. Ita S. Lig., n. 860, Gury, etc.

Q. An tributum solvendum sit a locatore, vel a locatario?

R. Seclusa speciali conventione, locator tributa solvere debet; quia non solum est rei dominus, sed ne usumfructum quidem transtulit, nisi modo successivo et de die in diem.

Q. An nuntius proficiscens in certum locum, licite possit a pluribus integram accipere mercedem?

R. De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. De nuntio duplex est sententia probabilis. Sed sententia affirmans tuto teneri potest, modo non laedat jus prioris; quia nuntius primo

non locavit totam suam virium capacitatem, sed tantum, quantum erat sufficiens ad opus ipsi praestandum; si ergo ei remanet vis, vel facultas et secundo et tertio serviendi, cur id facere non poterit? Ergo potest et ab aliis emolumentum recipere.

Q. An qui succedit locatori in re locata, possit ante completum terminum conductorem expellere?

R. Negative, ut patet.

ARTICULUS II.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

Q. Quid est emptio, et quid venditio?

R. Emptio est *pactio pretii dandi pro merce.* Venditio vero est *pactio mercis dandae pro pretio.*

Q. An venditor teneatur rei defectus manifestare?

R. Distinguendum: vel defectus sunt substantiales, vel accidentales; occulti, vel manifesti; vel de iis venditor interrogatur, vel non. In omni casu tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia; idest ea omnia, quae rem faciunt aliam, vel eam reddunt noxiam, aut notabiliter inutilem ad finem notum emptoris; secus de pretio tenetur. Ita ex omni jure.

Venditor interrogatus tenetur omnia vitia occulta manifestare, etiamsi rem noxiam, aut inutilem non reddant; secus enim dolum committeret. Quare si dolus fuit vera causa emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit incidens tantum, ita ut, cognito vitio, emptor etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor. — Si autem venditor non sit interrogatus, et vitium occultum non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet; quia aliter res pluris venderetur, quam valeat.

Venditor non tenetur per se ostendere vitia accidentalia de se manifesta, modo imminuat pretium pro rata defectus; quia tunc non fit injuria emptori, nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. Excipe, si emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum; vel si venditor specialiter interrogetur de tali defectu. Ita S. Lig., n. 823.

Q. An venditor teneatur de omnibus damnis et vitio rei venditae sequentibus?

R. Non tenetur, nisi de damnis praeviis; quia non potuit suscipere obligationem quoad ea, quae ne in confuso quidem praevidit.

Q. Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante, vel post traditionem?

R. 1° Ad nihil tenetur, si pereat ante traditionem ex casu fortuito; licet venditor servet rei dominium, donec tradita fuit. Ita S. Lig., n. 828.

R. 2° Si res pereat ante traditionem ex culpa venditoris, tenetur de pretio et sumptibus contractus, quia rem ut suam custodire debebat.

R. 3° Si res pereat post traditionem ex vitio intrinseco, quod tempore traditionis existebat, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum, et solvere expensas contractus, si quae sint. Ratio est, quia vendidit rem inutilem, seu nullius valoris; ideo adfuit error circa substantiam contractus.

Q. Quaenam sunt obligationes emptoris?

R. Tenetur: 1° Solvere pretium loco, tempore et modo determinato in contractu; secus venditor potest contractus rescissionem petere. 2° Tenetur solvere foenus pro pretio non soluto a die quo rem possidet, si res sit frugifera, licet per accidens nullos fructus dederit a tempore venditionis; quia non est aequum, ut emptor simul rem et pretium habeat. Si vero res non sit fructifera, non tenetur ad foenus solvendum, nisi in mora culpabili fuerit, nec aliter conventum fuerit. 3° Tenetur solvere expensas factas pro asportatione rei venditae, et pro sumptibus necessariis ad rei conservationem a die venditionis.

Q. Ad quid teneatur venditor quoad rei traditionem?

R. Debet: 1° Tradere emptori rem, et accessoria loco et modo, de quibus in contractum conventum est. 2° Rem tradat, statuto tempore, secus emptor indemnitatem petere potest. 3° Tenetur tradere rem vacuam ab alterius possessione, et aliis oneribus inconsuetis.

Q. An venditor teneatur emptorem indemnem reddere circa rem, quam ille vendidit?

R. Affirmative, et tum ab evictione, si forte res a tertio vindicetur in toto, vel in parte, vel gravetur servitute; tum a vitiis occultis, si inde valor notabiliter minuatur: secus non servaretur aequalitas, et damnosa haberetur deceptio.

Q. An venditor teneatur de omni vitio, quod contingit in sua merce?

R. Vitium in merce, vel est circa substantiam, et tunc venditio nulla est; etsi fiat ex ignorantia, et sine malitia; quia deficit tota contractus materia. Vel est circa quantitatem, vel circa qualitatem, ut si vendatur vinum aqua commixtum pro vino puro, et nunc venditio valida est, modo tale vitium non impediat quominus adhuc res emptori sit conveniens, et de pretio subtrahatur quantum oportet.

Nota. Ex jure civili emptor potest, vel rescindere contractum, vel petere compensationem, si vitium tale sit, ut eo cognito, non contraxisset. — Venditor vero si vitia non ignoraverit tenetur de damnis: imo eidem in illo casu poena constituta est tum carceris, tum mulctae pecuniariae.

Q. Quid si venditor protestetur, se nolle rationem reddere de quolibet rei suae defectu?

R. Videtur tunc ad nihil teneri venditorem; quia emptor satis apparet admonitus, ut sibi consulat.

Nota. Ad tollendas innumeras lites hoc satis videtur cohonestari ex consuetudine praesertim in magnis nundinis; dummodo res ultra pretium justum, saltem supremum non vendatur, habita ratione illius vitii occulti.

Q. An et quomodo vendi possint jura incorporea certa, vel incerta, seu litigiosa?

R. Ad 1um Jura incorporea, ut chirographa, credita, jus ad haereditatem apertam, si certa sint, vendi, vel quocumque alio titulo ad alium transmitti possunt, sicut caetera jura.

R. Ad 2um Jura litigiosa, seu circa quae lites moventur, pariter vendi possunt pro parte rata probabilitatis fortunae secundae. Ita omnes.

Q. Ad quem pertineant commodum, et fructus rei venditae?

R. 1° Omnes fructus, et emolumenta rei venditae, et traditae pertinent ad emptorem: 1° Quando solvit pretium, vel de praesenti obtulit. 2° Quando cautionem fidejussoriam, vel pignoratitiam praestitit. 3° Quando emptori ad solvendum concessa est dilatio.

R. 2° Omnes fructus pendentes rei venditae, sive qui tempore contractus adhuc haerent rei, sive maturi sint, sive immaturi, pertinent ad emptorem, licet nondum solverit pretium. Ratio est, quia in jure fructus pendentes pars fundi videntur. — Sic dicendum etiam, qui primum post contractum peractum nascuntur, casu quo res nondum sit tradita.

Nota. Dissolvitur contractus emptionis, et venditionis: 1° Per mutuum consensum. 2° Per pactum retroventitionis. 3° Per pactum legis commissoriae, v. gr. Si quis hoc modo vendat: vendo tibi hanc rem cum pacto, quod si intra annum pretium non solvas, res erit inempta. 4° Per pactum adjectionis in diem. 5° Per conditionem non adimpletam.

Q. Dissoluto contractu emptionis, et venditionis uno ex his modis, cui debentur fructus interea percepti?

R. Si contractus dissolvitur per mutuum consensum, vel per pactum retroventitionis, fructus spectant ad emptorem. Si vero dissolvatur uno ex aliis tribus modis, videndum: si contractus celebratus sit verbis directis, fructus spectant ad venditorem; si verbis obliquis, spectant ad emptorem.

Celebratur contractus verbis directis quando dicitur, v. g. Res sit inempta *nunc pro tunc.* Celebratur verbis obliquis, quando dicitur *tunc pro nunc.* In primo casu venditio est nulla a principio; in secundo casu est valida, sed rescindibilis.

Q. Quam vim arrhae venditioni addunt?

R. Si apponantur promissioni venditionis tantum non confirmant contractum: sed si resiliat is, qui arrhas alteri tradidit, eas simpliciter amittit; contra si resiliat is, qui eas accepit, duplum restituere debet, idest arrhas acceptas, et insuper valorem illis aequalem. — Si apponantur ipsimet venditioni sunt argumentum venditionis contractae; pro parte enim pretii computantur. In dubio autem an promissioni contractus, vel ipsimet contractui adjectae fuerint, pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adjectae censentur.

Q. Cuinam debeatur res, quae duobus ex intervallo fuit vendita?

R. Si res neutri tradita sit, debetur priori emptori, nam *qui prior est tempore, potior est jure.* Si tradita sit secundo emptori ad ipsum pertinet, modo hic bonae fidei fuerit; quia traditione rei acquiritur jus in re; exceptis duobus casibus, nempe: 1° Si res venditae sint Ecclesiis, vel aliis piis causis, quia absque traditione transfertur dominium (leg. fin. de sacros. Eccles.). 2° Si res priori emptori in securitatem contractus hypothecata sit. Ita ex jure communi.

Q. Quodnam jus competat priori emptori?

R. Ipsi competit actio in venditorem, vel ut, rescisso secundo contractu, rem sibi tradat, vel compenset interesse. Ita S. Lig. n.827.

§ 1. *De evictione.*

Q. Quid est evictio in contractu emptionis, et venditionis?

R. Est *actio emptoris apud judicem contra venditorem, vel e contra ad servandum se indemnem.*

Evictio habet locum in aliis contractibus onerosis, et etiam in aliquibus contractibus gratuitis, quando nempe habent pactum de evictione, vel quando donator mala fide se gessit, donando nempe rem furtivam, unde damna donatario obvenerunt.

Q. Quandonam venditor teneatur de evictione rei, et quandonam non tenetur?

R. 1° Tenetur: 1° Quoties emptor juridice deturbatur a possessione rei emptae. 2° Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum, quando deprehenditur rem venditam pertinere certo ad tertium hic et nunc reclamantem. Sed non tenetur in conscientia ante sententiam judicis, nisi omnino certo ipsi constet, rem revera esse illius tertii.

R. 2° Venditor non tenetur ad evictionem: 1° Quando pactum est de non praestanda evictione. 2° Quando emptor sciens esse rem litigiosam, vel periculo obnoxiam, emit se subjiciendo illius periculo. 3° Quando emptor non denunciat venditori litem motam, ut eam defendat.

§ 2. *De justo pretio.*

Q. In quo sita sit venditionis, et emptionis justitia?

R. In eo, quod inter mercem, et pretium servetur aequalitas.

Q. Quodnam sit justum pretium rerum venalium?

R. Est illud quod exaequat valorem rei venalis in genere moris, scilicet in ordine ad usum, et utilitatem, quam omnibus afferunt.

Q. Quotuplex est pretium rerum venalium?

R. Duplex, legale seu legitimum, et vulgare seu naturale. *Legale* est illud, quod lege principis, vel magistratus decreto taxatum est. — *Vulgare* est illud, quod communi hominum intelligentium aestimatione constituitur, spectatis omnibus circumstantiis, nimirum copia, vel inopia mercium, venditorum etc.

Q. In quo differunt pretium legale, et vulgare?

R. Differunt in hoc, quod pretium *legale* consistat in indivisibili mathematico, ita ut qui vendit supra taxam, graviter peccet ...

ad restitutionem excessus teneatur. — Pretium vero *vulgare* habet quandam latitudinem, intra quam licet pluris vendere, et minoris emere.

Q. Quotuplex est pretium vulgare?

R. Triplex, nempe summum, medium, et infimum. *Summum*, seu rigorosum est illud, quod vendens non potest excedere absque injustitia. — *Medium*, seu moderatum est illud, quod vendens potest augere usque ad rigorosum, et emens minuere usque ad infimum. — *Infimum*, seu pium, est quod emens minuere non potest absque injustitia.

Q. Quomodo possit definiri latitudo justi pretii?

R. Per hanc Lessii regulam, nempe *ut latitudo sit minor, si res sit minus pretiosa, et major si res sit pretiosior;* v. g. Si pretium medium sit 20, infimum erit 19, summum erit 21; item si pretium medium sit 100, infimum erit 95, summum erit 105. In primo exemplo, latitudo est trium aureorum, in secundo est decem.

Q. An liceat ei, qui pretio infimo mercem vendidit, reducere pretium ad medium, vel summum, occulte aliquid de re subtrahendo?

R. Negative; quia non licet agere contra conventionem, et contra jus alterius ex ea acquisitum.

Q. Undenam vulgare rerum pretium peti debeat?

R. Ex variis circumstantiis, quae sunt causae pluris vendendi, vel minoris emendi.

Q. Quot sint causae pluris vendendi?

R. Sine laesione justitiae sunt sex, nempe: 1° Ratio damni emergentis, vel lucri cessantis. 2° Ratio singularis bonitatis, aut raritatis mercium. 3° Ratio specialis molestiae obventurae ipsi venditori ob peculiarem affectum erga rem suam, ut tradunt communius ac verius. 4° Ratio modi, quo merces venduntur, si pretium non sit taxatum. 5° Ratio temporis, quo pretium tradendum. 6° Ratio periculi in pretio exigendo.

Q. An pretium vulgare possit etiam minui sine injustitia?

R. Emptor potest quid minoris tuta conscientia solvere in iis casibus: 1° Ratione copiae mercium, et paucitatis emptorum. 2° Ratione modi, quo res venditur (*all'ingrosso*). 3° Ratione temporis, quo res tradenda est.

Q. An liceat minoris emere merces ultroneas?

R. Affirmative in communi et veriori sententia, juxta illud proverbium: *Ultroneas putere merces*. Imo probabilius Caietanus, Spo-

rer, et alii censent rem istam vilescere pro tertia parte ordinarii valoris.

Q. Quid si merces fiant ultroneae ob solam paupertatem vendentis?

R. Duplex est sententia. Prima cum Busembao, et aliis affirmat licite posse minoris emi, quia res ultronea juxta communem aestimationem pretio decrescit. Inopia autem venditoris non efficit, ut communis aestimatio mutetur. — Secunda aequior, et probabilior, et omnino suadenda cum Salmat., Tournely, Scavini, et aliis, negat licite posse minoris emi, quia charitati adversari videtur: nisi ematur in solam gratiam venditoris ipsius, ita ut alias non emeretur.

Q. Quid dicendum de illis, qui mendaciis, atque perjuriis alios inducunt ad merces carioris emendas?

R. Quamvis peccent saltem venialiter mentiendo, et graviter in perjurando; tamen non tenentur ad restitutionem, cum haec communiter habeantur, ut quaedam tantum stratagemmata ad emptores facilius alliciendos.

Q. Quid si venditio supra pretium legitimum, vel vulgare bona fide contigerit, vel si utrique contrahentes valorem rei prorsus ignorent; et ideo sese mutuo commiserint sorti in contrahendo?

R. In primo casu decipiens tenetur id saltem restituere in quo factus est ditior, idest in quo suis ideo pepercit, ne ditescat de alienis. — In secundo casu valet contractus; etsi postea detegatur deceptio; quia censetur uterque sibi invicem voluisse excessum concedere.

Nota. Item si venditor infimo pretio vendat rem suam, ignorans verum ejusdem valorem, licet eandem emere; non enim adest obligatio monendi venditorem de ignorato valore, cum nullo modo eum positive decipiat, aut cogat ad vendendum.

Q. An pretio currenti vendi possunt merces, quas ex notitia peculiari dominus certo scit mox valituras esse multo minoris?

R. Affirmant communiter Antoine, Lessius, et alii cum D. Thoma; quia non est inspiciendus valor mercis futurus, sed praesens, qui non pendet a notitia particulari; modo absit omnis fraus. Excipe autem, si emptor reduceretur ad gravem necessitatem; vel quando posset vendere pluribus, et vendat uni; tunc enim peccaret contra charitatem.

Nota. In justitiae rigore potest etiam quis in emendo adhibere illas pecuniae species, quas privatim scit, brevi esse prohibendas; modo absint mendacia, vis, et fraudes.

Q. An liceat merces supra latitudinem justi pretii vendere ad creditum (*a credenza*), et an ob anticipatam solutionem liceat emere infra latitudinem justi pretii?

R. Duplex est sententia: prima neutrum licere affirmat, nisi adsit alius titulus justus. — Secunda sententia, quam tenent Lessius, Salmatic., Sanchez, et alii, quibus subscribimus, utrumque licere affirmat; etsi nullus alius sit titulus; quia in primo casu pauci sunt venditores, et multi emptores; in secundo casu pauci sunt emptores, et multi venditores: hoc efficit, ut licita reddatur dicta venditio, vel emptio; quia hoc est pretio aestimabile.

Q. A quo tempore sumendum sit pretium rei quae, anticipata solutione, emitur; v. g. Tempore hiemis emuntur lanae, quae non tradentur, nisi mense junio, quo carius venduntur?

R. Ordinarie loquendo, sumendum esse a tempore, quo res traditur, quia debet esse aequalitas inter pretium, et rem venditam. Diximus *ordinarie*, quia pretium etiam sumitur licite a tempore, quo pretium tradendum est. Hinc si quis hodie vendit triticum, et pretium tradendum sit tempore, quo triticum pluris erit valiturum, potest tanti supra commune pretium vendere, quanti tunc lebit; secus damnum emergeret venditori. Verum hoc fieri potest, modo sequentes conditiones sint: 1° Ut illud in id tempus esset servaturus. 2° Ut deducantur impensae, quas ipse fecisset in tritico servando. 3° Ut moneatur emptor de tali damno emergente.

Q. An credita, vel chirographa vendi possunt?

R. Affirmative; quamvis non adsit consensus debitoris; nam quilibet potest pacisci de eo, quod suum est, et est pretio aestimabile.

Q. An liceat chirographa, seu credita, et census minoris emere, quam contineant?

R. Distinguendum: Si chirographa sint certa et liquida non licet minoris emere, seclusis gravibus incommodis, et difficultatibus in illis exigendis. Si sint litigiosa, vel incerta fatentur omnes minoris emi posse, habita ratione periculi, laboris, difficultatis; quae omnia sunt pretio aestimabilia.

Q. Quid dicendum de sartore, qui pannum pro aliis emit?

R. Si fideliter negotium domini gerat, minoris merces emendo, et ex alia parte mercator aliquid ei donaverit in ejus gratiam; tunc licite potest sibi retinere donatum. Sed caute hic procedendum, ne justitia laedatur.

Q. An venditor rem carius vendere possit ob specialem affectum, quem erga eam experitur, vel commoditatem, quam ex ea percipit?

R. Ad 1um Affirmative; quia affectus domini ad rem suam est vere pretio aestimabilis cum privatio rei sit pro ipso major. Ita communiter.

R. Ad 2um Affirmative; siquidem privatio specialis commodi reddit rem multo pretiosorem venditori; et aequum est, ut pretium augeat ratione majoris jacturae, quam patitur. Ita S. Thomas 2a 2ae, q. 77, ar. 1.

Q. An venditor rem possit carius vendere eo quod sit emptori valde grata, vel utilis, vel necessaria?

R. Negant communiter Theologi cum D. Thoma contra nonnullos recentiores; quia major utilitas, vel affectus non est venditoris, et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet quod suum non est. Ita S. Thomas q. 77 ut supra.

Q. An possit quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis in se, si propter circumstantiam specialem ipsi emptori fiant solutu facilia?

R. Affirmative probabilius contra Pontas; quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re quae venditur, sed ab ipso emptore, et ideo habetur quasi industria, vel bona fortuna emptoris.

Q. An res quae non habent pretium legale, nec vulgare determinatum, ut sunt quaedam gemmae, veteres picturae, possint vendi quanti dominus voluerit?

R. Debent vendi secundum aestimationem in hisce materiis intelligentium, spectatis omnibus circumstantiis. — Sed in praxi non sunt inquietandi, qui bona fide, et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt; etsi postea detegatur error.

Q. An peccent contra justitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quando venales exponuntur apud veteramentarios?

R. Negative; quia res illae censentur amisisse pretium antiquum, et aliud accipere consuetudine, seu contrahentium conventione.

Q. An, vel quomodo peccent mercatores, qui interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exagerant?

R. Cum distinctione: si revera intendant hoc pretio vendere, et vendunt, peccant contra justititiam, et tenentur ad restitutionem. — Si vero intendant dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad justum pretium deveniant, excusantur; quia notum est, et

consuetum mercatores ita loqui, ut emptores ad justum pretium perducant.

Nota. Peccant contra justitiam, qui rem venditam infimo pretio, ante traditionem imminuunt, vel adulterant: agunt enim contra pactum cum emptore initum: et non licet mercatori, qui infimo, vel mediocri pretio vendat, occulte sibi comparare pretium mediocre, vel summum imminuendo qualitatem mercis, aut de mensura vel de pondere detrahendo; secus inutiles prorsus forent conventiones.

Quare sunt reprobandi illi, qui merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ad se attrahant; deinde vero pondus aut mensuram corrumpunt; sic enim emptores decipiuntur injuste.

Pariter omnino reprobanda est praxis mercatorum, vel artificum, qui ut ad suam officinam plures attrahant, solent munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias etc.; postea vero hujusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra justitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes injuste refundendas. — Secus vero si cum ipsis justum pretium servent.

Q. An liceat vendere res mixtas aliis vilioribus, v. gr. vinum aqua mixtum?

R. Vel mixtio est noxia, et reddit rem inutilem, aut deteriorem, vel non. Si primum, venditor peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. — Si secundum, non peccat quidem contra justitiam commutativam, si minuat de pretio pro ratione mixtionis. Ita S. Antoninus (part. 2, tit. 1, cap. 17, § 4). — In praxi tamen passim non est permittendum ob hallucinationis periculum.

Q. An emptor ex justitia teneatur rei virtutem sibi notam, venditori vero ignotam, manifestare; v. gr. Si rusticus offerat gemmam pro vitro?

R. Cum distinctione: si per talem virtutem mercis pretium communi aestimatione augeatur, tenetur emptor manifestare, si a venditore rogetur, alias injuste deciperet. Secus, si non rogetur, nempe non tenetur monere venditorem, modo pretium aequivalens solvat; quia si augeatur communi aestimatione inter mercem, et pretium debet esse aequalitas.

Q. Quaenam vendere, et emere non liceat?

R. Per se loquendo, non licet vendere, nec emere quidquid in corporale, vel spirituale proximi detrimentum vergit, quia esset cooperari peccato alieno.

§ 3. *De venditione per proxenetas.*

Q. Quid est venditio per proxenetas?

R. Est *ea, quae non fit immediate ab eo, ad quem res pertinet, sed per alios ex commissione;* et hi proxenetae dicuntur.

Q. An proxeneta, vel famulus, qui vendit supra, aut emit infra pretium sibi a domino designatum, possit excessum pretii sibi retinere?

R. Negative generatim loquendo; quia nullum habet titulum aliquid retinendi, neque ratione rei cum non sit illius, sed domini; neque ratione laboris et industriae, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud jus habet; si vero industriam gratuito praestet, jam mercedi renuntiavit, saltem quae stricto justitiae titulo debeatur. Ita S. Lig. n. 825, et aliis communiter.

Excipe tamen: 1° Si res per proxenetae industriam non debitam melioris conditionis evaserit, ob quod pluris vendi queat. 2° Si expressum, vel tacitum pactum cum domino intercesserit. 3° Si lucrum sit parvi momenti; quia tunc dominus facile praesumitur consentire. 4° Si dominus agendi rationem proxenetae noverit, et ratam habeat.

Q. An possit proxeneta rem pretio sibi determinato vendendam pro seipso emere, et postea eandem rem tamquam suam majori pretio vendere?

R. Affirmative; modo: 1° Adhibita morali diligentia emptorem non inveniat; secus enim contra officium suum, et voluntatem mandantis certo cognitam ageret. 2° Rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servatur. Ita communiter.

Q. An proxeneta possit sibi retinere, quae vendens solo ejus intuitu gratis donat?

R. Affirmative; modo constet de vera donatione; quia mercator potest cedere proxenetae aliquid de lucro suo; sed ad hoc requiritur ut mercator sit revera dispositus ad vendendam alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat.

Confessarius non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus. Ita S. Lig. n. 825. Hom. ap. 189.

§ 4. *De contractu cum pacto retrovenditionis.*

Q. Quid est retrovenditio?

R. Est *pactum, quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi sub conditione, quod pretium ejus restituat, sumptus solvat, aliaque damna resarciat.*

Retrovenditio mere significat actum retrovendendi, tum si ex praecedente pacto, tum si nullo pacto praecedente id fiat.

Q. An liceat rem vendere cum pacto, ut emptor teneatur iterum venditori eam cedere, si hic eam repetat?

R. Licitus est omnino contractus retrovenditionis; et constat ex Scriptura Sacra, quae testatur, tale pactum fuisse Judaeis impositum; modo concurrant nonnullae conditiones; nempe: 1° Ut pretium minuatur juxta aestimationem gravaminis quod emptori imponitur. 2° Ut non apponatur pactum retrovendendi pretio majori, vel minori. 3° Ut venditor compenset omnes impensas factas pro venditione, instaurationibus necessariis, ameliorationibus, quibus res pretiosior evasit. 4° Ut non imponatur, quod periculum rei venditae cedat in damnum venditoris, nisi pretium pro ratione periculi augeatur. 5° Ut retrovendatur res sicut traditur, idest vacua, vel cum fructibus etc.

Q. Quanto decrescere debeat pretium in retrovenditionis contractu?

R. Dissentiunt auctores: alii dicunt pretium decrescere usque ad quartam partem; alii usque ad tertiam; alii melius ad arbitrium prudentium. Hanc tertiam sententiam in praxi tenemus.

Q. An sit licitum pactum rem redimendi ad arbitrium emptoris?

R. Affirmative probabilius; dummodo adsit verus animus emendi et vendendi, emptor majus pretium solvat juxta oneris istius aestimationem, et non obligetur venditor redimere pretio majori, quam recepit. Ita S. Lig., Lugo, et alii.

§ 5. *De contractu mohatra, et retractu gentilitio.*

Q. Quid sit contractus mohatra?

R. Est *contractus, quo homo pecunia indigens emit credito a mercatore merces pretio supremo cum pacto retrovenditionis, numerata pecunia, pretio infimo.*

Q. An hic contractus sit licitus?

R. Est illicitus et injustus cum sit per se usurarius. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem sub n. 40 : *Contractus mohatra licitus est , etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.*

Q. An contractus iste , secluso omni pacto , onere, atque etiam scandalo licitus sit ?

R. Controvertitur inter doctores : plures negant cum S. Antonino. — Alii communiter affirmant, modo non sit animus usurarius: quia si ego possim statim vendere aliis pretio infimo rem, quam emi pretio summo ; cur non possim eandem vendere eodem infimo pretio ei , a quo ipsam emi? Hanc secundam sententiam nos amplectimur. — Lucrum tamen inde perceptum non debet excedere taxam legalem in mutuo, et tunc reincidere potest in legitimi mutui contractum. Ita etiam S. Lig. lib. 4, n. 817.

Q. Quid est contractus gentilitius?

R. Est *jus concessum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi, et ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo res illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo fuit empta.*

Q. Quot sunt conditiones hujus contractus ?

R. Sunt indicatae in ipsa definitione.

Unde : 1° Peccat contra justitiam, qui fraudibus, vel minis impedit consanguineum, ne rem sibi retrahat.

2° Excluditur extraneus, qui, si retrahat nomine consanguinei, tenetur ad restitutionem.

3° Elapso anno, et die tollitur facultas retractus.

4° Lex dat consanguineo jus retrahendi tantum, ut sibi retineat ; ideo si retrahat, ut aliis majori pretio vendat, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem.

5° Retractus non extenditur ad res mobiles.

6° Emptor, qui a retrahente majus pretium exigit, quam dederit, tenetur ad restitutionem, quia jus alterius violat.

§ 6. *De venditione sub hasta, seu per licitationem.*

Q. Quid est venditio sub hasta ?

R. Venditio sub hasta (vulgo *incanto*) *est ea, quae fit per praeconem, et in qua ultimae licitationi res adscribitur.*

Q. An liceat sine justitiae laesione merces sub hasta quolibet pretio vendere, et emere ?

R. Venditio sub hasta est licita, si absit fraus ; nam tam ementes, quam vendentes in pari conditione constituuntur lucri, et damni : eamque lex civilis aliquando praescribit.

Diximus, *si absit fraus*, quae potest esse tam ex parte venditoris, si immittat fictos licitantes ; tunc enim causa est ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero concursu : tam ex parte emptoris, si alios dolo impediat a licitatione. Ita S. Lig., n. 808 et alii.

Q. An possit venditor rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur ?

R. Negative per se ; quia emptores convocati ad auctionem acquirunt quoddam jus ad rem venalem ; quatenus fit stipulatio tacita, ut cedat plus offerenti. Excipe ubi vigeat contraria consuetudo ; durum enim videtur damnare injustitiae praxim universalem, quam docti, et etiam pii absque ullo scrupulo tenent. Ita Billuart, et alii.

Q. An ille, cujus bona venduntur in gratiam creditorum, mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda ?

R. Affirmative tam si licitatio sit voluntaria, quam si licitatio sit coacta, seu si fiat auctoritate publica ; nam ille, cujus bona venduntur deterioris conditionis esse non debet. Ideo potest etiam per seipsum licitari.

Q. An emptor possit pactum facere cum aliis, aut ne plus offerant?

R. Negative, saltem in casu coactae subhastationis ; quia venditor jus habet, ut emptores sint perfecte liberi.

Theologi permulti excipiunt, si emptores sint societate conjuncti, vel quasi conjuncti, ut fratres, amici etc. : pariter, si vigeat usus, ut venditor rem suam retrahat.

Q. An emptor rogare possit alios ne licitent ?

R. Affirmative ; quia in hoc non violatur jus venditoris. Attamen preces importunae esse non debent. Vide S. Lig. n. 808.

§ 7. *De negotiatione et monopolio.*

Q. Quid, et quotuplex est negotiatio ?

R. Est *emptio rei animo postea vendendi causa lucrandi.* — Si res empta immutata venditur, dicitur negotiatio *propria:* si vero res empta aliquo modo, vel forma mutata venditur, dicitur negotiatio *impropria.*

Tam propria, quam impropria est licita.

Q. Quid sit monopolium ?

R. Est *conventio unius*, *vel plurium mercatorum simul conspirantium*, *ut ipsi soli vendant*, *vel emant merces eo*, *quo voluerint pretio*.— Potest fieri quatuor modis: 1° Quando unus, vel plures emunt omnes merces, ut ipsi soli vendant quo pretio voluerint. 2° Quando conspirant de non emendo, vel vendendo nisi tali pretio. 3° Quando impediunt, ne aliae merces advehantur, ut ipsi vendant merces suas majori pretio. 4° Obtinendo privilegium a principe ut soli vendant aliquam mercem.

Q. Quotuplex est monopolium?

R. Duplex est, nempe *publicum* seu *legale*, quod privilegium est a principe concessum uni, vel pluribus, ut soli quasdam merces vendant. — *Privatum*, quod privata auctoritate inducitur: hoc ordinarie nomine monopolii solet appellari.

Q. An monopolium sit licitum?

R. Monopolium publicum est licitum; quia hoc interdum postulat bonum commune modo cum justo pretio fiat. — Monopolium factum auctoritate privata est illicitum, et injustum in sequentibus casibus: 1° Si mercator impediat fraude, vel mendacio, ne aliae merces advehantur, ut ipse carius vendat. 2° Si unus, vel pauci merces omnes emant, ut deinde illas carius vendant. 3° Si opifices, vel artifices conveniant, ut non doceant artem suam, vel non perficiant opus ab aliis inceptum, nisi pretio injusto. Ita S. Ligorius, n. 815.

Q. An peccet contra justitiam, et charitatem mercator, qui tempore messis, aut vindemiae omne triticum, aut vinum regionis pretio vili tunc currenti emit, ut postea carius vendat?

R. Quamvis Scavini cum nonnullis aliis dicat peccare contra justitiam, et contra charitatem; attamen nos dicimus cum Gury, quod non peccet contra justitiam, modo non vendat supra pretium summum, quod secluso monopolio curreret. Ratio est, quia nullius jus violat. Ita Lugo, S. Lig. n. 817. — Neque peccat contra charitatem, modo alios ad carius vendendum non inducat, nec ipse vendat supra pretium summum; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum evitet, cum illud avertere non obligetur. Ita Lugo, Lessius etc.

Q. Mercatores, qui conspirant, ne merces suas vendant, nisi summo, licet justo pretio, peccantne contra justitiam, et charitatem?

R. 1° Quoad justitiam duplex est sententia. Prima cum Layman, et aliis probabiliter affirmat; quia hujusmodi mercatores per

medium injustum alios pretio supremo emere cogunt. — Secunda probabilior negat, modo non conspirent vi, vel mendaciis; quia si alii coguntur ad emendum pretio summo, non coguntur a venditoribus, sed a sua necessitate, quae vera coactio ex parte venditorum dici nequit. Ita Lugo, Scavini, Gury etc., quibus subscribimus.

R. 2° Quoad charitatem affirmative; quia licet charitate non obligeris ad vendendum infra pretium summum, videris tamen obligari ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant.

Q. An facto semel monopolio ab aliquibus mercatoribus pretio injusto vendendi, licetne aliis merces eodem pretio vendere?

R. Duplex est sententia: prima affirmat; quia tunc pretium illud jam commune est. — Secunda, quae probabilior videtur, negat; quia pretium sic adauctum semper, et per se injustum est. Hanc secundam nos tenemus. Ita S. Ligorius.

Adverte quod instituto a venditoribus monopolio, licite possunt emptores aliud monopolium instituere de non emendo, nisi pretio infimo; vis enim vi repellitur.

Q. An accipiens pecuniam adulterinam possit eam expendere?

R. Negative, si intrinsecus sit falsa, ut si de se esset stannum pro argento; quia justum pretium non solveres. Si vero pecunia falsa sit quoad formam tantum extrinsecam accidentalem, non est contra justitiam commutativam eam expendere; cavendum tamen est, ne sic proximus gravi damno exponatur.

ARTICULUS III.

DE CAMBIO, CENSU, ET EMPHYTEUSI.

Q. Quid sit cambium, et quotuplex?

R. Est *permutatio pecuniae pro pecunia cum lucro campsoris.*

Dividitur in siccum et reale, seu verum. *Siccum* est cambium fictum, verumque mutuum nomine cambii velatum; v. g. Dantur recipienda centum scutata non eo loco, quo fingitur, sed eo loco, quo dantur, licet alio tempore cum pretio cambii solito dari similibus distantibus locis. — *Cambium reale* est illud, in quo revera pecunia praesens cum praesenti; vel praesens cum distanti permutatur.

Q. Quotuplex sit cambium reale?

R. Triplex, manuale seu minutum, locale seu per litteras, et temporale, seu ad terminum solutionis.

Manuale est de manu ad manum permutatio pecuniarum diversae rationis, v. g. Pecuniae aureae cum argentea.

Cambium locale est permutatio pecuniae praesentis cum distanti.

Cambium temporale est illud, quo campsor, sive mercator dat hic pecuniam, ea lege, ut illam cum lucro recipiat alibi post certum tempus.

Q. Utrum cambium siccum sit licitum?

R. Negative, quia est per se verum mutuum, nomine cambii velatum, ex quo lucrum sine alio titulo percipitur; et damnatum fuit a S. Pio V, Bulla *In eam pro nostro.* Ita omnes.

Diximus *per se;* quia licet recipere ex illo taxam legalem, ut dictum fuit in mutuo, nempe 6 pro 100, et quandoque et in variis locis ratione inservientium, et ratione majoris periculi, quo pecuniam exponunt, possunt recipere 7 pro 100.

Q. An cambium reale, manuale et locale sit licitum?

R. Affirmative; modo lucrum sit moderatum et secundum leges, aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum aestimationem; quia lucrum percipitur ratione impensarum et laboris in conquirendis, coacervandis variis speciebus monetarum. Item in cambio locali ratione oneris, quod campsor suscipit proprio periculo monetas transferendi in assignatum locum. S. Lig., n. 851, et alii.

Q. An cambium temporale sit licitum?

R. Controvertitur inter Theologos; sed probabilius licet in hoc sequi leges civiles juxta taxam legalem; quia non minora sunt onera, quam in cambio manuali, vel locali. Ita Gury.

Q. Quid sit census?

R. Est *contractus, quo emitur jus percipiendi pensionem annuam ex re, vel persona aliena frugifera.*

Q. Quotuplex sit census?

R. Duplex, nempe reservativus et consignativus. *Reservativus* est ille, quo quis alteri transfert rei suae dominium plenum, retento sibi jure pensionem aliquam percipiendi. — *Census consignativus* est ille, quo quis super bonis, vel persona sua consignat alteri pensionem annuam, sive in fructibus, sive in pecunia.

Q. Quomodo dividitur census consignativus?

R. Dividitur in *realem*, *personalem* et *mixtum*. *Realis* est ille, qui fundatur super aliqua re fructifera, ex qua pensio solvi debet;

quo fit, ut si res pereat, pereat et census. — *Personalis* est ille, qui fundatur in persona, quae sese obligat ad pensionem solvendam ex omnibus operibus suis. — *Mixtus* est ille, qui fundatur super re et persona simul, ita ut, licet res pereat, persona semper obligata manet.

Q. Quomodo subdividitur census consignativus tum *realis*, tum *personalis*, tum *mixtus*?

R. In *temporalem*, et *perpetuum*. *Temporalis* est ille, qui expirat certo tempore, v. g. 20 annorum; vel incerto, v. g. ad vitam hominis, et dicitur vitalitius. — *Perpetuus* est ille, qui per se semper durat, et est vel redimibilis, vel irredimibilis.

Q. An contractus census sit licitus?

R. 1º Certum est apud omnes, censum reservativum licitum esse; quia sicut aliquis potest rem suam tradere, vel non tradere; ita et tradere, reservato sibi jure pensionis.

R. 2º Census consignativus realis est licitus; quia est emptio juris ad pensionem ex re aliena frugifera annuatim percipiendam; quod jus, utpote pretio aestimabile potest emi.

R. 3º Census consignativus personalis est prohibitus lege ecclesiastica per Bullam Pii V *Cum onus;* idque ob periculum usurae.

Nota. Utrum iste census sit prohibitus lege naturali, etiam remota omni usuraria intentione, alii cum Concina affirmant; quia hoc esset vendere personam. — Alii cum Soto probabilius et communius negant; quia jus percipiendi pensionem ex alterius industria tam est pretio aestimabile, quam jus illam percipiendi ex re frugifera. Ita communiter S. Lig., n. 839. Huic secundae sententiae nos adhaeremus.

Q. Utrum census redimibilis sit licitus?

R. Spectato jure naturae, sat probabile videtur cum Lessio, Gury, Scavini, etc. contra alios, censum posse esse redimibilem non tantum ex parte censuarii, sed etiam censualistae; quia in censu vera venditio habetur, in qua redemptio licita est.

Spectato jure ecclesiastico (ex Bulla piana), semper permittitur censuario, ut possit redimere censum, facta denuntiatione per bimestre, non autem censitori.

Nota. Conveniri potest, ne census redimatur, durante vita censualistae, vel ne redimatur ante praefinitum aliquod tempus, quod tamen non potest excedere annos 30 in censu fundiario, 10 in censu simplici.

Q. An census temporalis sit licitus?

R. Census temporalis certus est usurarius, quia non vendit, sed mutuat cum immoderato lucro. — Incertus autem, seu vitalitius est licitus, quia in contractu vitalitio est aequalis sors ementis et vendentis.

Q. Quaenam requirantur conditiones ad justitiam census?

R. Plures sunt ex jure canonico; sed praecipuae, ad quas caeterae reducuntur, sunt duo, videlicet: 1° Ut sit aequalitas inter censum et pretium. 2° Ut pacta praeter naturam census adjecta juste compensentur.

Q. Utrum debitor pensionis adstringi possit ad censum redimendum, et in quibus casibus?

R. Affirmative: et in quinque casibus, nempe: 1° Si debitor pensionis per duos annos successivos pensionem non solverit.

2° Si omittat offerre creditori cautelas in contractu stipulatas.

3° Si cautelae datae deficiant, et alias sufficientes non substituat.

4° Si in fortunae decoctionem incidat, modo census sit perpetuus.

5° Si fundus pro censu detur, vel hypothecae subjectus, plusquam inter tres personas dividatur.

Q. Quid est emphyteusis?

R. Est *contractus, quo sub onere pensionis annuae, transfertur rei immobilis dominium utile, directo retento.*

Dicitur *sub onere pensionis*, quae debet esse longe minoris pretii, quam fructus.

Nota. Qui accipit rem, vocatur *emphyteuta*; pensio quae datur, vocatur *canon.* — Emphyteuta potest rem emphyteuticam secundum dominium utile in alium transferre, modo fiat absque domini directi incommodo, eoque monito ante duos menses, qui si velit emere dominium utile, est aliis praeferendus. Emptor autem dominii utilis debet solvere domino directo *laudemium*, si ita est statutum in contractu. *Laudemium* excedere non potest quinquagesimam partem pretii.

Emphyteusis potest dici quaedam species census reservativi. Praecipua differentia inter hunc et illam est, quod in emphyteusi fundus detur ad meliorandum.

Q. Ad quid teneatur emphyteuta?

R. Tenetur: 1° Rem emphyteuticam fructuosiorem facere, aut saltem non deteriorem. 2° Certam pensionem, vel in pecunia, vel

in fructibus domino directo solvere statutis temporibus, alioquin amittit rem emphyteuticam cum omnibus impensis in ejus meliorationem factis, si non solverit per biennium pro ecclesiastica emphyteusi, et per triennium pro saeculari.

ARTICULUS IV.

DE FEUDO, ET CONTRACTU SOCIETATIS.

Q. Quid sit feudum?

R. Est *contractus, quo sub onere fidelitatis et obsequii personalis transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo.* — Qui tradit dicitur infeudator; qui accipit dicitur vassallus, seu feudatarius.

Q. Quomodo feudum differt ab emphyteusi?

R. Differt: 1° Quod in feudo imponatur onus personale, in emphyteusi vero realis pensio. 2° Quod in emphyteusi non requiratur investitura, e contra in feudo requiritur investitura, sive sit *realis*, quando nempe feudatarius immittitur in possessionem feudi; sive *abusiva*, quae fit traditione ensis, etc.

Q. Ad quid teneatur feudatarius?

R. Tenetur: 1° Praestare juramentum fidelitatis. 2° Praestare obsequia promissa in investitura. 3° Non disponere de feudo sine consensu infeudatoris.

Nota. Amittit feudum ob neglecta obsequia et crimen felloniae.

Q. Quid est contractus societatis?

R. Est *duorum, vel plurium conventio, contribuendi aliquid ad commune lucrum secundum proportionem rerum contributarum.*

Q. Quotuplex est contractus societatis?

R. Duplex, universalis, vel particularis. — *Universalis* subdividitur in illam, quae complectitur omnia bona praesentia; et in illam, quae complectitur omnia lucra, quae socii, durante societate, quovis titulo erunt comparaturi. — Societas *particularis* subdividitur in civilem et commercialem, prout ipsa respicit actus privatorum civiles, vel actus commerciorum.

Q. Quot modis vulgo contrahitur societas?

R. Tribus: 1° Quando omnes et singuli socii conferunt laborem, industriam et pecuniam.

2° Quando unus confert pecuniam, alter industriam, tertius laborem.

3° Quando unus pecuniam confert, alter industriam et laborem.

Q. Quaenam ad justitiam societatis requirantur conditiones?

R. Quatuor: 1° Ut negotiatio sit licita. 2° Ut pecunia vere et realiter ponatur ad aliquam negotiationem, quae nata est ferre fructum, alias esset simplex mutuum. 3° Ut lucrum et damnum sociis sint communia pro rata parte, quam quilibet in societatem contulit. 4° Ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis, ipsi peritura, si perire contingat. Excipe, nisi aliter pactum sit; nam si pactum fuerit de communione sortis, ut sicut damnum, ita sors ipsa communis sit, sors utrique perit.

Non potest in societate apponi pactum de casu fortuito; esset enim usurarium, et vocaretur *contractus leoninus*, seu ad *caput salvum.*

Si uni ex sociis obveniant damna ex societate tanquam a causa proxima, tenetur societas; si obveniant a societate tanquam a causa remota, non tenetur societas. — Munera si accepta sint intuitu societatis, sunt dividenda, secus non.

Q. An si, finita societate, nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, ea dividi debeat ipsum inter et alium, qui operas pecuniae aequivalentes contulit?

R. Negative, cum D. Thoma, Navarro et aliis; quia si pereat, perire debet ei qui eam contulit: ergo, si supersit, eidem restituenda est. Ita insuper declaravit Pius V, Const. *Detestabilis.*

Q. Quandonam censetur inter fratres et sorores contracta societas, et quid in ea servandum?

R. Non censetur facta societas, nisi expresse indicent, et omnes conferant in commune cuncta omnino bona ad unumquemque spectantia, et debent omnes stare conditionibus. — Si vero de communi mensa vivant sine expressa conventione societatis faciendae habentes patrimonium indivisum, et omnes in aliquo negotio se exerceant, potest sibi compensationem facere ille, qui plus laborat juxta aestimationem sui laboris.

Q. Quot modis finitur societas?

R. 1° Finito tempore ad negotiandum constituto, aut finita negotiatione. 2° Interitu rei, morte naturali alterius socii, nec transit ad haeredem, de cujus industria non fuit stipulatum. 3° Morte civili, puta si damnatus sit ad poenam perpetuam. 4° Interdictione

alterius socii. 5° Inculpabili impossibilitate rem promissam praestandi. 6° Mutuo sociorum consensu, etiam tacito.

Nota. Si quis invito socio intempestive recedat a societate, tenetur omnia damna compensare.

Q. Quid est contractus triplex?

R. Est *conventio, qua pecuniam in societatem conferens paciscitur cum altero socio ut, quidquid contigerit, sibi sua sors integra reddatur, cum certo lucro, sed minore eo, quod probabiliter sperare potuisset.*

Nota. Dicitur triplex, quia continet tres contractus: 1° Societatis. 2° Assecurationis sortis. 3° Venditionis lucri.

Q. An hic contractus sit licitus?

R. Duplex est sententia. Prima negat ex Bulla *Detestabilis* Sixti V damnantis tres contractus tanquam illicitos et usurarios. — Secunda sententia multo communior et satis probabilis affirmat; quia licite et juste cum diversis personis fiunt tres contractus, modo servetur aequalitas: ergo licite et juste cum eadem persona fieri possunt. Et Layman, Lessius, Salmatic. et alii communiter docent Bullam Sixti reprobasse solos usurarios contractus, non ipsum trinum contractum; quod quidem confirmavit Romana Rota.

Nos dicimus, quod licet non sit reprobanda secunda sententia, neque qui eam sequuntur; tamen optimum est persuadere et consulere, ut prima teneatur; quia secunda in praxi videtur periculosa.

Nota 1ª. Si tres dicti contractus fiant cum eadem persona, sed successive, idest diverso tempore, et adsit bona fides, tunc omnino licent; nam idem est ac si fierent cum diversis personis.

Nota 2ª. Tres contractus licite fieri possunt cum personis extra societatem constitutis; quia sic facti non se destruunt invicem, aut interimunt. Est communis.

Q. An similiter possit assecurari a socio capitale, omisso contractu emptionis lucri incerti pro certo?

R. Negative. Ratio D. Thomae et aliorum est, quod sit de essentia societatis, ut conferens pecunias, vel alias res in societate, rei a se collatae subeat periculum; secus non servaretur aequalitas.

Q. Quid sit societas animalium?

R. Est *conventio duorum, vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in societatem conferunt, alii vero haec animalia servant et pascunt, ut ex fructibus lucrum percipiant.*

Q. An sit licita societas animalium?

R. Affirmative, dummodo concurrant tres conditiones, nempe: 1° Ut animalia, quae sine villici dolo, vel culpa levi pereunt, non ipsi pereant, sed tradenti. 2° Ut villicus animalia conservet, pascat et accuratam lucri rationem reddat. 3° Ut in lucri divisione servetur aequalitas, ita ut tradens commensuratam capitali suo, accipiens vero adaequatam labori et industriae partem recipiat juxta peritorum in hac arte aestimationem.

Q. Dum unus sociorum operam, alter pecuniam contulit, quomodo in fine societatis sit divisio facienda, ut servetur aequalitas?

R. 1° Cum distinctione: vel 1° Invenitur sola sors sine lucro. Vel 2° invenitur damnum, seu jactura sortis in toto, vel in parte. Vel 3° invenitur lucrum. — Si primum, sors debet integra reddi collatori; quia ipsi soli periisset, si periisset. — Si secundum, soli istius collātori periit. — Si tertium, ante omnia sors integra collatori restituenda est; deinde lucrum, quod restat, est dividendum inter socios aequaliter, vel inaequaliter, pro rata aestimationis operae.

R. 2° Si in contractu societatis dominium sortis fuerit communicatum, ea in fine societatis dividenda est aequaliter, si operae aestimatio sit aequalis cum aestimatione pecuniae; inaequaliter, et pro rata, si sit inaequalis.

Q. An sit justa societas, qua quis dat rustico certa capita ovium aestimata certo pretio, hoc pacto, ut rusticus non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens prius receperit totum suum capitale: vel hoc pacto, ut, antequam rusticus accipiat aliqua, rēstauret de foetibus omnia capita mortua?

R. Hoc utrumque pactum est valde iniquum; quia jura societatis violantur. Ita D. Antoninus, et omnes alii.

ARTICULUS V.

DE PIGNORE, HYPOTHECA, ET TRANSACTIONE.

Q. Quid sit pignus?

R. Est *contractus, quo debitor rem aliquam mobilem creditori tradit ad securitatem debiti, ut ex ea possit peti solutio, si debitor non solveret.*

Q. Quid sit hypotheca?

R. Est *contractus, quo debitor rem aliquam immobilem creditori obligat ad securitatem debiti.*

Triplicis generis distinguitur hypotheca: nempe legalis, judicialis, et conventionalis. *Legalis*, quae etiam *tacita*, et *implicita* dicitur, ea est quae vi solius legis, et absque ulla speciali conventione instituitur: sic uxor hypothecam habet in cunctis bonis mariti pro dote recuperanda.

Judicialis est ea, quae ex judicis decreto statuitur in gratiam eorum, qui causam obtinuerunt, v. g. Judex ad reparandum damnum Titii hypotheca gravat bona immobilia Caji, auctoris illius damni.

Conventionalis est contractus solemnis, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem, et solutionem.— Debet igitur fieri coram notario cum certis formalitătibus sub poena nullitatis in foro saltem externo.

Q. Quaenam sint obligationes dantis pignus, et hypothecam?

R. 1° Tenetur rem non dare pluribus in pignus, vel hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis. 2° Tenetur creditori restituere impensas factas in pignoris conservationem. 3° Tenetur non vendere rem hypothecatam, nisi emptore monito de hypotheca.

Q. Quaenam sint obligationes accipientis pignus, et hypothecam?

R. Praecipuae sunt: 1° Tenetur ad diligentem custodiam pignoris, quod tenetur restituere, si pereat ex ejus culpa gravi. 2° Tenetur non uti pignore. 3° Soluto debito statim restituere pignus; simul, et fructus perceptos in debiti diminutione computare. 4° Tenetur non apponere poenam commissi, nempe ut pignus cedat creditori, si debitor non solvat; pignus enim valet pluris, quam est debitum. Si vero apponatur pactum restituendi excessum debitori, est licitum.

Quamvis creditor non possit uti fructibus pignoris; esset enim contractus usurarius, et vocaretur *antichrisis;* adsunt tamen casus, in quibus potest, nempe: 1° Quando pignus datum fuit pro dote promissa. 2° Vel quando habetur justus titulus exigendi aliquid ultra sortem in mutuo.

Q. Quid sit transactio?

R. Est *conventio onerosa, qua res dubia, et lite incerta componitur inter partes.*

Q. Quotuplex est transactio?

R. Quadruplex, nempe generalis, quae terminat una simul lites omnes, quae inter partes existunt, vel existere possunt. — Parti-

cularis, quae non terminat, nisi aliquam specialem litem. — Judicialis, quae fit auctoritate judicis. — Extrajudicialis, quae est e contrario.

Nota 1ª. Nemo potest valide transigere, nisi habeat facultatem disponendi de rebus, quae sub transactione cadunt: unde tutores etc. transigere nequeunt super bonis minorum, nisi interveniat formula juris.

Nota 2ª. Semel admissa transactione nequit amplius impugnari nec causa laesionis, neque ignorantia juris, etsi casu inveniantur documenta, et quidem constet rem fuisse certo unius partis quae transegit. Et si error contigerit in calculo, error corrigitur; sed transactio subsistit.

Q. An quandoque rescindi possit transactio?

R. Rescinditur si error sit, vel in persona, vel in objecto controverso, vel si intervenerit dolus, aut vis; item nulla est, si fundata fuerit super falsa documenta.

CAPUT IV.

De contractibus aleatoriis.

Q. Quid est contractus aleatorius?

R. Est *mutua conventio, cujus effectus, tum quoad lucrum, tum quoad jacturam pendet ab incerto eventu.*

Q. Quotuplex est contractus aleatorius?

R. Quadruplex, nempe fidejussio, assecuratio, ludus, sponsio et loteria.

ARTICULUS I.

DE FIDEJUSSIONE, ET ASSECURATIONE.

Q. Quid est fidejussio?

R. Est *contractus, quo quis suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor principalis non solverit.*

Q. Quaenam sint fidejussionis conditiones?

R. Sex: 1° Quod non plus obligetur fidejussor, quam principalis debitor. 2° Cesset fidejussio, si inter debitorem et creditorem novatio fiat in principali obligatione absque fidejussoris consensu. 3° Si adsint pro uno debito plures fidejussores, unusquisque pro rata sua parte illud solvere teneatur. 4° Fidejussoris obligatio transit ad haeredes. 5° Fidejussor non potest conveniri ad solvendum, nisi prius a principali debitore repetitum fuerit debitum. 6° Principalis debitor tenetur erga fidejussorem de impensis pro ipso factis, et damnis perpessis.

Q. Quinam fidejubere possint?

R. Illi omnes, qui possunt principaliter obligari, nisi a jure repellantur.

Nota. Repelluntur filii familias; nisi habeant bona castrensia, aut quasi castrensia. — Minores, et pupilli, nisi pro patre incarcerato. — Religiosus sine licentia Superioris, et majoris partis Capituli (intellige non Mendicantes). — Mulieres, neque pro marito, modo non sit incarceratus.

Q. An liceat pro fidejussione exigere pretium a debitore?

R. Affirmative; quia fidejussio est onus pretio aestimabile.

Q. An creditor ex fidejussionis remissione lucrum reportare possit?

R. Affirmative a fidejussore, ut eum liberet ab obligatione suscepta; quia talis remissio est pretio aestimabilis. Non vero a debitore; quia creditor non potest esse fidejussor pro suo debito.

Q. Quid est assecuratio?

R. Est *contractus, quo quis alienae rei periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis, vel certo pretio ad eam, si perierit, compensandam.*

Q. Quid requiratur ad justitiam assecurationis?

R. Tres conditiones: 1ª Ut periculum subsit probabiliter, ita ut rei eventus sit utrique incertus. 2ª Ut pretium sit proportionatum periculo. 3ª Ut assecuratus servet omnes contractus conditiones.

ARTICULUS II.

DE LUDO.

Q. Quid est ludus?

R. Est *contractus oblectantium animum, et deponentium aliquid cessurum victori.*

Q. Quotuplex est ludus?

R. Triplex : nempe ludus, qui sola fortuna regitur, ut ludus aleae. — Alius, qui sola industria regitur, ut ludus pilae.— Alius mixtus, qui partim industria, partim fortuna regitur, ut plures chartarum ludi.

Q. An ludus sit licitus?

R. Nullus ludus *per se*, et spectato solo jure naturae est illicitus; quia unusquisque potest dare rem suam alteri etc. — Potest esse illicitus, si non serventur conditiones expressae in hoc versu:

Ludens lude tuis, sine vi, sine fraude, monetis.

Hinc si quis ludit pecunia aliena, et perdit, collusor non potest facere suum lucrum. Si vero vicit, videndum: si collusor nesciebat pecuniam esse alienam, non potest facere suum quod vicit; si vero sciebat, potest facere suum, quia collusor videtur cessisse juri suo.

Nota. Ad liceitatem pariter requiritur, ut non principaliter ludum intendat; neque magnam quantitatem pecuniae exponat, neque nimium tempus consumet praesertim quando potest esse scandalum, vel aliquod aliud damnum spirituale.

Q. An lucrum ex ludis possit tuta conscientia retineri?

R. Cum distinctione: summa contra filiosfamilias victa non potest licite retineri; nec ipsi summam aliorum retinere possunt; quia debet esse aequalitas inter collusores. Excipe, si summa contra filiosfamilias victa sit de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus; aut si parvi momenti, in qua praesumitur patris consensus.— Tuto retinere potest lucratum in ludo ille, qui vicit contra illos, qui habent liberam administrationem.

Nota. Licet retinere summam victam contra dictos habentes liberam administrationem; quamvis de ingenti re agatur, ac ludo prohibito; quia talis ludus declaratur quidem illicitus, non vero invalidus. Attamen in jure civili, si victus neget solvere, victori nulla tribuitur actio, ut sibi solvatur.

Q. Utrum teneatur victus in conscientia solvere quod perdidit?

R. Negat communior, et probabilior sententia, si lex tribuat jus repetendi solutum; vel casu, quo dolus, vel fraus in ludo intervenerit; quia quando datur a lege beneficium repetendi, datur etiam non solvendi. — Si vero lex non tribuat hoc repetendi beneficium, tunc affirmandum, victum teneri in conscientia solvere quod perdidit, etiam in ludo illicito, quamvis de ingenti summa agatur; quia esto, quod isti sic ludendo peccaverint, non tamen peccant

tribuendo. Ita probabilius docent Sylvius, Billuart, Scavini, et alii, quibus et nos adhaeremus.

Q. Quid, si quis ad ludendum coactus fuerit?

R. Distinguendum: vel cogens peritia sua valde coactum superabat, vel parum. Si primum, restituere debet, quod cogens lucratus est saltem juxta mensuram peritiae, qua alteri praecellebat; quia non fuit aequale periculum. — Si secundum, ad nihil tenetur.

Nota. Si coactus metum passus sit, et petat restitutionem, metum incutiens restituere tenetur lucratum; nam metum passus potest pro suo arbitrio contractus rescissionem postulare.

Q. Quinam ludi sint jure positivo vetiti?

R. Jure tum canonico, tum civili prohibitus est omnibus etiam laicis, ludus saltem frequens aleae. Sed extra damnum familiae etc. et abusum non sunt inquietandi.

Q. Quid de iis, qui fraudibus utuntur in ludo?

R. Distinguendum: vel fraudes illae non adversantur ludi regulis, et receptae consuetudini; vel adversantur. Si primum, non peccat, qui iis utitur. — Si secundum, lucrum est illegitimum, et debet victor illud restituere, etiam cum eo, quod juste retulisset alter, si abfuissent fraudes.

Nota. Non est illicitum ludere precibus et applicandis pro victore; quia malum non est adhibere profana propter spiritualia. — Item licet occasione profani spiritualia permutare. Sed si unus luderet pecunia, alter vero precibus, esset simonia. Ita S. Lig. lib. 4, n. 832.

ARTICULUS III.

DE SPONSIONE, ET LOTERIA.

Q. Quid sit sponsio?

R. Est *contractus, quo duo, vel plures de veritate, vel eventu rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus.*

Q. An hic contractus sit licitus?

R. Affirmative; dummodo adsint istae conditiones, nempe: 1° Ut eodem modo ab utroque accipiatur res de qua fit sponsio. 2° Ut res sit utrique incerta. 3° Ut sit circa licita.

Nota 1ª. Si fuerit circa illicita post eventum non jubetur restitutio; quia non pro peccato, sed pro successu eventus recipitur pretium.

Nota 2ª. Prohibentur, et irritantur omnes sponsiones circa Summi Pontificis electionem, aut super ejusdem vitam, vel mortem ex Bulla Pii V *In eligendis*, sub poena nullitatis, et excommunicationis Papae reservatae.

Q. Quid sit loteria, et an sit licita?

R. 1° Loteria definiri potest: *Contractus*, *quo plures quamdam pecuniae summam in commune ponunt*, *ac dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.*

R. 2° Est licita, modo adsint conditiones requisitae; quia est emptio rei incertae.

Conditiones sunt istae, nempe: 1° Ut nulla sit fraus in schedulis, vel numeris eligendis, nec in tradenda re, quae sorte obtigit.— 2° Ut dominus loteriae in lucro non excedat; sed pretium rei non sit majus moraliter loquendo, ac si modo ordinario res venderetur. Attamen multo majus esse potest, cum loteria fit in causas pias. Ita communiter.

TRACTATUS TERTIUS DECIMUS

DE INJUSTITIA ET RESTITUTIONE

CAPUT I.

De natura, et divisione injuriae.

Q. Quid est injustitia, seu injuria?

R. Est *voluntaria juris alieni violatio, absque causa legitima.*

Q. Quotuplex est injuria?

R. Multiplex; dividitur nempe in formalem et materialem, in habitualem et actualem, in gravem et levem.

Formalis est ea, quae fit scienter, et voluntarie. — *Materialis* est ea, quae fit absque cognitione, et consensu. — *Habitualis* est prava voluntatis dispositio ex actibus injustis orta, et ad similes actus inclinans. — *Actualis* est ipse actus injustus. — *Gravis*, quae infert proximo damnum grave. — *Levis*, quae infert damnum leve.

Adjungi potest *directa*, quae intenditur in se, *indirecta* quae praevidetur, et permittitur in causa tantum.

Q. Utrum volenti fieri potest injuria?

R. *Volenti, et consentienti non fit injuria*, dummodo tria concurrant: 1° Qui cedit jus scienter, advertenter, et spontanee consentiat. 2° Ut sic efficaciter consentiat cessioni sui juris, ut non solum fiat cessio indignationis, sed etiam debiti. 3° Ut illa cessio agenti innotescat, alioquin formalis esset injuria.

Q. Quaenam materia censetur gravis, vel levis in injuria?

R. Gravis est ea materia, quae ex natura sua, vel ex hominum aestimatione apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad charitatem mutuo dissolvendam.— Diximus *ex natura sua*, quia potest esse gravis considerata conditione personae, cui infertur: levis est, si e contrario.

Q. An injuria alteri inferri effective possit per actum mere internum?

R. Affirmative, quia solo actu internò jus alterius aliquando laedi potest, ut in judicio temerario. Sed tunc nulla exterior reparatio facienda est; bene quidem est abjiciendum imprudens judicium.

Q. An actus internus efficere per se possit, ut actus externus evadat injustus?

R. Negative, si actus externus per se materialiter jus alterius non laedat, non obstante prava nocendi intentione in agente. — Pariter negative, quando agens jus habet directe ponendi actum externum, qui est alteri nocivus, etiamsi ex intentione nocendi agat; quia intentio prava facere nequit injustum, quod de se justum est. Affirmative, si opus sit indifferens ad nocendum, vel non nocendum, secluso jure directo agentis; quia intentio tunc determinat opus externum, ut damnosum evadat.

Q. Quid, si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, non sit tamen vere probabile, damnum esse secuturum? v. g. Medicus adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur; sed non vult majorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quaeritur, an ille causa sit injusta mortis, si de facto sequatur?

R. Prima sententia, quae est communior, negat: quia ex una parte actus externus non est injustus, cum haec mera possibilitas in rebus humanis attendi non debeat; ex altera parte actus externus non efficitur injuriosus ratione intentionis; unde dicenda est causa mere per accidens, nec prava intentio ejus naturam mutat.— Secunda sententia affirmat: quia homicidium, sic aliud malum, non excusatur, nisi quatenus sit involuntarium. Ast primam nobis arridet amplecti; quia fecit quantum ex justitia debebat.

Q. Utrum quis possit cedere jus sui?

R. Controvertitur: prima sententia negat; quia homo non est dominus sui ipsius. — Secunda probabilior affirmat: quia ex D. Thoma, nemo sibi injuriam facere, aut a se injuriam recipere potest (2, 2, qu. 59, ar. 3). Ergo quando vult, ut alter sibi damnum inferat, non magis injustum formale patitur, quam si ipse sibi hoc damnum inferret. Igitur infertur injuria non formaliter, sed materialiter tantum. Ast peccat; quia licet jus non violetur praecise qua ipsius est; potest tamen violari quatenus ad alium pertinet: hanc nos tenemus.

—

CAPUT II.

De injuria in specie, seu de peccatis contra justitiam.

Q. Quot modis peccari potest contra justitiam?

R. Tribus modis: nempe violari potest in bonis corporis; in bonis honoris, et famae; et in bonis fortunae.

ARTICULUS I.

DE FURTO.

Q. Quid est furtum?

R. Est *injusta ablatio, vel detentio rei alienae, invito rationabiliter domino.*

Q. Quomodo dividitur furtum?

R. Multipliciter, nempe dicitur: 1° *Simplex*, si fiat occulte. 2° *Rapina*, si fiat aperte, et cum violentia. 3° *Fraus* et *dolus*, quando fit dominum decipiendo. 4° *Sacrilegium*, si respiciat rem sacram. 5° *Peculatus*, quando res ad fiscum pertinet. 6° *Plagiatus*, si fiat de personis, v. gr. Furari alterius uxorem etc., vel aliena scripta. 7° Tandem *abigatus*, si de armentis agatur.

Q. Quale peccatum est furtum?

R. Quocumque nomine appelletur furtum est mortale ex genere suo; quia graviter prohibetur jure naturali, et divino.

Diximus *ex genere suo;* nam furtum peccatum erit veniale, vel ex levitate materiae, vel ex imperfectione actus. — Si furtum erit grave, gravis est obligatio restituendi: si leve, levis erit obligatio restituendi.

Q. An furta sint alia aliis majora, et an inter se specie differant?

R. Furtum sacrilegum, et rapina sunt peccata graviora simplici furto, et habent speciem malitiae diversam; rapina enim peccato injustitiae addit injuriam personae, et sacrilegium addit injuriam contra Religionem. Unde potest fieri, quod rapina ratione furti sit levis, ratione injuriae sit mortale peccatum.— Caeteri autem modi, vel objecta furti speciem non mutant.

Q. Quaenam quantitas requiratur, ut furtum de se sit peccatum mortale?

Nota. Materia haec spectanda non est absolute in se ; sed relative ad varias hominum conditiones, et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem ; quia gravitas furti pendet praesertim a majori, vel minori privatione, dolore, reluctantia voluntatis, quam patitur ille, cui surripitur. His praemissis

Respondeo, ad gravem materiam relative spectatam, attentis praecipue Europae locis, et temporum adjunctis, requiri videtur : 1° Relate ad pauperes circiter valor unius franci, seu viginti asses, et non raro minus, pro gradu necessitatis. 2° Relate ad operarios circiter duo, vel tres franci, seu quadraginta vel sexaginta asses. 3° Relate ad homines mediocriter divites circiter quatuor, vel quinque franci. 4° Circiter vero sex, vel septem relative ad divites ordinarios.

Quod spectat vero ad materiam absolute gravem, est communior sententia apud S. Alphonsum duos, aut tres aureos, idest decem, aut duodecim francos materiam gravem existimari etiam apud ditissimos, nec non principes, et reges. Gury, Scavini.

Nota. Aureus quinque circiter francis aequivalet.

Q. Quaenam materia requiritur in furtis uxorum, filiorum, et famulorum, ut gravia evadant ?

R. Certum est apud omnes in furtis uxoris, et filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, ait S. Alphonsus. Dicitur probabilius requiri summa duplo major, quam pro extraneis : verum nulla regula generalis assignari potest, sed juxta conditiones, et indigentias judicandum.

Pro famulis ; vel res furata est comestibilis, vel non custodita, vel non. Per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quae non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo haec non vendantur, aut e domo educantur, aut sint pretii extraordinarii. — Si autem furentur pecuniam, aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios. S. Alphonsus, Gury etc.

Q. An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam ?

R. Affirmative. Quia praeceptum non furandi obligat non solum ne damnum grave proximo inferatur ; sed etiam ne quis re aliena ditescat.

Q. An minuta furta adhuc coalescant, si inter ipsa magnum ponatur intervallum ?

R. Distinguendum : si patrata sint cum intentione ad summam notabilem perveniendi, certum est coalescerē, etiam posito quocumque temporis intervallo ; quia per hanc intentionem vere inter se uniuntur: imo in hac hypothesi fur peccat mortaliter toties quoties ratione hujus pravae intentionis furatur. — Si vero non adsit haec intentio, non coalescunt ; nam ex communiori sententia non constituunt unum objectum in genere moris. Gury.

Q. Quandonam intervallum censeatur magnum ?

R. Probabilius tenendum est, furta non amplius coalescere ultra spatium duorum mensium, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent. Gury.

Q. Quandonam evadat materia gravis in furtis minutis ?

R. 1° Si furta minuta eidem fiant diversis vicibus materia erit gravis, quando haec ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam : sic si sint materia gravis, v. g. tres franci, per minuta furta sunt materia gravis quatuor franci cum dimidio, idest nonaginta asses.

2° Si furta minuta fiant diversis personis, materia gravis per se censebitur, cum erit duplo major, quam summa ad furtum grave communiter requisita, v. g. Si dicta minuta furta fierent diversis personis diversis vicibus, materia gravis essent sex franci. Ita S. Ligorius, Gury, Scavini.

Q. An retractatio voluntatis impediat, quominus furtula sequentia cum praecedentibus uniantur ?

R. Distinguendum : si retractatio fuerit efficax, idest de facto prius ablata fuerint restituta, non uniuntur cum sequenti furto. — Si vero non fuerit ita efficax, et quodammodo revocari videatur per novum furtum, uniuntur; quia nihil obstat, quominus retineatur summa notabilis, et furta in unum coalescant.

Q. An post quantitatem notabilem per minuta furta sublatam, addat quis furta alia parva, toties sit peccatum mortale, quoties aliquid superadditur ?

R. Quidam affirmant cum Sporer ; sed sententia probabilior negat, nisi pertingat ad aliam novam quantitatem gravem. — Sed mortalis erit voluntas illa retinendi dicta minuta furta cum aliis. Ita Lessius, Ligorius, Gury etc.

Q. An graviter peccet, qui levi furto complet materiam gravem apud eundem ab aliis inchoatam?

R. Negative, si nescivit furtula ab aliis fuisse commissa. Pariter negative probabilius, etiamsi damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso tamen casu conspirationis: quia non est causa, quod alii alia acceperint. Gury.

Q. An si plures sine communi consilio, sed exemplo, levia furta committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?

R. Negative probabilius ratione justitiae, etsi peccare possint contra charitatem: quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum. Ita S. Ligorius, Lessius, Gury, et alii communius contra nonnullos.

Q. Quandonam ex parte furis ablatio rei levis fiet peccatum grave?

R. Fit triplici modo, scilicet: 1° Per intentionem perveniendi ad materiam gravem. 2° Per multiplicationem, si furta minuta ad summam gravem perveniant. 3° Per conspirationem, ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

Ex his sequitur: 1° Si fur intendens pervenire per furtula ad summam gravem renovet intentionem hanc quoties furatur, toties graviter peccat. Si vero ab initio intendat subripere alicui aliquam summam determinatam per minuta furta, v. gr. ne detegatur, probabilius unicum admittit peccatum, quia unicus est actus moralis; omnes enim actus ad unum efficiendum determinate intendunt. Gury. 2° Graviter peccant mercatores, et venditores falsis ponderibus utentes, quamvis in singulis vicibus in parva materia defraudent. Item sartores, et alii etc. Excipe, si consuetudo loci vigeat, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant.

Q. Quandonam restituenda sunt, quae per minuta furta ablata sunt?

R. Certum est, ea sub gravi esse restituenda cum ad notabilem quantitatem pervenerint. Propositio contraria est damnata ab Innocentio XI. Si domini sint noti, iis facienda est restitutio. Si sint incerti, facienda est sub gravi pauperibus loci, vel locis piis.

Q. Quid, si singuli domini non sint graviter damnificati?

R. Licet etiam iis facienda sit restitutio, quia res clamat ad dominum; tamen juxta D. Alphonsum sufficit ut fiat pauperibus ipsius loci, vel locis piis semper ejusdem loci, ut sententia communissima fert. Licet non sit improbabile, quod valeat etiam facta pauperibus alterius civitatis.

Q. Quid de iis, qui ligna in sylva communitatis cedunt?

R. Talis prohibitio habetur ut pure poenalis. Quare non peccat saltem graviter, neque ad restitutionem tenetur, nisi magnam fecerit lignorum stragem cum damno gravissimo communitatis. Sed tenetur tantum ad poenam post judicis sententiam.

Q. An uxor furtum faciens in ipsa domo teneatur restituere?

R. Si omnia illa impendat in victu, et vestitu convenienti propriae conditioni pro se, et pro filiis, ad nihil tenetur. — Si vero, invito rationabiliter marito, frumenta, pecunias in notabili quantitate impenderet in eleemosynas, donationes etc. graviter peccat, et debet restituere cum bonis paraphernalibus, si habeat. Secus debet cum majori solertia, et labore curare, ut bona domestica proficiant.

Q. Quid, si uxoris pater, mater, vel proles alio matrimonio suscepta egeat?

R. Uxor potest, imo jure naturae tenetur eos alere, etiam cum bonis communibus, licet maritus renuat. Imo potest alere etiam fratres, et sorores, ut docent Lessius, Lugo, Sanchez, et alii.

Q. An teneatur uxor de suo restituere, quae maritus furatus est?

R. Negative. Quia obligatio restituendi est personalis, et realis.— Hoc vicissim currit de furtis uxoris quoad maritum; dummodo non fuerit participans, vel retineat.

Q. Quid de furtis filiorum-familias?

R. Si surripiant summam notabilem graviter peccant. Unde si cohaeredibus noceant notabiliter, tenentur sub gravi ad restitutionem ex bonis castrensibus, vel quasi-castrensibus si quae habeant; vel quantitatem rei ablatae conferendo in divisionem haereditatis post mortem patris, nisi ipse pater expresse, aut tacite restitutionem remiserit.

Circumstantia filii si a patre furatus sit, non est necessaria ut manifestetur in confessione, nisi pater propter furtum filii reduceretur ad egestatem, vel multum hac de causa pateretur circa statum, et conditionem suam.

Nota. Inquirant omni studio, ac diligentia Confessarii a fure: 1° Quantitatem. 2° Intentionem plus furandi, si habita fuerit. 3° Damnum extrinsecum, seu lucrum cessans, et damnum emergens. 4° Si revocavit intentionem rem alienam retinendi, sed adhuc retinere voluit, ac retinet. 5° Juxta Billuart, an a paupere, vel divite furatus sit.

Si furtum sit peccatum veniale, Confessarius non det absolutam et claram responsionem poenitenti interroganti, an sit mortale, vel veniale. Secus poenitens horrorem ad illud non habet etc.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS.

Q. Quaenam excusant a furto?

R. Duo : necessitas, et compensatio.

§ 1. *De necessitate.*

Q. Quotuplex est necessitas?

R. Triplex, nempe communis seu ordinaria, gravis, et gravissima seu extrema. — *Ordinaria* est illa, in qua pauperes mendicantes communiter versantur. — *Gravis* est illa, in qua vita valde molesta ducitur. — *Estrema* est ea, in qua vita ipsa periclitatur, aut gravissimum malum imminet.

Q. An liceat in gravi necessitate aliena surripere?

R. Negative. Quia tunc non sunt communia. Et Innocentius XI damnavit hanc prop. : *Permissum est furari in gravi necessitate.*

Q. An liceat in gravissima seu extrema necessitate aliena surripere?

R. Affirmative; quia tunc sunt omnia communia. Excipe si dominus rei auferendae per hoc in aequalem necessitatem sit redigendus; quia valet regula : *In pari causa melior est conditio possidentis.*

Q. An qui in extrema necessitate versetur, possit occulte aliena subripere, quin illa petat?

R. Quidam negant. Sed probabilius affirmant alii ; nam ille non peccat, qui subripit rem ad quam habet jus absolutum : cum affirmantibus nos sentimus. — Peccaret tamen mortaliter clam subripiendo rem peculiarem non absolute necessariam ad vitae conservationem. Ita S. Ligorius, et alii.

Q. An pauper in extrema necessitate possit auferre rem magni valoris, si illa sit absolute necessaria ad suam vitam servandam?

R. Licet Croix, et nonnulli alii negent ; tamen sententia verior affirmat ; quia pauper jus habet accipiendi omne id, quod necessarium est ad servandam vitam, sive illud sit parvum, sive magnum.

Q. Utrum, qui in extrema necessitate bona aliena abstulit, ad restitutionem teneatur?

R. Cum distinctione : Si res ablata in sua specie post transactam permaneat necessitatem, debet restitui, quia cessante necessitate, cessat jus ex ea ortum. — Si res ipso usu fuerit consumpta, adhuc distinguendum : vel consumens tempore necessitatis est absolute pauper idest in re, et in spe, vel non. Si prius, nullo postea titulo restituere tenetur licet ad pinguiorem fortunam redierit. Nam non tenetur titulo rei acceptae, quia non exstat ; non titulo injustae acceptionis, quia tunc verum dominium habebat. Si posterius, ad restitutionem tenetur, juxta veriorem sententiam ; quia saltem in spe habet sua, unde sibi provideat, ideo tunc indiget tantum, ut dives ei mutuat.

Q. An dives non subveniens extremam patienti necessitatem, teneatur postea ad restitutionem ?

R. Probabilius negative contra Concinam, et nonnullos alios. Quia non peccavit contra justitiam, sed tantum contra charitatem.

Q. An fur rem ablatam consumens in extrema necessitate, teneatur semper ad restitutionem ?

R. Controvertitur. Prima sententia affirmat ; quia obligatio jam contracta ex injusta acceptione non extinguitur superveniente necessitate. — Secunda sententia, quae est verior, cui propendit D. Alphonsus, negat. Nam *per talem necessitatem efficit suum id, quod accepit*, ait D. Thomas (quodlib. 5, art. 17). Secundam tenemus.

Q. An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriae, sed etiam alienae?

R. Affirmative cum D. Thoma (2, 2, q. 66, ar. 7).

Q. An dici possit versari in extrema, vel quasi extrema necessitate, qui est occidendus a latronibus, nisi talem pecuniae summam tradat; vel ille, cui immineret perpetua, aut gravissima captivitas, vel aliud simile infortunium?

R. Controvertitur. Affirmant non pauci cum S. Ligorio; quia illa necessitas consistit in extremo periculo, etc. — Negant alii dicentes omnia esse communia, quando quis versatur in extrema necessitate ex causis naturalibus, non ex pravitate hominum. Ast prima sententia est communior et probabilior, ideo tenenda est.

§ 2. *De compensatione.*

Q. Quid sit occulta compensatio?

R. Est *actus, quo quis rem suam, vel aliquid aequivalens ab alio inscio et invito accipit.*

Q. An liceat uti occulta compensatione ad rem suam, aut sibi debitam recuperandam?

R. Est justa et licita, dummodo sequentes concurrant conditiones: 1° Quod rem suam non possit auctoritate publica, vel alio modo obtinere. 2° Ut debitum sit certum, saltem moraliter. 3° Ut caveatur, ne debitor, aut ejus haeredes iterato solvant. 4° Quod absit omne periculum scandali, vel damni alicujus tertii. 5° Quod fiat ex bonis debitoris.

Q. An liceat operariis, famulis, officialibus justitiae recte judicantibus se minus justo accipere, occulte sibi compensare?

R. Cum distinctione: 1° Si quis gratis laborem suum offerre intenderit, nihil subripere potest; quia jam cessit juri suo. 2° Si expressa, vel tacita conventio de justo pretio intervenerit, famulus jus habet ad compensationem, si dominus non solvat. 3° Si conventum fuerit de pretio, etiam infimo, huic standum est, cum sit undequaque justum. 4° Si vero pactum fuerit de pretio infra infimum, distinguendum est: Si famulus, nulla cogente necessitate, libere convenerit cum domino de tali pretio, se compensare non potest. — Si necessitate fuerit coactus, tunc probabilius habet jus ad compensationem usque ad pretium infimum; quia dominus tenetur augere pretium. Excipe vero si dominus ex pura misericordia susceperit, vel si eodem vili pretio alios faciliter invenisset. Ita S. Ligorius.

Q. An famulus augens operas debitas se compensare possit?

R. Distinguendum: non potest, si augeat ex electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare in gratiam domini. — Secus autem, si famulus augeat ex voluntate domini tacita, vel expressa. Ita S. Ligorius.

Q. An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a judice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit?

R. Affirmative: quia sententia judicis est injusta, cum sit innixa falsa praesumptione facti.

Q. An graviter, et contra justitiam peccet, qui se compenset, quin prius ad judicem recurrerit?

R. Non peccat per se contra justitiam, nec peccat graviter, dummodo non sit scandalum. Imo nullo modo peccat, si difficilis sit ad judicem recursus, vel sumptus extraordinarii.

—

CAPUT III.

De restitutione in genere.

—

ARTICULUS UNICUS.

DE OBLIGATIONE ET RADICIBUS RESTITUTIONIS.

Q. Quid est restitutio?

R. Est *actus justitiae commutativae, quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur.*

Nota. Restitutio non debetur ex laesione justitiae legalis; quia objectum ejus est obedientia legum. Neque ex laesione justitiae distributivae, quae non attendit aequalitatem rei ad rem.

Q. An sit necessaria restitutio?

R. Restitutio in re, vel in voto est necessaria ad salutem per se, si agatur de materia gravi. Ex D. August. (epist. 54 ad Macedonium): *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum;* Apost. (ad Rom., c. 13) ait: *Reddite omnibus debita;* et jus naturae ait: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Q. An praeceptum restituendi affirmativum sit, vel negativum?

R. D. Thomas ait: *Praeceptum hoc, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen praeceptum negativum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Hoc praeceptum est primario negativum; quia primario prohibet, ne retineatur alienum, invito rationabiliter domino; et ideo jubet, ut restituatur, et sub hoc respectu est etiam affirmativum. Hinc peccat qui impensas superfluas in ludo, in mensa, in habitu, etc. resecare non curat, ut debitis suis satisfaciat.

Q. An impotens restituere ex bonis ejusdem ordinis teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?

R. Negative probabilius; quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis. Sed licet haec opinio sit probabilior et communior cum D. Alphonso; tamen contrariam, quam docet D. Thomas, probabilem idem S. Alphonsus appellat; quia debitor tenetur compensare partem, quam potest. — Sed prima est tenenda; quia nos in obligatione restitutionis debemus procedere cum certitudine mo-

rali. — Verum potest a judice obligari per sententiam ad restituendum, tunc tenetur ratione poenae, non ratione justitiae.

Q. An inducatur obligatio restitutionis ex actione affective tantum, non vero effective juris alieni laesiva?

R. Negative ; quia nulla injuria realis proximo infertur, quamvis agens peccat interne contra justitiam.

Q. An multiplicentur peccata dilatione restitutionis?

R. Negative probabilius, si habitualiter perseveret mala voluntas non restituendi. Ita S. Lig., lib. 5, n. 40.

Q. An sub gravi restituere teneatur, qui in furtis minutis non graviter peccavit, sed ex inadvertentia ad materiam gravem pervenit?

R. Affirmative; quia est injustus possessor materiae gravis.

Q. An furtula diversis personis facta ad restitutionem sub gravi obligent, si ad gravem materiam pervenerint, et utrum dominis etiam sub gravi restituendum sit?

R. 1° Affirmative; quia praeceptum non furandi non solum prohibet ne damnum alteri inferatur, sed etiam ne quis injuste ditescat re aliena. Ita communiter.

R. 2° Negative; quia ex hypothesi nullus dominus gravem injuriam passus est. Potest ergo, etiamsi domini sint noti, restitutio fieri pauperibus, etc. Ita S. Lig., n. 534. — Si vero domini sint ignoti sub gravi pauperibus seu locis piis restituendum est. S. Ligorius, ibid.

Q. Utrum animae defunctorum, ut ajunt, detineantur in purgatorio, donec ab illarum haeredibus facta fuerit restitutio?

R. Negative. Est enim praejudicium vulgi.

Nota. Iis, qui valentes restituere per seipsos, hanc curam suis haeredibus relinquunt, deneganda est absolutio; pariter iis deneganda, qui aere alieno gravati, victu, vestitu, aequorum etc., fastus impensas relative nimias faciunt; pariter iis, qui sat ampla fortuna dotati, negligunt paulatim decrescere, ut debitis solvant. Ita communiter.

Q. Quot sunt radices restitutionis?

R. Sunt quinque : 1ª Est res accepta. 2ª Injusta acceptio. 3ª Injusta detentio. 4° Injusta damnificatio. 5ª Ratio contractus, vel officii.

Q. Cum omnis obligatio restituendi in delictis fundetur in culpa, ex qua culpa nascatur talis obligatio?

R. Ex sola gravi culpa theologica, et etiam probabiliter intra

casum contractus et officii, nempe tutoris, advocati, judicis, medici etc.; quia leges obligantes in conscientia imponunt explicite, vel implicite contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa juridica lata, vel aliquando ex culpa levi conjuncta semper cum culpa gravi theologica.

Q. Ex qua culpa theologica oriatur obligatio restituendi?

R. Certum est 1° ex gravi culpa theologica gravem oriri obligationem rem gravis valoris restituendi; quia restitutio in delictis communiter accipitur, ut poena.

Certum est 2° ex levi culpa theologica, si sit levis ratione parvitatis materiae, oriri obligationem restituendi sub levi.

Q. Si culpa sit venialis ratione inadvertentiae, sive indeliberationis, et damnum illatum sit grave, obligatne ad restitutionem?

R. Plures sunt sententiae. Alii affirmant et docent damnificatorem ad totum teneri. — Alii obligant ad totum sub levi. — Alii asserunt satis esse, si resarciat partem damni pro quantitate culpae judicio viri prudentis. — Sed communius et probabilius S. Ligorius, Lessius, Sanchez, de Lugo, Gury, Scavini et alii plures docent nullam oriri restitutionis obligationem, neque sub gravi, neque sub levi. Non sub gravi, quia gravis obligatio non habet proportionem cum culpa levi. Non sub levi, quia obligatio levis non habet proportionem cum materia gravi. Et ratio generalis est; quia culpa venialis ex deliberationis defectu et advertentiae non est simpliciter delictum et injuria. Ita et nos sentimus.

Nota. Duo sunt pro praxi notanda: 1° Posse esse tantum damnum, ut pars illius correspondens culpae veniali sit adhuc gravis momenti, ideoque sub mortali restitui debet; alioquin retineretur res notabilis, invito rationabiliter domino, quod est mortale. Hoc autem accidere potest cum in ultimo furtulo, vel damno compleatur materia gravis; sed tunc ad vitandum mortale, sufficit restituere materiam illam parvam, quae materiam gravem complet. 2° Quando damnum est grave, et dubitatur, an culpa mortali, vel veniali fuerit illatum, judicandum est mortali culpa illatum; ideoque imponenda est obligatio reparandi totius damni.

Q. An fur, qui gravem pecuniae summam surripuit, teneatur eam integram sub gravi restituere?

R. Negative. Tenetur enim sub gravi tantum id restituere, quod materiam gravem complet; quia hoc restituto, materia retenta jam gravis non est. Hinc potest quis obligari sub gravi ad materiam

levem restituendam; sed tunc obligatio non ex re levi, sed ex quantitate gravi oritur. S. Ligorius, n. 553, Gury et alii.

Nota 1ª. Qui versatur in impotentia rem alienam, aut ejus valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit, et interim comparare, si quid possit, ut obligationi suae quamprimum satisfaciat.

2ª. Si quis totum nequeat restituere et de re divisibili agatur, ad partem, quam possit, tenetur. Persona enim laesa jus habet ad singulas partes, sicut ad totum.

3ª. Qui leve damnum proximo intulit, tenetur ad restitutionem erga dominum laesum sub levi, et cum incommodo rei proportionato. Facilius tamen potest tunc esse ratio excusans a restitutione praesertim ipsi domino facienda. Si autem de re levissima agatur, difficultas quaecumque sufficiet, ut pauperibus restitutio fieri possit. S. Lig., n. 534.

Praxis cum moribundis. Confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiis sic procedere potest: 1° Si poenitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur, non profuturam esse monitionem, hac omissa erit absolvendus. 2° Si vero fructus monitionis speretur, aut si poenitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. 3° Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, erit inducendus aeger ad summam pecuniae sibi Confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secrete committatur, vel ad eam summam in testamento ipsi relinquendam, omissa restitutionis mentione. 4° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, Confessarius efficiat, ut per haeredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam, etc.

CAPUT IV.

De circumstantiis restitutionis.

Nota. Solum dominus rei habet jus per se eam possidendi, nec ejus dominium amittit, ad cujuscumque manus deveniat. — Diximus *per se;* quia per *accidens* potest possidere possessor bonae fidei.

Quatuor fluunt ex hoc axiomata:

1° *Res clamat domino.*
2° *Res fructificat domino suo.*
3° *Res naturaliter perit domino.*
4° *Nemo ex re aliena locupletari debet.*

Haec principia in restitutione applicari debent et modificari, pro rerum et personarum adjunctis.

Q. Quot sunt circumstantiae restitutionis?

R. Novem numerantur his versiculis comprehensae:

Quis, quid restituat, quantum, cui, quomodo, quando,
Quo ordine, quove loco, quae causa excuset iniquum.

ARTICULUS I.

QUIS RESTITUERE DEBET: ET 1° DE POSSESSORE BONAE FIDEI.

Q. Quis est possessor bonae fidei?

R. Est *ille, qui alienam rem possidet, putans esse suam.*

Q. Quotuplicis generis sunt fructus rei?

R. Quatruplicis generis, nempe sunt: Naturales, industriales, mixti et civiles. — *Naturales* sunt ii, qui a natura sola, vel fere sola producuntur, v. g. foetus animalium, herba, etc.

Fructus industriales sunt ii, qui per solam industriam et laborem producuntur ex re mere sterili, v. g. ex pecunia.

Mixti sunt ii, qui partim ex natura, partim ex industria prodeunt, ut fructus vinearum, etc.

Civiles sunt ii, qui ex juris dispositione ob rei usum oriuntur, ut v. g. locatio domorum, jumentorum, etc.

Q. Quot sunt expensae, quae fieri possunt circa rem?

R. Sunt tres, nempe: Aliae *necessariae*, quae impediunt deteriorationem rei; aliae *utiles*, quae rem meliorem faciunt; aliae *voluptuariae*, quae speciem dumtaxat ornant, v. g. picturae, etc.

Q. Quid tenetur restituere possessor bonae fidei?

R. 1° Nulla ratione tenetur restituere fructus mere industriales; quia ratione industriae ad ipsum pertinent. Ita omnes.

2° Tenetur restituere rem ubi primum novit esse non suam; si non exstet ipsa res, tenetur restituere id, in quo factus est ditior. Quod si non restituat, incipit esse possessor malae fidei.

3° Tenetur restituere fructus naturales rei, civiles et mixtos, qua parte sunt naturales, si adhuc exstent; quia res fructificat domino.

Si vero non exstent, tenetur restituere id, in quo factus est ditior. — Quod si non exstent, nec factus sit ditior, ad nihil tenetur.

Nota. Ex jure novo civili omnes fructus, tum industriales, tum naturales, tum mixti, tum civiles assignantur possessori bonae fidei usque ad illum diem reclamationis veri domini. Haec dispositio obligat in conscientia ob bonum publicum.

Q. Quis dicatur ex re aliena ditior factus?

R. Is, qui rem alienam consumendo, aut donando rebus suis, quas consumpsisset, pepercit; aut rem alienam alienando aliquid acquisivit; sed non censetur ditior factus, si lautius vixerit.

Q. An qui emit bona fide rem furtivam sine laesione justitiae, possit illam iterum furi restituere, si videat, quod nequeat alio modo pretium suum recuperare?

Nota. Duo sunt certa apud omnes: 1° Quod non possit eam restituere furi, si dominus petat. 2° Quod e contrario potest furi eam restituere, si dominus facile possit ab ipso fure rem suam habere.

R. Duae sunt sententiae: una cum S. Antonino, Lessio etc. affirmat; quia hoc modo nullum damnum infert domino, cum in priori statu collocetur. — Altera cum Layman, Croix etc. negat; quia si restituatur furi, fit deterioris conditionis, quam tunc erat in manu alterius, quod est illicitum; res enim clamat domino. Attamen videtur probabilior prima sententia. Ita Scavini, cum eo et nos sentimus.

Q. Ad quid teneatur possessor bonae fidei, qui rem a fure emptam alteri vendidit? v. g. Si equum tu emeris a Petro et vendideris Paulo, et postea cognoscitur illum esse Joannis?

R. Cum distinctione: In casu evictionis, idest si dominus equum suum ab emptore Paulo vindicaverit, emptor Paulus tenetur equum domino reddere; quia ad ipsum clamat, et tu teneris illi solutum reddere, quia vendidisti rem vitiosam. Et tu potes repetere summam a fure, si possibile sit; secus perdidisti pecuniam tuam: hoc per accidens accidit; ac proinde nihil exigere potes ab emptore Paulo, vel a domino equi. — Idem dicendum, si res aliena in manus aliorum praesertim titulo oneroso transiverit. Si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, et ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum prosequendi, ut pretium solutum recuperent. Si non possent, quia venditores fuerunt ignoti et advenae, tunc perdunt illud pretium.

Extra casum evictionis, idest in casu spontaneae restitutionis

controvertitur : alii affirmant, venditorem idest te adhuc restituere debere pretium ex venditione equi, v. gr. Joannis perceptum, modo pretium illud bona fide non consumpsisti. — Alii cum Salmaticensibus, et aliis probabilius et communius docent, venditorem, idest te non teneri ad restitutionem, nisi ex venditione ditior factus fueris ; quia venditio rei alienae cum bona fide non habetur in jure omnino irrita. Et tu quidem etiamsi deinde detegas equum venditum alienum esse, non tamen teneris, aut monere dominum, ut equum suum recuperare possit, aut indicare emptori Paulo equum esse alienum. Ita communius, Lugo diss. 17, n. 106, Salm. et alii. Haec est etiam nostra sententia.

Q. Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit?

R. In casu evictionis tenetur emptori damnum rependere. — Extra casum evictionis, quando scilicet res a domino recuperari nequit, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste amplius non comparet, venditor juxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet: quia ex toto illo pretio vere ditior factus est, nec proinde ullam jacturam illius occasione patitur.

Q. Quid si possessor bonae fidei rei alienae, eam jam donaverit?

R. Qui rem alienam donando rebus suis pepercit, idest si quid aliud certe dedisset, utique debet restituere id, in quo suis pepercit. Secus ad nihil tenetur ratione justitiae ; sed ratione charitatis, si commode id praestare potest, tenetur monere donatarium, ut rem domino suo reddat, vel dominum ut ita rem suam recuperare valeat.

Q. Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit, et majori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur?

R. Negative, si lucrum istud industriae extraordinariae tribuendum. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentori. — Affirmative, si res ex natura sua, aut ex communi hominum aestimatione creverit; quia in eo casu domino crescit. In aliis vero casibus communius, et probabilius negatur; quia totum illud lucrum fructus industriae possessoris esse videtur. Ita Lug. diss. 17, n. 20 et alii.

Q. Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit?

R. Si rem habuerit ex titulo oneroso, probabilius ad nihil tenetur. Etenim non tenetur ratione rei, cum illam jam non habeat;

non ratione damni, cum non sit causa ejus interitus, nec aliunde ullo modo formaliter cooperatus ablationi rei fuerit. — Si rem habuerit ex titulo gratuito triplex est sententia: 1ª Quae probabilior videtur, docet pretium emptori restituendum esse; cum enim venditor ex illo ditior evaserit pretium domino reddere non tenetur, quia res domino periit. Aliunde emptor jus habet ad suam pecuniam recuperandam; quia venditio invalida fuit. 2ª Docet pretium domino esse restituendum; cum enim injuste re sua spoliatus sit, indemnis fieri debet. 3ª Docet venditorem posse pretium sibi retinere. Sed prima ob allatas rationes videtur in praxi tenenda.

Q. Quid agendum, si inter varios possessores bonae fidei, unus malae fidei adfuerit?

R. Illa circumstantia nihil prorsus conditionem aliorum possessorum immutat.

Q. Quid agendum, si possessor bonae fidei detegat quidem rem a se possessam esse alienam, sed dominus non compareat?

R. De hoc statuendum est, sicut de re inventa. Probabilius igitur rem illam servare sibi potest. Gury.

Q. An possessor bonae fidei subducere possit expensas necessarias, quas in re conservanda, vel augenda subiit?

R. Deducere potest omnes expensas necessarias; imo et utiles, quae nempe conservant, et meliorem efficiunt. Secus dominus plusquam suum est reciperet: hoc vero si res erat infructifera, secus sat compensatur ex perceptis fructibus.— Nihil repetere potest pro expensis mere voluptuariis; quia equum non est, ut dominus solvat expensas, quae nullo modo sibi utilitatem afferunt, si vero non augeant valorem rei. Inter expensas non sunt computandi casus fortuiti, nec damna per accidens causata, v. g. si in colendo agro alieno possesso bona fide, perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum existimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

Nota. Ex jure novo (Cod. Civ. ar. 2280) statuitur pro commercii securitate, quod si res empta fuerit in publico, vel mercatore ejusmodi res vendente, transferatur dominium emptori, ita ut dominus cogere non possit emptorem ad rem sibi restituendam, nisi prius soluto pretio. Unde tunc domino, non emptori venditor debet restituere.

—

ARTICULUS II.

DE POSSESSORE MALAE FIDEI

Q. Quis est possessor malae fidei?

R. Est *ille, qui per injuriam rem alterius accepit, vel detinet, vel damnum intulit.*

Q. Ad quid tenetur possessor malae fidei?

R. 1° Restituere rem ipsam, si adhuc exstet, quia res clamat ad dominum; vel ejus pretium si non exstet, quia pretium rei est res in aequivalenti.

2° Compensare omne damnum emergens, et lucrum inde cessans domino; nam est causa injusta utriusque.

3° Restituere omnes fructus naturales, civiles, et mixtos qua parte sunt naturales, sive dominus eos percepturus fuisset, sive non; quia fructus fiunt illius, qui est dominus rei: pariter etiam illos, quos non perceperit; modo dominus eos percepturus fuisset: insuper etiam illos, qui sunt consumpti, et per casum fortuitum amissi; quamvis ex illis non sit factus ditior; quia consumpsit mala fide.

Q. An teneatur fur restituere valorem rei, si res furtiva apud ipsum pereat, quae apud dominum peritura fuisset?

Nota. Res perire potest apud furem, vel ante, vel postquam periisset apud dominum, vel eodem tempore ac periculo quo apud dominum peritura fuisset, vel absque sua culpa, vel absque culpa alterius.

R. Distinguendum. Si res perierit apud furem etiam absque sua culpa, vel alterius, sive antequam, sive postquam apud dominum fuisset peritura, possessor malae fidei tenetur ejus valorem restituere etiamsi ab imminenti periculo illam servasset: quia res quocumque modo servatur, domino servatur. — Si res perierit apud furem absque sua culpa, vel alterius eodem tempore ac eodem periculo, v. g. incendio etc., vel ex vitio ejus intrinseco, quo apud dominum fuisset peritura, non tenetur ad restitutionem; quia non est causa efficax damni. Ita S. Ligorius et communiter contra quosdam alios.

Diximus *absque culpa alterius*, quia si res a causa libera et injusta fuisset peritura, tunc debet restituere; nam, sicut ille contra-

xisset obligationem restituendi, sic iste remanet obligatus, quia prius obligationem contraxit. Ita S. Ligorius.

Nota 1ª. Licet Salmaticenses, et Lugo dicant, si transacto omni periculo, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo pariter communi, teneri ad restitutionem, quia fuit in mora culpabili. — Attamen probabilius videtur non ad aliud teneri, nisi ad restituendos fructus, quos dominus percepturus fuisset illo tempore.

2ª. Ex Jure Romano quomodocumque res perierit in manu possessoris malae fidei ad restitutionem tenetur post sententiam judicis. Et haec sententia obligat in conscientia. Ita communiter Theologi, et jurisperiti.

Q. Ad quid teneatur possessor malae fidei, quando res habet varium pretium tempore detentionis?

R. Tenetur ad summum pretium rei, quod ipse dominus obtinuisset, vel obtinere potuisset, sin minus indemnis non servaretur.

Q. An fur teneatur reddere rem furtivam juxta majorem, quem habuit valorem, si dominus eam consumpturus tempore vilioris pretii, vel servaturus fuisset usquedum decreverit ad pristinum valorem?

R. Duplex est sententia. Prima negat; quia restitutio non obligat, nisi ad mensuram damni illati. — Secunda affirmat; quia res melioratur semper domino. Sed sententia negans videtur probabilior. Ita Lugo, Lacroix, Gury.

Sed in praxi cum fere non innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola urgenda est compensatio valoris, quem tempore furti res habebat. Ita Gury.

Q. An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?

R. Affirmative absolute tam si perierit culpa furis, vel alterius, tam etiam sine culpa furis; quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit. Ita S. Ligorius.

Q. An teneatur restituere qui fingens se pauperem, vel alium quam est, extorsit eleemosynam?

R. Ad primum affirmative. Quia tantum vere pauperes jus habent ad eleemosynas. Si vero parva sit eleemosyna, qualis ostiatim recipitur, non est urgenda restitutio, ut communiter docent auctores. — Ad secundum negative, si vere sit ipse pauper, quia sola indigentia, non probitas est ratio eleemosynae.

Q. Quid si res aliena per manus plurium possessorum malae fidei transierit ex donatione vel venditione?

R. Est restituenda ab eo, qui eam adhuc tenet, vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, caeteri per aequas portiones rei pretium solvere debent. Tandem in caeterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

Quoad rei fructus, et damna singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit. Si nolint, totius damni reparatio singulis incumbit; pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae injusti possessores. Ita communiter.

ARTICULUS III.

DE POSSESSORE DUBIAE FIDEI.

Q. Quis est possessor dubiae fidei?

R. Est *ille qui dubitat*, *an res*, *quam possidet*, *sit sua*, *vel aliena.*

Q. Ad quid tenetur possessor dubiae fidei?

R. Vel rem alienam possidere incipiet jam dubitans sua ne sit, ut si emerit rem alienam dubitans, an sit venditoris; vel dubium superveniat postquam adeptus sit bona fide illius possessionem. Si primum, peccat; quia evidenter se exponit periculo rem alienam sibi usurpandi, ideoque tenetur inquirere dominum majori, vel minori diligentia pro majori etc. valore rei. Si compareat dominus restituere debet. Si non compareat, et existimat majori probabilitate rem esse alterius, pauperibus illam distribuere debet ex praesumpta domini voluntate. — Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam multo probabilius judicet rem esse suam, potest eam sibi retinere paritate rationis. Quod si dubium remaneat hinc inde aequale, res dividi debet inter utrumque juxta dubii rationem, ut docent probabilius S. Ligorius, Salmat., Lugo et alii. Sed si rationes essent aequales ex utraque parte, res non est restituenda pro medietate; bene vero minus, et forte valde minus, quia rei detentor est in conditione meliori ob jus possessionis, quod ipsi favet.

Si agatur de secundo casu sententia communior et probabilior cum Croix, Layman, Lugo et aliis docet eum ad nihil teneri, nisi moraliter constet eam esse alienam: Jus enim Canonicum refert haec verba D. Augustini: *In jure praediorum tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur*, *quamdiu se possidere ignorat*

alienum (can. Si virgo, q. 1): atqui quamdiu certo moraliter non constat rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum. Ergo etc. Unde potest eam consumere, imo et alienare, admonito tamen emptore de dubio adhuc vertente.

Idem dicendum, etsi contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla in ejusdem favorem; quia adest pro eo praesumptio.

Q. Quid si possessor iste, superveniente dubio, culpabiliter negligat diligentiam ad veritatem inveniendam, et postea eam non possit amplius invenire, v. g. Titius fundum possidet, sed interdum dubitat, an ille fundus ad Sempronium pertineat: fac Titium negligere documentorum lectionem, et interim fortuito incendio archivium conflagrare: teneturne Titius ad aliquid erga Sempronium?

R. Licet nonnulli dicant possessorem istum mortaliter peccasse, sed nihil restituere debere; attamen nos cum Scavini, et aliis dicimus, quod teneatur aliquid restituere ei, de quo dubium est, an sit verus dominus, vel pauperibus: quia iste privavit dominum spe rem recuperandi. Haec spes est aestimabilis, saltem prope medietatem pretii rei. S. Ligorius, Gury. — Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. Ita S. Lig. de Consc. n. 31, Lugo, Lacroix n. 564, et alii.

Q. Ad quid tenetur possessor dubiae fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?

R. Si incepit rem possidere cum dubio tractandus est ut possessor malae fidei. — Si incepit possessionem bona fide aequiparandus est possessori bonae fidei.

Q. An possessor dubiae fidei praescribere possit, si facta inquisitione debita, dubium perseveret?

R. Affirmative probabilius, si bona fide incepit possidere. — Negative, si dubia fide incepit possidere; quia ad praescribendum requiritur bona fides. Ita S. Ligorius.

Nota 1ª. In dubio, an aliquis bona, vel mala fide inceperit, praesumendum est in favorem possessoris, quia delicta non praesumuntur.

Nota 2ª. Dubitans, an debeat restituere plus, an minus tenetur tantum ad minus; quia in dubio minimum est amplectendum.

ARTICULUS IV.

DE INJUSTO DAMNIFICATORE TUM IMMEDIATE ET DIRECTE, TUM MEDIATE DAMNUM INFERENTE.

Q. Quae requiruntur, ut actio damnificans inducat obligationem restitutionis?

R. Tres requiruntur: 1° Ut sit injusta. 2° Ut sit damni causa efficax. 3° Ut sit theologice culpabilis.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire posset?

R. Affirmative. Quia quisque tenetur, quando rationabiliter potest, ne malum ex actione sua secutum perseveret; secus actio evadit injuriosa proximo. Ita S. Ligorius, Gury.

Diximus *rationabiliter;* quia si suo aequali, vel majori damno illud damnum impedire non posset, poterit se habere permissive.

Q. An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem, sed jam retractata, quando damnum infertur?

R. Affirmative; quia retractatio coram Deo tollit peccatum, sed non facit quod non sequatur illud damnum. Ita communiter.

Q. An teneatur reparare damnum, qui ponit actionem, ex qua praeter ejus intentionem, et per accidens damnum alteri est illatum?

R. Tam opus, cui vacat, sit licitum, tam si sit illicitum et injustum, dummodo servetur prudens cautela, et prudenter sibi suadeat agens damnum minime secuturum, si de facto per accidens sequatur ad nihil tenetur: quia non est voluntaria causa efficax damni, cum non potuerit humano modo praevidere. — etiamsi agens suspicaretur damnum non ut probabile, sed ut mere possibile, adhuc non tenetur; quia in humanis non habetur ratio merae possibilitatis.

Q. An teneatur reparare damnum, quod alicui ex errore intulit, dum alteri nocere intenderet, v. g. Si incendat domum Caj amici, putans esse domum Titii inimici?

R. Duplex est sententia aeque fortis, et probabilis. Prima affirmat, quam tenet Gury: quia quaestio non est de nomine, sed de re: error igitur non afficit actus substantiam, sed quid mere accidentale. Et sunt in actione omnes requisitae conditiones ad obligationem restitutionis.— Secunda sententia negat, modo is non

intenderit, ne confuse quidem, damnum inferri alteri quam Titio: quia in materia damnificationis respicitur principaliter injuria formalis et effectiva, et secundario tantum damnum illatum. Ergo in casu non est obligatio restitutionis. Haec secunda videtur conformior principiis.

Idem dicendum de eo, qui volens occidere inimicum, ex errore occidit amicum. Attamen notandum, quod talis adhuc incurreret excommunicationem, si tam occisus, quam occidendus esset Clericus, ut tenet sententia absolute probabilior, atque communissima cum Sanchez etc.: quia excommunicatio incurritur non ob personae, sed ob status laesionem, qui status in eo casu jam voluntarie laeditur, licet in persona erretur: et tunc multo magis incurritur irregularitas. Ita Scavini tom. 2, pag. 570.

Q. Ad quid teneatur, qui existimans ex errore invincibili damnum a se illatum multo minus esse ac revera est, cum postea verum pretium cognoscit, v. g. Qui in mare projecerit gemmam, putans valere decem aureis, si illa revera valeat centum?

R. Prima sententia docet, illum teneri ad omne damnum illatum, quia justitia respicit medium rei. — Secunda sententia probabilior, quam tenemus, dicit eum teneri tantum ad restituendum pro rata damni cogniti, et consequenter tenetur restituere decem aureos; quia non censetur voluntarium illud, quod non est cognitum. Excipe si saltem in confuso dubitet de ejus reali valore, tunc obligaretur ad totum.

Q. An dominus teneatur reparare damnum per ejus animalia proximo illatum?

R. Vel est culpa theologica, vel non. Si prius, nempe culpabiliter invigilare in animalia neglexerit, tenetur totum damnum resarcire. Si posterius, vel si sit culpa levis, non tenetur ante sententiam judicis: bene vero post sententiam judicis.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si praeviderit pravi exempli efficaciam?

R. Licet nonnulli affirment, tamen sententia probabilior negat, quia exemplum non est causa positiva damni. Ita S. Ligorius, et alii.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui dubitat, an aliquem damnificaverit injuste?

R. Cum distinctione: vel dubitatur, an causa damni sit posita, et an damnum sit illatum; vel dubitatur de influxu talis causae in

damnum, quod certo evenit. Si prius, ad nullam restitutionem tenetur, modo facta diligenti inquisitione, dubium perseveret: quia ex dubio circa existentiam causae damnificativae, vel circa factum damni non potest deduci obligatio certa damnum illud reparandi. Ita communiter. — Si posterius, una sententia dicit teneri ad restitutionem saltem pro rata dubii; quia praesumptio damni stat contra dubitantem. Altera probabilior, quam nos amplectimur, negat absolute eum teneri ad restitutionem; modo tamen causa de se necessario non causet damnum: quia non est imponenda obligatio restitutionis, nisi de ea certo constet.

Diximus *modo causa de se necessario non causet damnum*; secus enim praesumptio stat contra eum, qui causam posuit; ideo debet restituere.

Q. An tenearis reparare damnum alteri obveniens occasione injustae actionis tuae, si nempe illi crimen imputetur, quod tu commisisti?

R. Vel potest, vel non potest praevidere damnum illi eventurum; vel non tantum potest praevidere, sed etiam praevidet, et intendit: 1° Certe ad nihil teneris si damnum illud non praevideris. 2° Probabilius etiam non teneris, licet damnum hoc praevideris; quia causa tua cum illa praevisione non est causa per se; sed tantum per accidens. Praevisio enim non mutat naturam actionis tuae. 3° Probabilius non teneris, licet hoc damnum praevideris, et intenderis; quia semper haec actio est tantum causa damni per accidens, et non per se.

Excipiendum vero, tam in secundo, quam in hoc tertio casu, si talibus uteretur mediis, et tales essent circumstantiae, ut inter eas, et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio, v. g. Si occidas hominem indutus vestibus Pauli, vel domi, vel in agro etc. Pauli. Excipe, si ille in hujusmodi actionibus utatur jure suo.

Q. An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?

R. 1° Ad nihil tenetur erga dignum praetermissum, secluso casu concursus, quia nullius jus strictum violavit. Ita S. Ligorius.

2° Ratione electionis indigni tenetur certo erga societatem, vel Ecclesiam etc. de omnibus damnis exinde provenientibus; quia censetur adesse pactum strictae justitiae inter societatem, et electorem, quo iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos. Ita communiter.

3° Probabilius ad nihil tenetur ratione electionis minus digni,

etsi graviter peccare posset; quia non censetur societas electores obligare titulo justitiae commutativae ad digniores eligendos.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui alium impedivit a consecutione alicujus boni, vel beneficii?

R. Distinguendum: affirmative, si proximus habeat jus strictum ad rem obtinendam, v. g. in casu concursus. — Si proximus non habeat jus strictum ad rem consequendam, subdistinguendum: affirmandum si mediis injustis id impediatur, v. g. vi, fraude etc. Negandum vero, si impediatur mediis in se justis, v. g. suasione, precibus etc.; quia nullum jus alterius tunc violetur nec in se, nec in mediis. Ita communiter.

Q. An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. gr. ex odio, seclusis tamen mediis de se injustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod jus strictum non habet?

R. Negative probabilius; quia nulla injuria proximo infertur. Nam ad injuriam non sufficit mala intentio; sed requiritur actio externa, quae vera et efficax causa damni injusti sit. Ita S. Ligorius.

Q. An qui grave damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?

R. Affirmative, si damnum illatum est eidem personae; quia hic teneatur reparare totum damnum voluntarie et libere illatum. — Negative probabilius, si damna minuta diversis personis illata fuerint; quia nemo grave damnum patitur.

Q. An ex sola culpa theologica oriatur obligatio restitutionis?

R. Etiam ex culpa mere juridica adesse potest restituendi obligatio in conscientia post sententiam judicis; obediendum est enim justae judicis sententiae. Nam haec lex tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant: igitur non ratione culpae juridicae oritur obligatio restitutionis, sed ratione debitae obedientiae legi a judice merito applicatae.

Q. An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienae, quae detinebatur ex contractu aliquo, v. g. locationis, depositi, vel commodati, etc.?

R. Duplex est sententia probabilis. Prima sententia probabilior affirmat absolute requiri culpam theologicam, quia non sufficit culpa juridica, nisi speciale pactum intercesserit. Ita Lugo, et convenit cum aliis S. Alphonsus. — Secunda sententia negat, si casum excipias, in quo contractus cedit in solam utilitatem alterius contrahentium; quia videtur intercedere pactum implicitum, quo rei detentor

se obligat ad eam speciali cura custodiendam, vel ad reparandum detrimentum etc. Ita Antoine. Sed prima praeferenda videtur, utpote principiis conformior.

Q. An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo, seu in quasi contractu servando; v. gr. Si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum aegroto praebuerit?

R. Affirmative probabilius. Quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere juridicam in officio, seu in quasi contractu, sive ex jure naturali, sive ex lege positiva, sive ex partium conventione. S. Ligorius, Gury etc.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?

R. Affirmative. Quia quisque tenetur ex justitia impedire ne actio sua proximo noceat. Ergo tenetur etiam impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret. Ita communiter.

Sed aliter est si (quando advertit) damnum jam sit consummatum, et proximi fama jam sit irreparabiliter laesa, v. gr. Venenum haustum etc. tunc per ipsum amplius non stat, ut praevideat. Ideo ad nihil tenetur.

Q. An quis in periculo debeat rem alienam suae praeferre, adeo ut teneatur de damnis, si eam non praeferat?

R. Vel contractus ob quem habeo rem alienam cedit in mei tantummodo utilitatem; vel cedit in utilitatem alterius tantum; vel demum in utilitatem utriusque. Si primum, debeo rem illam meae praeferre; modo res mea non sit pretiosior. Sed tunc ex jure civili teneor pretium rei alienae restituere; quia in mei solius gratiam ea res adducta sit in ruinam. — Si secundum, distinguendum; si res aliena sit magis pretiosa, debeo illam conservare; attamen possum exigere compensationem totius damni, quod passus sum eam servando. Si aeque ac mea pretiosa res sit, non teneor rem alienam praeferre meae; cum in illius tantum utilitatem retineam. — Si tertium, caeteris paribus, potero praeferre rem meam, cum charitas a nobis ipsis incipiat. Volunt tamen alii fieri debere alteri parti aliquam compensationem. Hoc videtur magis justum.

§ 1. *De fraudatoribus tributorum, et gabellarum.*

Q. Quid, et quotuplex est tributum?

R. 1° Est *pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis gubernio vel principi ad sumptus reipublicae communes.*

R. 2° Duplicis sunt generis, alia nempe sunt *directa*, quae uniuscujusque vel personam, vel bona immobilia immediate afficiunt: et dicuntur *realia, ac personalia.* Alia sunt *indirecta*, quae immediate in quasdam merces cadunt, et mediate in personas, quae eas transvehere vel vendere, vel emere, vel habere volunt: et dicuntur *vectigalia*, vel *gabellae.*

Nota. Ad tributa directa revocari solent quae solvuntur ratione professionis, mercaturae, artis, industriae; ideoque redditus mobilis (*ricchezza mobile*) qui illa repraesentat. Item quae portas, et fenestras aedium juxta eorum numerum, et situm afficiunt. Ad indirecta revocantur quae jure successionis solvuntur, pro contractibus, insinuatione, tabaco, sale, pulvere ignescente, literarum obsignatione: item onera super canes, equos, familiaria vestimenta *(livree)*, manus mortuas, ut dicunt, lites, sortes, pensiones, provisiones, vel census in gubernio ipso fundatos, et similia.

Q. Quinam potest imponere tributa, vectigalia etc.?

R. Generatim omnes, quibus publica rerum administratio commissa est; cum id necessarium sit ad sustinenda onera communia. Hinc possunt imperatores, reges, respublicae, civitates, et communitates etiam subditae, sed si princeps non contradicat. Concilia, et Pontifices ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, si id opus est ad regimen spirituale.

Oportet: 1° Ut tributa pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur. 2° Ut aequalitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum, quas possident. Ita S. Lig. n. 615, Lugo, Billuart.

Q. An tributa solvenda sint in conscientia?

R. 1° Certum est tributa directa regulariter antequam petantur, si justa sint, in conscientia, et ex justitia legali esse solvenda. Nam Christus dixit (Matth. c. 22, 21): *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari;* Ap. ad Rom. c. 13, 5 ait: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim et tributa praestatis... Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Patet etiam ex ratione; princeps enim ad onera reipublicae ferenda tenetur: ergo a pari subditi tenentur ex ju

stitia ad media pro bono communi promovendo necessaria subministranda. Ita S. Lig. n. 615, 616 et omnes alii.

R. 2° An in conscientia solvenda sint tributa indirecta, seu *vectigalia*, vel *gabellae*, duplex est sententia. Prima a Scavini dicitur communissima, et probabilior, affirmat: quia docet Apostolus: *Reddite ergo omnibus debita*, *cui tributum*, *tributum*, *cui vectigal*, *vectigal:* ubi vides etiam vectigalia in conscientia solvenda esse, et quidem uti tributa ac debita, et ideo ex justitia, adeo ut renuentes teneantur ad restitutionem. — Secunda sententia, quam S. Ligorius n. 616 appellat sufficienter probabilem, negat; quia poena gabellas imponens cum poena gravi rationabiliter debet existimari conditionata seu disjunctiva, ut nempe solvatur vel gabella, ut sic liber quisque eat, vel poena casu, quo fraudatorem contingerit deprehendi.

Secundam sententiam nos amplectimur. Nam etiam primae sententiae fautores negare non possunt, quod sit saltem dubium, utrum haec lex obliget sub culpa ad solutionem gabellae, et poenae: at in dubio nemo tenetur obligationem certam subire. Insuper Cajetanus, Layman, Lessius, Lugo, Sporer, et alii communissime docent, *si subditi habeant gravem suspicionem*, *et rationem de injustitia alicujus gabellae*, *nihil debent solvere;* quia non omnia tributa in tanta eorum multitudine necessarias conditiones praeseferunt. Verum fere omnes, ut experientia docet, juste clamant contra singulas gabellas, vel quia firmiter credunt illas excedere proprias vires, vel quia credunt esse superfluas pro bono reipublicae, vel quia rationabiliter cognoscunt in illarum partitione aequitatem non esse servatam, vel per alias non contemnendas rationes. Ergo in conscientia non tenentur illas solvere.

Tandem patroni primae sententiae docent: *In praxi post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati...* Vide Scavini (edit. 10, tom. 2, pag. 445, 446). Sed si revera isti defraudatores peccarent, et tenerentur ad restitutionem, dicta doctrina, et praxis illorum esset omnino contraria principiis moralibus: quando enim agitur de damno communi, seu reipublicae Confessarius debet monere poenitentem, quamvis iste laboret ignorantia invincibili. Ergo nisi velimus docere unam doctrinam in theoria, alteram contrariam in praxi, necessario debemus tenere gabellas vel vectigalia non esse solvenda in conscientia.

Neque huic doctrinae opponitur textus Apostoli.... *cui vectigal*, *vectigal....* Nam ex hoc textu colligitur quod princeps possit obli-

gare in conscientia etiam in exigendo vectigal. Sed aliud est ita dicere, et aliud est velle probare cum illo textu quod princeps semper obliget in conscientia quando gabellas imponit. Hoc non debemus credere, nisi princeps aliquo speciali modo manifestet. Secus merito potest praesumi quod princeps in rebus tam variabilibus, fallacibus, et minutis, ut sunt gabellae, nolit obligare in conscientia: imo debet hoc praesumi, ne imprudenter multiplicemus vincula moralia, et peccata adstruamus ubi non sunt.

Q. Quid de praepositis, qui nempe ab auctoritate deputati sunt ad fraudes impediendas, si fraudantes adjuvent, occultent etc.?

R. In omnium sensu certum est, illos peccare mortaliter, atque ad restitutionem teneri illius, quod eorum causa fraudatur; ideo enim stipendium accipiunt, ut impediant.

Q. Quid in dubio de injustitia alicujus tributi?

R. Si nulla adsit praesumptio de injustitia, videtur tributum solvendum esse in conscientia; tunc enim possidet jus legitimum princeps. — Si vero adsit gravis suspicio, vel dubium de ejus injustitia, vel de cessatione causae, sunt diversae sententiae: aliae affirmant et aliae negant. Sed nos dicimus cum doctissimo Sylvio, cui alii consentiunt, si quis fraudet de illis quantum bona fide existimat se plus aequo gravari, neque peccat, neque tenetur ad restitutionem. Scavini, pag. 571.

Q. An peccent et teneantur ad restitutionem, qui adsportant et vendunt merces omnino prohibitas, v. g. tabacum exterum?

R. Qui tenent, leges vectigalium esse pure poenales, nullum peccatum, nullam restitutionem agnoscunt. Alii, qui docent, non esse pure poenales, admittunt in hoc peccatum, sed negant obligationem restitutionis. Verum prima sententia tenenda, ut probavimus.

Q. An peccent et teneantur restituere, qui adsportant, vel vendunt res, quas aliqui tantum ex privilegio vendere possunt, ut sal, etc.?

R. Obligantur fraudantes ad restituendum privilegiatis lucrum, quod probabiliter fecissent.

Q. An peccent, et teneantur ad restitutionem, qui vendunt, quod ut aliqui soli vendant, tributum regi solverunt, sicut est vinum quod minutatim venditur a caupone?

R. Debent restituere ut supra: sed cui non conveniunt Theologi; magis opportunum est, restitutionem faciendam esse pauperibus. Scavini.

Q. An emens merces a gabellarum fraudatore peccet, et teneatur in defectu fraudatoris ad tributi fraudati solutionem?

R. Negative propter allatas rationes.

An peccent exigentes publica tributa in dubio an sint justa, alii affirmant cum Molina. Sed alii generatim negant, quos sequimur; et sentit Lugo non peccare exactorem, si ei de injustitia non constet certo; potest enim praesumere pro justitia.

§ 2. *De damno occasione militiae illato.*

Q. Ad quid tenentur belligerantes, qui in bello injusto alteri damnum attulerunt?

R. Duces seu principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel si minus damnum imperarunt, illud tamen ex officio impedire tenebantur. — Milites in bello evidenter injusto tenentur de damnis omnibus, quae per actionem privatam intulerunt; et tenentur singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint.

Q. An singuli milites in aliorum defectu teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato?

R. Negative probabilius; quia singuli non totius damni causa sunt, sed partis tantum. Ita Lugo cum aliis. Excipe si ut privati conspiraverint simul ad illud damnum inferendum.

Q. Ad quid teneantur milites conscripti desertores?

R. 1° Ex obedientia, seu ex justitia legali tenentur ad castra redire. Ita communiter. — Excipe: 1° Si in grave salutis periculum offenderent, v. g. si media confitendi non suppeterent etc., ut aliquibus in locis evenire potest. 2° Si redeuntes morte, triremibus, aliisve gravissimis poenis plectendi forent. 3° Si bellum sit evidenter injustum.

R. 2° Certo ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubi lex alios ipsorum loco non requirit; quia nullo modo justitiam commutativam laedunt.

Q. Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?

R. Per se tenentur restituere pretium illis, a quibus receperunt, quique suo loco debent alios vel seipsos subrogare; quia non potest retinere illam pecuniam, quae data fuit ad onus militiae — Ubi

vero non viget lex subrogationis, desertor ad nihil tenetur, quia non laedit justitiam commutativam.

Q. Ad quid teneantur nondum inscripti, qui militiae se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?

R. 1° Qui pecunia, seductione etc. magistratus, vel medicos corrumpunt ut ab eis invalidi declarentur, tenentur ad restitutionem. Ita omnes. 2° Si vero mendaciis tantum, fraudibus, aut praevia mutilatione magistratus decipiunt, duplex est sententia. Prima communior docet illos teneri ad restitutionem erga illos, qui loco ipsorum subrogantur; quia sunt causa injusta et efficax damni. — Secunda negat illos ad restitutionem teneri; quia non sunt causa efficax, sed tantum occasio cur alii vocantur ad militandum. Utraque est aeque probabilis; sed in praxi sapientissimum est non urgere juvenes, qui se subtraxerunt istis modis.

Q. An accepta per modum pretii propter actionem, vel omissionem aliunde debitas restitui debeant?

R. Affirmative, si actio vel omissio sint debita ex justitia, quia qui vendit quod suum non est, tenetur ad restitutionem. Si sint debita ex virtute a justitia distincta, illicitum est, sed accipiens non tenetur ad restitutionem.

Diximus *per modum pretii;* quia si daretur per modum allicientis juste accipi, et retineri posset.

ARTICULUS V.

DE IIS, QUI DAMNO ALTERIUS COOPERANTUR.

Q. Quid requiratur, ut cooperans teneatur ad restitutionem?

R. Requiritur, ut sua cooperatione sit causa efficax et injusta, sive physica, sive moralis damni.

Q. Quotupliciter quis potest in alterius damnum cooperari?

R. Dupliciter, nempe positive, quando quis, vel physice, vel moraliter influit in damnum proximi. — Negative, quando non impedit damnum alterius; etsi possit et debeat impedire. Causa negativa tenetur ad restitutionem, quando ad damnum impediendum adstringitur ex justitia.

Q. Quot modis possit aliquis efficaciter cooperari damno alterius?

R. Novem modis, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores sunt negativi, et his versibus exprimuntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§ 1. *De mandante.*

Q. Quid intelligitur nomine mandantis?

R. Is, qui suo mandato vere alium movet ad damnificandum al-eri, vel expresse, vel implicite.

Q. Quid teneatur restituere mandans?

R. Non tantum tenetur ad damnum resarciendum quod de facto ussit, sed etiam illud quod, attentis circumstantiis, praevidere po-erat ex mandato secuturum.

Q. Quid, si mandans revocaverit mandatum ante executionem?

R. Si mandatario id innotuerit, non tenetur restituere, quamvis ffectu secuto. — Si non innotuerit, tenetur restituere, quia vi aandati damnum est illatum.

Q. An qui ratum habet damnum suo nomine absque mandato actum, teneatur restituere?

R. Negative; quia id quod est posterius, non potest esse causa fficiens praecedentis.

Q. An mandans teneatur reparare damnum, quod mandatarius x errore invincibili intulit?

R. Negative. Quia damnum non ex injusta motione, sed occa-ione injustae motionis sequitur. Ita communiter.

Q. An mandans teneatur reparare etiam damna, quae mandatarius pse mandato obtemperans passus est?

R. Distinguendum. Si mandatarius executionem voluntarie et ibere suscepit (maxime si ob mercedem promissam), mandans non enetur reparare damnum; quia mandatarius pericula omnia in se suscepit. — Si vero coactus sit vi, vel metu gravi, ut evenit servis, inferioribus etc., tunc mandans non tenetur de damnis eventualibus, v. g. in via fulmine percussus intereat; quia non poterat praevidere. Sed tenetur de omnibus aliis damnis communibus et ordinariis, quae facile praevideri possunt.

§ 2. *De consulente.*

Q. Quid intelligitur nomine consulentis?

R. Is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viae nocendi, induxit alium ad damnum inferendum.

Q. An, et quomodo consulens teneatur ad restitutionem?

R. Tenetur restituere damnum, quod vi consilii sui proximo il-latum est.

Q. An sit obligatio restituendi, revocato ante damnum illatum consilio, secuto tamen effectu?

R. Cum distinctione: vel consilium consistebat in falsa doctrina, vel in promissis et blanditiis, vel in ostensione utilitatis, honoris, delectationis, inde percipiendae. Si primum et secundum, ad nihil tenetur consulens, quia per revocationem talis consilii abstulit omnem nocendi rationem. — Si tertium, tenetur adhuc reparare damnum post revocationem illatum; quia non obstante revocatione, tota causa nocendi impressa subsistit.

Q. An qui malum consilium bona fide dedit, teneatur restituere?

R. Cum distinctione. Vel consulens ex officio, aut statu est obligatus ad dandum consilium, v. g. ut confessarii, advocati etc.; vel ad id non est obligatus. Si primum, tenetur restituere ex ignorantia graviter culpabili, si stipendium acceperit; quia tenetur scire ea, quae sunt officii sui; est enim causa damni tum erga petentem consilium, tum erga illum, contra quem datur. — Si secundum, non tenetur, nisi consilium fuerit dolosum.

Q. Quid, si quis jam sit certo determinatus ad damnum proximo inferendum, v. g. ad occisionem; et alter non ei suadeat, nisi vel medium, v. g. venenum, vel locum, vel tempus etc.?

R. Duplex est sententia: prima cum Cajetano docet, consulentem teneri ad restitutionem. Sed secunda probabilior, quam amplectimur, docet, ad nihil teneri; dummodo modus sit accidentalis; quia non influit ut causa damni.

Q. An teneatur ad restitutionem suadens, ut damnum citius inferatur?

R. Negative, si certus sit, alterum esse ad malum determinatum, nec pravum animum esse mutaturum. Secus in alia hypothesi. S. Ligorius, Gury.

Q. An consulens scienter malum alteri teneatur etiam de damnis, quae hic passus est exequendo pravum consilium?

R. Negative per se: quia ipsi nullam intulit injuriam, cum nulla injuria scienti et volenti fit. Secus tamen, si consulens adeo executorem circumvenerit fraudibus, vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

Q. An consulens primario, vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?

R. Per se secundario tantum tenetur; quia executor est principaliter agens.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui minus malum consulit ad avertendum majus?

R. Cum distinctione: vel consulit minus malum adversus eandem personam, vel adversus aliam. Si primum, ad nihil tenetur; quia dominus non est rationabiliter invitus. — Si secundum, distinguendum: vel indicat aliam personam determinatam in individuo, vel tantum in specie, v. g. divites. Si primum, tenetur; quia ille alius recipit injuriam. — Si secundum, v. g. dicit: potius fac hoc malum divitibus etc., non tenetur restituere; quia nulli determinato fecit injuriam.

§ 3. *De consentiente.*

Q. Quis intelligatur nomine consentientis?

R. Is, qui approbatione, favore, suffragio, efficaciter movet ad inferendum alicui damnum.

Q. Quandonam consensus sit causa efficax damni?

R. Cum consentiens teneatur ex officio non consentire, et cum impedire possit.

Q. An judex, qui damnationi innocentis subscribit, completo jam requisito suffragiorum numero, teneatur ad restitutionem?

R. Duplex est sententia. Prima affirmat; quia etiam nomine ejus damnum illatum est. — Secunda sententia negat; quia damnum jam est determinatum et illatum, statim ac prodiit sufficiens numerus suffragiorum. Ita probabilius D. Ligorius, et alii: quibus et nos adhaeremus. Excipe, si suffragia mittantur in urnam; quia tunc quodnam exeat primum ignoratur.

Q. An teneatur ad restitutionem consentiens, qui det injustum suffragium, si non desint alia suffragia jam ad damnum sufficientia?

R. 1° Certum est, consentientes omnes aeque ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint. 2° Certum est, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragium tulerunt. 3° Certum est, non excusari eos a restitutione, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi praevideant non defuturos alios, qui consentiant. Ita communiter.

Q. An obligationem restituendi contrahat ille, qui suffragium non fert, cum ferre possit?

R. Negative, si suffragium dandum sit in merum favorem, aut gratiam alicujus. — Affirmative, si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis, et injusti.

§ 4. *De palpone seu adulatore.*

Q. Quisnam intelligatur nomine palponis?

R. Ille, qui laudando, applaudendo, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exagerando, alterum impellit ad damnum inferendum.

Q. An adulator teneatur ad restitutionem?

R. Tenetur sicut consulens, cui aequivalere censetur.

Nota. Non tenetur ad restitutionem si post factum damnum approbat; dummodo non sit causa, cur non fiat restitutio.

§ 5. *De receptatore, et de participante.*

Q. Quis intelligatur nomine receptatoris?

R. Qui malefactori quatenus malefactori securitatem, et commoditatem praebet, ut vel malum inferat confidentius, vel illatum non reparet.

Q. An teneatur ad restitutionem?

R. Affirmative: *Non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recipit, tenetur ad restitutionem*, ait Justinianus.

Nota 1ª. Ad restitutionem tenentur mercatores, venditores, qui accipiunt furta a filiis-familias, servis...

Nota 2ª. Non sunt receptatores, qui eos occultant sub spe emendationis, vel eis ostendant viam, per quam fugere possint cum ad carcerem quaeruntur.

Q. Quot modis potest considerari participans?

R. Dupliciter, nempe: 1° *Ratione rei acceptae*, et dicitur in praeda. 2° *Ratione actionis damnosae*, quum quis adjuvet ad actionem injustam.

Q. Quot modis participans potest concurrere in actione damnosa?

R. Duplici modo, nempe immediate, et mediate. *Immediate*, qui simul cum alio ponit actionem, quae per se, et nulla intercedente alia causa, tendit ad effectum damnosum. *Mediate*, qui ponit actionem, qua damnificator abutitur ad damnum inferendum, v. g. Applicatio scalae, per quam aliquis postea furatur etc.

Pariter concurrere potest vel *materialiter*, quando nullam habet intentionem nocendi; vel *formaliter*, quando praestat actionem cum pravo fine nocendi.

Q. Ad quid teneatur participans ratione predae?

R. Vel accepit bona fide, vel mala fide. Si primum, restituat, si

exstet, vel si sit factus ditior; si nihil ex hoc, ad restitutionem non tenetur. — Si secundum, nempe mala fide, debet restituere rem, si exstet, vel ejus pretium, si non exstet, etiamsi non sit factus ditior.

Q. Ad quid teneatur participans ratione actionis?

R. Tenetur resarcire damnum pro rata, imo totum, si alii non restituant.

Q. Quid si quis concurrat quidem ad damnum alterius, sed nonnisi ob metum gravis detrimenti?

R. Distinguendum : si damnum sit superioris ordinis, v. g. timet mortem, mutilationem etc., duplex est sententia : prima docet non posse sine laesione justitiae cooperari. Excipiunt tamen si cooperans velit, et possit damnum reparare. — Alia sententia, quam nos amplectimur, docet eum non peccare, neque ad restitutionem teneri, quocumque modo cooperetur sive immediate, sive mediate; quia habet justam causam.

Si vero damnum sit ordinis inferioris, v. gr. Si timeat verbera nisi morti alterius cooperetur etc., vel ordinis aequalis, v. g. Si damnum timeat in bonis fortunae, nisi cooperetur in furto, non poterit ullo modo concurrere. Si autem concurreret ad parvum damnum proximi, ut salvet rem suam majoris valoris, debeat postea valorem illius domino restituere : quia in causa ejusdem generis quisque legitime jus habeat, ut sua bona possideat.

Nota 1ª. Quoad damnum vitae nunquam licet immediate cooperari, ne cum vitae quidem periculo; quia nunquam licet occidere directe innocentem. Ita omnes.

Nota 2ª. Quoad damnum membrorum nunquam pariter licet ad mortem quoque vitandam immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertenda ipsius morte. Sed haec cessio juris mutilatori innotescere debet, vel expressa concessione, vel praesumptione legitima. Ita omnes.

Q. Quaenam causa requiratur, ut licita sit cooperatio mediata in materia justitiae?

R. Licita est his conditionibus : 1° Ut actus non sit intrinsece malus. 2° Ut eliciatur ex causa relative gravi. 3° Ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona, vel saltem indifferenti. Gury.

Q. Quandonam est causa proportionata, vel relative gravis ponendi talem cooperationem, seu quandonam effectus bonus sufficienter compensabit malum?

R. Absolute non potest assignari regula certa. Sed generatim ad sequentes regulas attendere debemus: 1ª Tanto major requiritur ratio, quanto majus est malum, quod sequitur. 2ª Tanto major requiritur ratio, quanto causa, quae ponitur, propinquius influit in damnum. 3ª Major requiritur ratio, quando damnum sine tua cooperatione non sequeretur, quam si nihilominus esset eventurum.

§ 6. *De muto, non obstante, et non manifestante.*

Q. Quis intelligitur per to mutus?

R. Is, qui tacet cum potest, et tenetur *ex justitia* loqui, v. g. clamando etc.

Si ex charitate tantum tenetur, non est obligatus ad restitutionem.

Q. An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna, quae domino inferuntur?

R. Affirmative, si agatur de damno illato ab extraneis. — Negative probabilius, si agatur de damno illato ab aliis famulis, nisi res ipsa specialiter commissa fuerit; quia non videntur conducti famuli nisi ad res domesticas defendendas ab extraneis.

Q. An Confessarius teneatur ad restitutionem, si poenitentem de restitutione facienda ex gravi negligentia, vel ignorantia monere omiserit?

R. Cum distinctione. Si interrogatus responsum ita declinet, ut absentia obligationis suadeatur poenitenti, ipse Confessarius tenetur restituere; quia est causa, cur poenitens non restituat. — Si vero non sit interrogatus, sed mere negative se habet, probabilius non tenetur restituere; quia etsi Confessarius teneretur instruere suum poenitentem in ordine ad temporalia, tamen ad hoc non tenetur ex obligatione erga tertium, cum quo neque pactum, neque conventionem, etiam tacitam inivit. Attamen peccat graviter, quia non instruit poenitentem.

Q. An superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?

R. Quoad forum externum affirmative, praesertim si de servis, et filiis agatur. — Quoad forum internum affirmative, si superioris silentium positivo impulsui aequivalet. Secus non tenetur, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. Gury.

Q. An maritus teneatur de damnis ab uxore illatis, quae ipse non impedivit?

R. Quoad forum internum dicendum, ut diximus de superiore

quoad filios-familias etc. — Quoad forum externum ad nihil tenetur ex Jure Romano.

Q. An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure, ut taceat, si ex officio clamare non debeat?

R. Negative probabilius saltem per se. — Secus vero, si pecuniam accepit, ut observet num quis adveniat; quia tunc cooperatur furto.

Q. An custodes non denuntiantes damnificatores teneantur compensare omnia damna, etiam solvere mulctam?

R. Ad 1um. Affirmative per se, quia ad damna impedienda constituuntur. Excipe, si sint res parvi momenti.

R. Ad 2um. Negative probabilius ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat.

Q. Quis intelligitur per to non obstans?

R. Omnis ille, qui non praebet auxilium quod potest, et ex justitia debet praebere, ne damnum inferatur. — Requiritur tamen gravis culpa theologica.

Q. Quid intelligitur per to non manifestans?

R. Qui dum potest, et ex justitia debet, malefactorem non manifestat vel ante factum, ne fiat, vel post factum, ne resarciatur.

ARTICULUS VI.

QUANTUM SIT RESTITUENDUM.

Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei accetae, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi. Cum difficultates de sola solidaritate occurrant, de ea solum specialiter agemus.

De solidaritate

Q. Quid est solidaritas?

R. Est *onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi.*

Q. Quid requiritur, ut cooperatores teneantur restituere?

R. Requiritur, et sufficit, ut vere moveant, vel adjuvent executorem ad damnum inferendum; et ideo non excusantur, si alii idem auxilium praebuissent.

Q. Utrum cooperans teneatur ad restitutionem, si absque ejus

cooperatione executor aeque facile, et eodem modo damnum illaturus erat, quia nempe ad facinus erat paratissimus?

R. Negative, nisi executor per cooperatorem ad damnum promptius inferendum motus sit: quia cooperatio non influit in actionem damnificam. — Affirmative, si executor ad damnum etc.; quia interim potuisset mutare sententiam.

Q. An omnes cooperatores teneantur in solidum?

R. Singuli cooperatores tenentur restituere partem ratione influxus in damnum; si vero alii nolint, vel nequeant restituere, unusquisque tenetur in solidum pro ratione influxus in damnum, servando recursum in illos. — Quare si cooperans influxerit in totum damnum, tenetur ad reparationem totius in solidum; si tantum in partem damni, tenetur ad reparationem illius partis in solidum.

Q. An omnes cooperatores aequaliter restituere teneantur?

R. Si concurrerint aequaliter ad damnum, tenentur aequaliter restituere; si inaequaliter, tenentur restituere inaequaliter.

Q. Quisnam ordo sit servandus inter eos, qui inaequaliter obligantur in solidum?

R. Primo loco qui retinet rem alienam. Quod si non exstat, vel bona, vel mala fide consumpsit: si primum, non tenetur nisi ad id, de quo factus est ditior; si secundum, tenetur ejus pretium solvere.

Secundo loco tenetur mandans.

Tertio loco tenetur executor, et participans, seu adjuvans in crimine.

Quarto loco, et in defectu priorum tenentur caeterae causae positivae.

Quinto loco tenentur causae cooperantes negativae. Inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius.

Nota. Si creditor condonaverit debitum causae secundae, non ideo liberatur causa prima. Si vero principali damnificatori condonaverit, caeterae causae liberantur.

Q. An teneatur in solidum, qui dubitat, utrum in totum damnum influxerit?

R. Negative probabilius. Quia obligatio non debet esse major quam est ipse influxus in damnum. Ita S. Ligorius, et communiter.

Q. An tenearis in solidum in dubio, an alii suam partem pro rata restituerint?

R. Negative probabilius, si facta diligenti inquisitione dubium perseveret. Gury.

Q. An detur obligatio restituendi in solidum, ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuae, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. gr. Si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?

R. Negative. Quia cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse major, quam ipse influxus; sed partialis, sicut ipse concursus in damnum.

Q. An tenearis in solidum, si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum inferendum, sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. g. Ignem domui alienae simul cum pluribus aliis apposueris?

R. Controvertitur. Affirmant probabilius non pauci; quia ubi actio tua fuit sufficiens ad effectum damnosum reapse totum moraliter tibi, et singulis aliis est adscribendum. — Negant probabiliter alii; quia actio damnificativa habuit influxum partialem. Ast primam nos amplectimur.

Q. Quomodo debet restituere principalis causa damni?

R. Quicumque est causa principalis damni tenetur restituere in solidum absolute; caeteri autem cooperatores, vel causae secundariae, tenentur conditionate tantum.

Nota. Quoad causas secundarias in praxi raro expedit rudes monere, seu obligare ad totum damnum reparandum; quia isti non facile sibi persuadent, se teneri in solidum. Ita S. Alphonsus.

ARTICULUS VII.

CUI, QUANDO, ET QUOMODO SIT RESTITUENDUM.

Q. Cuinam res restitui debeat?

R. Ordinarie ei reddenda est, qui habet jus possidendi, etsi non sit dominus rei.

Diximus *ordinarie*, quia si possessor nihil patiatur detrimenti, potest etiam fieri domino directo.

Q. Qui rem alienam bona fide emit a fure, an hanc ei possit reddere, ut pretium suum recuperet?

R. Affirmative probabilius, ut diximus.

Q. Quando restitui debet?

R. Statim *quantum moraliter fieri potest;* quia praeceptum restitutionis est primario negativum.

Nota. Debitor antecipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in ejus favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat ut, v. gr., in praestatione pecuniae cum lucro percipiendo. — Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi exspectare potest generatim, donec moneatur a creditore; nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione, aut impotentia monitionem omittat.

Q. Qui differt restitutionem ultra tempus definitum, teneturne compensare damna, quae ideo creditor patitur?

R. Cum distinctione. Si restitutio fieri debet ex contractu, et non sit culpabilis mora, ex communi sententia non sunt in conscientia compensanda damna; quia nemo debet portare tantum onus sine culpa. — Si vero restitutio fieri debet ex delicto, probabilius, et communius tenetur compensare damna; etsi habeat justam causam differendi; quia fuit injusta causa in illa prima acceptione. Scavini.

Q. Quid de eo, qui non vult restituere, nisi in morte?

R. Non est absolvendus. Excipe: 1° Si sit in bona fide, et monitio non ei profutura. 2° Si sit causa justa restitutionem differendi.

Q. Quot peccata committit, qui culpabiliter restitutionem differt ac negligit?

R. Duplex est sententia. Prima probabilis cum Suarez, et aliis docet, tot peccata ab eo committi, quot sunt occasiones restituendi, vel quoties a domino res petitur, vel de restitutione a Confessario monetur; imo quoties ipse proponit, se nolle restituere etc. — Secunda sententia probabilior, quam amplectimur, docet, unum tantum adesse peccatum, dummodo voluntas retinendi non revocetur per contrariam voluntatem, etiamsi duret per annum; quia quamvis physice interrumpatur, virtualiter tamen perseverat in externo opere, idest in retentione alienae rei.

Q. An qui distulit restitutionem ex justa causa, teneatur compensare lucrum cessans, vel damnum emergens?

R. Tenetur, quando debitum provenit ex delicto; quia est vera, et injusta causa illius damni. Ita communiter. — Si vero debitum ex contractu proveniat non tenetur; quia tunc non est causa injusta damni.

Q. Quomodo sit restituendum?

R. Vel per se, vel per alium ad aequalitatem.

Q. Quid, si res mala fide acquisita tradita sit pauperibus, et postea dominus compareat?

R. Duplex est sententia. Prima docet, praemissa debita diligentia ad inveniendum dominum, rem illam non amplius domino esse restituendam; quia pauperes absolute acquisierunt dominium. Secunda sententia affirmat. — Sed nos tenemus, si adsit aliqua spes dominum inveniendi, licet res transeat in manus pauperum, non acquirunt tamen dominium; ideo si exstat, debeant restituere; si non exstat, et sint facti ditiores, tenentur restituere id de quo facti sint ditiores. Si non sit haec spes, acquirunt absolutum dominium. Scavini.

Q. An valeat restitutio facta per simulatam donationem?

R. Affirmative saltem probabilius. Quia ad restitutionem non requiritur ut debitor externe fateatur. Ita communiter. Si vero creditor tunc gratitudine motus aliquid ipsi vellet dare, seu donare, non est acceptandum; quia ista donatio non est spontanea; cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quae porro est innixa falso fundamento; ideo si acceptet, debet restituere.

Q. Cujus impensis debeat fieri restitutio ratione rei acceptae in bona fide?

R. Fieri debet in loco ubi sunt quae debentur, nec tenetur debitor expensis suis ea mittere ad dominum.

Q. Cujus impensis restituendum sit ratione injustae acceptionis, detentionis, et damnificationis?

R. Impensis debitoris, idque eo in loco ubi dominus rem illam possessurus erat, si ablata vel destructa non fuisset.

Q. An debitor ex delicto etiam impensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illae expensae valorem rei ipsius superent?

R. 1° Affirmative, si excessus non sit valde notabilis; quia debitor committendo injustitiam tale onus in se suscepit. Ita communiter. 2° Si impensae faciendae superant duplum damnum creditoris, nec alio tempore faciliori modo restitutio fieri possit, sufficit restituere pauperibus, alias dominus esset irrationabiliter invitus. Ita S. Ligorius et alii.

Q. Cujus impensis restituenda sit res debita ex contractu?

R. Debet fieri impensis illius, in cujus utilitatem vergit, et ad cujus exigentiam fieri solet contractus.

Q. An debitor iterum debeat restituere, si debitum per nuntium

fidelem ad creditorem missum, vel alterius culpa, vel etiam casu perierit in translatione illa?

R. Cum distinctione. 1° Si res restituenda a possessore bonae fidei, illa perit domino; quia non est in culpa.

2° Si ratione contractus distinguendum: vel est commodatum, depositum etc., de quo dominus servat dominium, tunc res perit domino. — Si vero creditor transtulit dominium in debitorem, ut est in mutuo etc., tunc perit debitori; quia transfertur dominium in debitorem. Excipe si creditor designaverit hominem certum, cui rem committat debitor.

3° Si res debetur ratione injuriae, seu ex delicto, tunc perit debitori; quia debitor iniquus dominum prorsus indemnem servare debet. — Excipe: 1° Si dominus designaverit nuntium. 2° Si nuntius a judice fuerit designatus. 3° Si creditor debitori expressis verbis libertatem tribuerit eligendi nuntium, et nuntius prudens et fidelis fuit electus.

Q. Cum quo damno debet injustus damnificator restituere?

R. Pro certo dicimus, damnificatorem hujusmodi teneri ad restitutionem cum damno simili. — Ad summum dicimus cum Lugo, si agatur de re magni momenti potest obligari furem ad restituendum, etiamsi passurus sit damnum duplo majus, v. g. Si tria, debeat expendere sex. Ita Scavini.

Quod si sumptibus longe majoribus, et neque potest transmittere domino, neque ejus haeredibus, sufficit ut restituat pauperibus. Scavini.

Q. Quomodo restituendum pro damnis reipublicae illatis?

R. Si haec media restituendi adsignata non sint a lege; alii dicunt faciendam esse per tributorum praepositos. — Alii docent, satisfieri, si pauperibus restituatur. Nos dicimus, si damnum allatum sit magni momenti, puta mille libellas, restitutio debet fieri reipublicae per tributorum praepositos; secus enim damnum notabiliter gravaret reliquos cives, qui ad illud damnum reparandum per tributa debent concurrere.

ARTICULUS VIII.

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM.

Q. Quisnam ordo servandus est in solvendis debitis?

R. 1° Si debitor omnibus creditoribus satisfacere possit, nullus ordo necessario servandus est. 2° Si nequeat omnibus satisfacere, *ex jure novo*, primo loco solvendi sunt creditores privilegiati, servato ordine, non temporis, sed causae. Si vero sint privilegio ejusdem generis, pro rata parte debiti (vide Charmēs tom. 6, p. 286). — Secundo loco solvendi creditores hypothecarii juxta ordinem temporis; quia *qui prior est tempore, potior est jure.*

Prius solvi debent debita ex titulo oneroso, v. gr. ex contractu venditionis, quam debita ex titulo gratioso, v. gr. ex donatione. Intellige si donatio non sit jam consummata, et res donatario tradita.— Quoad creditores simplices inter se, duplex est sententia an praeferendi sint priores tempore. Alii negant cum Lessio etc.—Alii probabilius et communius cum S. Antonino, D. Thoma, Salmanticensibus, et aliis affirmant; quia regula: *Qui prior est tempore, potior est jure*, in Jure Canonico valet etiam pro simplicibus creditoribus. Haec tenenda est.

Q. An debita ex delicto, puta rapina, sint prius solvenda, quam debita ex contractu, puta emptione?

R. D. Thomas sentit prius solvenda debita ex delicto ad reparandam injuriam. — Alii communius, et probabilius docent nulla praelatione ea gaudere; quia obligatio oritur ex justitia commutativa, et eadem est in contractu, et in delicto.

Q. An solvenda sint prius debita certa, priusquam incerta?

R. Licet sit satis probabilis sententia, quae docet, non esse praeferenda debita certa; probabilior tamen, et communior sententia, quam amplectimur cum Gury et aliis, docet, esse praeferenda, si incertus creditor inveniri nequeat. Durum enim foret denegare debitori facultatem citius se liberandi a creditore. Ita communiter.

Q. An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?

R. Affirmative, si juridice petat. Imo probabilius etiam extra judicium. Ita S. Ligorius.

Q. An creditores pauperes divitibus praeferri debent?

R. Si sint in extrema. vel gravi necessitate sunt praeferendi.

Secus probabilius non sunt praeferendi; quia nullum jus praelationis habent; cum justitia commutativa ad personas non attendat.

Q. An praeferendi sint creditores tempore priores posterioribus?

R. Negative probabilius; quia lex nullam praelationem inter haec credita assignat; ex jure autem naturali omnes creditores sunt aequales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quae sola aeque singulis obligata est, non autem in hujus bona jus habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores eorum dominium jam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est. Ita Lessius, et alii.

CAPUT V.

De causibus excusantibus a restitutione.

Q. Quaenam est regula generalis, in qua fundatur omnis causa excusans a restitutione?

R. Est: *Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet restitutionem omitti, vel differri, potest omitti, vel differri, licet ipse sit invitus.*

Q. Quaenam sunt causae a restitutione excusantes?

R. Sunt sex; tres primae temporaneae, et tres aliae in perpetuum; sunt:

1° Impotentia tum physica, tum moralis. *Physica*, cum neque in re, neque in spe habeat unde restituere valeat. — *Moralis*, si absque magna difficultate restitui non possit.

2° Grave creditoris ipsius damnum, si praevideatur eidem obventurum in restitutionis hypothesi.

3° Cessio bonorum, vel fori; et est quando debitor debitis suis solvendis factus impar, bona omnia creditoribus cedit.

4° Remissio creditoris, dummodo libera sit, et non extorta vi, metu, aut fraude, neque aliqua lege prohibita.

5° Compensatio, vel propria, vel impropria.

6° Compositio; et est quando Romanus Pontifex suprema, qua pollet auctoritate ita rem componit, ut aliquam partem ipsi debitori condonat, et aliam impendat in pias causas.

Q. An cessio bonorum liberet ab obligatione restitutionis?

R. Negative. Nam is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit

in quantum facere potest, convenitur: quia per cessionem non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restitutionis.

Nota. Qui cedit, potest bona retinere ad parcam sustentationem sui, et familiae. — Pariter si quid acquirat est necessarium ad dictam sustentationem, de eo spoliari non potest.

Q. An ingressus in religionem liberet a restitutione?

R. Sunt tres sententiae: prima absolute negat. — Secunda cum D. Thoma affirmat. Tertia probabilior, quam amplectimur, distinguit: vel brevi tempore, puta per biennium debitor manens in saeculo probabiliter, et sine magna difficultate sua industria potest solvere quod debet; vel non. Si primum, tenetur exspectare. Si secundum, non tenetur; quia tunc esset impotentia moralis.

Nota 1ª. Professio hominis debitis gravati est illicita, sed valida ex decreto Clementis VIII.

Nota 2ª. Si debitor ingrediens in religionem contulerit bona, haec subjacent restitutioni, quia successio transit cum onere.

Q. An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis?

R. Tres sunt sententiae: prima affirmat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. — Secunda docet, restituendum esse pro rata dubii. — Tertia probabilior, et communior, quam amplectimur negat: quia cum debitum est certum, obligatio quoque est certa.

Nota. Certum est, debitorem teneri ad restitutionem, si praesumptio ipsi adversetur. Secus si ipsi faveat.

Q. An excusetur a restitutione qui non potest restituere, nisi per bona superioris ordinis?

Nota. Triplex est ordo bonorum naturalium: in primo, seu supremo ordine sunt vita, membra, libertas, virginitas, sanitas; in medio sunt honor, et fama; in infimo sunt divitiae

R. Duae sunt sententiae. Prima affirmat teneri ad restitutionem; quia qui non potest totum damnum reparare, tenetur saltem compensare per partem, quam potest. — Secunda communior, et probabilior negat; quia in justitia commutativa debet servari aequalitas rei ad rem, damni illati ad rem qua compensari debet. Sed hoc nequit esse inter bona diversi ordinis: ergo non tenetur. Haec sententia videtur tenenda, ut vitentur dubia, ac dissentiones etc.

Q. An compensatio sit causa excusans a restitutione?

R. Compensatio impropria, v. gr. tu furatus es meum aequum, ego tuum occupo, excusat a restitutione. Propria quando duae per-

sonae sibi mutuo sint debitores, excusat a restitutione, si: 1° Objectum utriusque debiti sit ejusdem speciei. 2° Duo debita sint aeque certa, et liquida. 3° Duo debita sint simul exigibilia. 4° Duo debita sint personalia.

Q. An excuset a restitutione condonatio rationabiliter praesumpta?

R. Affirmative, saltem probabilius: quia omissio restitutionis non est injusta, nisi fiat invito domino.

Q. An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate, sive gravi, sive extrema cum creditore?

R. Cum distinctione: 1° Si creditor jam reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet juxta omnes.

2° Si uterque jam reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in extremam decideret, disputatur; sed probabilius excusatur a restitutione, quia subjiceret damno sane graviori.

3° Si uterque sit in extrema necessitate probabilius omitti potest restitutio; quia tunc sunt omnia communia. Bonaccina, S. Ligorius etc.

Q. An restituere teneatur qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?

R. Duplex est sententia. Prima negat; quia censetur quisque velle prius obligationi justitiae satisfacere, quam merae liberalitati. — Secunda sententia affirmat; quia quod gratuito donatur, nequit haberi, ut debiti solutio. Haec sententia est communior, et valde probabilis: in praxi haec tenenda.

Q. An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. g. Tibi debeo 100 francos, tu vero debes 100 Titio, an satisfaciam solvendo 100 Titio?

R. Affirmative per se ad juris apicem; quia ego solvens creditori tuo id, quod ipsi debes, acquiro jus, quod ille habebat suum a te debitum requirendi. Ita S. Lig. n. 700, Billuart diss. 8, art. 14, § 1, et alii communiter.

Diximus *per se;* quia non liberor, si forte tu adhuc cogeris solvere, vel creditores privilegiatos, aut hypothecarios habeas.

Diximus *ad juris apicem;* quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. Billuart.

—

CAPUT VI.

De restitutione in specie.

—

ARTICULUS I.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI.

Nota. Bona animi duplicis sunt generis, nempe *supernaturalia*, v. g. gratia, virtutes, sanctitas etc.; et *naturalia*, nempe scientia, ingenium, memoria, artes etc.

Q. An qui alium ad peccatum induxit, vel a virtutis exercitio retraxit, teneatur ad restitutionem?

R. Cum distinctione. Si vi, metu, fraude induxit aliquem in peccatum, vel errorem, peccavit contra justitiam, et tenetur removere metum, fraudem etc.; etsi necesse sit etiam pecuniam impendere. — Si vero consilio tantum et precibus, non tenetur ex justitia, nisi sit superior; quia superior ex officio tenetur curare salutem subditorum.

Q. An qui candidatum, vel professum sine justa causa avocavit a religione, teneatur satisfacere religioni?

R. Cum distinctione. Si vi, metu, fraude avocavit, tenetur ad restituendum damnum tum candidato in pristinum statum restituendo; tum religioni aliquo modo eam compensando. — Si vero precibus, vel consilio tantum, ad nihil tenetur.

Q. An qui scientiam, vel artem male, aut negligenter candidatum docuit, teneatur ad restitutionem damnorum, inde ipsi secutorum?

R. Cum distinctione. Vel ista docere tenebatur ex officio aut ex stipendio, vel non. Si primum, tenetur restituere; quia est injustus damnificator. — Si secundum ad nihil tenetur.

Q. An qui philtro, veneno, potione etc., alium memoria, vel usu rationis privavit, teneatur ad restitutionem?

R. Tenetur ex iustitia tollere, et curare ista mala, si fieri potest, et resarcire damna inde secuta.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS.

Q. Quid est homicidium, et quale peccatum?

R. Ad primum, est *voluntaria et injusta hominis occisio.*

R. Ad secundum, est peccatum mortale gravissimum, prohibtum quinto Decalogi praecepto: *Non occides.*

Q. An liceat malefactorem occidere?

R. Cum distinctione: est licitum auctoritate publica, juxta illuc *Maleficos non patieris vivere* (Exod. c. 22). Non est licitum auctoritate privata.

Q. An liceat auctoritate publica innocentem occidere?

R. Nunquam licet per se directe et ex intentione; quia Deus har auctoritatem reipublicae non dedit. — Diximus *per se directe;* qui interdum indirecte et praeter intentionem possunt occidi innocente: sic, in bello justo licet, ad hostes expugnandos, dirigere bellicu instrumentum in loca, ubi sunt etiam innocentes.

Q. An liceat abortum procurare?

Nota. Abortus est *praematura ejectio foetus ex utero matris.*

R. Certum est apud omnes, nullo prorsus modo, cum etiam morti imminentis periculo, licere directe procurare abortum, sive foetus si animatus, sive sit inanimatus; quia in primo casu est verum homicidium, in secundo casu est contra conservationem speciei humanae

Q. An liceat matri, cui non potest aliter succurri, praebere phamacum cum imminenti periculo abortus?

R. Cum distinctione. Vel pharmacum ex natura sua est ordinatum ad ejectionem foetus, vel non est ordinatum. Si primum, no licet illud matri praebere, sive foetus sit animatus, sive non; qui est procurare abortum directe. — Si secundum, iterum distinguendum: vel foetus est animatus, vel non. Si animatus, vel si dubitatur an sit animatus, tunc non licet; quia salus aeterna proli praeferenda est vitae corporali matris. Si certo non sit animatus probabilius licet; quia tunc censetur permissus.

Q. An liceat homini injustum invasorem occidere, ne ab eo occidatur?

R. Licet, *servato moderamine inculpatae tutelae.*

Q. Quid requiritur, ut dici possit cum moderamine inculpata tutelae?

R. Requiruntur quatuor: 1° Ut invasus invasoris mortem non intendat, sed solum sui conservationem. 2° Ut mors invasoris ita sit necessaria, ut alio modo vita propria conservari non possit. 3° Ut sit actualis aggressio. 4° Ut in defensione invasus non excedat; unde qui vitam tueri potest percutiendo, mutilare non potest.

Q. An possimus similiter agere contra invasorem proximi?

R. Affirmative.

Q. An ad id teneamur?

R. Tenemur tantum ex charitate, secluso tamen gravi incommodo nostro, ita ut qui proximum in hac necessitate succurrere negligit, mortaliter peccat. Excipe si quis teneatur ex officio, ut magistratus etc., tunc obligatur ex justitia.

Q. An liceat occidere pro defensione honoris et famae?

R. Negative. Quia honor et fama sunt bona inferioris ordinis. Adest etiam propositio damnata ab Innocentio XI: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre...*

Q. An liceat invasorem pudicitiae interficere, dum nulla alia via suppetit ad eam defendendam?

R. Affirmative, quando aliud non suppetit medium. Quia ait S Antoninus: *Exponit se mulier periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem voluptatis, unde tenetur saluti suae providere*. Ita S. Ligorius et alii communiter.

Q. An liceat occidere furem pro defensione bonorum fortunae magni momenti?

R. Duplex est sententia. Prima negat; quia bona temporalia semper sunt ordinis longe inferioris. Secunda sententia probabilissima et communis affirmat; dummodo sint tres conditiones: 1ª Res sit magni momenti. 2ª Nulla suppetat alia via rem tuam servandi, vel recuperandi. 3ª Actualis possessio. Hanc sententiam ut certam Doctores habent. — Diximus *actualis possessio;* quia pro re circa quam habetur tantum jus acquirendi, non potest occidi fur. Adsunt enim ad hoc propositiones damnatae ab Innocentio VI et XI, etc.

Q. Qui alium occidit, aut mutilat, quotuplex damnum ei infert?

R. Duplex, primum *naturale*, quod in privatione vitae, vel membrorum consistit. — Secundum est *reale*, quod ex occisione, vel mutilatione oritur.

Q. An injustus homicida, aut mutilator teneatur restituere damnum naturale?

R. Duplex est sententia. Prima docet aliquid esse restituendum.

— Secunda sententia probabilior, quam amplectimur, docet ad nihil teneri; quia vita et membra hominis non sunt pretio aestimabilia; ideo non potest mutilator restituere.

Q. Quaenam damna realia injustus occisor, aut mutilator teneatur restituere et quibus?

R. Injustus occisor etiamsi capite plectatur, nihilominus tenetur restituere occiso, vel haeredibus: 1° Expensas factas in curatione vulneris, vel morbi, et compensare damnum inde emergens et lucrum cessans. 2° Restituere iis, quos occisus jure stricto obligatus alebat ex operibus et quaestu; tales sunt parentes, uxor, filii. — Nihil debet solvere pro expensis funeris; cum ipsae aliquando faciendae essent; excipe, si propter homicidium oportuerit eas fieri majores.

Q. An homicida teneatur restituere haeredibus voluntariis, quales sunt fratres, aut alii consanguinei et extranei?

R. Duplex est sententia. Prima universe affirmat; quia jus habent ne vi, vel fraude impediantur a consecutione bonorum illorum. — Secunda sententia, multo probabilior, universe negat, quia falsum est haeredes voluntarios succedere in omnia jura defuncti; hanc tenemus.

Q. An homicida teneatur restituere creditoribus occisi, vel iis, qui ab occiso liberalitates accipiebant, vel accipere sperabant?

R. Negative, etiamsi illa damna praeviderit, modo non intenderit: alias probabilius teneretur ad restitutionem, quia tunc occisio, vel mutilatio esset causa injusta et efficax illius damni creditorum. Ita S. Ligorius et alii.

Nota. Si haeredibus restitutum fuerit quidquid cessavit lucri, aut emersit damni creditoribus, nihil debet.

Q. An ad restitutionem teneatur, qui alium occidit excedendo modum justae defensionis, seu moderamen inculpatae tutelae?

R. Plures negant, quia tunc invasor censetur cedere juri suo. Probabilius tamen alii affirmant, si deliberate excesserit, quia invasor habet jus, ne privata auctoritate occidatur: ita et nos sentimus.

Q. An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?

R. Licet alii dicant teneri provocantem; tamen probabilius neuter obligatur, nam scienti et consentienti non fit injuria. Ita Gury et alii.

Q. An occidens Paulum, putans occidere Petrum, teneatur ad restitutionem?

R. Duplex est sententia. Prima absolute affirmat; quia omnis

actio materialiter et formaliter injuriosa parit onus restitutionis. — Secunda sententia probabilior negat, modo occisor non intenderit alium occidere, quam Petrum; quia restitutio fit principaliter propter injuriam formalem.

Diximus *modo occisor etc.;* quia si intenderit saltem confuse, seu actualiter implicite etiamsi ignorasset illum esse Paulum, tamen vult aliquem occidere; tunc fecit injuriam materialem et formalem Paulo, non ut Paulo, sed ut homini.

Q. An tenearis restituere damnum alteri obveniens ex tuo homicidio, quod alteri per errorem imponitur?

R. Cum distinctione. Vel non advertis nec intendis, vel advertis tantum, vel advertis simul et intendis. Si primum, omnes immunem te habent a restitutione; quia damnum mere per accidens Paulo evenit, neque te prodere debes, ut liberes innocentem.— Si secundum, sunt nonnulli, qui dicunt te teneri ad restitutionem. Sed sententia probabilior docet, ad nihil teneri; quia homicidium est tantum causa occasionalis imputationis, non vero causa efficax. Scavini. — Si tertium, duplex est sententia: prima docet te ad restitutionem teneri; quia tua prava intentio reddit injustam causam moralem damni. Secunda sententia probabilior, quam amplectimur negat; quia non est causa efficax illius damni: cum error et non intentio tua moveat judicem, vel superiorem ad infligendam illi poenam. Excipe, si ideo praecise aliquid ipse faciat, unde alii naturaliter id colligant, v. g. vestibus alterius indutus occidas.

Q. Quid, si laesus omnia ante mortem laedenti remiserit?

R. Si remiserit dumtaxat injuriam, tenetur restituere justa damna etc. — Si vero condonavit etiam omnia damna laedens ad nihil tenetur erga haeredes; quia isti quidquid acquirunt, non acquirunt, nisi per voluntatem defuncti.

Q. Quid sentiendum de homicidio casuali?

R. Duplici modo contingere potest homicidium casuale: dando operam rei vel licitae, vel illicitae.

1° Si opus sit quidem illicitum, sed minime de se periculosum, non imputabitur homicidium.

2°. Si opus illicitum sit et simul etiam periculosum, sed ita raro, ut non soleat mors nisi valde raro inde evenire, non est imputandum homicidium, si casualiter sequatur, dummodo praemissa sit diligentia ad illud vitandum.

3° Si opus sit illicitum simul et frequenter periculosum, ut ex

eo communiter soleat mors evenire, tunc homicidium certe imputabitur, quaecumque adhibeatur diligentia ad illud vitandum. Scavini.

Q. An remaneat obligatio justitiae in haeredibus, si homicida morte plectatur, quin damna reparaverint?

R. Affirmative. Poena enim satisfacit justitiae vindicativae, non vero commutativae. Nisi vero laesi reclament, tunc hi juri suo cedere censentur. Gury.

ARTICULUS III.

DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM, ET FORNICATIONEM ET ADULTERIUM.

Q. Quid est stuprum?

R. Est *illicita virginis defloratio.*

Q. Quid debeat restituere stuprator virginis?

R. Qui virginem sponte consentientem et absque ulla vi, fraude, importunitate precum et promissione matrimonii defloravit, ad nihil ex justitia eidem, neque parentibus tenetur in foro conscientiae. Si secus, tenetur restituere pro rata parte influxus in libertatem virginis. praesertim si sit manifestum; si vero remanet occultum, nihil debet. Ratio primi casus est: *Volenti et libere consentienti non fit injuria.*

Nota. Si promissione matrimonii defloravit, tenetur illam ducere. Excipiuntur quinque casus, nempe: 1° Si corrupta finxit se virginem, nobilem, divitem. 2° Si corrupta postea fornicetur cum alio. 3° Si corrupta fictam esse promissionem potuerit deprehendere. 4° Si ex matrimonio promisso gravia timeantur incommoda et scandala. 5° Si supervenerit impedimentum dirimens.

Q. Ad quid teneatur stuprator erga prolem?

R. Cum distinctione: vel puella libere in peccatum consensit, vel non. Si primum, *ex Jure romano* mater tenetur alere infantem primo triennio, et postea ei pater providere debet. Si secundum, stuprator tenetur primo loco prolem nutrire et educare, quia est causa principalis. Ejus defectu tenetur mater, servans recursum in corruptorem.

Q. Quid, si ob secutum stuprum teneantur parentes augere dotem ad filiam in matrimonio collocandam?

R. Licet Antoine, et nonnulli alii obligent stupratorem ad damnum reparandum; tamen communissime negant, et hanc sententiam nos amplectimur; nam puella cum libere possit quascumque nuptias respuere, nullam injuriam parentibus irrogat. — Excipe, si judex defloratorem ad aliquid condemnaverit ob injuriam parentibus illatam.

Q. Quid, si stuprator exhibet consensum ad matrimonium quod promisit, et puella renuat?

R. Stuprator ad nihil tenetur, cum per ipsum non stat, quominus matrimonium non contrahatur.

Q. Quid, si stuprator qui virginem seduxerit vel vera, vel falsa matrimonii promissione, voto aut castitatis, aut etiam ingrediendae religionis sit ligatus?

R. Stuprator sive voverit ante, sive post promissionem tenetur ad conjugium. Nam debita onerosa sunt semper praeferenda gratuitis; nec aliter compensari potest defloratio.

Q. Ad quid teneatur adulter?

R. Vel ex adulterio secuta non est proles, vel certo secuta, vel dubitatur, an sit secuta. Si primum adulter nihil tenetur restituere marito adulterae. — Si secundum, tenetur adulter alimenta subministrare proli ab anno tertio ad tempus, quo sibi de alimentis provideri poterit; imo ab ipso partu, defectu matris. Compensare omnia damna, quae marito adulterae, et legitimis haeredibus consequuntur.

Nota. Nec adulter, nec adultera probabilius tenentur restituere filiis legitimis bona, quae consanguinei, vel amici patris, et matris ex liberalitate dederunt spurio, quem legitimum putant.

Si tertium, duplex est sententia. Prima cum Antoine docet debere restituere pro rata dubii. — Secunda communis, et probabilior, quam amplectimur, liberat ab omni restitutione, quia stante tali dubio, possidet matrimonium.

Q. Ad quid teneatur adultera, si proles sit secuta?

R. Vel fuit corrupta simpliciter invita, vel secundum quid invita, vel libere consentit. Si primum, ad nullam restitutionem tenetur. — Si secundum, deficiente adultero, tenetur adultera; quia absolute consentit. — Si tertium, aequaliter cum adultero omnium damnorum restitutionem dividere tenetur; quia aequaliter cum adultero in damnum concurrit, et deficiente adultero, ad totum damnum tenetur.

Q. Quid praestare debet adultera, ut damnum reparet?

R. Si habeat bona paraphernalia, ex iis tenetur damna illata compensare; si vero non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare; de cultu corporis sui, et solitis sumptibus detrahere quantum patitur conditio status.

Q. Si adultera non possit eo modo damna illa resarcire, teneturne crimen suum veris haeredibus, vel spurio aperire?

R. Negative: quia confessio illa solet esse valde noxia, et parum utilis.

Q. Quid, si dubium sit inter duos adulteros adeo ut proles sit certo illegitima; sed incertum est, an ad unum, vel alterum adulterum pertineat?

R. Duplex est sententia. Prima communior docet, adulterum debere restituere pro rata; quia in hoc casu damnum est certum. — Secunda sententia, probabilior, quam amplectimur, utrumque adulterum liberat; nemo enim tenetur de damno, nisi certe moraliter constet ipsum fuisse damni causam.

Excipe, si adulterium communi consilio patraverint; vel si posterius sciat adulterium jam factum ab altero; tunc tenetur ipse restituere, quia ipse esset causa incertitudinis prolis, ideo vera causa; et a primo non potest exigere compensationem. Scavini.

Q. An adulteri, stupratores, fornicarii divites, qui prolem ad hospitale detulerint, teneantur expensas eidem compensare?

R. Universim affirmant nonnulli Theologi; sed sententia quae negat, videtur probabilior; quia hospitalia hujusmodi erecta sunt pro omnibus indiscriminatim. Sed in praxi omnes conveniunt, ut adhortentur ad aliquid hospitali tribuendum, saltem titulo poenitentiae.

Q. An filius teneatur credere matri, etiam juranti illum illegitimum esse?

R. Negative. Quia nemo tenetur credere uni testi etiam probatissimae fidei.

ARTICULUS IV.

DE RESTITUTIONE OB DETRACTIONEM, ET CALUMNIAM.

Q. Quid est fama, et quid est honor?

R. Fama est *interna existimatio de alicujus excellentia.* — Honor est *externa significatio excellentiae alterius.*

Q. Quid sit detractio, et quid calumnia?

R. Detractio est *injusta, et occulta famae alienae denigratio.* — Calumnia est *falsi criminis, vel defectus impositio.*

Q. Quot modis fieri possit detractio?

R. Octo, quorum quatuor priores *directe*, quatuor posteriores *indirecte* famam proximi laedunt, his exprimuntur versiculis :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Nota. Omnes hi modi detractionis sunt ejusdem speciei, quamvis alii aliis graviores sint.

Q. Qualia peccata sint detractio, et calumnia?

R. Sunt ex genere suo peccata mortalia contra charitatem, et justitiam ; Apost. ait : *Detractores sunt digni morte.*

Q. Unde detractionis gravitas, vel levitas desumenda sit?

R. 1° Ex circumstantia defectus. 2° Ex conditione detrahentis. 3° Ex conditione audientium. 4° Ex qualitate locorum, morum, et ex aliis circumstantiis.

Q. Quisnam modus detractionis sit gravior?

R. Gravior est : 1° Qui fit per libellum famosum ; quia vix potest aboleri. 2° Gravissimus est ex genere suo qui fit per falsi criminis impositionem, cum contineat mendacium periculosum.

Q. Quaenam sint justae causae, quae detrahentem a peccato excusant?

R. Sunt duae : 1ª Est *justitia*, dum quis ex officio suo tenetur manifestare furtum, vel aliud crimen in alium perpetratum. 2ª Est *charitas*, dum nempe quis aliter non potest impedire damnum sibi, vel proximo impendens.

Hinc, liber est a culpa : 1° Qui injuriam sibi illatam alteri revelavit animo petendi consilium, auxilium, vel solatii causa etc. 2° Qui ex charitate monet superiores, patres-familias etc. delinquentis, et sic dicendum de aliis similibus casibus.

Q. An peccet contra justitiam, qui crimen in uno loco, v. g. in una civitate publicum revelat in alio, ubi ignoratur?

R. Crimen potest esse publicum triplici modo, nempe: 1° *Ipso jure*, de quo constet per juridicam sententiam. 2° *Ipso facto*, quod est factum publice, et nullo modo celari potest. 3° *Communi fama*, dum pervenit ad aures majoris partis communitatis. Si primum, ubivis divulgari potest absque injustitia et laesione charitatis, quia per sententiam judicis est manifestum. — Si secundum, et tertium,

quidquid alii dicunt, nos verius distinguimus cum S. Ligorio, et aliis: vel crimen reddit hominem societati perniciosum, vel non. Si primum, nullo modo peccat, quia bonum publicum postulat tales homines societatis pestes non ignorari. Si secundum, graviter peccat contra justitiam, et charitatem; quia in illo loco fama non erat peritura. Quod si faciliter, et breviter erat perlatura propter propinquitatem loci non est mortale.

Q. An peccet contra justitiam, qui crimen alias publicum, jam vero obliteratum, revelat?

R. Affirmative. Quia crimen oblivioni datum est occultum; sed crimen occultum non potest revelari.

Q. An peccet contra justitiam, qui de uno crimine infamatum, infamet de altero occulto?

R. Distinguendum: vel crimen occultum habet affinitatem et connexionem cum crimine de quo est infamia, vel non. Si primum, non peccat contra justitiam qui detegit affine ei, qui principale noscit; quia non censetur nova infamia inferri. Peccat tamen venialiter contra charitatem. — Si secundum, peccat contra justitiam, quia injuste infertur ei nova infamia gravis.

Q. Qualiter peccat qui crimen occultum refert, non nominata persona?

R. Si 1° ex narratione non potest dignosci persona, non peccat; secus si potest cognosci. — 2° Si indicet qualitatem, v. gr. Religiosus etc., distinguendum: si fiat inter ecclesiasticos etc., nullum est peccatum. Si fiat inter saeculares, plerumque est peccatum mortale, quia saeculares saepe quod est uni proprium omnibus imponunt.

Q. An detrahat proximo, qui narrando crimen occultum alterius, narrat simul ejus poenitentiam?

R. Negative, si poenitentia superat infamiam; secus, si non superet.

Q. Quis tenetur ad restitutionem famae?

R. Omnis, et solus, qui eam abstulit, aut ad ejus ablationem moraliter cooperatus est.

Q. Quid restituere tenetur detractor?

R. 1° Tenetur restituere famam ablatam non solum apud eos, quibus peccatum proximi revelavit; sed et apud eos, quibus a primis audientibus divulgatum fuit. 2° Tenetur resarcire damna ex detractione orta.

Q. Quandonam detractor famam restituere teneatur?

R. Tenetur quam primum fieri potest, ne per ulteriorem diffamationem gravior evadens gravius sit peccatum.

Q. Quomodo fama sit restituenda?

R. Cum distinctione: vel detractor falsum crimen alteri imposuit; vel verum, sed occultum propalavit. Si primum, tenetur se retractare apud eos qui audierunt ejus calumniam; et si necesse sit debet testibus suam retractationem firmare. — Si secundum, non debet se retractare, nam mentiretur; sed potest, et debet eum aliquo modo laudare, et honorifice de eo loqui.

Q. An sit restituenda fama cum periculo famae propriae, bonorum fortunae et vitae?

R. Ad primum, affirmative: quia in pari causa melior est conditio innocentis. — Ad secundum, affirmative: quia bona fortunae sunt inferioris ordinis quam fama. — Ad tertium, si infamatus per infamiam conjectus sit in periculum vitae, debet infamans cum periculo simili restituere. Si non sit conjectus in tali periculo non tenetur; quia vita est bonum superioris ordinis fama.

Q. Qui publicum crimen narrat, si auditor de alio innocenti narrare existimat, teneturne innocentis famam restituere?

R. Tenetur ex charitate, sed non tenetur ex justitia; quia non narratio, sed prava intelligentia auditoris est causa infamiae.

Q. Estne obligatio restituendi famam defuncti?

R. Affirmative. Quia etiam mortuus habet jus ad famam propriam.

Q. Quaenam sunt causae a restitutione famae excusantes?

R. Sunt septem: 1ª Infamati condonatio, modo ejus fama non sit aliis necessaria, ut Religiosi. 2ª Justa compensatio inter privatos. 3ª Si fama sit aliunde reparata. 4ª Si infamia penitus abierit in oblivionem, nec periculum sit, ut reviviscat. 5ª Si restitutio sit impossibilis. 6ª Si crimen occultum alia ratione fit publicum. 7ª Si nulla fuit infamia ex detractione secuta.

Q. Quid, si non nominentur defectus particulares alicujus personae, sed tantum dicitur: *Multa scio de illo, sed etc....?*

R. Est peccatum mortale. Sed si nominentur simul defectus, v. gr. Ille est avarus, iracundus, superbus etc., non videtur mortale; quia intelligitur tantum de propensione illius ad peccatum. Pariter non est mortale nominare defectus naturales.

Q. An aliquando liceat alterius crimen occultum revelare?

R. Si notitia sit habita in confessione nunquam licet. Si extra, licet tantum, vel ut proximus emendetur; vel ut evitetur damnum

blicum; vel ut evitetur damnum tertii praesertim ut salvetur vita innocentis: hoc autem quando damnum aliter non potest vitari.

Q. An sit mortale referre crimina uti audita ab aliis, qui narrant, v. gr. Audivi de Titio haec?

R. Si sit periculum gravis infamiae est mortale; secus non.

Q. Quid de iis, qui detractionem audiunt?

R. Si gravem detractionem audiens ipsi cooperatur, peccat contra charitatem, et contra justitiam. — Si audiens tantum de illa gaudeat, peccat directe contra charitatem, et affectu etiam contra justitiam. — Si vero audiens de illa non gaudeat, non peccat; et dummodo ei non possit impedire, se habeat tantum passive. Si vero sit superior tenetur impedire.

Q. Adestne obligatio gravis detractionem impediendi, si commode possit?

R. Si audiens sit superior tenetur ex officio. — An vero teneatur ad restitutionem defectu detractoris, alii affirmant de superiore infamantis: alii vero probabilius negant, quia non tenetur invigilare bono non subditi. — Si vero audiens sit persona privata, certum est, quod non teneatur ad restitutionem.

Q. An sub gravi facienda est restitutio famae?

R. Sub gravi, si graviter fuerit laesa. — Sub levi, si leviter fuerit laesa.

Nota. Quando detractor cognoscitur loqui ex ira, et passione, nulla est laesio famae.

Q. Sufficitne damnum retractare apud auditores immediatos?

R. Verius non sufficit, sed etiam debet apud mediatos, si alii deficiant; quia ipse est causa prima efficax damni; unde deficientibus secundis, semper remanet obstricta causa prima.

Q. An qui detrahit alicui in una tantum re, sed coram pluribus plura committit peccata?

R. Probabilius negative: quia jus ad famam est unicum apud omnes et ideo tantum circumstantia aggravans.

ARTICULUS V.

DE RESTITUTIONE OB JUDICIUM TEMERARIUM, OPINIONEM, DUBITATIONEM, ET SUSURRATIONEM.

Q. Quid est judicium temerarium, et quid suspicio, dubitatio, et opinio temeraria?

R. Est *assensus absolutus, et firmus de proximi improbitate ex levibus, et insufficientibus indiciis ortus.* — Suspicio est *assensus inchoatus, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad judicandum malum de proximo suo.* — Dubitatio est *suspensio animi circa proximi bonitatem absque fundamento rationabili.* — Opinio temeraria dicit *assensum in illud judicium, sed infirmam de opposito formidinem habentem.*

Q. Quale sit peccatum judicium temerarium?

R. Judicium firmum, et vere voluntarium est mortale contra justitiam ex genere suo.

Nota. Aliud est judicium falsum, aliud temerarium, istud privatur omni sufficienti motivo, non illud.

Q. Quale sit peccatum suspicio et dubitatio temeraria?

R. Cum distinctione : si oriantur ex pravo affectu, et malevolentia sunt mortales ex genere suo; quia gravis fit injuria proximo. — Si vero oriantur ex errore intellectus paratus suam suspicionem, vel dubitationem deponere, ubi rem melius consideravit, sunt ordinario tantum veniales. Tunc enim judicia non carent omni probabilitate.

Q. Quid requiratur, ut tollatur injuria illata per judicium et suspicionem temerariam?

R. Nihil requiri quam ut deponatur hoc judicium, etc.

Q. Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?

R. Dubia circa personas, quando agitur de mala vel bona aestimatione proximi, sunt in meliorem partem interpretanda. — Si agatur de evitando aliquo damno, vel adhibendo remedio, possunt in malam partem interpretari non definitive, sed suppositive, nempe debitam cautionem adhibendo.

Q. Quid sit susurratio, et quale peccatum?

R. Est *oblocutio mala et secreta ad disseminandam discordiam inter amicos.* — Est peccatum mortale ex genere suo, et quidem gravius detractione, vocatur a Patribus *vera pestis religionum.*

Q. Quomodo susurrator teneatur restituere?

R. Vel per retractationem, vel per infamati laudationem, juxta exigentiam casus.

ARTICULUS VI.

DE RESTITUTIONE OB CONTUMELIAM, ET DERISIONEM.

Q. Quid est contumelia, et quale peccatum?

R. Est *injusta et aperta honoris alieni violatio.* — Est peccatum mortale ex genere suo, et quidem gravius detractione.

Nota. Contumelia illata parentibus habet malitiam injustitiae et impietatis, ideo explicanda est in confessione.

Q. An honor per contumeliam laesus restitui debeat?

R. Affirmative, et quidem coram aliis, si coram aliis honor laesus fuit.

Q. Quid sit derisio, et quale peccatum?

R. Est *jocus de proximi defectibus, ut rubore afficiatur.* — Est peccatum veniale ex genere suo; quia de se gravem non infert injuriam proximo.

Nota 1ª. Est mortale: 1° Quando deridetur proximus ob virtutem. 2° Si parentes deridentur, tunc est impietas. 3° Si Deus, vel Sancti, quod fieri nequit absque blasphemia.

Nota 2ª. Est mortale dum derisio habet rationem contumeliae.

ARTICULUS VII.

DE REVELATIONE SECRETI, ET LIBELLO DIFFAMATORIO.

Q. An violatio secreti sit peccatum, et obliget ad restitutionem?

Nota. Secretum est *id, quod clam ab aliquo, vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, nec notorium.* Brevius definitur: *Notitia rei occultae.* — Secretum potest esse naturale, commissum et promissum. *Naturale,* quod imponit ipsa natura. — *Commissum,* seu *rigorosum* est, quando manifestans tibi silentium imponit. — *Promissum,* quando secreto commisso additur ab acceptante promissio illud servandi.

R. Ad 1um. Affirmative: quia est transgressio legis naturalis, et est peccatum mortale ex genere suo.

R. Ad 2um. Obligat ad restitutionem, si inde proximus in bonis vitae, vel famae etc., damnum aliquod patiatur.

Excipe: 1° Si secretum commissum sit nullius momenti. 2° Si jam fuerit aliunde prolatum. 3° Si ejus custodia in damnum communi-

tatis, aut alicujus innocentis cederet. 4° Si servari non posset absque gravi, vel illius cui commissum est, vel illius qui illud commisit, nocumento.

Q. Quid, si promiseris servare secretum etiam cum dispendio vitae, vel famae ?

R. Teneris servare secretum etiam cum gravi damno; et communius ac probabilius teneris stare promissis etiam cum periculo famae et vitae. Quia hoc non esset sibi mortem directe inferre, sed vitam minime tueri; quod est licitum ob justam causam, v. g. ad fidelitatem conservandam. Ita Scavini.

Q. Quid sentiendum de aperitione literarum, et expiscatione secreti ?

R. Qui absque consensu scribentis, vel recipientis, aut sine ulla auctoritate, aut justa causa, legit literas, vel per fraudem secretum expiscatur, peccat contra charitatem et justitiam, mortaliter, vel venialiter, pro qualitate damni, vel periculi, vel intentionis graviter nocendi.

Q. Quid dicendum de libellis diffamatoriis et literis anonymis ?

Nota. Libellus diffamatorius est scriptura, licet brevissima, continens occultam infamationem, ut fiat publica. — Litera anonyma est illa, quae sine subscriptione nominis auctoris ad superiorem mittitur, ut occultum alicujus subjecti delictum manifestetur.

R. Ad 1um. Libellum publicare est peccatum gravius detractione; et contra libelli auctores adest excommunicatio ferendae sententiae.

R. Ad 2um. Literas anonymas ad superiores etc., est peccatum mortale, juxta communem sententiam, nisi fiat ex charitate erga delinquentem vel communitatem.

TRACTATUS QUARTUS DECIMUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

De essentia, et existentia, et Auctore Sacramentorum.

Q. Quid est Sacramentum generice sumptum?

R. Est *signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum, ad significandam et conferendam gratiam.*

Dicitur *sensibile*, sive per se, ut aqua in baptismo, sive per aliud, ut contritio per externam manifestationem. — *A Deo institutum*, quia solus Deus potest instituere signa gratiae infallibiliter conferendae. — *Permanenter*, idest quamdiu permanet religio. Hinc nec lotio pedum, nec insufflatio Christi in Apostolos, fuerunt Sacramenta, cum Ecclesia illas non retinuerit.

Q. Quomodo definitur Sacramentum veteris Legis?

R. Definitur: *Signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum, ad significandam gratiam interiorem per Passionem Christi dandam, et conferendam exteriorem et legalem.*

Q. Quomodo definitur Sacramentum novae Legis?

R. Signum sensibile, sacrum, a Christo permanenter institutum, ad significandam et producendam, per se et ex opere operato, gratiam interiorem.

Q. Utrum exstiterint Sacramenta in statu innocentiae?

R. Negative; cum nec Scriptura, nec traditio aliquorum meminerint. Unde matrimonium Adami cum Eva improprie tantum dicitur Sacramentum; quatenus significabat futuram unionem Christi cum Ecclesia.

Q. Utrum in statu naturae exstiterint Sacramenta?

R. Affirmative; ad peccatum originale delendum, *quamvis quid esset*, ait D. Aug., lib. 5 contra Julian., cap. 2, *ex aliqua neces-*

saria causa Scriptura sacra latere voluit. — Probabilius tamen est, illud remedium fuisse fidem in Christum venturum, aliquo signo exteriori manifestatam.

Q. Utrum exstiterint Sacramenta in lege Mosaica?

R. Affirmative, ut patet in variis expiationibus, purificationibus, consecrationibus, quae internam significabant gratiam et externam conferebant.

Q. Quot sunt Sacramenta novae Legis?

R. Sunt septem. Unde Concil. Trid. anathematizat eos, qui dixerint, *esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Poenitentiam, Eucharistiam, Ordinem, Extremam Unctionem, et Matrimonium.*

Nota. Omnes Ordinationis species ad unum genus revocantur, quod dicitur Sacramentum Ordinis.

Q. Cur Christus nec plura, nec pauciora, quam septem instituit Sacramenta?

R. Ita fecit, quia ita voluit. Sed D. Thomas congruam rationem desumit ex analogia vitae spiritualis cum vita corporea. Nempe in ordine naturali requiritur: 1° Ut homo nascatur. 2° Ut crescat. 3° Ut nutriatur. 4° Ut medicinam accipiet aegrotans. 5° Ut muniatur contra hostes in periculis. 6° Ut regatur. 7° Ut species humana per generationem conservetur. Ita in ordine supernaturali et animae datur: 1° *Baptismus* ad nativitatem. 2° *Confirmatio* ad accretionem. 3° *Eucharistia* ad nutrimentum. 4° *Poenitentia* ad medicinam. 5° *Extrema Unctio* ad munimen. 6° *Ordo* ad regimen. 7° *Matrimonium* ad fidelium propagationem.

Q. An omnia Sacramenta sint paria dignitate?

R. Negative, et est de fide; ait enim Trid.: *Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Unde Eucharistia est omnium excellentissima, eo quod non gratiam solum contineat, sed ipsum gratiae Auctorem. Ratione necessitatis Baptismus est potissimum Sacramentorum. Ratione perfectionis, et ministri Confirmatio et Ordo. Alia sunt inferioris gradus.

Q. Quis est Auctor Sacramentorum?

R. Est Christus, ita definivit Concil. Trid., sess. 7, cap. 1: *Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta... anathema sit.*

Q. An Christus per se et immediate instituerit omnia Sacramenta?

R. Sententia affirmativa est omnino probabilior, et Tridentino conformior; Ecclesia enim non potest mutare Sacramenta quoad substantiam, ut definivit Concil. Tridentinum, sess. 21, cap. 2: ergo ea non instituit quoad substantiam. Hinc Apostolus 1 ad Corinth., cap. 4, ait: *Ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Q. Quomodo dividi possunt Sacramenta?

R. 1° In *necessaria*, vel *non necessaria.* — Iterum in *necessaria necessitate medii*, ut Baptismus pro omnibus, et Poenitentia pro iis, qui in peccatum mortale post Baptismum lapsi sunt; et in *necessaria necessitate praecepti*, ut sunt caetera omnia, ultimis duobus exceptis, quae non sunt necessaria pro privatis, sed tantum pro communitate.

2° In *imprimentia*, et *non imprimentia characterem in animam.* — Characterem imprimunt Baptismus, Confirmatio et Ordo; alia non imprimunt.

3° In *formata* et *informia*, prout gratiam producunt, dum suscipiuntur; aut, intercedente obice, effectum suum suspendunt, donec obex removeatur.

4° In *Sacramenta vivorum* et *mortuorum* prout gratiam sanctificantem tantum adaugent; aut ex primaria sua institutione eandem conferunt.

Q. Quae et quot requiruntur ad Sacramenta perficienda?

R. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur: 1° Rebus tamquam materia. 2° Verbis tamquam forma. 3° Persona ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

CAPUT II.

De materia, et forma, et ministro Sacramentorum.

ARTICULUS I.

DE MATERIA, ET FORMA SACRAMENTORUM.

Q. Quid et quotuplex sit materia Sacramentorum?

Nota. Per materiam et formam Sacramentorum intelliguntur partes, ex quibus constant Sacramenta.

R. Duplex est, proxima et remota. Materia remota est *quaelibet*

res, vel actus sensibilis ex se indifferens ad esse Sacramentum, uti aqua in Baptismo. — Materia proxima est *usus*, seu *applicatio materiae remotae ad subjectum*, ut ablutio in Baptismo.

Q. Quid sit forma Sacramentorum?

R. Sunt *verba, aut quidpiam verbis aequivalens, quod materiam indifferentem determinat ad esse Sacramenti*, qualia sunt in Baptismo haec verba: *Ego te baptizo etc.*

Q. Utrum verba Sacramentorum vere sint consecratoria?

R. Affirmative. Nam per se, et ex opere operato consecrant et sanctificant suscipientem rite dispositum. Errant ergo novatores docentes esse tantum promissoria, et concionatoria. Revera posset quaeri ab eis, utrum verba Baptismi dati parvulis excitent eorum fidem, ac ipsos erudiant? Si id affirmare nequeant, neque propriam doctrinam sustinere possunt.

Q. An Christus omnium Sacramentorum materiam, et formam assignaverit?

Nota. Tripliciter potest determinari materia vel forma: 1° *In genere*, idest si praeceperit dumtaxat, ut aliquod sensibile signum adhiberetur ad significandum, et producendum effectum septem Sacramentorum; Ecclesiae vero commiserit hoc signum eligendi. 2° *In specie*, si ipse Christus signum adhibendum determinaverit, idest speciatim materiam designaverit, et substantiam verborum. 3° *In individuo* (alii dicunt in *specie infima*), si ulterius determinaverit, rem talibus, ac talibus qualitatibus affectam esse debere, et verba his, vel illis vocibus constare, v. g. si designasset expresse aquam frigidam, non calidam; pro forma, talem phrasim, et non aliam.

R. 1° De fide est, Christum saltem in genere omnium Sacramentorum materiam, et formam determinasse; nam de fide est, omnia Sacramenta fuisse a Christo instituta. 2° Certum est, Christum nullius Sacramenti materiam, et formam in individuo designasse, cum hujus rei nullum sit indicium. 3° Certum est, Christum designasse in specie materiam, et formam Baptismi et Eucharistiae; cum evidenter eruatur ex Scripturis. — Controvertitur de aliis Sacramentis. Negant probabiliter S. Bonaventura, Bellarminus, Lugo, et alii; quia secus non esset diversitas materiarum in Ecclesia Graeca, et Latina. — D. Thomas, Concina, Habert, et alii probabilius affirmant: quia secus Ecclesia potestatem habuisset ipsam materiam, et formam immutandi; quod multo probabilius id Ecclesia non potest. Huic secundae sententiae nos adhaeremus.

Nota. Si diversitas aliqua opponatur materiae et formae inter Ecclesiam Orientalem et Occidentalem, praesertim in Sacramento Ordinis, haec est dumtaxat circa accidentalia.

Q. Quotuplex est forma?

R. Multiplex. 1° Alia est *absoluta*, quae verbis puris, et absolutis enunciatur; alia *conditionalis*, cui adnectitur aliqua conditio. 2° Alia *certa;* alia vero *dubia;* prout nempe ipsa vel certum, vel dubium facit Sacramentum. 3° Alia *substantialis*; alia *accidentalis;* prout nempe requiritur ad valorem, vel non. 4° Alia est *deprecativa;* alia *indicativa;* prout nempe profertur vel deprecando efficaciter effectum, ut in Extrema Unctione; vel efficaciter ipsum indicando, ut in caeteris Sacramentis.

Q. An materia Sacramentorum debeat esse proxima?

R. Affirmative, cum hac observatione, nempe in Eucharistia requiritur proximitas, sive conjunctio physica materiae cum forma. — In aliis vero Sacramentis *ad eorum validitatem* proximitas talis esse debet, ut secundum moralem hominum aestimationem, *spectata natura Sacramenti cujuslibet*, materia afficiat formam, et forma vicissim afficiat materiam.

Diximus *ad eorum validitatem;* verba enim uno et eodem tempore, quo applicatur materia, proferenda sunt. Ast non est opus simul formam, et materiam incipi, nec simul finiri.

Diximus *spectata natura cujuslibet Sacramenti;* nam conjunctio illa moralis diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum. Sic in Baptismate, Confirmatione, Extrema-Unctione, et Ordine conjunctio materiae cum forma debet esse talis, ut dum minister verba pronuntiat, moraliter censeatur lavare, signare, ungere, et consecrare: quod fit sive materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, sive immediate postquam jam prolata est. Ita communiter contra Cajetanum. — In Poenitentia vero aliquandiu poterit absolutio differri post peractam confessionem, et excitatum dolorem; actu tamen praesens esse debet poenitens, ut verificetur pronomen *te*. — In Matrimonio tandem poterit consensus unius tamdiu sequi consensum alterius; quamdiu hic moraliter censetur permanere, uti fit in contractibus, quorum naturam Matrimonium imitatur.

Nota. Materia, et forma uniri, seu applicari debent ab eodem ministro et erga idem subjectum, quia si unus materiam, et alter formam poneret, verba formae non verificarentur; minister enim

qui dicit *ego te baptizo*, dum alter effunderet aquam, falsum proferret, siquidem ipse non baptizaret.

Q. An liceat in Sacramentis adhibere materiam dubiam ; vel eam ministrare cum opinione tantum probabili de eorum valore ?

R. Negative generatim loquendo, et extra casum necessitatis : id deducitur ex propos. 1ª ab Innocentio XI damnata. Qui secus agit, graviter peccat : 1° Contra religionem, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis. 2° Contra charitatem, quia defraudat proximum fructu spirituali, saltem discrimini se committit defraudandi. 3° Contra justitiam, quia eo ipso , quod vult Sacramentum ministrare , se tacite ad valide ministrandum obligat.

Diximus *generatim loquendo ;* nam dum adest vera probabilitas, ea Sacramenta bene possunt ministrari, in quibus potest Ecclesia defectum supplere, causâ interveniente, ut v. g. in Sacramento Poenitentiae. — *Extra casum necessitatis ;* si enim homo sit in extrema necessitate suscipiendi hic et nunc Sacramentum, si praesto non sit materia certa, dubia est adhibenda, ut provideatur quoad potest hominum saluti ; sub conditione tamen ob reverentiam Sacramenti ipsius. — Si tamen postea habeatur materia certa et locus sit, repetendum erit Sacramentum sub conditione; alioquin semper incertum esset, an de facto sit receptum Sacramentum ; nec ne.

Q. An validum sit Sacramentum sub conditione collatum ?

R. Si conditio Sacramento apposita sit de praeterito, aut de praesenti, valet, vel non valet Sacramentum, prout existit, aut non existit illa conditio. — Si vero conditio sit de futuro contingenti, Sacramentum non valet. — Si sit de futuro necessario , v. g. *Absolvo te, si cras sol horiatur*, valet Sacramentum. Item valet, si conditio sit de impossibili, et nugatorie censeatur posita, v. gr. *Absolvo te, si coelum digito tetigeris;* censetur enim tanquam non apposita.

Q. An liceat Sacramentum sub conditione conferre ?

R. Sine gravi causa id agere mortale est , cum sit nugari in re gravi. — Si vero adsit gravis ratio, tunc nullum est peccatum ; imo res laudabilis, et praecepta.

Q. Utrum mutatio materiae, et formae Sacramentum irritet?

R. Si mutatio sit substantialis, Sacramentum irritat ; quia materia, vel forma Sacramenti tollitur. — Si sit accidentalis non irritat.

Q. Quaenam mutatio est substantialis, aut accidentalis ?

R. Mutatio materiae est *substantialis*, quando materia convertitur in aliam speciem ; vel quando materia redditur inutilis ad sui

usum, ut si quis baptizaret in aqua quidem, sed ita congelata, ut non possit fieri ablutio. — Mutatio formae est *substantialis*, quando verba non retinent eundem sensum, v. g.: *Ego te baptizo in nomine matris, et filii etc.*

E contra mutatio est *accidentalis* in materia, quando non convertitur in aliam speciem, ut aqua calida in baptismo, vinum parumper acescens in Eucharistia. — In forma vero, quando sensus verborum non tollitur, v. g. si quis dicat: *Ego abluo te in nomine Patris etc.*

Q. Quot modis forma Sacramentorum possit mutari?

R. Sex modis, his versiculis contentis:

Nil formae demas, nihil addas, nil variabis:
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Nota 1ª. Qui scienter materiam, et formam Sacramentorum substantialiter mutat, peccat profecto mortaliter; imo et sacrilegii se reum constituit. Insuper peccaret mortaliter etiam mutando accidentaliter si ageret ex formali contemptu: imo et sine contemptu, si res sit multum importabilis, ac sub gravi praecepta, ut v. g. est azymus in Eucharistia pro Latina Ecclesia.

Nota 2ª. Si in Missa post consecrationem dubium tibi oriatur de formae debita prolatione, vel de totali omissione, nihil repetere debes, nec potes, cum alias haec omittere non soleas: judicandum enim est ex communiter contingentibus; nisi tamen valde probabiliter dubites, ut loquitur Rubrica.

Q. Quot sunt regulae statuendae pro iteratione Sacramentorum in dubio de valida applicatione materiae, et formae?

R. Sunt tres: 1ª Sacramenta iterari possunt quoties datur dubium prudens de ipsorum valore. 2ª Sacramenta generatim iterari non possunt sine peccato gravi, quando non adsit dubium prudens de eorum valore. 3ª Sacramenta repeti debent, quoties exorto prudenti dubio de eorum valore; id postulant charitas, justitia et religio. Intellige, conditionate tantum repetenda sunt, ut reverentiae Sacramenti consulatur.

Nota. Facilius iteranda sunt Sacramenta magis necessaria, et quae semel tantum conferuntur, scilicet Baptismus, et Ordo, etiamsi pro valore Sacramenti militet multo major probabilitas contra rationes dubie, aut tenuiter probabiles in oppositum. Ita communiter.

Q. Utrum error ministri tollat veritatem Sacramenti?

R. Non tollit, quando in forma non est expressus; quia non tollit sensum naturalem verborum; nec quando in forma expressus sensum verborum non tollit.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Q. Quis est minister Sacramentorum?

R. Ille, qui nomine Christi, cujus vices gerit, actionem sacramentalem peragit. Unde de ordinaria Dei providentia est solus homo viator, ac ratione utens.

Diximus *de ordinaria Dei providentia;* nihil enim impedit quominus, Deo dispensante, et angeli, et animae solutae corpore proprio ea possint extraordinarie ministrare, videlicet in assumpto corpore.

Nota. Minister active concurrit ad producendam gratiam Sacramenti, videlicet per modum instrumenti; nam gratia producitur ratione illius ministerii. Excipe Eucharistiam, quia in ea, sola distributione, confertur gratia, ad quam inde minister non concurrit, nisi remote.

Q. Quotuplex distingui potest minister Sacramentorum?

R. Duplex, nempe *primarius*, cujus nomine Sacramenta administrantur, et est Christus ut homo, propter unionem hypostaticam cum Verbo Divino, de quo dicitur Joan. c. 1: *Hic est qui baptizat.* — Et minister *secundarius* qui nomine Christi potest valide conficere Sacramenta.

Q. Quotuplex est minister secundarius?

R. Duplex, nempe *ordinarius*, qui secundum legem a Christo praescriptam potest valide conficere Sacramentum. — Et *extraordinarius*, cui facultas, praeter hanc Christi legem ordinariam, ad Sacramenta conficienda, et dispensanda committi potest, ut sunt angeli, animae solutae proprio corpore etc.

Q. Quis est minister ordinarius Sacramentorum?

R. Solus homo viator ratione utens, ut ex Scripturis colligitur.

Q. An quilibet homo viator sit minister Sacramentorum?

R. Excepto Baptismo propter summam ejus necessitatem, Matrimonio propter specialem rationem contractus, in quo situm est Sacramentum, illi soli sunt ministri Sacramentorum, qui rite in Ec-

clesia ad hoc ordinati sunt: ita definivit Concil. Tridentinum sess. 7, can. 10: *Si quis dixerit, christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis, habere potestatem, anathema sit.*

Q. Quid requiritur in ministro ad validam confectionem Sacramentorum?

R. Requiritur intentio, idest *deliberata voluntas saltem faciendi, quod facit Ecclesia* per illum ritum. Est de fide contra Protestantes, qui dicunt sufficere jocosam ritus sacramentalis adumbrationem. Quare Tridentinum definivit: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sess. 7, can. 11.

Nota. Verba D. Augustini: *Non timeo adulterum, non timeo ebrium... quia columbam attendo, per quem mihi dicitur: hic est qui baptizat,* intelligenda sunt non de actualiter ebrio, sed de illo, qui vitium habet sese inebriandi; ideoque hic habet dictam intentionem Sacramenta administrans.

§ 1. *De intentione, et attentione ministri.*

Q. Qualis intentio requiritur in ministro Sacramentorum?

Nota. Quadruplex distinguitur intentio, actualis nempe, virtualis, habitualis, et interpretativa. — *Actualis* est praesens animi applicatio ad id, quod agitur. — *Virtualis* est ipsamet actualis, quae praecessit, ac moraliter perseverat in ministro, quamdiu per contrariam intentionem non fuit revocata. — *Habitualis* est ea, quae non fuit revocata, sed est, vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam. — *Interpretativa* est ea, quae nec est, nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati: unde non tam est intentio, quam intentionis praesumptio.

R. Certum est 1° non requiri intentionem actualem, licet ea optanda sit: *Hoc*, ait Angelicus, *non est totaliter positum in hominis potestate; quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare* (p. 3, q. 64, a. 8).

Certum est 2° habitualem intentionem non sufficere; quia non influit in opus; ideo non facit, ut actio sit licita humano modo. — Item interpretativam non sufficere; quia non est vera intentio; sed tantum dispositio ad illam.

Certum est 3° sufficere intentionem virtualem; haec enim vere

sufficit, ut homo operetur humano modo, cum talis intentio ab actuali procedat. Id valet, quamvis sit virtualis implicita.

Nota. Adhuc sufficit intentio coacta, v. gr. vi, vel metu ; quia hic vis, et metus non auferunt voluntarium. Excipe matrimonium, quod canones nullum faciunt.

Q. Quotuplex distinguitur intentio ex parte objecti, ad quod fertur?

R. Duplex, nempe externa, et interna. *Externa* est ea, qua minister, in debitis circumstantiis ac serio, externum Sacramenti ritum perficit, intus tamen retinet intentionem, imo contrariam gerit. — *Interna* est ea, qua minister simul ac sacramentalem ritum exercet, interius, et apud se intendit ritum illum celebrare, saltem generatim, et confuse, quatenus sanctum, licet non intendat illum celebrare formaliter, ut est Sacramentum.

Intentio interna dividitur in adaequatam, seu explicitam, et in inadaequatam, seu implicitam. — *Adaequata* est ea, qua minister expresse intendit Sacramentum, vel ejus effectus. — *Inadaequata* est ea, qua minister nihil expresse per se intendit ; sed tantum vult facere quod tali ritu intendit Ecclesia.

Intentio externa dividitur in mimicam, seu irrisoriam, et in seriam. — *Mimica* est ea, qua quis jocose agit, interius nempe exteriusque deridendo : ut v. g. Si histrio per ludibrium quempiam in theatro baptizaret. — *Seria* est ea, quam definivimus.

Q. An intentio in ministro valeat, si sit mimica, et irrisoria?

R. De fide est non sufficere. Leo enim X sequentem Lutheri articulum proscripsit: *Si sacerdos non serio, sed joco absolverit, si tamen credat poenitens, se esse absolutum, verissime est absolutus.*

Q. Quaenam intentio ex parte objecti requiritur in ministro, ut valide conficiat Sacramentum?

R. 1° Intentio seria, et interna, quae si adaequata, et explicita est laudabilis; sed non necessaria.

R. 2° Sufficit intentio seria, et interna, licet inadaequata, et implicita. Sufficit enim intentio peragendi id, quod facit Ecclesia.

R. 3° Utrum intentio seria, sed externa tantum sufficiat, est controversia inducta ab Ambrosio Catharino, qui docebat solam externam intentionem sufficere; nam ita argumentabatur: Tridentinum requirit intentionem faciendi quod facit Ecclesia ; non vero intentionem faciendi id, quod intendit facere ipsa Ecclesia. Secus Ecclesia haereticos ad fidem redeuntes interrogaret non tantum de materia,

et forma, qua susceperunt Sacramenta; sed etiam de intentione ministri: hoc tamen non facit: ergo sufficit intentio externa.

Ast communis doctrina cum Benedicto XIV docet, necessariam esse etiam internam intentionem, ait enim D. Thomas opusc. 8: *Si minister non intendat Sacramentum conferre* (explicite, vel implicite) *non perficitur Sacramentum.* Pariter Alexander XIII damnavit hanc propos.: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.*

Q. Quid, si quis intendat Sacramentum conferre Petro, et ille sit Paulus?

R. Excepto Matrimonio, per se loquendo valide confert. — Diximus *per se loquendo;* nam si minister revera alligaret suam intentionem, ita ut alium excluderet omnino, nullum conficeret Sacramentum ex intentionis defectu.

Q. Quid, si minister habeat duas intentiones contrarias?

R. Si sint simultaneae, valet intentio praedominans. — Si sint ambae aequales, minister nihil efficit; nam una aliam destruit. — Si sint subsequentes, valet posterior.— Quod si dubium remaneat, dubia erit Sacramenti validitas.

Q. An in ministro ad validam Sacramenti confectionem praeter intentionem requiratur etiam attentio?

R. Requiritur attentio externa, qua minister externos ritus humano modo persolvit; secus non haberetur Sacramentum: et est omnino improbabilis opinio Croix, qui requirit etiam attentionem internam praeter intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

§ 2. *De fide, et probitate ministri.*

Q. An ad validitatem Sacramenti requiratur in ministro fides?

R. Negative, ideoque valida sunt Sacramenta rite ab haereticis collata: imo hoc de fide est quoad Baptismum, ut definivit Tridentinum, sess. 7, c. 4, dicens: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris etc. non esse verum Baptisma, anathema sit;* et Conc. Flor. in decreto unionis: *In causa necessitatis non solum sacerdos... imo etiam paganus, et haereticus baptizare potest, dummodo formam Ecclesiae servet, et facere intendat quod facit Ecclesia.*

Nota 1ª. Intellige, quoad alia Sacramenta (si Poenitentiam excipias) non est expresse definitum.

Nota 2ª. Haeretici publici, et vitandi, Poenitentiam invalide administrant extra mortis articulum, defectu jurisdictionis.

Q. An ad validam Sacramentorum administrationem requiratur in ministro vitae probitas?

R. Negative, et est definitum de fide contra Donatistas, qui docuerunt Sacramenta a peccatoribus, saltem manifestis, collata irrita esse. Unde Tridentinum ait : *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem etc. non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Nota. Verba D. Ambrosii: *Non sanat baptisma perfidorum, non mundat, sed polluit*, intelligenda sunt non quia impius minister non conficiat Sacramentum ; sed quia susceptor de improbitate communicabili, v. g. excommunicatione etc., ministri participat; ideo Sacramentum frustratur effectu suo.

Q. Quid requiritur ad licitam Sacramenti confectionem?

R. Requiritur: 1° Ut minister ritus omnes, et caeremonias praescriptas servet, etsi non substantiales. 2° Ut sit in statu gratiae.

Q. An minister sibi conscius mortalis teneatur confiteri antequam Sacramenta conferat; an vero sufficiat conteri?

R. Si agatur de Eucharistia, certum est, et conficientem, et suscipientem teneri sub gravi ex Tridentino confessionem praemittere, et absolutionem curare. — Quoad alia Sacramenta duplex est sententia. Prima cum Concina affirmat; secunda cum Layman, Suarez, Billuart, et pluribus aliis probabilius negat; quia Tridentinum non imposuit, et verbum *convenit* satis declarat, confessionem esse tantum de majori convenientia. Hanc secundam amplectimur.

Q. Utrum ministrans in mortali Eucharistiam pluribus, tot mortalia admittat, quot sunt communicantes, an vero unum peccatum?

R. Quaestio est inter Theologos, alii cum Concina affirmant. — Sed alii cum Viva probabilius negant, quia una est actio moralis, et unum convivium. Secundam nos tenemus.

Q. An sit mortale functiones sacras in mortali exercere?

R. Alii affirmant cum S. Thoma. — Alii communius, et satis probabiliter negant cum Suarez; quia istae functiones non videntur exigere sub gravi exercentium sanctitatem. Huic secundae nos adhaeremus.

Nota 1ª. Hinc probabiliter non peccat mortaliter Subdiaconus ministrans solemniter in mortali : imo neque Diaconus. — Pariter neque Episcopus in mortali conficiens chrisma, vel oleum sanctum.—

Item communissime ac probabilius nec peccat mortaliter Episcopus, vel Sacerdos, qui in mortali dedicat templum, benedicit vestes, assistit matrimonio, vel conficit aquam lustralem etc.

Nota 2ª. Est omnino exaggerata, ideo falsa sententia Scavini dicentis cum Mazzotta, quod celebrans in mortali quatuor sacrilegia committat; idest: 1° Quia *conficit Sacramentum indigne.* 2° Quia *Sacramentum suscipit indigne.* 3° Quia *ministrat indigno.* 4° Quia *Eucharistiam ministrat indigne.*

Nos dicimus quod duo sacrilegia committat; quia *ministrare indigno*, et *ministrare indigne* in sacerdote sunt unus moraliter actus cum susceptione ipsius Sacramenti; quia est proprium muneris sacerdotalis celebrantis communicare ex se: unde non potest celebrare, ac per consequens consummare species panis, et vini nisi tangat, et communicet: quare isti actus materiales in sacerdote concurrunt necessario ad efformandum actum moralem pravum, qui est sumptio Eucharistiae in peccato. Quare sicut per modum unius se habent sumptiones Corporis, et Sanguinis Christi, pariter et particularum, quas sacerdos sumit post Communionem, si debeat illas consummare, ita isti actus in sacerdote per modum unius se habent.

Nota 3ª. Qui tangit immediate Eucharistiam in mortali peccat graviter, quia gravem committit irreverentiam; non vero qui tangit mediate, puta in ostensorio. Ita Billuart.

§ 3. *De obligatione ministrandi Sacramenta, et de eorum ab indigno susceptione.*

Curam animarum habentes tenentur sub gravi ex justitia Sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter petentibus. Curam enim animarum suscipiendo ad id sese obligaverunt tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt.

Tenentur igitur, si urget commune praeceptum illa suscipiendi, vel si privata petentis necessitas, vel utilitas administrationem exigit, v. g. Si petens praevideat aliquod periculum, vel in tentatione versetur, et gratia Sacramenti indigeat, vel si devotionem statui suo convenientem exercere, aut indulgentiam lucrari velit etc. Scavini.

Alii curam animarum non habentes non tenentur ministrare Sacramenta ex justitia; aliquando tamen tenentur ex charitate, scilicet in gravi proximi necessitate. S. Lig. n. 58.

Q. Quinam censeantur animarum curam habere?

R. Ii omnes, qui ex officio, seu titulo speciali jurisdictionis spiritualis aut delegationis aliquam partem ovilis Christi pascere seu curare debent. Tales igitur sunt Episcopi, Parochi, et quicumque curam subsidiariam animarum habent ex commissione seu munere publico, ut sunt Coadjutores seu Vicarii Parochorum. Item respectu Regularium Praelati seu Superiores proprii. S. Lig. n. 58.

Q. Quaenam Sacramenta in necessitate ministranda sint, etiam cum periculo mortis, sive ab habentibus curam animarum, sive ab aliis?

R. 1° Qui curam animarum non gerunt, certo tenentur tantum ad ministranda Sacramenta absolute necessaria ad salutem, Baptismum scilicet, et Poenitentiam, vel Extremam Unctionem, quando quis nullo modo confiteri queat. Ratio est, quia non tenentur nisi ex sola charitate ad subveniendum proximo in gravissimo salutis periculo. Sola autem praefata Sacramenta sunt ad salutem necessaria. Ergo etc. Ita communissime Theologi cum S. Lig. n. 58, et lib. 2, n. 27. — Tenentur cum periculo vitae in extrema necessitate alicujus; in gravi autem necessitate alicujus tenentur tantum cum incommodo levi. In gravi necessitate communitatis tenentur etiam cum periculo vitae. Ita Scavini et alii.

Etiam laici, ubi agitur de baptismo alicujus, tenentur ministrare cum periculo vitae ex praecepto charitatis.

R. 2° Qui gerunt curam animarum tenentur vitam exponere non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate privati ad praefata Sacramenta ministranda, et etiam Viaticum. Ratio est, quia alia Sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut quis ad illa conferenda cum gravi vitae discrimine teneatur. Ita S. Lig. de Euch. n. 233. Idem dicendum est de iis, quibus specialiter id oneris impositum est. Alia vide in obligationibus Parochorum pag. 133.

Q. An teneatur quis exponere vitam ad ministranda praefata Sacramenta cum probabilitate tantum successus, vel necessitatis?

R. Negative. Quia nimis durum est exigere actum adeo heroicum ad proximum adjuvandum, nisi spes adsit moraliter certa sive successus, sive necessitatis. Hinc non teneris exponere certo vitam ad aliquem baptizandum, vel absolvendum, si probabiliter perire debes, antequam id adimplere possis, vel probabiliter praesumas, illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis perfectae. Ita S. Lig. lib. 2, n. 27.

Colliges. Peccant graviter, generatim loquendo, curam gerentes animarum, qui subditorum confessiones excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis; quia in causa sunt cur fideles in statu peccati diu remaneant, et a Sacramentis suscipiendis arceantur.

Q. An aliquando liceat ministro simulare, vel dissimulare Sacramentorum confectionem?

Nota. Simulatio est *positio alicujus signi exprimentis aliquid contra illud, quod habetur in mente.* — Dissimulatio est *omissio signi, ut inde aliquid significetur menti contrarium.* Tam simulatio, quam dissimulatio duplex est: *formalis* si directe deceptio alterius intendatur, et haec illicita semper; *materialis*, si nempe deceptio alterius solum permittatur: de materiali nunc quaeritur.

R. 1° Nunquam licet simulare Sacramentorum administrationem (item dic de susceptione); quia esset mendacium in re gravissima, et gravis Dei illusio: et contrarium est damnatum ab Innocentio XI.

R. 2° Dissimulatio, secluso scandalo, et contemptu, est licita cum causa; non enim fit injuria Sacramento, nec mendacium committitur.

Q. An liceat Sacramenta petere, aut suscipere ab indigno?

R. 1° A ministro indigno ob peccatum mortale, nisi gravis adsit causa, nefas est petere, aut recipere Sacramenta, praecipue ob charitatem erga ipsum.

R. 2° A ministro indigno vitando non licet ob gravem Ecclesiae prohibitionem. Excipe casum gravissimi momenti: ita certe licet petere Baptismum, et Poenitentiam, cum sint tantae necessitatis: item docent de Extrema Unctione, si infirmus aliter juvare non possit; de Ordine, si communitas egeat sacerdotibus; de Matrimonio, si fama contracturi, vel prolis bonum postulet.

R. 3° Licet juxta veriorem sententiam Sacramenta accipere, et petere a ministro indigno non vitando. Ratio est, quia quando excommunicatus toleratus rogatus communicat Sacramenta ministrando, nec ipse tunc peccat (si jam aliunde non existat in mortali); nam si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus a Concilio.

—

CAPUT III.

De subjecto, et effectibus Sacramentorum

—

ARTICULUS I.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Q. Quid requiritur in subjecto, ut valide Sacramenta suscipiat?

R. 1° In infantibus et amentibus a nativitate ad valide suscipiendum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem, nulla requiritur dispositio.

R. 2° In adultis requiritur intentio. Hinc S. Thomas de suscipiente Baptismum ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum esset rebaptizandus.* Excipe tamen Eucharistiam, quae cum jam Sacramentum sit, a suscipientis voluntate non pendet.

Q. Quaenam intentio requiritur in adultis?

R. Ad Poenitentiam et Matrimonium suscipiendum requiritur intentio virtualis. — Si tamen agatur de moribundo sensibus destituto, sub conditione absolvendus est; etsi nulla colligi possit intentio.

In caeteris Sacramentis sufficit intentio habitualis, in his enim ad valorem non requiritur, ut suscipiens humano modo agat; sed sufficit ut sit subjectum capax, prout revera est, si jam prius habuerit, nec retractaverit intentionem Sacramentum suscipiendi. Id tenet universalis Ecclesiae praxis; id expresse docet Benedictus XIV. instructione *Postremo*, 28 feb. 1747.

Q. Quid de intentione generali seu interpretativa, quae nempe non fuit quidem habita; sed habenda praesumitur in subjecto, si non esset incapax suae rationis?

R. Ea intentio certe sufficit in Extrema Unctione, in Confirmatione et in Eucharistia, ut docent plurimi cum Suarez, Croix, Concina et aliis. Sed certe non sufficit sola voluntas interpretativa in Poenitentia, in qua requiruntur actus poenitentis; neque verius in Matrimonio. Item neque in Baptismo et Ordine, quia sine voluntate ipsius nemini adultorum imponi debet obligatio perpetua legum Ecclesiae atque status clericalis.

Q. An ad validitatem Sacramentorum praeter intentionem in suscipiente requiratur etiam attentio, itemque fides et probitas?

R. Attentio non requiritur; quia actus humanus non procedit ab attentione, sed a voluntate, sive intentione. — Item neque requiritur fides aut probitas: *Hoc*, ait August. (de Baptiz., c. 14), *interest ad salutis viam, sed non ad Sacramenti quaestionem*. Excipe Poenitentiam; quia ad hoc Sacramentum valide suscipiendum requiritur cordis contritio, quae sine fide concipi nequit.

Q. Quaenam sunt conditiones in subjecto, ut non solum valide, sed etiam licite et utiliter Sacramenta suscipere possit?

R. 1° In infantibus et perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio.

R. 2° In adultis ad recipienda Sacramenta mortuorum requiritur dispositio fidei, spei et doloris de peccatis. Intellige quoad baptizatum de actualibus, si quae habeat; non autem de peccato originali, quia facti alieni neminem poenitet. — Ad utiliter suscipienda Sacramenta vivorum requiritur status in gratia praeexistens.

Q. An aliquando licitum sit in mortali suscipere Sacramenta vivorum, si casus extemplo contingat, ut si v. g. jamjam sit hostia ab haeretico profananda?

R. Alii negant. — Sed communius affirmant cum Croix et Lugo; quia isti intenderent non sumere Eucharistiam uti Sacramentum, sed ut illam abscondant in corpore suo. Ii tamen susciperent Sacramentum sine fructu.

Q. An Sacramenta sint indignis deneganda?

R. Affirmative sub gravi, si occulte petant; excipe, si indignitas ex confessione nota sit ob inviolabile sigillum.

Q. Quid si indignus Sacramenta publice petat?

R. Vel publice petentis indignitas publica est jure, facto, aut fama; vel est occulta. Si primum, docent communiter cum S. Thoma Sacramenta esse illi deneganda, et tenere praeceptum illud: *Nolite Sanctum dare canibus*. Excipe Poenitentiam, quae poenitenti sincere poenitenti non est deneganda, nisi sit specialiter prohibita; v. g. ob censuras reservatas, vel quia debet prius satisfacere, aut cautionem satisfaciendi praebere, etc. — Si secundum, non possunt indignis Sacramenta denegari, quia peccator occultus habet jus, ne publice infametur.

Nota. Excipe Ordinem; repelli enim debet etiam cum illius infamia, si aliter non possit, ob publicum bonum; quamvis delictum iuridice probari nequeat. Ita S. Congr. Concil. respondit ad Episcopum Vercellensem, 22 martii 1643.

Excipe etiam matrimonium, cui Parochus assistere prohibetur, si vel impedimentum aliquod agnoscat (extra confessionem tamen), vel sciat sponsos rudimenta fidei ignorare.

Q. An possint Sacramenta dari publice indignis, si alioquin minitentur mortem, vel alia damna gravissima?

R. Affirmat Croix, dari posse Sacramenta publice indignis, si ea non petantur in odium Fidei, vel in contemptum Religionis, et absit scandalum; quia licite permittitur alterius peccatum ad propriam tuendam vitam. Sed nos tenemus oppositum cum Concina; nam esset directe cooperari sacrilegio, quod in nulla causa licet. Ita Scavini.

Q. « *Se possa amministrarsi la santissima Comunione ai notoria-* « *mente censurati senza essersi prima debitamente riconciliati colla* « *Chiesa? Ovvero, se venisse a morte alcuno dei menzionati incorsi no-* « *toriamente nelle censure, e secondo i sacri canoni e le regole asse-* « *gnate in proposito dai dottori dovesse assolutamente privarsi della* « *sepoltura ecclesiastica; ed altronde con gravi minaccie si chiedes-* « *sero pertinacemente le esequie e la stessa sepoltura ecclesiastica,* « *come dovrà agire in tale circostanza il Parroco?* »

R. Sac. Poenitentiaria 10 decem. 1860 respondit: Ad 1um negative. — Ad 2um curandum, ut cuncta ad normam sacrorum Canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, Parochus neque per se, neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat.

Q. Quid, si Sacramentum petentis indignitas nota sit plerisque ex praesentibus, non tamen omnibus?

R. Si delictum sit foris absolute publicum, vel fama, vel jure, vel facto, tunc denegari debet etsi non omnibus, imo etsi nemini sit notum ex iis, in quorum praesentia Sacramentum petitur. Nam per illam publicam notitiam petens jus amisit petendi in foro Ecclesiae. — Si vero delictum sit tantum publicum respective, distinguendum: vel est notum omnibus praesentibus, vel aliquibus tantum. Si primum, adhuc denegandum, quia sine scandalo potest denegari. — Si secundum, probabilius cum Suarez non est denegandum; quia petens adhuc possidet famam respectu ad illos, qui ejus crimen ignorant.

Q. Quomodo se gerere debet vocatus ad alicui assistendum in extremo constituto, qui publice fecerit contra sanctissimas Ecclesiae leges, v. g. ejus jura et bona pessumdando, usurpando, etc.?

R. Vel est sui compos infirmus, vel non. Si primum, non solum debet poenitere, sed etiam coram omnibus (nisi res sit oblivione deletā) debet reprobare et retractare etiam per scripturam, si opus sit, id quod fecit, vel dixit contra Ecclesiam. — Si secundum, et mortis periculum instet, poterit ei utique absolutio dari sub conditione, et etiam Extrema Unctio, non tamen Viaticum; quia non datur deliris.

Nota. Hac ipsa ratione difficilius solet publicis peccatoribus denegari ecclesiastica sepultura; etsi sine Sacramentis decesserint, si in illo extremo positi credi possit, eos poenituisse.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

Q. Quotuplex sit effectus Sacramentorum?

R. Duplex, nempe *gratia*, quae ab omnibus producitur, et *character*, qui a Baptismo, Confirmatione et Ordine tantum producitur.

Q. Qualem gratiam conferunt Sacramenta?

R. De fide est, Sacramenta novae Legis continere gratiam, quam significant, eamque conferre omnibus non ponentibus obicem, et duplicem esse, nempe gratiam *communem* omnibus Sacramentis, et gratiam *specialem* unicuique Sacramento, quae ideo *sacramentalis* dicitur.

Q. Quid est gratia illa communis?

R. Est *gratia sanctificans, vel prima, quam conferunt Sacramenta mortuorum, utpote instituta ad mortuos justificandos; vel secunda, quam conferunt Sacramenta vivorum, utpote instituta ad augmentum gratiae.*

Q. Quid est gratia sacramentalis?

R. Definiri potest: *Gratia habitualis, adnexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cujusque Sacramenti.*

Nota 1ª. Sacramenta igitur novae Legis gratiam producunt tum habitualem, scilicet primam, vel secundam; tum gratiam sacramentalem.

Nota 2ª. Producunt gratiam habitualem, non vero actualem; ut patet in parvulis, qui incapaces sunt ad actus eliciendos: et tamen gratiam recipiunt per ea Sacramenta, quorum sunt capaces. — Gra-

tiam sacramentalem non statim producunt, sed tantum successive et opportuno tempore, cum nempe occurrunt occasiones spectantes finem Sacramenti suscepti, licet statim cum Sacramento recepto acquiratur jus ad illas gratias suo tempore et loco accipiendas.

Nota 3ª. Sacramenta vivorum per accidens primam gratiam conferre possunt; ut si quis putans bona fide, se esse in gratia, non sit, et ea suscipiat.

Nota 4ª. Gratia sacramentalis non differt natura ab habituali. Addit tamen gratia sacramentalis gratiae habituali aliquid intrinsecum.

Q. Utrum Sacramenta conferant semper aequalem gratiam?

R. Conferunt majorem, vel minorem pro majori, vel minori suscipientis dispositione; quia Sacramenta sunt causa necessaria, sed causae necessariae plus, vel minus operantur in subjecto secundum majorem, vel minorem ejus dispositionem. Unde Tridentinum docet, baptismo insignitos *percipere gratiam secundum propriam cujusque dispositionem*, sess. 6, c. 7.

Nota. Attamen character, remissio peccatorum et condonatio poenae in omnibus qui rite dispositi baptizantur, sunt aequales, cum consistant in indivisibili et sint de necessitate ad perfectam hominis regenerationem in vitam spiritualem.

Q. An Sacramenta mortuorum possint conferre secundam gratiam?

R. Affirmative. Hoc in duplici casu fieri potest: 1° Quando sola venialia clavibus subjiciuntur. 2° Quando poenitens reus peccati mortalis accedit ad Poenitentiae Sacramentum cum contritione perfecta; quia contritio perfecta cum voto Sacramenti etiam ante ejusdem susceptionem hominem justificat; tunc ergo Sacramentum non primam, sed secundam tantum gratiam confert.

Q. An requiratur, vel sufficiat attritio, ut Sacramenta vivorum primam gratiam conferant?

R. Affirmative ad utrumque: 1° Quidem requiritur; quia prima gratia infundi nequeat, nisi per destructionem peccati mortalis; quae destructio sine ejusdem detestatione, nempe sine contritione, vel saltem attritione fieri nequit. 2° Sufficit; quia ex dictis Sacramenta vivorum possunt aliquando primam gratiam conferre: hoc autem fieri non potest, si attritio non sufficeret, si quidem peccator ad Sacramentum per contritionem perfectam justificatus semper accederet. Ita S. Lig., n. 6 etc.

Q. Utrum Sacramenta novae Legis conferant gratiam ex opere operato, vel tantum ex opere operantis?

R. Producunt ex opere operato iis, qui nullum obicem opponunt. Ita definivit Concil. Trid., sess. 7, can. 8: *Si quis dixerit per illa novae Legis Sacramenta ex opere operato, non conferre gratiam, anathema sit.*

Q. Utrum Sacramenta novae Legis conferant gratiam physice, aut moraliter tantum?

R. Duplex est sententia. Scotistae cum aliis Theologis et Charmes docent, conferre gratiam moraliter tantum; quatenus efficaciter et immediate Deum moveant ad gratiam physice producendam; quia Sacramenta non attingunt physice animam, in quam agunt; neque mediate eam attingunt per virtutem a se emanantem, quae ne fingi quidem potest. — Suarez cum Thomistis tenet, illam causare physice instrumentaliter; ita ut causae illae naturales per potentiam obedientialem eleventur ad effectum supernaturalem; quia ex Conc. Tridentino Sacramenta continent gratiam, quam conferunt; si igitur tantum Deum moverent ad dandam gratiam, non dicerentur ipsa illam continere. Ergo censetur Tridentinum ipsis tribuere causalitatem physicam. Insuper ex sententia adversariorum sequeretur, quod sacerdos dicendo: *Absolvo te*, gratiam conferret tantum moraliter; et sic non vere absolveret. Utraque sententia est satis probabilis; secunda tamen magis decere videtur Sacramentis.

Q. An Sacramenta valide, sed illicite suscepta, remoto obice, reviviscant, seu gratias sibi proprias producant?

R. Affirmative pro Sacramentis characterem imprimentibus, et uti certum admittitur: quia per accidens tantum fit, ut effectus proprios non producant; ideo remanent suspensi illi effectus; remoto igitur obice, animae applicari debent. — Idem probabiliter dicendum est etiam de Sacramento Poenitentiae, ut inter alios docet Gury. — Potiori autem ratione dicendum est etiam de Sacramento Extremae Unctionis et Matrimonii, quae, durante eodem morbo, aut eodem conjugio, iterari nequeunt. Ita S. Lig., n. 6, 87.

Q. Qualis dispositio requiratur in subjecto, ut Sacramentum informe reviviscat?

R. Statuitur communiter haec regula generalis: nempe debet praecise poni id, quod necessario in susceptione Sacramenti requirebatur. Unde per se sufficit attritio pro reviviscentia Baptismi et Extremae Unctionis. Idem dicendum de Sacramento Poenitentiae, si

contingat validum fuisse, sed ob defectum doloris de quopiam peccato simul exstitisse informe. Ita Lugo l. c., et Ballerini apud Gury.

Requiritur autem contritio perfecta, vel attritio cum confessione pro caeteris Sacramentis, scilicet pro Confirmatione, Ordine et Matrimonio. — Item si informis fuerit Baptismus ob solum fidei defectum, reviviscit per actum fidei cum attritione peccati infidelitatis; quia obex ille tollitur per positionem dispositionis requisitae. Ita S. Thomas, n. 3, p. q. 69, ar. 10 (pro Bapt.); Lugo D. q., n. 50; Lacroix, n. 270; Gury etc.

Q. An sufficiat attritio, ut Baptismus informis reviviscat, si suscipiens alia peccata gravia commiserit?

R. Negative; quia peccata commissa post Baptismum sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae.

Q. Quomodo Sacramenta veteris Legis conferebant gratiam?

R. Ex opere operantis tantum: nam ab Apost. ad Galat. c. 4, dicuntur *infirma, et egena elementa.*

Nota. Abraham circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam, ait S. Justinus, Dialog. cum Thryfone; et D. Thomas n. 3, p. q. 70, ar. 4 ait: *Non ex virtute circumcisionis delebatur peccatum originale; sed ex virtute fidei passionis Christi.*

Q. Quid sit character?

R. Signum spirituale, indelebile, impressum animae, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur.

Q. In quo consistit essentia characteris?

R. D. Thomas n. 3, p. q. 63, ar. 2, 5 docet: *Illum esse certam animae modificationem, seu qualitatem, aut potentiam spiritualem, quae remanet etiam in altera vita, in beatis ad gloriam, in damnatis ad ignominiam.* — Unde non consistit in *initerabilitate*, quia est effectus; neque *in mera extrinseca denominatione*, quia ex Tridentino imprimitur in anima.

Nota 1ª. Est de fide ex Tridentino, characterem in hac vita indelebilem esse; non tamen de fide est, ipsum neque deleri in altera vita; licet hanc indelebilitatem doceamus etiam in altera vita permansuram.

Nota 2ª. In Christo nullus est character; quia character dicit potestatem participatam: insuper proprie convenit subjectis, servis, militibus; at Christus est Rex, Caput, omnium Dominus: ergo etc.

—

CAPUT IV.

De caeremoniis Sacramentorum, et de sacramentalibus.

—

ARTICULUS I.

DE CAEREMONIIS SACRAMENTORUM.

Q. Quid sunt caeremoniae Sacramentorum?

R. Sunt *ritus illi*, *qui ex Ecclesiae institutione solent in Sacramentorum celebratione adhiberi.*

Caeremoniae aliae dicuntur *integrales*, quae Sacramenti actionem complent, ut exorcismi in Baptismate, vestes in celebratione Missae, etc. — Aliae *accidentales*, quae ad rei ornamentum, et decorem pertinent, ut genuflexiones, inclinatio capitis, elevatio manuum, etc.

Nota. Caeremoniae proprie loquendo discrepant a ritibus, quamquam promiscue usurpentur: caeremonia enim est ipsa actio, ritus est modus, quo ea actio fit.

Q. Utrum ritus sacramentales sint utiles?

R. Affirmative. Nam valent ad majestatem, et reverentiam mysteriis nostrae Religionis conciliandam, ad pietatem fidelium promovendam, etc.

Q. Utrum liceat in Sacramentorum administratione, ritus ab Ecclesia usitatos, et approbatos mutare, vel omittere?

R. Peccat *pro materiae gravitate* minister, qui caeremonias vel mutat, vel negligit, vel aspernatur; quia non curat Ecclesiae praecepta gravibus de causis imposita.

Diximus *pro materiae gravitate;* quia graviter peccat, si non curet caeremonias integrales, quae graviter praecipiuntur; vel accidentales in magna quantitate, aut cum scandalo gravi, aut cum contemptu.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTALIBUS.

Q. Quid sunt sacramentalia?

R. Sunt *quaedam caeremoniae ab Ecclesia institutae, et consecratae ad quosdam effectus spirituales producendos.*

Q. Quot sunt Sacramentalia?

R. Sex numerantur versu sequenti comprehensa:

Orans, *tinctus*, *edens*, *confessus*, *dans*, *benedicens*.

Orans, indicat Orationem Dominicam, et caeteras Ecclesiae preces, praesertim publicas. — *Tinctus*, aspersionem aquae lustralis, et sacras in diversis consecrationibus unctiones. — *Edens*, manducationem esculentorum, quae a sacerdote benedicuntur. — *Confessus*, confessionem, quae a Diacono fit populi nomine Feria 5 in Coena Domini; item illam, quae fieri solet in Missa, et Officio. — *Dans*, eleemosynam praesertim, et quidquid ex praecepto virtutis, et Ecclesiae tribuitur. — *Benedicens*, benedictionem Episcopi, Abbatis, Sacerdotis, Candelarum, Cinerum, Palmarum etc.

Q. Quinam sunt sacramentalium effectus?

R. Est remissio peccatorum venialium, et interdum excitatio gratiae actualis, remissio poenae temporalis debitae peccatis quoad culpam remissis, compressio daemonis, operatio sanitatis, etc...

Nota. Remittunt peccata venialia, et gratiam sanctificantem augent non ex opere operato, sed ex opere operantis.

Diximus *interdum;* quia hos effectus non producunt infallibiliter, cum Christus non promiserit illos ad praesentiam sacramentalium operari.

TRACTATUS QUINTUS DECIMUS

DE BAPTISMO

CAPUT I.

ARTICULUS UNICUS

DE NATURA, MATERIA, ET FORMA BAPTISMI.

Q. Quid est baptismus?

R. Definitur: *Sacramentum a Christo institutum, ad spiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factam in aqua, sub praescripta verborum forma.*

Nota. Baptismi nomen generice significat *immersionem* et *ablutionem*.

Q. Quotuplex est baptismus?

R. Triplex, nempe baptismus *sanguinis*, estque martyrium.— Baptismus *flaminis*, estque votum, seu desiderium recipiendi Sacramentum Baptismi. — Et baptismus *aquae*, ut jam definivimus.

Q. Quandonam institutum fuerit Sacramentum Baptismi?

R. Probabilius institutum fuit ante Passionem; nam Joan. c. 3: *Venit Jesus... et baptizabat*, nimirum per Apostolos, ut dicitur c. 4: *Quamquam Jesus non baptizaret.*

Q. An baptismus sit verum Sacramentum?

R. Affirmative, et est de fide a Tridentino, et Florentino definitum.

Q. Quaenam sit materia remota baptismi?

R. Est omnis aqua naturalis, et proprie dicta; Joan. cap. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc...*

Q. Quaenam sit materia proxima baptismi?

R. Est exterior corporis ablutio, per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem.

Nota. Aqua potest esse resoluta de glacie, vel grandine; valida

etiam est aqua defluens tempore nimboso a pariete, vel arborum foliis, aut collecta ex densatis vaporibus.— Idem dicendum de rore, de aqua venenata, turbida, vel mixta cum alia re; modo aqua sit adhuc praedominans.

Q. Quaenam est materia dubia?

R. 1° Est jusculum valde tenue, lixivium, theum, coffea, aqua soluta ex sale, cervisia, atque atramentum, quamvis sit tenue. Ita communiter. 2° Humor fluens e vite, aliisque plantis, arte alchymica eductus.

Diximus *arte alchymica;* nam aqua naturalis simpliciter distillata a rosis, aut aliis floribus in aqua infusis, est vera aqua naturalis.

Q. Quid de saliva, sudore, et lacrymis?

R. Saliva est materia omnino inepta, ut declaravit Innocentius III (C. penul. de baptis.). — Sudor, et lacrymae sunt pariter materia inepta; non sunt enim vera aqua.

Nota. Haec omnia notata ad validitatem spectant. Nam ad liceitatem quod spectat extra necessitatem (in baptismo saltem solemni) sub mortali est adhibenda aqua munda, et pro baptismo specialiter consecrata, tum ex praecepto Ecclesiae, tum pro reverentia Sacramenti.

Q. Quot modis fieri potest ablutio?

R. Tripliciter: 1° Per immersionem. 2° Per aspersionem. 3° Per infusionem, vel potius effusionem; et est ablutio hodie in usu in Ecclesia Latina.

Q. Quae corporis pars est abluenda ad validum baptisma?

R. Caput, ut omnes docent. Imo communissime docent, valere etiam si contingat in scapulis, humeris, pectore, vel parte alia principali. Ast merito docet Angelicus, quod si caput non abluatur, baptismus sit postea iterandus sub conditione: quod multo magis fieri debet, si baptismus datus sit in digito, in pede, vel alia parte minima corporis.

Nota. Non valet ablutio vestis.— Quoad capillos tantum alii negant cum Concina: alii probabiliter affirmant. Sed nos dicimus, si adsit necessitas debet baptizari sub conditione; et postea si detur locus, iterandus est baptismus sub conditione.

Q. An puer possit valide baptizari in utero matris?

R. Si puer nullo modo attingatur aqua aliquo mediante instrumento, non potest baptizari. — Si attingatur puer in utero aqua aliquo mediante instrumento, controvertitur inter Theologos: alii

negant, quia nemo potest dici renatus, nisi prius natus sit. — Alii satis probabiliter affirmant, quia talis homo jam existit viator. Nos vero cum Benedicto XIV putamus, in casu necessitatis talem puerum esse baptizandum sub conditione. Item baptizetur sub conditione, urgente necessitate, si puer caput tantum, vel aliqua pars corporis emiserit. Sed postea, si vivat, est rebaptizandus sub forma : *Si non es baptizatus, ego te baptizo.*

Q. An una, vel altera gutta aquae ad baptizandum sufficiat?

R. Negative, si non fluat, quia nequit dici ablutio. Ita communiter. — Attamen in casu necessitatis foret adhibenda. Ita S. Lig. n. 107, q. 6.

Q. An trina ablutio ad baptismum requiratur?

R. Non requiritur ad validitatem, unica enim sufficit. Requiritur autem ad liceitatem, et quidem sub gravi. Haec tamen de baptismo solemni intelligenda videntur.

Q. Quaenam sit forma baptismi?

R. Apud Latinos haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris etc.* — Apud Graecos: *Baptizatur* (a me) *servus*, vel *serva Dei N.*, *in nomine Patris etc.*

Q. Quaenam voces in forma baptismi necessario sunt pronuntiandae, ut valeat Sacramentum?

R. 1° Pronuntiari debent voces *te baptizo*, quibus exprimuntur actio ministri, et persona baptizanda.

R. 2° Pronuntiari debet verbum *in nomine*, quo unitas naturae exprimitur: unde qui diceret *in nominibus*, tolleret sensum formae a Christo determinatae.

R. 3° Pronuntiari debent hae voces *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quibus exprimitur distincta invocatio trium Sanctissimae Trinitatis Personarum; quia Christus ea designavit. — Unde qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Sanctissimae Trinitatis*, non valide baptizaret saltem probabilius; quia non sat distincte exprimuntur singulae Personae Sanctae Trinitatis. Ita communiter. — Pariter invalide baptizaret qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Christi.* Ita omnes cum D. Thoma.

Q. An valeat baptismus, si formae consuetae addatur *et in nomine Beatae M. Virginis?*

R. Non valet si quis hoc faciens intendat baptismum conferre in nomine Beatae Mariae Virginis, tribuendo scilicet talibus nominibus efficaciam in baptismi valorem. — Secus vero, si id faciat ex importuna devotione. Ita S. Lig. n. 3.

CAPUT II.

De necessitate, ministro, et subjecto Baptismi.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

Q. Utrum baptismus sit necessarius ad salutem?

R. Extra casum martyrii omnibus, tam infantibus, tam adultis, est necessarius necessitate medii in re, vel in voto: est de fide contra Manichaeos, Pelagianos, Wiclephitas, Valdenses, Socinianos etc.; ex Joan. enim cap. 3 habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Conc. Trident. definit: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Nota. Baptismus autem adultis est insuper necessarius necessitate praecepti; quia quod est necessitate medii ad salutem, tanto magis debet esse necessarium necessitate praecepti in persona capaci.

Q. An baptismus flaminis seu desiderii suppleat vices baptismi aquae, et utrum pariter dicendum sit de martyrio?

R. Ad 1um. Supplet ex opere operantis, seu elicientis actum perfectae charitatis cum desiderio baptismi suscipiendi; dicente Tridentino: *Nunquam fieri translationem a statu veteris Adae ad statum gratiae sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.*

R. Ad 2um. Martyrium vices supplet baptismi etiam in infantibus ex opere operato, dicente Christo, Matth. c. 10: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* et D. Aug. lib. 13, de Civ. Dei, cap. 7: *Quicumque pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis;* et D. Thomas in 4 dist., art. 3, ad n. 1 dicit: *Martyrium non habet liberationem a culpa et poena, tantum ex opere operante; sed hoc habet ex imitatione passionis Christi.*

ARTICULUS II.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Q. Quisnam est baptismi minister quoad validam administrationem?

Nota. De fide est contra Calvinum, quemlibet, sive sit vir, sive foemina, sive christianus, sive non, sive in necessitate, sive

extra, valide baptismum conferre; ad illius enim administrationem non requiritur actus ordinis.

Triplex distinguitur administratio baptismi; nempe *Solemnis*, et est ea, quae fieri consuevit in solemnitatibus Paschae, et Pentecostes. — *Publica*, quae passim fit suis ritibus ac caeremoniis. — *Privata*, quae fit in necessitatis casu, caeremoniis omissis.

Item triplex distingui solet baptismi minister: Unus *ordinarius*, qui nempe jure ordinario, vel solemniter, vel publice baptizat. — Alter *extraordinarius*, qui publice quidem baptizat, sed ex delegatione. — Tertius *necessitatis*, qui in necessitatis casu privatim, caeremoniis omissis, baptizat.

R. Minister ordinarius baptismi solemnis est Episcopus. Baptismi autem publici minister ordinarius jure divino est non solum Episcopus; sed etiam Sacerdos, licet subordinatus: constat tum ex Decreto Eugenii IV ad Armenos; tum ex Catechismo Romano. Diximus *jure divino;* nam jure ecclesiastico minister ordinarius est parochus, vel alius sacerdos de licentia parochi, vel Ordinarii. — Minister legitimus, et extraordinarius baptismi publici vi ordinationis est diaconus; sed jure Ecclesiae tantum de commissione, vel licentia Episcopi, aut parochi: quae quidem est tribuenda tantum in necessitate. Graviter peccaret diaconus, si publice baptizaret, licet parochus adsit, a quo petatur facultas, et non urgeat casus; quia parochus absque rationabili et urgente causa licentiam dare non potest. — Minister necessitatis quoad baptismum privatum est quilibet homo, vel mulier etc.

Nota 1ª. Ex Jure Canonico prohibentur pater, et mater propriam prolem baptizare, si alii adsint. Item si adsit sacerdos, sed excommunicatus, in veriori sententia postponendus est personae saeculari; cum uti putidum membrum habeatur.

Nota 2ª. Juxta veriorem, et communem sententiam laicus peccat graviter, si baptizet, praesente sacerdote, etiam in necessitate sine legitima causa. — Si vero peccet graviter, praesente diacono, controvertitur; sed licet utraque sententia sit probabilis, tamen negativa videtur praeferenda; quia diaconus baptizans in casu necessitatis sine commissione non baptizat ex officio, sed eodem modo, ac clericus inferior, vel laicus.

Nota 3ª. Qui non est ordinarius minister, et publice tamen baptizat, peccat graviter. Imo Clerici ex jure fiunt irregulares: et communissime etiam diaconi fiunt irregulares, non interveniente de-

legatione. Hanc tamen poenam communius, et probabilius non incurrunt laici; quia textus loquitur de Clericis tantummodo.

Nota 4ª. Possunt Religiosi baptizare in casu necessitatis vel de parochi, et proprii Superioris licentia, cum nulla lege hoc prohibeatur. Ita S. Lig. n. 115.

Nota 5ª. Peregrini, vel vagi, possunt baptizari in qualibet ecclesia, quam elegerint. Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda, nisi forte pagus proprius parum inde distet. Ita S. Lig. n. 144.

Q. Quandonam, et quo loco baptismus debet ministrari?

R. 1° Infantibus quo citius fieri potest; et graviter peccat qui per multum temporis spatium differt. Qualis autem reputetur dilatio gravis, dicunt communius, et probabilius eandem non esse talem, nisi 10, vel 11 dies excedat. — Adultis autem baptismus bene differri potest, ut sic plenius instruantur.

R. 2° In ecclesia, et quidem parochiali, vel in alia ubi jus fontis est, generatim loquendo debet baptismus administrari: et peccaret mortaliter, qui sine necessitate contrarium faceret. Excipe, si adsit periculum infamiae in parentibus, aut alterius damni gravis; vel si infans sit filius regis, vel principis, aut ab ipsis descendens, qui etiam potest domi baptizari solemniter.

Baptismus sine rationabili causa ab Episcopo approbanda solemniter conferri non potest in sacristia. Ita S. C. R. die 16 mar. 1861.

Q. Quoties baptismus potest eidem ministrari?

R. Una vice tantum, quia iterari non potest; cum imprimat characterem, qui est indelebilis; et principaliter detur contra originale peccatum.

Q. Quomodo se gerere debet minister cum infantibus expositis?

R. Si expositi sint sine ulla schedula testante de baptismo collato, consentiunt omnes eos baptizandos esse sub conditione. Imo licet schedulam habeant, sententia verior et communior adhuc tenet baptizandos esse sub conditione. Ita Benedictus XIV, qui affert (*Notificazione* XIV) Concilium Mediolanense III, ac declarationem S. Congregationis.

Q. Quid de pueris, quos constet baptizatos fuisse ab haereticis?

R. De fide est valere baptismum collatum ab haereticis, si omnia requisita ad Sacramenti naturam adhibeantur. Verum merito dicunt praestantiores Theologi, baptizatos ab haereticis esse rebaptizandos saltem sub conditione; quia constat facile nunc ab haereticis violari vel materiam, vel formam.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Q. Quodnam est baptismi subjectum?

R. Quisquis est capax, et idoneus ad illum recipiendum: talis est omnis, et solus homo vivus ab Adamo descendens, et nondum baptizatus, sive adultus, sive infans.

Nota. De fide est recte baptizari parvulos, licet actum credendi non habeant; quia Tridentinum ait: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod credendi actum non habeant, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma etc., anathema sit.*

Q. An infantes monstruosi sint baptizandi?

R. Si referant formam plane bestialem, non sunt capaces baptismi. Quod si in capite saltem, et pectore hominis formam habeant, baptizandi erunt. Si vero caput tantum sit ferinum, differendum erit baptisma, donec certius res cognoscatur consulendo Episcopum. Quod si adsit periculum mortis, erit conferendum sub conditione: *Si es capax ego te baptizo.*

Nota. Hoc totum intelligitur de monstris a mulieribus editis, non a bestiis, licet aliquid habeant humani. Ita Scavini cum aliis.

Q. Quid si infans membra hominis habeat geminata?

R. Si unum sit caput, et unum pectus, licet quatuor sint brachia, vel pedes, unum est individuum completum; ideo unus tantum dandus est baptismus. — Si vero duo sint capita, et duo pectora, duo judicantur individua; et ideo duo sunt dandi baptismi. — Si duo essent capita, et unum pectus, datur absolute unus baptismus super unum caput; alius vero conditionate super caput secundum, dicendo: *Si tu es alius homo.* — Si tandem unum sit caput, et duo pectora, primum est baptizandum caput absolute; deinde infundetur aqua super duo pectora simul cum intentione non adhuc baptizatum abluendi, dicendo: *Si alius es homo, ego te baptizo.*

Q. Quid de foetu abortivo?

R. Si habeat formam humanam, et det signum vitae, absolute baptizandus est, ut omnium est sententia. — Si vero in eo vix appareant indicia humanitatis, et vitae, foetus baptizandus est sub conditione: *Si es homo.*

Q. An recte baptizentur filii, invitis parentibus?

R. 1° Certum est contra Catharinum, et Durandum tale baptismum validum esse, ut probat Benedictus XIV instructione *Postremo mense.*

R. 2° Quoad liceitatem vero filii haereticorum licite possunt, invitis parentibus, baptizari: quia cum ratione baptismi sint subditi Ecclesiae, possunt cogi ab Ecclesia, ut infantes suos baptizari curent; ergo eis possunt eripi, ut baptizentur.

R. 3° Filii infidelium non baptizatorum juxta communiorem, et in praxi tenendam sententiam illicite baptizantur, si eorum parentes sint, vel censeantur repugnantes, quamvis aliunde christianis principibus civiliter subjiciantur. Etenim baptizati, vel subducuntur a parentibus, et eis fit injuria; vel relinquuntur penes eosdem, et fit injuria Sacramento; cum illud exponatur irreverentiae.

Excipe: 1° Si parentes sint nostra mancipia. 2° Si parentes fuerint baptizati, vel uterque, vel saltem alteruter. 3° Si alteruter parentum petat; quia justa ejus voluntas voluntati injustae alterius praeferenda est in favorem fidei, et prolis. Item si, mortuo patre, consentiat avus paternus, etiam matre reluctante; cum apud ipsum sit patria potestas. 4° Si infans sit in certo periculo mortis. 5° Si suae jam compos rationis baptismum petat ex se: regulariter id evenit, completo septennio. 6° Si filius sit positus extra curam parentum, uti si esset expositus. Item si bello parentes capti sint. 7° Si pater offerat filium, et postea consilium mutet; jam enim Ecclesia jus acquisivisset. Ita Benedictus XIV, plura Sacr. Congr. Concil. decreta, ac communis doctorum sensus.

Nota. Si proles jam sit, invitis parentibus, illicite baptizata, tunc Benedictus XIV prohibet eam reddere parentibus ob certum periculum perversionis prolis, et profanationis Sacramenti.

Q. Quid speciatim notandum quoad baptismum adultorum?

R. 1° Quoad validitatem requiritur, et sufficit intentio saltem habitualis, idest habita, et non retractata baptismi suscipiendi. Hinc 1° infertur baptismum ex metu gravi susceptum, licet dedeceat; tamen valere, quia sufficienter voluntarium: et suscipitur Sacramentum, quamvis non res Sacramenti. 2° Validum esse baptismum collatum dormienti, vel amenti, qui sui compos antea petierit.

R. 2° Quoad liceitatem requiritur: 1° Fides. 2° Timor Dei. 3° Spes justificationis. 4° Initium amoris Dei. 5° Propositum christiane vi-

vendi. 6° Poenitentia juxta illud : *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* — Excipe, si quis solum originale haberet; nam neminem poenitet, nisi de voluntariis voluntate sua. Verius autem tradunt sufficere attritionem.

Q. An exigenda sit confessio sacramentalis et integra a protestantibus neo-conversis, qui baptismum recipiunt sub conditione?

R. Affirmative in omnibus juxta decisionem S. Congregationis S. et universalis Inquisitionis, die 17 decembris 1868. Nam proposito hoc dubio a R. P. D. Archiepiscopo Westmonasteriensi, eadem Sac. Congregatio respondit affirmative tam pro exigenda sacramentali confessione, quam pro integritate dictae sacramentalis confessionis. Et SS. D. N. Pius Papa IX hoc decretum approbavit confirmavitque.

CAPUT III.

De Baptismi effectibus, et caeremoniis.

Q. Quinam sint effectus baptismi?

R. Sunt tres, nimirum : 1° Gratia sanctificans, quae hominem interius regenerat, ac delicta quaecumque, tum originale, tum actualia totaliter remittit, et quoad culpam, et quoad poenam, *cum nihil damnationis sit in iis, qui sunt in Christo Jesu regenerati.*

2° Est gratia sacramentalis, quae definitur : *Gratia habitualis regenerativa adnexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad conservandam vitam spiritualem per baptismum acceptam, et ad digne suscipienda alia Sacramenta*, quorum est janua.

3° Est character.

Nota. Scavini addit capacitatem tum alia Sacramenta suscipiendi, tum de aliis Ecclesiae bonis participandi. Sed hic effectus comprehenditur in dicta gratia sacramentali. — Pariter addit cognationem spiritualem ; sed hic effectus est tantum jure ecclesiastico.

Q. An effectus, qui producuntur a baptismo aquae, producantur etiam ab aliis baptismis?

R. Quoad remissionem peccatorum, et collationem gratiae baptismus flaminis eosdem effectus producit ac baptismus aquae : non vero characteris impressionem, et cujuscumque reatus poenae remissionem ; cum hoc solius sit Sacramenti. — Baptismus sanguinis re-

mittit culpam, et poenam; non tamen producit characterem sacramentalem.

Q. An mortale sit omittere caeremonias baptismi?

R. Affirmative tam omittere omnes ipsas baptismi caeremonias, tam aliquam ex iis notabilem; quia sic violatur graviter praeceptum Ecclesiae. — Seclusa necessitate, mortale est baptizare sine chrismatis unctione; quia haec specialem, et gravem habet significationem.

Nota 1ª. Mortale est omittere unctionem olei catechumenorum, vel alia similia; quia est materia gravis, saltem ex fine Ecclesiae. Ita S. Lig. n. 141.

Nota 2ª. In collatione baptismi adultorum non potest adhiberi ritus pro infantibus designatus. Ita definivit S. C. Rituum die 9 maji 1857.

Q. Si baptismus solemniter, vel publice collatus, deprehendatur invalidus, an etiam caeremoniae repetendae sint?

R. Duplex est sententia probabilis: prima cum Salmant. et D. Antonino affirmat, quia hae habentur ut accessorium. — Secunda communis negat cum Suarez; quia in Sacramentis characterem imprimentibus tenenda est regula canonica: *Nihil iterandum, sed caute supplendum quod incaute praetermissum.* — Prima nobis videtur suadenda in praxi, si absque scandalo fieri possit, aut infamia, vel admiratione.

Si autem cogente necessitate, fuerunt omissae, absolute postea supplendae sunt; et quidem sub mortali cum agatur de rē gravi.

Nota. Graviter peccaret sacerdos, qui chrismate recenti posthabito, veteri uteretur.

Q. Quandonam in baptismo necessario debeat adhiberi patrinus?

R. Sub gravi debet adhiberi saltem unus patrinus, sive vir, sive mulier sit in baptismo solemni, et publico. — Non requiritur in baptismo privato. Attamen ētiam in baptismo privato adhiberi potest, et laudabilius adhibetur. Ita communiter. — Sed tunc probabilius censetur non contrahi spiritualem cognationem.

Nota. Non possunt adhiberi licite plures, quam duo patrini. Sic statuit Concil. Tridentinum sess. 24, c. 2 *de Reform.* Si autem parochus plures, quam duos patrinos admitteret, graviter peccaret; quia laederet praeceptum Ecclesiae sub gravi impositum, ne multiplicentur cognationes. Ita S. Lig. n. 154 in fine.

Q. Quid requiritur, ut aliquis possit esse patrinus?

R. Sequentes conditiones : 1° Ut usum rationis habeat, et ipse sit baptizatus. 2° Ut a parentibus, vel parocho sit designatus, ut patrinus. 3° Ut tangat baptizatum per se, vel saltem per alium. 4° Ut habeat verum animum patrini munus gerendi. Ita S. Lig. n. 146.

Q. Quaenam sint obligationes patrinorum?

R. Sunt quinque : 1° Baptizandum parocho praesentare. 2° Pro eo respondere, si nequeat. 3° Illum tenere, dum baptizatur. 4° Illum de manu baptizantis suscipere. 5° Illum debite in rebus fidei, et doctrina christiana instruere, si parentes id praestare non possint. Unde ab officio patrini excluduntur amentes, infideles, haeretici, publice excommunicati, et infames.

Q. An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse masculus, et patrinus foeminae debeat esse foemina?

R. Negative probabilius ; quia Tridentinum dicit sive vir, sive mulier ; ergo indiscriminatim vir aut mulier adhiberi potest. — Adhibere duos mares, aut duas foeminas pro patrinis unius infantis videtur esse tantum veniale: plures tamen cum Bonaccina opinantur esse mortale. Sed hoc, ait S. Ligorius esset, si patrini essent diversi sexus, ac infans ; quia sic multiplicarentur cognationes, quod Tridentinum prohibere voluit ; secus si essent ejusdem sexus. Ita S. Lig. n. 155.

Nota. Interrogationes, quae ex rubrica Ritualis Romani patrinis facienda sunt, fiant prout in Rituali Romano jacent, seu in lingua latina. — Caeterum nihil obstat quominus vernacula lingua explicentur, quae pertinent ad ipsum Sacramentum Baptismi.

Q. Quinam prohibentur esse patrini?

R. Valide quidem, sed illiciti sunt patrini sequentes: 1° Abbates, et monachus seu religiosus, et monialis cujuslibet Ordinis. 2° Conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum. 3° Omnes, qui sunt pravis moribus, et perdita fama.

TRACTATUS SEXTUS DECIMUS

DE CONFIRMATIONE

CAPUT I.

De natura, materia, et forma Confirmationis.

Q. Quid est Confirmatio?

R. Definitur: *Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatus, per unctionem chrismatis in fronte per modum Crucis factam, sub praescripta verborum forma, corroboratur ad fidem firmiter tenendam, et intrepide profitendam.*

De fide est definitum in Tridentino contra Lutheranos, et Calvinistas, Confirmationem verum essere Sacramentum a Baptismo distinctum: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, anathema sit.*

Q. Quo tempore Christus instituit Confirmationem?

R. Alii putant institutam fuisse cum Salvator parvulis manus imposuit; alii dum recubuit cum Apostolis in ultima coena. Est tamen probabilius ipsam fuisse institutam eo temporis intervallo, quod fluxit a Resurrectione usque ad Ascensionem: *Iis diebus*, ait Leo Magnus, *magna confirmata sunt Sacramenta*, *magna revelata mysteria*. Serm. de Ascen. Dom.

Q. Quaenam sit materia remota, et proxima Confirmationis?

R. 1⁰ Materia remota Confirmationis est chrisma ex oleo olivarum, et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum. Ita communiter, et constat ex Concil. Florent. in decreto de Sacramentis.

Nota. Oleum est necessarium de necessitate Sacramenti. Balsamum de necessitate praecepti; et juxta sententiam communiorem, et probabiliorem cum D. Thoma est etiam de necessitate Sacramenti. Chrisma benedicendum est de necessitate Sacramenti, ut probat constans traditio.

R. 2° Quoad materiam proximam Confirmationis tres sunt sententiae principaliores. Prima cum Aureolo, et aliis paucis docet materiam proximam, essentialem, et unicam esse illam manuum impositionem, quae habetur in Pontificali, cum Episcopus in principio sacri ritus extendit manus suas ad confirmandos inquiens: *Omnipotens sempiterne Deus etc.* Unctionem autem, quae fit postea dicit esse caeremoniam pure accidentalem institutam ab Ecclesia. — Secunda cum Concina, Duhamel etc., dicit materiam proximam essentialem tam ab impositione manuum componi, quae fit in principio, quam ab unctione, quae deinde adhibetur. — Tertia, quam sequimur cum Scoto, Salmat., Suarez, et aliis omnibus docet materiam adaequatam, totalem, et necessariam esse chrismatis unctionem, quam agit Episcopus in fronte confirmandi, et simultaneam illam manus impositionem super chrismandum, quando dicit: *Signo te signo Crucis etc.* Probatur ex Patribus: *Illa unctio*, inquit V. Beda, *quae per manus impositionem fit ab Episcopo*, *vulgo confirmatio dicitur.* Confirmatur ex decreto Eugenii IV ad Armenos: tandem ex epistola encyclica Benedicti XIV, *Ex quo primum*, data ad Archiepiscopos, et Episcopos ritus graeci 1756.

Nota. Unctio juxta communem sententiam de necessitate Sacramenti fieri debet in fronte. Imo de essentia Sacramenti ex communi sententia in modum Crucis facienda est, alioquin non verificarentur verba formae. — Quod autem fieri possit ab Episcopo etiam penicillo, vel alio instrumento, nos merito negamus; tunc enim deesset immediata impositio manus, quae requiritur.

Q. Quaenam est forma Confirmationis?

R. Sicut sunt diversae opiniones circa materiam proximam Confirmationis; ita et circa formam. Nos, aliis praetermissis, uti communem tenemus sententiam, quae docet totalem, et adaequatam formam consistere apud Latinos in verbis istis: *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris etc.* Sic definivit Eugenius IV in decreto ad Armenos, dicens: *Forma autem est, signo te etc.* — Apud Graecos haec est: *Signaculum doni Spiritus Sancti, in nomine Patris etc.*

Nota 1ª. Ad essentiam pertinent verba *signo*, vel *confirmo* (si diceretur *corroboro*, mutatio esset accidentalis); expressio *Trinitatis; te;* item *signum Crucis; chrismate salutis.* Ita D. Thomas cum communi.

Nota 2ª. Si Episcopus habeat infirmum pollicem manus dexterae

licite poterit unctiones peragere alio digito, etiam pollice manus sinistrae. Sed si id agat sine legitima causa, communius dicunt, Episcopum peccare mortaliter; quamquam probabilius id juxta alios non excedat veniale, cum non videatur tam gravis inordinatio. Ita S. Lig., Op. mor. l. 4, n. 165.

CAPUT II.

De ministro, subjecto, et necessitate Confirmationis.

Q. Quisnam est minister ordinarius Confirmationis?

R. De fide est, solum esse Episcopum, ut constat ex S. Scriptura; et ita declaravit Innocentius III, et Concil. Trid. sess. 7, can. 3: *Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.*

Q. Quisnam est minister extraordinarius Confirmationis?

R. Simplex presbyter ex speciali Summi Pontificis delegatione contra Estium, et nonnullos alios, qui contrarium docebant. Hoc probatur ex concessione Gregorii Magni facta presbyteris Calaritanis, ut refertur cap. *Pervenit*, dist. 91: *Ubi desunt Episcopi*, inquit, *ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant, concedimus.* Insuper in Ecclesia Greca a mille annis, et amplius simplices presbyteri Confirmationem conferunt. — Sed sacerdos debet uti chrismate per Episcopum benedicto, prout statuit Concilium Florentinum, et constat ex decreto Eugenii IV.

Nota. An Papa etiam simplici sacerdoti delegare valeat potestatem conficiendi chrisma, controvertitur. Affirmant non pauci cum S. Ligorio n. 163: at plures alii negant. Revera videtur esse munus ordinis episcopalis exclusive.

Q. An Episcopus possit confirmare fideles non subditos?

R. 1° Quoad validitatem omnes confirmare potest, quia sequitur ex Ordinis potestate.

R. 2° Quoad liceitatem non potest confirmare, nisi qui in sua dioecesi reperiantur; et peccaret graviter confirmando etiam suos subditos in alia dioecesi; quia Confirmatio est exercitium jurisdictionis fori externi, quod peragi nequit sine licentia Ordinarii loci. Ast in

sua dioecesi potest confirmare extraneos ; quia nisi aliter constet, semper praesumitur tacitus consensus aliorum Episcoporum. Ita probabilius, et communius.

Nota 1ª. Episcopus tenetur confirmare petentes, quoties commode potest, si ad aliud tempus proximum differre nequeat. Hinc peccaret graviter, si longo tempore a Confirmatione conferenda abstineret, v. g. per 8, vel 10 annos, nec dioecesim circumiret, saltem per praecipua loca, nisi morali impossibilitate excusaretur. Ita S. Lig. n. 175; Lacroix n. 388, et alii communiter.

Nota 2ª. Non peccat graviter, saltem probabiliter, Episcopus omittens confirmare moribundum petentem Sacramentum ; quia cum non sit necessarium ad salutem, excusat incommoditas adeundi aegrotos in propriis domiciliis decumbentes. Ita S. Lig. n. 175 ; Lacroix, et alii.

Q. Quodnam est subjectum Confirmationis ?

R. Sunt omnes, et soli baptizati, nondum confirmati. — Diximus *soli baptizati ;* quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum. — Etiam perpetuo amentes esse possunt subjectum Confirmationis ; quia per accidens, idest in aliquo lucido intervallo potest contingere, ut sint spiritualiter pugnaturi. — Infirmis autem, et moribundis *hoc Sacramentum dandum est, ut in Resurrectione perfecti appareant.* Ita S. Thomas 3 p. q. 67, a. 12. Intellige si commode fieri possit.

Nota. Infantes valide suscipiunt hoc Sacramentum quacumque aetate : sic fuit usus in Ecclesia Latina usque ad saeculum XIII. — Verum hodie extra periculum mortis, vel longam absentiam Episcopi, *maxime convenit Sacramentum iis differre usque ad annum septimum,* ait Catechismus Romanus.

Q. Quaenam dispositiones requiruntur in confirmando ?

R. In infantibus ad valide suscipiendam sufficit Baptismus : in adultis vero requiritur etiam intentio Sacramentum recipiendi. — Status gratiae, quia Confirmatio est Sacramentum vivorum, et doctrina (saltem quantum aetas tulerit) rudimentorum fidei, orationis dominicae, symboli apostolici etc., ad liceitatem requiruntur. Ita Benedictus XIV, const. *Etsi eos.*

Nota. Ut confirmandus sit jejunus non requiritur, attenta consuetudine hodierna ; sed est laudandum si adultus mane confirmetur jejunus.

Q. Utrum Confirmatio sit necessaria ad salutem?

R. Non est necessaria necessitate medii, quia sine ea homo potest salvari per Baptismum, et Poenitentiam.

Sed quaestio magna est, si sermo sit de necessitate praecepti. Alii tuentur obligationem per se gravem tum ex praecepto naturali, tum ex praecepto positivo, tam ecclesiastico, tam divino; quia Christus praecepit Apostolis, *ut exspectarent promissionem Patris*, nempe Spiritum Sanctum, cujus donum in Confirmatione tribuitur. — Alii, quibus adhaeret S. Thomas affirmant, esse levem obligationem per se, quam volunt fieri posse gravem solum per accidens, v. gr. ad scandalum, vel periculum grave declinandum; quia ad superandas tentationes sunt alia plura remedia. Sed nos post bullam Benedicti XIV *Etsi pastoralis* esse dicimus obligationem sub gravi de praecepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione suscipiendi hoc Sacramentum; quidquid alii dicant quoad interpretationem dictae bullae; quia homo debet corroborari per hoc Sacramentum, ut efficaciter possit pugnare contra suae salutis aeternae inimicos.

Nota. In dubio an aliquis sit confirmatus, potest sub conditione denuo confirmari.

CAPUT III.

De effectibus, et caeremoniis Confirmationis.

Q. Quinam, et quot sunt effectus Confirmationis?

R. Sunt tres: 1° Est augmentum gratiae sanctificantis. 2° Est gratia sacramentalis, quae definitur: *Gratia habitualis roborativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias, ut christianus audacter Christi Nomen confiteatur;* ait Florentinum in decreto. 3° Est character, quo baptizatus adscribitur militiae Christi.

Q. Quaenam sint Confirmationis caeremoniae?

R. Sunt sex, nempe: 1° Adhibitio patrini, qui sit baptizatus, et confirmatus. 2° Mutatio nominis si sit turpe. 3° Est manus impositio. 4° Est levis inflictio alapae in maxilla confirmati. 5° Est pax quae datur confirmato. 6° Demum est circumligatio frontis confirmati fasciola linea per triduum, ut significetur gratiam acceptam conservandam esse diligenter.

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

DE EUCHARISTIA

Q. Quot modis spectatur Eucharistia?

R. Duobus modis, nempe ut est Sacramentum, et ut est Sacrificium: ut est Sacramentum homines sanctificat, ut est Sacrificium Deum colit, et placat.

Nota. Eucharistia sumpta pro Sacrificio simul et Sacramento dicitur *Eulogia*, idest benedictio; *Pascha*, *Synaxis*, idest collectio, quia multi convenire solent fideles, ut intersint Sacrificio, et participes fiant Corporis Domini.

PARS PRIMA

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO

CAPUT I.

De natura, et institutione Eucharistiae.

Q. Quid est Eucharistia?

R. Definitur: *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem animae refectionem, in quo Corpus, et Sanguis Christi, vere, realiter, et substantialiter continentur sub speciebus panis, et vini.*

Si Eucharistia consideretur *in fieri*, est conversio panis, et vini in Corpus et Sanguinem Christi, remanentibus speciebus, ad spiritualem fidelium refectionem. — Si vero consideretur *in facto esse*, est Corpus et Sanguis Christi sub speciebus panis, et vini ad spiritualem fidelium refectionem. Hoc posteriori modo communiter accipitur Eucharistia prout est Sacramentum.

Nota. Hoc Sacramentum differt ab aliis in iis, nempe caetera sunt posita in actu transeunte, hoc in re permanenti; in aliis nulla fit materiae mutatio in aliam naturam, in hoc substantialiter materia mutatur.

Q. Utrum Eucharistia sit verum Sacramentum?

R. Affirmative. Nam: 1° Est signum sacrum, sensibile per species panis et vini. 2° Et signum gratiae invisibilis, spiritualis scilicet refectionis, Joan. c. 6: *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam.* 3° Est a Christo permanenter instituta, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Insuper definitum est a Conciliis Florentino, et Trid., sess. 7, can. 1.

Q. Utrum Eucharistia consistat in usu et sumptione, vel in re permanente?

R. Consistit in re permanente contra Lutheranos et Calvinistas. Nam Christus prius protulit verba consecratoria, quam Corpus ad manducandum et Sanguinem ad bibendum Apostolis porrexerit; ergo ante actualem usum et manducationem fuerunt sub speciebus; ideo erant permanentia. Insuper ab ipso Apostolorum tempore Eucharistia servabatur domi, et ad absentes et aegrotantes deferebatur. Concilium Tridentinum autem definivit: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non adesse Corpus et Sanguinem D. N. J.. C.; sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.*

Nota. Quando dicitur omne Sacramentum constare rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma, intelligitur Sacramentum *in fieri;* non vero *in facto esse.* Hic autem loquimur de Sacramento *in facto esse.*

Q. In quo Eucharistia essentialiter consistat?

R. Consistit essentialiter et adaequate in speciebus simul, et Corpore ac Sanguine Christi; quia huic complexo apprime conveniunt omnes veri Sacramenti conditiones, ut diximus. Unde species in hoc Sacramento habent rationem materiae, et Corpus et Sanguis Christi rationem formae. Quare non consistit essentialiter in solis speciebus, neque in solo Corpore et Sanguine Christi.

Q. Utrum Eucharistia, quae duplici constat specie, sit duplex Sacramentum?

R. Est unum tantum; quia licet duabus speciebus constet, uni-

eam tamen confert gratiam sacramentalem, refectionem scilicet spiritualem.

Q. Quandonam Eucharistia fuerit instituta?

R. Sentiunt omnes immediate, et per se eam instituisse in ultima coena, quam cum Apostolis suis celebravit in civitate Jerusalem *pridie quam pateretur:* Matth. enim c. 26 dicitur: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, etc.*

CAPUT II.

De materia, et forma Eucharistiae *in fieri*, et de reali Christi praesentia in Eucharistia.

ARTICULUS I.

DE MATERIA, ET FORMA EUCHARISTIAE *in fieri.*

Q. Quaenam est materia Eucharistiae?

R. Est panis pro consecrando Corpore, et vinum pro consecrando Sanguine: de fide est, tum ex S. Scriptura constat, tum ex Conciliorum generalium Lateranensis IV, Florentini, ac Tridentini definitione; tum ex unanimi Patrum traditione, ac constanti omnium Ecclesiarum praxi.

Nota. Certum est, necessarium esse de necessitate praecepti divini consecrare Eucharistiam sub utraque specie; hoc enim ipsa Eucharistiae natura exigit, quae est per modum convivii, quod quidem cibo et potu perficitur; et Christus utrumque videtur expresse jussisse, illis nempe verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ideo ne in articulo mortis quidem licitum est consecrare unam speciem ad Viaticum infirmo deferendum; neque ab hoc praecepto potest Pontifex dispensare, ut commune est. Ita S. Lig., Op. mor., lib. 6, n. 196; D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 12.

Q. An consecratio unius speciei sit valida?

R. Si sacerdos post consecrationem unius speciei moriatur, nullum est dubium quin sit valida consecratio. Si vero intentionem

habeat unam tantum speciem consecrare, Lugo cum nonnullis aliis negat tunc valide consecrari; quia ratio Sacramenti nequit dividi a ratione Sacrificii; attamen communis valde probabilis, et recepta sententia, quam et nos tenemus, docet eo in casu illicite quidem, sed valide adhuc consecrari; tum quia verba sacramentaria id efficiunt quod significant; tum quia talis est sensus Ecclesiae universalis. Ita S. Lig., Op. mor., l. 5, 196; Scavini et alii.

Q. Qualis esse debet panis in Eucharistia?

R. Panis ad validitatem Eucharistiae confici debeat ex farina triticea et aqua naturali; de fide est, ut aperte colligitur tum ex ejus institutione, et exemplo Christi, tum ex communi verborum acceptione, uti demonstrant Patrum testimonia, liturgiae utriusque Ecclesiae, et Concilia omnia, sive generalia, sive particularia.

Unde non est materia apta panis ex oryxa, milio indico (vulgo *meliga*), hordeo, amylo, phaseolis, phabis, pisis, lentibus, nucibus, avena, panico, castaneis, amygdalis et similibus rebus praeparatus. — Item neque massa triticea cruda, aut frixa, vel panis triticeus, sed alio liquore, quam aqua confectus, ut butyro, lacte, ovis; neque hostiae rubrae, alteriusve coloris non naturalis. Panis autem ex siligine est saltem materia dubia, quem ideo in omni casu nefas est adhibere. — Pariter habenda, ut materia dubia, et proinde ut graviter illicita panis ex farre, seu spelta confectus. Ita S. Ligorius et alii communiter.

Q. Utrum panis debeat esse azymus, vel fermentatus?

R. In utroque valide conficitur Sacramentum. Concilium enim Florentinum in decreto ait: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Christi Corpus veraciter confici.*

Diximus *valide;* quia ad liceitatem quilibet sacerdos tenetur sequi leges Ecclesiae, quae in Concil. Florent. definit, ut Latini sacerdotes azymum, et Graeci fermentatum consecrent.

Q. In quo pane Christus consecravit?

R. Consecravit in azymo. Nam Eucharistiam instituit *primo die azymorum*, Matth. c. 26; idest in illo tempore, in quo Judaeis non licebat conservare domi aliquod frustulum panis fermentati.

Q. Quale vinum est materia apta ad Eucharistiam?

R. Solum vinum de vite, de fide est; Matth. enim c. 26 legitur: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis;* et constat etiam ex decreto ad Armenos. Quare materia valida non est, si succus exprimatur ex uvis omnino acerbis; pariter si vinum sit ad dimidiam,

aut tertiam partem decoctum; item spiritus vini, idest vinum stillatum. Attamen vinum aromatibus conditum illicite quidem, sed valide adhiberetur; nisi tanta sit alteratio, ut in communi aestimatione vinum non amplius censeatur. Valet tamen consecratio in musto et vino acescente, quia retinent naturam vini; est vero illicita ob feces adjunctas et alterationes. — Item dicendum de vino, si maneat congelatum; quia licet non sit actu potabile, est tamen potabile de sui natura. Vinum vero congelatum, si resolvatur, adhiberi poterit, cum vini naturam habeat.

Q. Utrum aqua ad Eucharistiae consecrationem sit necessario vino miscenda?

R. Affirmative, et de fide est a Tridentino sic definitum: *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* Sess. 22, can. 9.

Nota. Haec commixtio debet fieri in ipso sacro et in ipso calice, qui ad Eucharistiae consecrationem adhibetur. — Debet fieri non ex necessitate Sacramenti, sed de necessitate praecepti, saltem ecclesiastici. — Aqua debet esse modicissima, idest tres, vel quatuor guttulae, et generatim non sit ultra octo, vel decem guttulas. Ita Gury.

Q. An et quomodo materia consecranda debet esse praesens?

R. 1° Ad validitatem consecrationis praesentiam materiae requiri certum est; id enim exigit forma demonstrativa *hoc*, *hic*.

R. 2° Ut ipsa materia non valde a celebrante distet, et sensu aliquo ab ipso percipiatur, vel ratione sui, ut si videatur; vel ratione vasis in quo continetur, uti si clausa in pyxide super corporali. Invalide igitur consecraretur hostia post parietem posita, vel tabernaculo inclusa. Pariter dicendum, si materia sit ita parva, ut percipi omnino non possit. — Requiritur pariter, ut materia sit certa ac determinata: hinc qui habet coram se undecim hostias, et non vult consecrare nisi decem, non determinando, ex rubrica non consecrat. — Si post consecrationem advertat sacerdos duas esse hostias, licet putaret unam, ambas sumat; quia ambae sunt consecratae; nam praevalet intentio absoluta consecrandi materiam sibi praesentem.

Q. Quaenam verba essentialem Eucharistiae formam constituant?

R. Sunt ista pro consecratione panis: *Hoc est Corpus meum;* pro consecratione vini sunt: *Hic est calix Sanguinis mei*, vel ut habet Marcus: *Hic est Sanguis meus.* Nam illa omnia verba, et quidem

sola, perfecte significant transubstantiationem panis in Corpus et vini in Sanguinem Christi. Ergo illam efficiunt.

Nota. Verba: *Qui pridie quam pateretur, etc.* non sunt de essentia formae; quia non sunt verba Christi, sicut nec particula *enim.* — *Accipite, manducate et bibite; novi et aeterni Testamenti*, sunt quidem verba Christi, sed non sunt de essentia formae, quia non significant transubstantiationem.

Q. Utrum verba consecratoria proferantur a sacerdote historice vel assertive?

R. Utroque modo proferuntur; historice quidem, quia referuntur tanquam a Christo dicta; assertive etiam, quia proferuntur a sacerdote in persona Christi.

Q. Quid pronomina *hoc* et *hic* significant in forma Eucharistiae?

R. Significant Corpus et Sanguinem Christi, sub confusa ratione rei contentae sub speciebus panis et vini in fine prolationis formae consecratoriae; quia pronomina demonstrativa, ut sunt *hoc* et *hic;* substantive posita in propositione practica significant tantum confuse id, quod existit in fine prolationis verborum.

ARTICULUS II.

DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Q. Utrum habeatur realis Christi praesentia in Eucharistia?

R. Est vere, realiter et substantialiter praesens, et est dogma fidei contra Joannem Erigena, Berengarium, Carlostadium, Zuinglium. Calvinum et alios. Nam haec Christi verba: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita... Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus;* in sensu reali accepta, significant realem praesentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia: atqui debent accipi in sensu reali et proprio; quia Judaei et discipuli Christi illa verba intellexerunt de manducatione vera et orali, ut constat ex contextu, nec tamen Christus hanc illorum opinionem correxit; imo juramento firmavit, dicens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* ergo etc. Insuper omnes Patres consentiunt cum Tertulliano dicente: *Caro Corpore Christi vescitur, ut et animus de Deo saginetur.* Apol. 1, n. 66. Concilium autem Nicaenum primum ait: *Agnum... incruente a sacerdotibus immolatum, et pretiosum Corpus et Sanguinem vere sumentes, credamus etc.*

Ita etiam definierunt Concilia Romanum, Viennense, Florentinum et Tridentinum.

Q. Quomodo Corpus et Sanguis Christi ponuntur in Eucharistia?

R. Per transubstantiationem: nam ex Concil. Trid.: Transubstantiatio est *mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem* (Christi), *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini.* Atqui sic ponitur Christus in Eucharistia: ergo etc.

Unde non ponitur per impanationem. Nam impanatio est unio hypostatica Christi cum pane: atqui Christus non unitur hypostatice cum pane; alias non esset vera panis conversio in Corpus Christi, item vere essent istae propositiones: *Panis est Corpus Christi, Corpus Christi est panis;* quod est falsum. Pariter Corpus et Sanguis Christi non ponuntur per consubstantiationem; nam consubstantiatio est simultanea panis et Corporis Christi praesentia in Eucharistia: atqui de fide est, quod tota substantia panis convertatur in Corpus Christi; ergo de fide est, quod non remaneat panis in Eucharistia, ut definivit Ecclesia contra Lutherum.

Q. Utrum transubstantiatio sit vera Corporis et Sanguinis Christi reproductio?

R. Affirmative. Nam Corpus et Sanguis Christi in Eucharistia accipiunt idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos.

Q. Quotuplici modo aliquid potest poni in Eucharistia?

R. Duplici, nempe vi verborum, et per concomitantiam. Ponitur *vi verborum*, quod expresse significatur per verba formae; idest solum Corpus sub specie panis, et solus Sanguis sub specie vini. — Ponitur *per concomitantiam*, quod per verba formae non exprimitur, sed habet connexionem cum eo, quod exprimitur; idest sub specie panis ponitur sanguis et anima, quia est corpus vivens. Sub specie vini corpus et anima, quia est sanguis hominis viventis. Sub utraque specie ponitur Divinitas; quia quod semel Christi Divinitas assumpsit, nunquam dimisit.

Q. Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini?

R. 1° Affirmative, separatione facta, et est de fide, ut definivit Concilium Trid., sess. 13, can. 3.

R. 2° Est etiam ante separationem, hoc certum est. Nam per divisionem non fit nova consecratio, quae de novo sistat corpus

praesens; ergo si non sit praesens ante divisionem, nec est praesens post divisionem, quod esset haereticum.

Q. Utrum Corpus Christi in Eucharistia habeat suam quantitatem?

R. 1° Habet quantitatem internam; nam quantitas interna est accidens, quod distinguit partes a partibus in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem: atqui ita se habet Corpus Christi in Eucharistia, utpote organizatum; ergo etc.

R. 2° Non habet quantitatem externam, quia Corpus Christi in Eucharistia nullum locum occupat per partes, nec est actu extensum, divisibile et impenetrabile.

Ergo licet Christus in Eucharistia possit elicere actiones spirituales, ut sunt volitio et intellectio, non potest tamen elicere actiones a sensibus dependentes, ut sunt visio, auditio; quia sensus hujusmodi non habent suam extensionem externam, ut agere possint per species ab objectis receptas.

Ergo Christus in Eucharistia non potest pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. g. *calefieri*, *frigefieri* etc. — Propter eamdem rationem, non potest moveri per se, sed per accidens, ad modum scilicet specierum.

Q. Utrum accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum?

Nota. Duplex est accidentium subjectum, nempe *mediatum*, quod est substantia, cui inhaeret tota collectio accidentium; et *immediatum*, quod est quantitas, cui insunt alia accidentia.

R. Non habent subjectum mediatum, quia tota substantia panis, et vini conversa est in Corpus, et Sanguinem Christi, ut definivit Concil. Tridentinum sess. 13, cap. 3: habent subjectum immediatum, quia sicut subjectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis substantia; ita et post consecrationem, sublata substantia, subjectantur in quantitate.

Q. Quandonam Corpus Christi desinat esse sub speciebus?

R. Desinit, quando accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis, et vini corrupta sunt. — In susceptoribus autem alii censent in laico species consummari intra quinque *Pater et Ave:* Lugo docet id intra minutum evenire; in sacerdote vero postquam ille vestibus sacris est exutus: idem Lugo docet in sacerdote intra medium quadrantem. Verum hic ratio habenda est majoris, vel minoris stomachi caliditatis.

CAPUT III.

De necessitate, ministro, et subjecto Eucharistiae.

—

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE EUCHARISTIAE.

Q. An Eucharistia sit necessaria?

R. 1° Realis susceptio Eucharistiae non est necessaria necessitate medii, contra Calvinistas; nam incorporatio cum Christo facta in Baptismo sufficit, ut quis Christi membrum evadat, et filius Dei adoptivus. Insuper Tridentinum ait: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.*

Nota. Utrum Eucharistia necessaria sit in voto necessitate medii, affirmant probabilius cum Angelico; quia *in Eucharistia est quasi consummatio spiritualis, et omnium Sacramentorum finis* (3 p., q. 73, a. 3). — Parvuli vero votum habent, non ex voluntate propria, sed ex voluntate implicita Ecclesiae, quae pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi baptismum.

R. 2° Est necessaria necessitate tum praecepti divini, dicente Christo: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. c. 6); tum praecepti ecclesiastici communicandi semel in anno tempore paschali ex decreto Concilii Lateranensi IV: *Omnis utriusque sexus fidelis;* et qui transgreditur hoc praeceptum incurrit poenam interdicti ab ingressu ecclesiae et privatur sepultura ecclesiastica, dicente eodem Concilio: *Et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.*

Nota. Tempus paschale, quo vere urget praeceptum (sic declarante anno 1440, Eugenio IV, Bulla *Fide digna*), exorditur a dominica Palmarum, et cessat dominica in Albis; unde qui toto illo paschali tempore non communicat, etsi pluries in anno Eucharistiam susceperit, huic praecepto gravissimo non satisfacit.

Q. An qui paschali quindena non communicavit, obligetur adhuc illo anno?

R. Duplex est sententia. Plures graves Auctores cum S. Antonino negant, teneri illo anno ad Communionem, qui eam omisit, sive ex malitia, sive ex impotentia; quia praeceptum Communionis est affi

xum tempori paschali. — Sed communior sententia, cui subscribimus, affirmat teneri sub gravi, etiam elapso termino Paschatis, eo anno adhuc communicare : verba enim praecepti *semel saltem in anno, ad minus in Paschate*, continent virtualiter duo praecepta, alterum communicandi saltem in anno, alterum communicandi in Paschate: si igitur hoc transiit, illud adhuc perseverat.

Nota 1ª. An autem debeat impleri quam primum, adeo ut voluntaria dilatio sit peccaminosa, negant Lugo et Billuart. — Sed communiter, et probabilius alii contradicunt; quia ut patet ex verbis Concil. Lateranensis, et Trident., hoc praeceptum non est datum ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem, quae quidem continuo urget.

Nota 2ª. Qui sacrilege communicavit in paroecia, non est necesse, ut iterum in paroecia communicet; sed sufficit, ut rite communicet quocumque loco; quia jam adimplevit finem praecepti quoad circumstantiam loci.

Q. An teneantur fideles tollere impedimenta, ut praecepto annuae Communionis satisfaciant?

R. Affirmative; praeceptum enim divinum est maximi momenti, ac valoris, quod valde confert ad animae salutem. Hinc commune est, quod excommunicatus teneatur obtinere absolutionem, ut possit huic praecepto satisfacere.

Nota. Nondum caepto paschali tempore, nemo tenetur ad praeveniendum Communionem anticipando, etsi postea impediturus; ita communiter, et recte contra Layman, et Habert: ad differentiam confessionis; quia peccans mortaliter obligationem contraxit confitendi intra annum: quare praevidendo non posse se confiteri antequam annus finiatur, tenetur praevenire.

Q. Ubinam fieri debet Communio paschalis?

R. Generatim dici potest illam faciendam esse a proprio pastore in parochiali ecclesia, excipe eos, qui habent licentiam Pontificis, vel proprii Episcopi, aut ejus Vicarii generalis, vel parochi, uti omnes concedunt. Quae licentia potest esse etiam praesumpta, si tamen adsit moralis certitudo de consensu. Ita Suarez, Lugo, Scavini, et alii.

Nota. Huic praecepto non fit satis, si Communio etiam in ipsa cathedrali ab alio quam a proprio parocho suscipiatur.

Q. An exstet praeceptum suscipiendi Viaticum?

R. Exstat utique praeceptum grave communicandi in articulo, ac

periculo mortis, juxta Nicaenum Concilium generale I, quod praecipit *antiquam hanc legis regulam necessario observandam*. Intellige, si id componi non possit cum reverentia Sacramento debita, non urget hoc praeceptum, imo prohibetur.

Nota. Sacerdos quilibet, sive saecularis, sive Regularis, tenetur, deficiente parocho, Eucharistiam morituro ministrare ; secus in aliis casibus ; quia sacerdos saecularis illicite ageret ; et sacerdos Religiosus praeter illiceitatem incurrit excommunicationem latae sententiae Papae simpliciter reservatam ex Const. Pii IX incip. *Apost. Sedis*. Intellige, nisi de licentia expressa parochi faciant.

Q. Utrum qui mane communicavit, si eadem die incidat in mortis periculum, iterum communicare teneatur ?

R. Alii affirmant cum Diana, quia urget praeceptum communicandi in mortis periculo. — Alii negant cum Roncaglia, quia Ecclesiae praxis prohibet bis in die communicare. — Alii cum Gobat dicunt id liberum esse ipsi infirmo. — Quarta sententia quae probabilius distinguit cum Lugo morbum violentum a morbo naturali, docet in primo casu teneri communicare, non in secundo; nam in hoc secundo videtur posse dici, jam mane communicasse in periculo ; quia jam aderat morbus, licet occultus; hanc sententiam amplectimur.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

Q. Quisnam sit minister Eucharistiae conficiendae ?

R. Est solus sacerdos rite ordinatus : nam solis sacerdotibus Christus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem*. Et est de fide definitum in Conc. Tridentino, sess. 22, can. 2.

Q. Quotuplex, et quis est minister Eucharistiae dispensandae?

R. Duplex, nempe *ordinarius*, qui eam auctoritate dispenset, et est sacerdos ; nam confectio Eucharistiae ordinatur ad ejusdem dispensationem ; ergo soli possunt auctoritative Eucharistiam dispensare, qui possunt eam conficere : et *extraordinarius*, qui eam dispensat ex commissione Episcopi, vel sacerdotis, et est solus diaconus, ut constat ex praxi veteri Ecclesiae, quae olim hoc officium commiserat diaconis, ut declaratur in Concilio Carthaginensi IV, ubi dicitur : *Diaconus (praesente presbytero) Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.*

Nota. Si particula in terram decidat, locus panno lineo tegatur,

deinde abluatur. — Si decidat intra clausuram, Monialis communicanda sumat particulam lingua, et locus abluatur ; et si nulla amplius sit communicanda, particula suscipiatur patena, aut palla sacerdoti tradenda. — Si decidat in pectus mulieris, mulier eam quaerat, et ipsa per se sumat, atque communicet digitos postea abluendo. — Si decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis, omittenda purificatio ; quia melius semper est vitari admirationem, aut turbationem populi.

Q. An, ut diaconus ministret, necessitas debeat esse extrema?

R. Negative cum sententia communi; sed sufficit necessitas gravis, nempe cum nullus adsit sacerdos, qui commode Eucharistiam ministrare possit. Sed ad id commissio Episcopi, vel parochi requiritur. Ita S. Ligorius n. 236, Lugo, et alii.

Q. An parochus teneatur etiam investigare infirmos Eucharistiam non petentes, ut eam ipsis administret?

R. Affirmative ; saltem si sint in gravi mortis periculo ; quia officium est boni pastoris curare, ut ovibus suis in tanto periculo constitutis tam salutare remedium suppeditetur.

Q. An graviter peccet parochus, quoties Eucharistiam denegat rationabiliter petenti?

R. Negative, si raro id faciat, secluso scandalo, aut gravi petentis contristatione ; quia nec gravis injuria, nec grave damnum sic infertur. Ita Gury cum omnibus.

Q. An sacerdos laborans infirmitate in pollice, et indice, Eucharistiam aliis digitis ministrare possit?

R. Negandum videtur, saltem probabilius, secluso casu gravissimae necessitatis. Ita S. Ligorius n. 247. — Attamen Lacroix ait sufficere tantum gravem necessitatem (lib. 6, p. n. 1, n. 480).

Nota. Communiter cum S. Ligorio docetur Communionem posse ministrari qualibet hora diei, excepta tamen parte diei extrema, idest sub nocte. Ratio est, quia de hac re nulla exstat prohibitio. Lib. 6, n. 259.

Q. An Communio dari possit cum paramentis nigris immediate ante, vel post Missam defunctorum?

R. In ipsis Missis defunctorum potest sacerdos Communionem fidelibus ministrare, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem e custodia. Post Missam Communio dari potest, si sacerdos nondum discesserit ab altari in quo celebravit ; pariter etiam immediate ante eandem Missam ; in utroque tamen casu omittenda

est benedictio ; et debet adesse rationabilis causa in dictis duobus casibus. Quae causa esset, si secus aut sine Communione discederent, aut diutius immorando, non leve, sive in rebus domesticis, sive in gerendis negotiis, incommodum necessario subirent. Ita ex decreto S. R. C. confirmato a SS. D. N. PP. Pio IX 23 julii 1868.

Q. An dari possunt plures particulae uni communicanti, vel una major devotionis gratia etc.?

R. Negative. Hoc enim expresse fuit prohibitum decreto S. Congreg. Concil. approbato ab Innocentio XI die 12 feb. 1679. Verba autem decreti sunt haec : *Episcopi, Parochi, seu Confessarii admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiae particulas, neque grandiores, sed consuetas.*

Q. An ad fideles communicandos possit sacerdos, deficientibus hostiis minoribus, detrahere partem majoris a se sumendae?

R. Affirmative in casu viatici moribundo deferendi, ratione urgentis necessitatis. Ita omnes. — Affirmative etiam si esset communicaturus unus, vel alter fidelis, qui secus non absque incommodo Communionem exspectare deberet. Ita communiter cum S. Ligorio n. 217.

Nota 1ª. Deferre nocte Eucharistiam expresse prohibetur, excepto necessitatis casu. Verum cum urgeat haec necessitas deferri potest qualibet hora noctis, sed sine strepitu et campanulae sonitu. — Pariter generatim loquendo Eucharistia nequit deferri infirmis secreto, constat ex Rituali Romano. Excipiuntur tamen quaedam circumstantiae, v. g. loca haereticorum, ubi manifeste deferri nequit; et aliae circumstantiae etc. — Insuper, urgente necessitate, sacerdos potest Viaticum ministrare sine ulla veste sacra : quia non est praesumendum, Ecclesiam matrem benignam in tali circumstantia velle servari ritum illum cum moribundorum detrimento.

Nota 2ª. Urgente necessitate, in deferendo Viatico, licet currere; quia necessitas excusare potest a majori decentia in incessu. Ita S. Lig. n. 242. — Probabiliter tempore pestis licet porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento ; quia tanta necessitas a consueto Ecclesiae ritu excusare videtur. Ita S. Lig. n. 247. — Non licet deferre Eucharistiam cum capite cooperto in itinere. Ita S. Congr. Rit. 5 mart. 1633 ; item 23 jan. 1070. — Licet sacerdoti deferre Eucharistiam insidendo equo, si deferenda sit ad infirmum longe distantem, vel per iter arduum, aut si periculum sit in mora.

Q. Quid agendum sacerdoti, si ad infirmum cum Sanctissimo Sa-

cramento adveniens, ejusque confessionem excipiens, eum indispositum invenerit?

R. Inprimis debet Confessarius, prouti melius poterit ad meliorem frugem eum adducere. Si res non succedat, tunc inducendus enixe est poenitens, ut peracta confessione, declaret publice, se nolle adhuc Sanctissimam Eucharistiam suscipere. Quod si hanc declarationem praestet, jam evanescit difficultas; patet enim Eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, atque communicare velit, Eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, ad servandum intactum confessionis sigillum. Ita Gury, et alii.

Q. An quis possit seipsum communicare?

R. Negative: nemo potest se ipsum communicare, si adsit sacerdos; quia praeceptum est, ut sumatur Eucharistia de manu illius. Si sacerdos non adsit, tunc sacerdotem (praecisa admiratione seu scandalo) conceditur posse communicare ex devotione. In necessitate id permittunt etiam diacono; quia tunc ipse est verus minister. Quoad caeteros sive Clericos, sive laicos licet Cajetanus, Suarez, et alii affirment, cum adsit vera necessitas; nos tamen cum Lugo, continuatore Tournely, Gonet, et aliis negamus; quia hodie id novum esset, et aliunde non agitur de Sacramento omnino necessario ad salutem. Ita Scavini.

Nota 1ª. Sanctissima Eucharistia conservanda est cum lumine, et generatim oleo olivarum utendum est; ubi vero haberi nequeat, aliud oleum ex vegetalibus, quantum adjuncta ferunt, ab Episcopo permitti potest. Constat ex recenti decisione S. Congr. Rit., die 9 julii 1864. — Peccaret graviter, si per tempus notabile aliquis negligeret asservare lumen coram SS. Sacramento. Hoc tempus notabile esset, si integro die id fiat. Ita Busemb., cui subscribunt S. Ligorius, Gury et alii.

Nota 2ª. Si hostia inveniatur in altari certo consecrata vel est munda et recenter consecrata: vel non est munda, aut non recenter consecrata. Si primum, vel reponenda est cum aliis in ciborio, vel potest sumi a celebrante ante ablutiones. — Si secundum, quando nimiam repugnantiam sacerdos experitur eam sumendi ante ablutionem, eam reponat seorsim in vase mundo, donec corrumpatur, et corrupta in sacrarium dejiciatur. Ita rubrica Missalis: — Si dubie sit consecrata, faciendum est ut diximus in secundo casu. Item faciendum, si infirmus sacras species rejecit; quod si sacra particula

omnino permixta sordibus separatim et perfecte colligi non possit, debet colligi stuppis quidquid fuit ab infirmo vomitu redditum; deinde combustis stuppis, cineres in sacrarium sunt rejiciendi; ita Gousset n. 232, Gury et alii.

Nota 3ª. Juxta Benedictum XIV, renovandae sunt particulae consecratae singulis octo, aut saltem quindecim diebus (de Sacrificio Missae app. n. 3, § 6, n. 5). — Incuria Parochorum et aliorum hac in re grave peccatum constituere potest. Ita Gardellini et Gury.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO EUCHARISTIAE.

Q. Quodnam est Eucharistiae subjectum?

R. Est omnis, et solus homo viator, baptizatus et mentis compos.

Nota. Perpetuo amentibus est Communio deneganda; si vero non sint perpetuo tales, potest dari, cum habeant aliquod lucis intervallum; ex quo bene multi inferunt sufficere ad dandam Eucharistiam fatuo in mortis articulo, ut ipse dudum pie vixerit. — Est deneganda mutis, surdis ac simul caecis a nativitate, cum in illis nulla discretio inveniri possit. Excipe, si habeant aliquam cognitionem principalium veritatum Religionis. Ita Scavini. — Neganda est pariter obsessis, si non sint sui compotes, qui ceteroquin ex Angelico (3 p., q. 80, n. 9) pluries in anno recte communicant; cum Communio sit speciale remedium ad daemones arcendos. — Capite damnatis Communio danda est, etiam non jejunis; talis est consuetudo, quam ubique ab Episcopo invehendam esse monet Benedictus XIV (de Synod. Dioec., l. 7, c. 11). Imo contrarium usum improbat S. Pius V.

Q. Quae dispositiones requiruntur ad suscipiendam Eucharistiam?

R. Duplicis sunt generis: aliae ex parte animae, aliae ex parte corporis. — *Ex parte corporis* sunt:

1° Munditics, seu immunitas a pollutione, etiam inculpabili, praecipue, ait D. Thomas, q. 80, a. 7, quando cum turpi imaginatione contingat.

2° Jejunium naturale, consistens in eo quod nihil omnino per modum cibi et potus, vel medicinae a medio noctis illius diei, quo communicat, ab ore in stomacum trajiciatur. Hoc praeceptum obligat sub mortali; non tamen de jure divino, sed jure apostolico,

ut censet Augustinus (Epist. 54 ad Januarium). — Hoc praeceptum non admittit parvitatem neque ex parte temporis, neque ex parte rei.

3° Compositio, consistens in eo, quod nihil communicandus in oculis, vultu, incessu atque vestitu praeseferat, quod eos dedeceat, quibus dictum est: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* 1 ad Corinth., cap. 6.

Nota 1ª. Ad actum conjugalem quod spectat, dicimus: 1° Illum exercere post Communionem tam in petendo, tam in reddendo, juxta communiorem sententiam nullum esse peccatum. 2° Ante Communionem illum exercere ob solam voluptatem, et ea die communicare, erit veniale. Ita communiter Concina, Lugo, Salmant., et alii cum D. Thoma. Ab hac tamen levi culpa quaevis levis causa excusat, ut dicunt Antoine et alii. — Unde Confessarius mulieri interroganti quid agere debeat, si ipsa die Communionis vir debitum petat, respondeat, si frequenter se communicet, ut reddat, et communicet. Si vero praecipuis tantum solemnitatibus communicet, illi suadeat, ut precibus (non tamen nimis importunis) compartem roget, ut velit se abstinere; si nolit, poterit reddere et communicare.

Nota 2ª. Frangeret jejunium, qui noctu, immisso saccharo in ore adhuc aliquid trajiceret post mediam noctem, esset enim continuata comestio. — Item frangeret jejunium, qui lavando os, vel degustando jusculum etc., aliquam guttulam cum saliva voluntarie trajiciat; non autem frangeret si guttae casu trajiciantur, quae tamen non sint in magna quantitate. Ita S. Thomas et omnes alii.

Quoad reliquias cibi in ore relicti dubium est an jejunium frangat, qui eas voluntarie deglutit. Negant probabiliter Suarez, Elbel, etc. — Alii tamen communius cum Layman, Tournely, D. Thoma (3 p., q. 8, ar. 8 ad 4) et aliis affirmant: haec sententia videtur probabilior, quia videtur nova comestio. Sed nos dicimus cum Lugo ac Benedicto XIV (de Sacr. Miss., lib. 3, cap. 12), Scavini, quod reliquiae a dentibus apulsae debeant expui. Sed si illae ob notabilis diligentiae deficientiam deglutiantur, erit per modum salivae.

Nota 3ª. Non solvitur jejunium, si edantur res omnino indigestibiles, ut capilli, ungues, metallum, fila ex lana, ossicula fru-

ctuum omnino depurata. — Secus esset si res alterari a stomacho, et in substantiam hominis converti possit.

Ex parte animae sunt tres: 1° Status gratiae: *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (1 ad Corinth., cap. 11). 2° Immunitas a censura, cum haec spiritualibus bonis privet. 3° Sacramentalis confessio et absolutio in eo, qui sibi mortalis culpae conscius est; adeo ut eo in casu ei nullimode sufficiat contritionem perfectam elicere, nisi urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, et simul desit Confessarius.

Nota 1ª. Quae necessitas debet esse gravis, adeo ut judicio prudentum censeatur divinum ac positivum illud praeceptum cessare. — Esset autem gravis necessitas, si Communio, vel celebratio omitti non posset sine scandalo, vel infamiae nota.

Nota 2ª. Nonnulli dictis animae dispositionibus addunt legitimam praeparationem et singularem reverentiam.

Nota 3ª. Quod, si necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, *teneretur confiteri quam primum*, ita Tridentinum. Sed hoc praeceptum communissime et satis probabiliter est factum pro solis sacerdotibus.

Q. Quid de illo, qui post confessionem rite peractam recordatur alicujus mortalis ex inculpabili oblivione non declarati; teneturne illud confiteri antequam communicet?

R. Affirmant communius; cum mortalis vere ille sit conscius. — Attamen plurimi recentiores cum Gury et aliis contrarium docent quoad illum, qui universali peccatorum suorum dolore confessus est. Nam qui bona fide est confessus, vi Sacramenti justificatus est; et ideo sufficienter se probavit. Sed usus laudabilis illud confitendi ante Communionem suadendus est; non autem obligationis norma.

Q. An quis non praemissa confessione possit accedere ad sacram Synaxim cum peccato mortali dubio seu probabili?

R. Affirmative, rigorose loquendo. Quia Concil. Trid. requirit confessionem ante Communionem pro iis tantummodo, qui sunt conscii peccati mortalis. — Sed in praxi confessio consulenda est.

Q. Quid notandum circa Communionem frequentem?

R. Sequentes regulae sunt notandae: 1ª. Communio semel in mense nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda; etiamsi vitam degant negotiis saecularibus implicatam. Ita omnes.

2ª. Communio hebdomadaria permittenda est, imo et consulenda iis, qui graves culpas ex habitu non committunt. Ita S. Ligorius, n. 149.

3ª. Communio frequens, seu pluries in hebdomada, permitti potest, aut etiam consuli iis fidelibus qui, licet debiles, officia boni christiani servant, nec in culpas deliberatas saepius labuntur. Ita S. Lig., n. 150.

4ª. Communio quotidiana concedenda iis est, qui carent affectu etiam in culpas leves, malasque cupiditates majori ex parte superarunt, et ad christianam perfectionem serio tendere conantur.

CAPUT IV.

De effectibus Eucharistiae.

Q. Quot sunt effectus Eucharistiae?

R. Praecipui sunt septem, nempe: Primus est spiritualis animae nutritio, juxta illud Christi: *Caro mea vere est cibus*, Joan. c. 6; et consistit tum in augmento gratiae sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales, necessarias ad conservandam charitatem et unionem cum Christo.

Secundus est liberatio a peccatis venialibus et praeservatio a mortalibus, juxta illud Concil. Trid., sess. 13, cap. 2: *Est antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur.*

Tertius est ineffabilis unio cum Christo ex Concil. Florent: *Hujus Sacramenti effectus... est adunatio hominis ad Christum.*

Quartus est imminutio fomitis peccati: *Diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem*, ait D. Thomas, 3 p., q. 79, ar. 6 ad 3.

Quintus est pignus futurae gloriae et semen resurrectionis; Joan., c. 6: *Qui manducat hunc Panem, vivet in aeternum... resuscitabo eum in novissimo die.*

Sextus remittit per accidens peccatum mortale, ut supra diximus de Sacramentis in genere.

Septimus est remissio poenae temporalis peccato debitae, sed tantum indirecte. quatenus excitat fervorem charitatis.

Q. Quandonam Eucharistia in suscipiente producat suum effectum?

R. Tunc producit, cum in stomachum projecta est; quia tunc verum est dicere, quod nutriat vitam spiritualem animae.

Q. Utrum affectus ad peccatum veniale impediat effectum Eucharistiae?

R. Licet impediat fervorem charitatis et dulcedinem refectionis actualis; non tamen impedit augmentum gratiae habitualis, vel charitatis, ut docet D. Thomas, q. 80, ar. 8.

Q. Utrum Eucharistia quatenus est Sacramentum aliis, quam sumentibus prodesse possit?

R. 1° Non potest prodesse *directe et ex opere operato*, quia per modum cibi fuit instituta; at cibus non prodest, nisi sumenti.

R. 2° Potest prodesse *indirecte et opere operantis*, si nimirum communicans in aliorum gratiam Communionem suam offerat.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO

CAPUT I.

De essentia, efficacia, et valore Sacrificii Missae.

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSAE.

Q. Quomodo definitur sacrificium proprie dictum?

R. Definitur: *Oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta per realem hostiae immutationem ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas et nostram subjectionem.*

Dicitur *externa rei sensibilis*, ut excludatur a ratione sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis se suaque Deo offert. — *Legitime instituta*, nempe a Deo qui hanc sibi potestatem in utroque Testamento reservavit. — *Soli Deo facta*, quia est cultus latriae. —

Per realem hostiae immutationem, quae fit per destructionem, quomodo animalia occidebantur. — *Ad testandum*, ut habeatur finis sacrificii.

Q. Quomodo in Lege veteri sacrificium dividebatur ratione materiae?

R. Dividebatur *in victimas*, quae erant ex animantibus. — *In immolationes*, quae erant ex rebus inanimatis, sed solidis, v. g. farina, pane etc. — Et *in libamina*, quae erant ex rebus liquidis.

Q. Quomodo dividēbatur ratione formae, seu modi?

R. *In holocaustum*, in quo res oblata tota cremabatur. — *In hostiam pro peccato*, cujus pars una cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex ea vescebantur. — Et *in hostiam pacificam*, cujus una pars cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum et offerentium.

Q. Quomodo nunc dividitur ratione finis?

R. Dividitur *in latreuticum*, quod offertur ad Deum latria colendum. — *In eucharisticum*, quod offertur ad gratias Deo referendas pro beneficiis ab eo acceptis. — *In impetratorium*, quod offertur ad obtinenda a Deo beneficia. — Et *in propitiatorium*, quod offertur pro remissione peccatorum.

Nota 1ª. Aliud est *absolutum*, quod est per se tale absque relatione ad alterum; tale fuit Christi sacrificium in ara Crucis. — Aliud *relativum* seu *commemorativum*, quod videlicet non est sacrificium, nisi virtute alterius, ad quod refertur, cujus est commemoratio, seu repraesentatio; tale est Missae sacrificium.

Nota 2ª. De natura verae Religionis est, ut quoddam sacrificiorum genus offeratur Deo; ait enim Angelicus 2, 2, q. 85, a. 1: *Ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitae subjectionis et honoris.* Hinc sacrificiorum usus caepit ab ipso mundi principio.

Q. Utrum Missa sit verum ac proprie dictum sacrificium?

R. Affirmative, et de fide est definitum contra Calvinistas, Socinianos et alios a Concil. Trid., sess. 22, can. 1: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Ratio est, quia in Missa fit oblatio externa rei sensibilis, idest Corporis et Sanguinis Christi, quae sunt sensibilia per pecies panis et vini; et fit per realem hostiae immutationem; quia Christus victima in Missa mystice immolatur, quatenus vi verbo-

rum, tanquam gladio spirituali, Sanguis ejus a Corpore separatur ad recognoscendum Dei dominium.

Q. In quo consistat essentia sacrificii Missae?

R. Controvertitur: probabilius consistit in sola consecratione; quia in sola consecratione inveniuntur omnia requisita ad sacrificium constituendum, nempe oblatio, et mystica victimae destructio, seu immolatio. Ita communius. Attamen non pauci tenent, essentiam sacrificii consistere in consecratione, et partialiter in sumptione; quia in consecratione ponitur victima, et in sumptione consumitur. Quam opinionem uti probabiliorem habuit S. Lig. n. 305.

Sed prima sententia videtur rationabilior; nam vi verborum in consecratione, Corpus separatur a Sanguine, et ideo Christus ibi est, ut immolatus: unde sumptio requiritur ad perfectionem integralem sacrificii, sed non ad essentiam.

Q. Utrum ad essentiam sacrificii necessaria sit utriusque speciei consecratio?

R. Affirmative. Nam in iis, quae sunt institutionis divinae, quidquid est necessarium jure, et praecepto divino, ad essentiam rei institutae pertinet: atqui consecratio utriusque speciei est necessaria jure et praecepto divino, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo etc. Pariter sacrificium Crucis debet repraesentari per effusionem sanguinis: atqui talem effusionem proxime et immediate repraesentat utriusque speciei consecratio, mors vero non nisi mediate et consequenter, ergo etc.

Nota. Missa nuncupatur a verbo mittere, quia Christus ibi est hostia a Deo missa, vel juxta alios, quia in fine sacrificii populus dimittitur, dicente sacerdote, vel diacono: *Ite, missa est.*

ARTICULUS II.

DE EFFICACIA, ET VALORE SACRIFICII MISSAE.

Q. Quid sua efficacia comprehendat Missae sacrificium?

R. Comprehendit omnia antiquae legis sacrificia. Nam: 1° Est *latreuticum;* offertur enim Deo ad testandum supremum ejus in omnes creaturas dominium.

2° Est *eucharisticum;* nam offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis.

3° Est *impetratorium;* nam habet vim impetrandi omnia benefi-

ciorum genera, in hypothesi, quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem.

4° Est *propitiatorium;* quia est institutum in remissionem peccatorum, juxta illud Matth. c. 26 : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Q. Utrum valor sacrificii Missae sit infinitus?

R. 1° Est infinitus ex parte rei oblatae, et quoad sufficientiam; nam idem est cum sacrificio Crucis, *sola offerendi ratione diversa*, ait Concil. Trident. sess. 22, can. 2. Atqui sacrificium Crucis valore et pretio est infinitum : ergo etc.

R. 2° Est finitus, et determinatus quoad applicationem, quia creaturae percipiendi infinitum fructum non sunt capaces; potest autem applicatio esse major, vel minor, prout dispositio seu capacitas illius, cui applicatur, major vel minor exstiterit.

Q. Utrum applicatio fructus sacrificii sit ad certum gradum restricta, vel fiat indefinite juxta capacitatem illorum, pro quibus offertur?

R. Controvertitur. Prima sententia multo probabilior contendit, applicationem fieri indefinite juxta capacitatem fidelium, pro quibus offertur. Et haec est sententia hodie communissime recepta, ait S. Lig. n. 312. Ratio est, quia valor sacrificii est in se infinitus, unde per se potest applicari innumeris hominibus, quin exhauriri possit. Ergo si sacrificium offeratur pro centum hominibus, singuli tantum percipiunt fructum, quantum perciperet unicus ille, pro quo solo offerretur.

Secunda sententia tenet, fructum Missae ad certum gradum esse restrictum; quia affectus est limitatus in certa quantitate ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut ex opere operato certum satisfactionis gradum produceret, independenter ab hominum dispositione; sed non negant hunc fructum augeri posse ex opere operantis. — Nos primam sententiam amplectimur; quia secunda sententia gratuito prorsus affirmat dictam restrictionem factam a Christo fuisse.

Nota. Quamvis sacerdos unum idemque sacrificium pro pluribus applicare possit, non tamen fas ipsi est plura recipere stipendia. Id enim Ecclesiae decretis est interdictum : et Alexander VII damnavit hanc propos. : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et unum sacrificium offerre.*

Q. Quotuplex sit fructus sacrificii Missae?

R. Fructus sacrificii Missae distinguitur ex duplici capite, nempe ex parte offerentis, et ex parte victimae.

Ex parte offerentis, cum duo sint offerentes, Christus nempe et sacerdos, hinc duplicis generis est fructus Missae. Prior provenit ex Cristo offerente, et dicitur ex opere operato; quia recipitur intuitu meritorum Christi et ejus promissionis. — Alter provenit ex sacerdote, et dicitur ex opere operantis.

Ex parte victimae: et triplex distinguitur, scilicet generalis, specialis, specialissimus.

1° Fructus generalis ille est, qui respondit sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote, prouti operatur nomine totius Ecclesiae; et omnes fideles, quamvis sacerdos de eis non cogitet, hunc fructum percipiunt; sed ipsis tribuitur per modum impetrationis, quae complectitur etiam propitiationem; non vero per modum satisfactionis.— De fructu hoc generali abundantiori modo participant adstantes sacrificio, et a fortiori ad illud cooperantes, v. g. sacerdoti inservientes etc. Iste autem fructus, utpote ex opere operantis, eo uberior est, quo major est devotio, et sanctitas assistentium et cooperantium.

2° Fructus specialis est ille, qui advenit ei, vel illis, quibus sacerdos specialiter sacrificium applicat: Hi ex opere operato participant de sacrificio, ut est impetratorium et propitiatorium; imo etiam (modo nihil obstat) ut est satisfactorium.

3° Fructus specialissimus ille est, qui obvenit sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens. An vero hunc fructum applicare possit aliis sacerdos, incertum est. Illud tamen est certum, non posse sacerdotem fructum hunc specialissimum ita alteri applicare, ut aliud inde stipendium recipiat.

CAPUT II.

ARTICULUS UNICUS.

DE MINISTRO, ET IIS PRO QUIBUS APPLICARI POTEST SACRIFICIUM MISSAE.

Q. Quinam sit principalis offerens in sacrificio Missae?

R. Est Christus, qui ideo dicitur *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* quia sacrificium Corporis, et Sanguinis sui

sub speciebus panis, et vini offert, ministerio sacerdotum, usque ad consummationem saeculi.

Q. Quinam sit sacrificii Missae minister?

R. Sunt soli sacerdotes, rite per Episcopum ordinati, quibus solis Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Q. Qualis requiratur intentio in Missae applicatione?

R. Requiritur, et sufficit intentio habitualis non retractata; nam illa applicatio se habet per modum donationis, quae valida est donec retractetur. Hinc qui in principio mensis, hebdomadae etc. determinat Missas celebrandas, vel legatum suscipit adimplendum, sufficit etsi ad intentionem non amplius attendat.

Q. Si sacerdos immemor prioris intentionis novam celebrando eliciat, quaenam valida censeri debeat?

R. In genere definiri nequit Videat sacerdos, qualis intentio in ejus mente praedominans fuit. Caeterum in praxi parvi refert; etenim cum alterutra certo valida sit, satis erit alia vice Sacrum ei applicare, cui applicatum non fuit. Et in nostra sententia videtur applicatum non fuisse personae prioris intentionis, quia magis praedominat intentio actualis, quam habitualis, vel virtualis.

Q. An intentio celebrantis debeat esse explicite determinata?

R. Negative. Sufficit, ut determinetur implicite. Sic valet applicatio, si dicas: *Offero hoc sacrificium pro eo, qui dedit stipendium — pro quo superior vult Sacrum fieri — pro quo exigit fundatio — pro maximo peccatore — pro anima graviori tentatione afflicta — pro anima purgante majori auxilio indigente, aut magis Deo grata — pro eo, cui applicare teneor, etc.* E contrario non valet ista applicatio: *Offero, ut Deus Sacrum istud applicet.* Ita Gury.

Q. Si sacerdos acceperit stipendia a decem personis, an satisfaciat celebrando cum intentione confusa, et indeterminata?

R. Negative omnino; quia requiritur intentio determinata, saltem ad certam personam; alioquin nulla est ratio, cur uni, potius quam alteri Missa applicetur, et sic nulli applicaretur. Ita S. Lig. n. 325. Attamen si quamlibet Missam intenderet applicare decem illis personis obligationi satisfaceret, quia facto decimo sacro satisfecit quod debebat unicuique.

Nota. Haec specialis applicatio praestat, ut fiat ante celebrationem, ut ab omnibus difficultatibus se expediat sacerdos. Si ante, vel in ipsa consecratione, saltem secundae speciei non fuit applicatum, non amplius potest valide applicari (saltem adaequate, et

complete); quia sacrificium producit effectum quando existit; a consecratione vero incipit: ergo etc. Ita Scavini.

Q. Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur, ut in piis peregrinationibus evenire solet?

R. Intentio primum facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia.

Q. An valeat applicatio facta vivo, quem credis mortuum, si tantum pro eo jam mortuo celebrare debuisses?

R. Gury prorsus negat; quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo sacrificium offertur. Unde sacerdos ob ejusdem errorem jacturam stipendii sui subire debet.— Attamen nos amplectimur sententiam Ballerini, qui affirmat; nam satisfactorius sacrificii fructus etiam vivo prodesse potest, et a purgatorii poenis postea eximere.

Q. Pro quibus licet offerre Missae sacrificium?

R. 1° Offerre licitum est pro omnibus fidelibus, sive justis, ut eis prosit ad augmentum justitiae; sive peccatoribus, ut eis prosit ad poenitentiam. 2° Rite offertur pro animabus purgatorii, ut definivit Concil. Trident. sess. 22, can. 3: *Si quis dixerit Missae sacrificium... neque pro vivis et defunctis offerri debere, anathema sit.*

Q. Pro quibus non licet offerre Missae sacrificium?

R. 1° Non licet offerre pro haereticis, schismaticis, et excommunicatis, pro quibus Ecclesia prohibet directe offerre tanquam vitandis. 2° Pro damnatis; quia, cum *in inferno nulla sit redemptio*, non sunt capaces fructus sacrificii.

Nota. Cum non adsit specialis prohibitio Ecclesiae directe offerendi pro haereticis, schismaticis, excommunicatis, recte potest sacrificium offerri pro istis, ut eos Deus ad fidei unitatem, et resipiscentiam reducat. Imo et pro catechumenis, ut in fide confirmentur: et probabilius pro infidelibus, ut ad fidem veniant.

Q. Utrum Missae sacrificium offeratur Sanctis?

R. Non offertur Sanctis; sed Deo in honorem Sanctorum, ut definivit Concil. Trident. sess. 22, can. 3: *Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Q. An Missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi?

R. Affirmative. Etenim Missa utiliter offertur pro defunctis, ut constat ex Trid. sess. 22, cap. 2 et can. 3. Porro id fieri nequit, nisi ex Christi promissione, quae perhibetur Matth. c. 26, v. 28:

Hic est Sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Attamen poena temporalis non remittitur defunctis certa lege; sed solum per modum suffragii iis prodest, prout Deo placuerit illud acceptare. Ita Gury, et Perrone tom. 8, n. 282.

Q. An Missa *de requiem* magis prosit defunctis, quam Missa de Sanctis ?

R. Negative quoad substantiam, seu ex parte sacrificii; quoad accidentalia utique, seu ex parte orationum. Sed huic suppleri potest per intercessionem Sancti, de quo Missa celebratur, et etiam per devotionem. Ita S. Lig. n. 309 post S. Thomam, Sup. p. 71, art. 9.

Nota. Missa *de requiem* applicari potest pro vivo; modo qui eleemosynam tribuit, expresse oppositum non declaraverit. S. C. Rit. 29 novemb. 1856.

CAPUT III.

ARTICULUS UNICUS.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE OFFICII, ET RATIONE STIPENDII.

Q. Quid dicendum de Parocho duabus parochiis praeposito ?

R. Duplicem Missam tenetur applicare recurrentibus fêstis, nisi unio duarum parochiarum sit *plenaria* et *extinctiva*, ita ut ex duabus ecclesiis parochialibus una prorsus ob extinctionem tituli alterius evaserit. S. Congr. 11 mart. 1774.

Onus illud a fortiori Episcopis incumbit post adeptam sedis possessionem. — Missionarii autem, et Vicarii Apostolici Missas applicare minime tenentur. S. Cong. de Propag. Fide, apr. 1862.

Q. Si Parochus Vicarium deputaverit ad Missam pro populo celebrandam, an stipendium ipsi tribuere debeat ?

R. Affirmative: quia ad Parochum pertinet curare, ut Missa parochialis seu pro populo celebretur, nec Vicarius tenetur stipendio carere.

Q. An Parochus, qui non potuit sibi alium substituere ad celebrandum pro populo uno, vel altero die infra tempus Secessus (*ritiro*), teneatur postea ad totidem Missas applicandas pro populo ?

R. Affirmative, ex responso S. C. Conc. die 14 dec. 1859.

Q. Quo titulo liceat sacerdoti stipendium pro Missa accipere?

R. Potest stipendium accipere : 1° Pro honesta sustentatione, juxta illud: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?* (1 ad Cor. cap. 9). 2° Pro labore Missae extrinseco, v. g. quod tali hora, loco etc. sit celebranda.

Nota. Justum autem stipendium illud est, quod usu recepto, vel taxa Episcopi est determinatum. Cui regulae etiam Regulares sub gravi conformare se debent ex S. Congr. decreto apud Benedictum XIV, Instit. 56, n. 10. Ita S. Lig., n. 320. — Attamen sicut ex charitate, vel amicitia stipendium minus admitti potest, ita etiam ex dantis liberalitate majus recipere fas est. Potest pariter sacerdos plus recipere pro labore extraordinario, v. g. pro Sacro celebrando tali hora.

Q. An graviter peccet sacerdos, qui, accepto stipendio, Missam celebrare differt?

R. Affirmative; quia violat contractum in re gravi. Constat etiam ex decretis S. Congr. Concilii, anno 1652. Ita S. Lig., n. 317.

Q. Quaenam dilatio gravis censeatur?

R. Controvertitur. Gravis sane videri potest dilatio, quae tres menses excedit. Ita communiter cum S. Ligorio. — Probabilius non peccat graviter sacerdos, qui Missam promissam intra duos menses celebrat. Hinc Urbanus VIII decrevit non licere sacerdoti Missis sese onerare, quibus intra duos menses non potest satisfacere. Hanc amplectimur sententiam.

Attamen peccat graviter sacerdos, quoties Missam pro aliqua instante gratia (v. gr. pro puerpera, agonizante) impetranda, petitam ac promissam intra tempus circumstantiis aptum celebrare omittit; et idcirco tenetur acceptum stipendium restituere, licet deinceps celebraverit; quia non datur stipendium, nisi sub illa conditione.

Nota. Si tribuens eleemosynam pro Missarum celebratione, sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, id non prohibetur. Ita S. Congr. Conc.

Q. An peccet graviter sacerdos omittens celebrare Missam, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis?

R. Affirmative; quia qui dedit stipendium notabile detrimentum spirituale patitur. Ita S. Lig. et alii communiter.

Q. An, vel quomodo peccet omittens Missam gratis promissam?

R. 1°. Non peccat, quoties non adest verae promissionis contractus, sed promittens benevolum tantum propositum ostendit.

R. 2°. Probabilius peccat venialiter tantum, quando vera intercessit promissio, quia simplex promissio non obligat sub gravi, nisi promittens expresse sub gravi, et ex justitia se obliget. Ita Lugo, Gury, etc.

Nota. Potest sacerdos per unum Sacrum satisfacere pluribus Missis gratuito promissis; quia Missae gratuito promissae nequaquam obligationem contractus proprie dicti inducunt, nec urget ratio justitiae; nulla enim percipitur retributio. Ita Elbel, de contr., n. 337, Gury, etc.

Q. An simoniae reus sit sacerdos, qui praecipue intuitu stipendii celebret?

R. Negative per se, nisi nempe stipendium, ut verum celebrationis pretium habeat, ut diximus de simonia. — Nec ulla labe maculatur, qui accepto stipendio ad celebrandum determinatur, licet alias Sacrum fuisset omissurus; tunc enim non ratione stipendii, sed obligationis adimplendae movetur. Ita communiter.

Q. Utrum sacerdos, qui pingue accepit stipendium, possit alium sacerdotem hac Missa onerare pro minori, licet justo stipendio?

R. Non potest; quia nullum titulum habet retinendi, ut definierunt Urbanus VIII et Alexander VII.

Excipe 1°. Nisi excessus stipendii traditus fuerit intuitu personae, amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis. 2° Aut si alter sacerdos omnino sponte et non rogatus, excessum remittat. Ita S. Lig., n. 321, et alii communiter.

Nota. In Const. *Apost. Sedis* Pius IX inflixit poenam excommunicationis latae sententiae Papae reservatae tam Clericis, quam laicis colligentibus eleeemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantibus, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

Q. An qui retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem?

R. Affirmative, ut probabilius ac communiter docent; quia celebrans jus habet ad illud totum stipendium; ideo sacerdoti celebranti restituendum est.

Q. An sacerdos, cui offertur pingue stipendium pro hodierna Missa, possit, hoc retento, rogare alium sacerdotem, ut celebret pro ipso, promittens celebrare die sequenti pro eodem, qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus?

R. Controvertitur. Prima sententia negat, quasi hoc non possit excusari a specie turpis lucri. — Secunda sententia affirmat cum Lacroix, n. 134, et aliis; Ballerini docet hanc secundam sententiam esse longe probabiliorem et communissimam, piorum prudentumque sacerdotum praxi comprobari; cum ipso nos sentimus.

Q. Quomodo taxandae sint Missae, pro quibus legendis testator summam aliquam pecuniae reliquit?

R. Taxandae sunt juxta loci consuetudinem, vel Dioecesis legem pro Missis privatis vigentem. Si autem taxavit ipse testator, sed infra loci morem, aut taxae receptae normam, ab Ordinario juxta debitam proportionem Missae sunt reducendae. Ita S. Lig., n. 320 post S. Congr. declarationem.

Nota 1ª. Sacerdotes divites stipendium accipere possunt; quia quisque operarius sive dives, sive pauper, mercēde sua dignus est. — Pariter moderator diarii religiosi certum numerum celebrandarum Missarum a clientibus loco annui stipendii acceptare potest. Constat ex declaratione S. Poenitentiariae, die 6 octob. 1862.

Nota 2ª. Sacerdos ad bonos libros divulgandos non potest per stipendium certis Missis a se celebrandis aequivalens eos emere, et postea vendere pretio currente in librorum commercio, ita ut notabile lucrum inde percipiat; quia quaelibet negotiatio occasione Missarum celebrandarum ob turpis lucri speciem interdicitur. Constat ex responsione S. Poenitentiariae, die 19 novemb. 1863. Intellige juxta Ballerinum hanc turpitudinis rationem petendam esse ex negotiatione, quae fit ope Missarum; non vero si emas libros, et pro stipendio aequivalenti Missas applices.

Q. An administratores ecclesiarum possint aliquid sibi retinere ex Missarum eleemosynis pro expensis altarium, luminum etc.?

R. Negative, nisi ecclesiae alios reditus non habeant; et tunc nullatenus ēxcedi debet valor expensarum, quae pro ipso Missae sacrificio necessariae sunt. Ita statuit S. Congr. Concilii. — Archipresbytēr autem non tenetur ad ministranda utensilia celebrantibus adventitiis, nisi expensis eorum solutis. Ita S. Congr., die 18 martii 1686; S. Lig., n. 322.

Q. An restituere debeat, qui accepto stipendio ad Missam in altari privilegiato celebrandam, eandem in alio altari celebrat?

R. Negandum videtur. Si tamen stipendium majus ordinario ad hoc acceperit, ēxcessum restituere tenetur. Ita S. Lig., n. 229, et alii. — Si autem quis accipiat stipendium, ut celebret in loco

certo v. gr. ad statuam miraculosam, etc.; vel certo tempore, ita ut locus, vel tempus per se intendatur, non potest retinere stipendium, nisi Missam tempore et loco praescripto legerit; quia alias dans stipendium graviter invitus censetur. — Secus vero, si tempus, vel locus per se non intendatur. Ita Gury, cui subscribimus, licet Ballerini contrarium sentiat.

Nota. Obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto debet legere Missam *de requiem*, quando ritus id permittit, quia ad indulgentias lucrandas id requiritur. Diebus vero, quibus prohibentur Missae *de requiem*, sacerdos lucratur indulgentias legendo Missam diei, ut pluries a S. Congr. declaratum est. — Pariter obligatus ex stipendio ad legendam Missam *de requiem*, vel votivam, satisfacit, si aliam Missam dicat; quia Missa eadem est quoad substantiam; et si adsit justa ratio, nullum erit peccatum. Qui autem absque legitima ratione id facit, a peccato veniali excusari non potest; nec propria devotio ut ratio sufficiens habetur. Ita S. Lig. n. 328.

Q. An stipendium percipi possit pro Missa in die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebranda?

R. Affirmative; quia non omnes sacerdotes tenentur hac die Missam applicare pro omnibus defunctis, imo nec celebrare obligantur. Constat ex decreto S. Congr., die 4 aug. 1663. Unde stipendium pro Missa accipi potest. Ita communiter.

Q. An valeat applicatio pro primo offerente?

R. Est graviter illicita, et eam prohibuit Paulus V *uti periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, et a vetusto Ecclesiae more aberrantem.* Imo probabilius est etiam invalida, si causa applicationis hic et nunc non existat; nam Missae effectus non potest suspendi (idem autem est de conditione futura). — Quod si causa de facto vere existat, applicatio est valida.

Nota. Cappellanus licet amovibilis, beneficiatus et aliis, quibus commissa est Missarum celebratio, et reditus certi annuatim sunt constituti, possunt celebrationem Missae ex propria cappellania, Beneficio, vel legato debitae alteri sic tradere, modo alteri tribuant taxam communem a consuetudine, vel Episcopo statutam pro Missis manualibus. Constat ex Bulla *Nuper* Innocentii XII.

Q. Utrum beneficiarius, qui ratione Beneficii tenetur certis diebus celebrare, possit pro eadem Missa stipendium ab aliis accipere, eisque fructum sacrificii applicare?

R. Non potest; quia duplicatum acciperet pro eadem Missa. Attamen communissime docent ipsum quater, vel septies posse in anno pro se celebrare, vel pro amico aut conjunctis, modo stipendium non accipiat; quia in hoc rationabiliter praesumitur consensus fundatoris. Imo dicunt ipsum posse reverentiae causa abstinere a celebrando semel in hebdomada; hoc tamen non valet, vel si de contraria fundatoris voluntate constet, vel si intersit ecclesiae, ut quotidie celebretur, vel si in fundatione id prohibitum sit.

Q. Quid si beneficiatus infirmetur?

R. Si infirmitas est brevis, beneficiatus non tenetur celebrare per alium, nisi velit expresse fundator. — Sed in assignanda brevitate infirmitatis Theologi non conveniunt; communior, et pro ea Pitonius affert declarationem S. Congr., die 27 novemb. 1695, docet cum Bonacina, Diana et aliis esse dies 15. — Quod si infirmitas diutius perseveret, tunc beneficiatus tenetur omnino per alium celebrare. vel dispensationem expostulare. Ita Scavini.

§ unicus. *De reductione Missarum.*

Q. Si deficiant reditus, potestne beneficiatus Missas minuere?

R. Si deficiant ex toto et sine sua culpa, beneficiatus non tenetur Missas Beneficii celebrare, ut definivit S. Congr. Concilii; si vero deficiant tantum ex parte, distinguendum est: vel fundator ipse congruam eleemosynam designaverit pro qualibet Missa, vel eleemosynam designavit in genere tantum. Si primum, certum videtur posse ex se beneficiatum Missas imminuere; sicut ex se tenetur augere Missas, si augeantur annui reditus. — Si secundum, recurrendum est ad S. Sedem pro Missarum reductione.

Nota. Episcopus non potest reducere, sed tantum suprema Sedes ut S. ipsa Concilii Congr. declaravit, approbantibus Urbano VIII et Innocentio XII. — Causa autem reductionis comprobari debet ex Episcopi testimonio; et insuper semper auditis patronis et interesse habentibus.

Q. Reductione facta ob minutionem redituum, si isti notabiliter augeantur, sint de novo augendae Missae?

R. Alii negant; quia gratia absolute facta debet esse mansura. — Alii affirmant; quia est facta semper sub conditione si causa perduret, et talis praesumitur intentio dispensantis. Hanc secundam sententiam amplectimur.

Q. An liceat Episcopis propria auctoritate in aliquo casu reducere onera Missarum?

R. Affirmative, et in tribus casibus, nempe: 1° Si deprehendat in prima oneris acceptatione reditus non respondere oneri; quae facultas insurgit ex tenore decretorum de hac re ab Urbano VIII editorum. 2° Si testator in ultima voluntate, vel alibi facultatem fecit Episcopo Missas ab eodem legatas reducendi, ex justa causa. 3° Si onus impositum acceptatumque fuit inter vivos virtute conventionis initae cum Episcopo.

Nota. Tempore sacrae visitationis habent Episcopi plures facultates tum quoad reducendas, tum quoad condonandas Missas, aliaque componenda, non quidem proprio jure; sed quia in illa circumstantia facultates illas impetrant a S. Sede.

Q. In casu, quo pereant in parte, vel in toto reditus legati debet ecclesia, vel provisus celebrare praescriptum numerum Missarum?

R. Si testator, qui adjudicabit alienae ecclesiae onus Missarum dixit: *Volo tot Missas in perpetuum celebrari in ecclesia N. pro anima mea, etc.; pro quibus assigno talem quantitatem*, legatum dicitur *demonstrative* erectum; unde si reditus diminuantur, vel pereat fundus, haeres hujus testatoris tenetur aliunde supplere ex bonis legantis. — Si vero legatum in sua fundatione incipit a quantitate, v. g. si dixit testator: *Titulo legati relinquo tali ecclesiae tale praedium, vel tales numero reditus, ut in eadem pro anima mea singulis annis in perpetuum celebrentur tot numero Missae*, dicitur legatum *taxative* fundatum, et hoc in casu quacumque diminutione aut deperditione redituum contingente, haeres non tenetur supplere, sed datur locus reductioni ex Tridentino. Ita S. Congr. Conc.

Q. Quid agendum a sacerdote, qui plures Missas reliquit non adimpletas, neque eas celebrare potest?

R. Recurrendum pro compositione, seu condonatione ad Summum Pontificem, qui per Congregationem fabricae S. Petri eam benigne concedit, deposita ab oratore nominando aliqua eleemosyna in favorem dictae fabricae, bene perpensa paupertate petentis.

Nota 1ª. Pro obtinenda compositione requiritur quod non fuerit omissa celebratio animo habendi compositionem; alias gratia non suffragatur. Neque sit recidivus; si enim talis sit, debet exprimere in supplicatione, ex stylo Curiae, condonationem jam habitam. Pariter exprimendum an jam fuerit obtenta aliqua imminutio

illarum Missarum, quae adhuc imminui petuntur, esset enim reductio de reductione.

Nota 2ª. Si agatur de foro interno, ut si quis omiserit celebrare Missas, de quarum omissione publice non constat, si impotens ad eas celebrandas, fit recursus ad S. Poenitentiariam pro condonatione per Confessarium reticendo verum nomen poenitentis.

CAPUT IV.

De tempore, loco, duratione, caeremoniis, defectibus et interruptione Missae.

ARTICULUS I.

DE TEMPORE, ET LOCO CELEBRATIONIS.

Q. Quo tempore liceat celebrare?

R. Quolibet die, exceptis die Parasceves pro omnibus Missis, et Sabbato sancto, ac Feria 5 in Coena Domini, in quibus diebus unica Missa solemnis dici potest.

Q. Qua hora licet celebrare?

R. Ab aurora ad meridiem, ut fert consuetudo Ecclesiae firmata a Pio V, Const. *Sanctissimus*.

Excipitur: 1° Tantum prima Missa Nativitatis Domini, quae celebratur media nocte. 2° Casus necessitatis, v. gr. ut morituro ministretur Viaticum, quo casu liceret etiam media nocte celebrare: pariter causa itineris per horam post meridiem, vel ante auroram licet antevertere. 3° Consuetudo legitime praescripta, vel ab Episcopo saltem tacite approbata. 4° Post Missam solemnem in festivitate, si solemnis protrahatur ad horam, et amplius post meridiem, imo probabiliter etiam post duas horas. 5° Causa funeris alicujus magnatis, vel concionis, vel publicae supplicationis. 6° Vi privilegii a Papa, vel Episcopo concessi. Ita S. Lig. lib. 6, n. 344.

Q. An peccet graviter, qui celebrat ante auroram, aut post meridiem?

R. Affirmative, si multum praeveniat, aut protrahat tempus ab Ecclesia statutum; secus vero, si mutatio sit levis; imo si justa adsit causa, omni culpa vacabit.

Qualis autem censeatur immutatio notabilis, controvertitur. Juxta communiorem, et probabiliorem sententiam gravis non habetur, nisi celebratio hora integra ante, vel post tempus statutum incipiatur. Ita S. Lig. n. 346.

Nota. Non licet saepius, neque bis celebrare in die. Constat ex variis locis juris can. et ex decreto Benedicti XIV 16 mart. 1746.

Excipe : 1° Festum Nativitatis Domini. 2° Si pastor ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam jam hostiam sumpserit, nec alius sacerdos jejunus reperiatur. Ita communiter.

Q. Quandonam liceat Missam bis celebrare de licentia Episcopi?

R. Permittente Episcopo Missa bis ab eodem sacerdote celebrari potest diebus dominicis, et festis de praecepto si gravis sit causa, seu necessitas; et non sufficit consuetudo. Ita Benedictus XIV, Const. *Declarasti nobis*, et Const. *Consuluisti de celebr. Miss.*

Q. Quandonam censeatur adesse necessitas bis in die celebrandi?

R. In triplici casu juxta communem Theologorum sententiam nempe: 1° Cum Parochus duas habeat parochias regendas, nec incolae unius in ecclesiam alterius se conferre possunt; nec habetur copia alterius sacerdotis, qui in alterutra celebrare queat. 2° Cum in eadem parochia aliqua pars populi nimis distat ab ecclesia, et facile convenire posset in aliquod sacellum : ad id sufficit si communitas constans viginti personis uno milliario ab ecclesia distet. 3° Cum populus in ecclesiam parochialem nimis angustam confluere totus non potest, nec adest alius sacerdos; tunc Episcopus Parocho permittere potest ut bis celebret. Ita Gury.

Nota. Qui binas Missas celebrat non potest duplicatum stipendium accipere; neque si alterum in pios usus expendatur. Nam stricte prohibuit Pius IX. Ita S. Congr. Conc. 25 sept. 1858.

Q. In quo loco debeat celebrari Missa?

R. 1° Jure communi debet celebrari in ecclesia, vel alio loco ab Episcopo consecrato, vel saltem auctoritate Episcopi benedicto, ut statuit Concil. Trident., decreto de observ. in sac. Missae. — Diximus *jure communi;* nam ex privilegio potest celebrari in castris pro exercitu, in litore maris pro navigantibus etc.

R. 2° Debet celebrari in altari lapideo ab Episcopo, aut, ex concessione solius Papae, ab alio sacerdote consecrato, ut statuitur cap. *Altaria*, de consecrat. dist. 1.

Nota. Potest Episcopus facultatem concedere Sacrum faciendi in oratoriis publicis, et ibi peragendi caeteras functiones sacras, quae

non sunt stricte parochiales. Attamen permittere non potest, ut ibi asservetur SS. Eucharistia absque Pontificis indulto, nisi adsit immemorabilis consuetudo. Ita S. C. 27 apr. 1709. — Privilegium tamen est Regularibus vota solemnia emittentibus, ut SS. Eucharistiam in suis ecclesiis asservent.

Q. Quomodo ecclesia polluatur, et quomodo reconciliari debeat?

R. Ad 1um. *Polluitur*, seu *violatur* ecclesia : 1° Per homicidium voluntarium et injustum. 2° Per effusionem sanguinis humani ex percussione, aut vulnere graviter injurioso. 3° Per effusionem humani seminis voluntariam, et illicitam vel per se, vel ratione loci sacri. Non pollueretur igitur per copulam maritalem, quando justa adesset causa eam habendi, v. g. ad vitandam incontinentiam. 4° Per sepulturam non baptizati, seu infidelis. Excipe probabilius, si sit cathecumenus; quia non censetur infidelis. Item si sit infans, cujus parentes sint christiani ; quia tunc parentes pro ipso Baptismum desiderant. Ita Pichler, Gousset, n. 310 contra alios. 5° Per sepulturam baptizati nominatim excommunicati ; non vero si sit quidem excommunicatus, sed non vitandus. De his constat ex jure canonico. Sed ut ecclesia censeatur polluta, haec crimina debent esse notoria, ita ut nullo modo celari possint. Debent etiam patrari in ipsa ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, in sacristia, aliisve cameris ecclesiae adhaerentibus. S. Lig. n. 362 et 364.

R. Ad 2um. 1° Si ecclesia fuit tantum *benedicta*, reconciliari potest a sacerdote delegato ab Episcopo cum orationibus consuetis, et cum aqua ab Ordinario benedicta. Si tamen talis aqua facile non haberetur, ab ipso sacerdote delegato ad ecclesiam reconciliandam benedici posset. S. Lig. n. 363. 2° Si vero ecclesia illa fuerit *consecrata*, reconciliari debet ab ipso Episcopo, vel a sacerdote delegato a Papa juxta ritum Pontificalis Romani. Attamen si non possint omitti divina officia sine gravi incommodo, Episcopus aliquo impedimento detentus delegare potest sacerdotem ad ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare possit. *Cabassut* etc.

Oratoria autem privata, licet benedicta et ad cultum deputata, non censentur pollui ; et ideo reconciliatione non indigent.

Q. Quomodo ecclesia execretur, vel ad cultum idonea reddatur?

R. 1° Ecclesia execratur, cum amittit suam benedictionem, vel consecrationem. Censetur autem execrari, quando totaliter vel ex maxima parte corruit, vel destruitur, ita ut de novo, saltem ex

majori parte, aedificari debeat, aut si omnis parietum crusta, vel major saltem pars simul auferatur. S. Lig. n. 368.

R. 2° Ecclesia execrata, iterum benedicenda, vel consecranda est, juxta ritum et formam praescriptam pro benedictione, vel consecratione ecclesiarum.

Altare autem fixum consecrationem amittit, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur. Sic S. Congreg. Rit. 15 maji 1819. Altaria sive portatilia, sive fixa suam consecrationem amittunt per fractionem tumuli, in quo reconduntur sacrae Reliquiae, vel per earumdem amissionem. S. Congreg. Rit. 23 sept. 1848. Nec sufficit in illis tumulari alias Reliquias authenticas; sed altaria denuo sunt consecranda. Sic S. Congreg. Rit. 7 decemb. 1844.

Demum vasa sacra, et aliae res consecratae execrantur, quando formam suam amittunt, nec amplius ad usum suum inservire possunt.

Ex dictis porro patet, quale sit discrimen inter pollutionem ecclesiae, et ejus execrationem. Polluta ecclesiae parte integra ecclesia pollui censetur, etiam cum coemeterio adjacente. E contrario execrata ecclesia, non ideo execratur coemeterium, nec altaria fixa et integra consecrationem amittunt.

ARTICULUS II.

DE ORNAMENTIS ALTARIS, ET VESTIBUS, ET INSTRUMENTIS AD CELEBRATIONEM REQUISITIS.

Q. Quibus ornamentis instructum debet esse altare, ut in eo rite celebrari possit?

R. Debet esse: 1° Ornatum triplici mappa linea benedicta ab Episcopo, vel alio habente talem potestatem. 2° Crux cum Crucifixo (saltem sub veniali) etiamsi in altari expositum sit Sanctissimum Sacramentum; sed hoc juxta consuetudinem locorum, ait Gury. Si tamen adsit statua, aut imago Crucifixi in majori tabula altaris depicta, etsi velata, non oportet, ut alia Crux ponatur. Ita Constit. Benedicti XIV *Accepimus*, 16 jul. 1746. 3° Duplex candela accensa ex cera, et sub gravi prohibetur adhibere candelam ex sebo, vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate. Ita communiter. — Probabilius, et communius dicunt celebrare cum uno lumine cereo esse tantum veniale. Sed quando peracta consecratione lumen extinguitur, nec aliud haberi potest, tunc sine ullo lumine potest sacerdos Missam prosequi; urget enim ratio perficiendi Sacrificii.

Nota 1ª. Decreto generali 31 mart. 1817, probante Pio VII, in sa-

cris functionibus non licet dignitatibus et Canonicis, aliisque omnibus, quibus ex jure non competit, palmatoriam adhibere, nisi apostolico privilegio donentur. Imo etsi sint *pontificalium* privilegio honestati ex S. R. Congr. 29 jan. 1752. Hoc jus competit solum Cardinalibus et Episcopis.

Nota 2ª. Est omnino prohibitum apponi sacra Reliquia super tabernaculum, ubi asservatur SS. Sacramentum. — Item dicendum pro reliquia S. Crucis, et aliorum instrumentorum Passionis D. N. Jesu Christi. Ita S. Congr. 12 martii 1836 in Trident. ad L.

Sacerdos stans pedibus incensare debet sacram reliquiam Crucis triplici ductu. Et debet exponi saltem quatuor luminibus cereis. Et adorari debet unico genu. Ita S. Rit. Congr. 22 maji 1835.

Nota 3ª. Non est licitum cuicumque, nec etiam Vicariis generalibus, quamvis sint protonotarii, in Missis privatis celebrare cum quatuor candelis, nec ministrari a duobus ministris cum cotta. Sed licet tantum Cardinalibus, Episcopis, et Abbatibus usum pontificalium habentibus. Ita S. Congr. 7 augusti 1627. — Excipe, nisi ratio festi exigat, vel sit Missa conventualis, vel parochialis. Ita S. Congr. Rit. 12 sept. 1857.

Q. An sit mortale celebrare sine ulla veste sacra, aut sine stola, vel alba, casula, manipulo, vel cingulo?

R. 1° Est mortale celebrare sine ulla veste sacra in omni casu ex quacumque causa. 2° Item celebrare sine casula vel alba, aut stola, et manipulo simul. 3° Probabiliter non est mortale celebrare sine manipulo, vel sine manipulo benedicto. — Item sine amictu, saltem pro iis, qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. — Item etiam dicendum de celebratione sine cingulo, unde ab his omnibus causa rationabilis facile excusat.

Q. An color vestium sit de praecepto?

R. Controvertitur. D. Alphonsus ut probabilius tenet, omnes rubricas Missae obligationem parere (lib. 6, n. 378, dub. 5). Ita etiam Gury. — Sed Ballerini et alii plures Theologi negant. — Sed nos dicimus quod haec rubrica non videtur obligari sub gravi, nisi scandalum adsit. Hinc causa non adeo gravis ab hoc praecepto excusare potest. Ita S. Lig. n. 378.

Nota. Colores in paramentis sunt albi, rubri, virides, violacei, et nigri. — Reprobantur paramenta varii coloris quae propter flores cujusque coloris immixtos non pauci volunt omni festo posse adhiberi. Haec S. Congr. Rit. prohibuit die 23 septemb. 1837. — Prohi-

bentur omnino paramenta flavi et caerulei coloris. Ita S. Congr. Rit. 12 novemb. 1831. — Permittuntur tamen paramenta aurea tela (*drappo d'oro*), quae juxta usum urbis pro albo, et rubro colore adhibentur. — Omnino reprobantur paramenta ex telis sericis vitreis confecta. Ita S. Congr. Rit. 11 sept. 1847.

Q. An calix, et patena sub gravi, vel sub levi tantum consecrari debeant; et ex quanam materia sint conflanda?

R. Ad 1um. Consecrari debent sub mortali; praeceptum enim circa rem gravem versatur. Ita S. Lig. n. 379.

R. Ad 2um. Ex praesenti disciplina, calicis saltem cuppa debet esse aurea, vel argentea intus inaurata. In casu verae necessitatis calix ex stamno, vel ex cupro adhiberi posset. Patena esse debet ex auro, vel argento inaurato.

Q. An calix et patena consecrationem amittant, si inauratio pereat?

R. Affirmative. Igitur post novam deaurationem indigent nova consecratione. Ita S. Congr. Rit. die 14 jun. 1845.

Q. An alba, amictus, mappulae, corporale, purificatorium, palla necessario debeant esse ex lino, vel cannabe?

R. Affirmative quoad omnia. Sic ex praxi, et praecepto Ecclesiae.

Q. An pyxis necessario consecrari debeat?

R. Negative cum sententia veriori, et communi. In praxi tamen juxta probabiliorem sententiam consulendum est, ut pyxis benedicatur. Idem dicendum est de circulo, seu lunula in qua reponitur hostia consecrata, cum in ostensorio exponitur. Ita S. Lig. n. 385.

Nota 1^a. Celebrare cum corporali non benedicto excusari nequit a mortali, nisi urgeat gravis necessitas celebrandi. In casu autem necessitatis posset etiam sine corporali celebrari. Ita communiter. — Pariter mortale est uti corporali valde immundo.

Nota 2^a. Est mortale juxta omnes celebrare sine ministro. Attamen communiter dicunt Doctores licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum. Idem concedunt alii, ut populus audiat Missam de praecepto. Ita Lugo. — Dispensari tamen hac in re a Romano Pontifice potest sacerdos etiam citra necessitates, exempla quaedam suadent. Ita Ballerini.

Nota 3^a. Sacerdos aliquando celebrare potest, respondente muliere, si necessitas urgeat, praesertim apud Moniales, modo mulier respondeat a longe, nec immediate ministret ad altare, porrigendo urceolos etc.; hoc enim non posset excusari a mortali, quia Ecclesia omnino

interdicit mulieribus celebranti ministrare. Ita S. Lig. n. 392 et S. Congr. die 26 aug. 1836.

Q. An sit mortale celebrare sine palla, vel cum palla non benedicta?

R. Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat, quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur; unde licet nunc sit separata a corporali, aeque necessaria ea est ac illud.— Secunda sententia etiam probabilis negat. Sed prima videtur vera, quia praecipitur ab Ecclesia. Quare in necessitate, palla deficiente, purificatorium, aut bursa ad calicem operiendum adhiberi potest. Vide S. Lig. n. 388.

Nota 1ª. S. Congr. Rituum respondit: *Permitti posse pallam panno serico coopertam, et auro contextam, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa.* Die 10 jan. 1852.

Nota 2ª. Purificatorium non requiritur benedici, sic nec velum, nec bursa; est sententia communior, et probabilior. Ita Suarez, et S. Lig. n. 389.

ARTICULUS III.

DE MISSAE DURATIONE, RUBRICIS, AC CAEREMONIIS.

Q. Quale temporis spatium Missa lecta durare debet?

R. Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora, nec breviorem triente, idest viginti minutis: qui autem infra quadrantem Missam lectam absolvit, difficulter poterit a mortali excusari, licet Missa sit ex brevioribus.

Nota 1ª. Si quis ob devotionem specialem vellet eam protrahere, celebrabit in privato exemplo S. Philippi.

Nota 2ª. Ut communiter traditur Missa celebranda est *alte*, ita ut saltem a circumstantibus audiatur. — *Breviter*, ita ut non excedatur media hora. — *Clare*, idest sine verborum mutilatione. — *Devote*, idest sine distractione. — *Exacte*, idest ne omittatur aliquid de iis, quae dicenda sunt. Unde si omittantur partes ordinariae, nempe quae in Missa semper dicendae vel agendae sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout est omittere in Canone quamlibet orationem; vel *Pater noster*, vel fractionem hostiae, et illius mixtionem in calice; vel purificationem patenae, et calicis post sumptionem; vel octo, aut decem verba Canonis. — Sic pariter erit

mortale extra Canonem omittere totum Introitum, vel duas ex Collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium, vel infusionem aquae in vinum consecrandum. — Veniale erit omittere tantum Psalmum *Judica; Kyrie eleison;* unam ex *Collectis;* unam vel alteram *crucem* super oblata; *tunsionem pectoris;* vel *ablutionem digitorum.* Item probabiliter de *Evangelio S. Joannis.*— Pariter veniale est omittere partes extraordinarias, ut sunt *Gloria*, *Credo*, *Sequentia*, *Tractus*, *propria Praefatio*, aut *Communicantes*, et *Hanc igitur* propria. Intellige separatim sumptae istae partes. Ita Scavini.

Q. Quotuplicis generis sint rubricae Missalis ?

R. Aliae sunt directoriae tantum; aliae praeceptivae seu obligatoriae vel graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem materiae, et significationis ab Ecclesia intentae.

Directoriae sunt omnes caeremoniae, seu rubricae agendae extra Missam, ut orationes ante, vel post Missam; ideo eas omittere per se peccatum non est, praecluso scandalo.

Praeceptivae juxta Scavini post Merati, Quarti, continuatorem Tournely, Charmes, sunt omnes agendae intra Missam. Licet adsint aliae diversae sententiae, ut refert Ballerini.

Hinc juxta primam sententiam, quam amplectimur, non excusatur a veniali, qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflectiones, vel qui advertenter non genuflectit usque ad terram, vel altaris deosculationem omittit, vel perturbat benedictiones eas agens nimis celeriter, aut nimis prolixe.

Nota. Praeter rubricas Missalis habentur etiam decreta, ac declarationes S. Rituum Congregationis; et istius resolutiones habentur uti pontificia oracula. — Caeterum tuta conscientia ad majora mala vitanda licet, se conformare consuetudini Dioecesis praesertim in rebus levioribus, quae non cedunt in deformitatem cultus publici: quod aliqui dicunt, esse intelligendum etiam de ecclesia aliqua particulari; sed debet intelligi de ecclesia tantum cathedrali; quia secus nimis lata aperiretur via abusibus. Ita Scavini.

Q. An sacerdos infirmus celebrare possit, licet non omnes rubricas servare queat?

R. Affirmative, si paucas, et leviores tantum omittat, praecipue si privatim celebret. Imo plures gravis notae auctores permittunt infirmo celebranti, ut etiam baculo utatur, si indigeat etc.

Nota 1ª. Missa concordare debet cum Officio, quod quisque recitavit, modo cum colore ecclesiae in qua celebrat, aptetur. In oratorio autem privato Missa semper concordare debet cum Officio celebrantis. Ita S. Congr. Rit. 12 novemb. 1831.

Sacerdotes etiam Regulares recitantes Officium duplex, debent se uniformare ecclesiae, ubi celebrant, quando ibi festum celebratur cum solemnitate, et concursu populi; in aliis vero diebus possunt se uniformare, sed non tenentur; nisi quando color fuerit dissimilis. Ita S. Congr. Rit. 7 maj. 1750; 7 sept. 1816.

Nota 2ª. Sacerdotes confluentes ad ecclesias Confraternitatum in festis patronorum, et titularium earumdem, non possunt in Missa addere *Credo*, et unicam dicere orationem. Ita S. Congr. R. 23 sept. 1837.

Sacerdotes, qui recitant Officium de festo duplici confluentes ad ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de festo semiduplici, non possunt dicere Missas privatas defunctorum. Ita S. Congr. Rit. 7 maj. 1746.— Nec Missam votivam. Ita eadem Congr. 7 sept. 1816.

Q. Licetne orationes addere praeter orationes a Rubrica assignatas, vel permissas?

R. Negative; sic declaravit S. Congr. Rit. 12 aug. 1854.

Nota. In Missa quotidiana defunctorum variari tantum potest secunda oratio, *Deus veniae largitor*, cui subrogabitur alia, v. gr. pro quo applicatur Missa. Ita S. Congr. Rit. 25 sept. 1837.

ARTICULUS IV.

DE MISSAE INTERRUPTIONE, ET DEFECTIBUS.

Q. An aliquando liceat Missam interrumpere?

R. Affirmative; ob rationabilem causam, nempe: 1° Ob concionem post Evangelium, vel ob processionem. 2° In gratiam principis supervenientis, aut turbae peregrinorum in die festo, qui alias Missam non audirent. 3° Si gravis esset necessitas, ut moribundus absolvendus: tunc Eucharistia in tabernaculo claudatur, et cum redit sacerdos, incipiat ubi desierat. Si vero ante consecrationem interrupsisset, et mora plusquam unius horae fuisset, ab initio ordiri deberet; quia post tantam interruptionem idem non censeretur sacrificium.

Nota. Juxta sententiam communem mortale est celebrare totam

Missam capite cooperto; celebrare vero cum pileolo (*berrettino*) usque ad Canonem, secluso contemptu, et scandalo, solum veniale est. Ita S. Lig. n. 397.

Q. Quid circa defectus, ac casus in Missa occurrentes?

R. Praecipue istos notamus: 1° Si timeatur incursus hostium vel alluvionis, aut ruina loci, ante consecrationem dimittatur Missa; post, sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, aliis omissis. 2° Si sacerdos non recordetur, se dixisse quae in consecratione dicuntur, non turbetur, sed prosequatur. Si autem valde probabiliter dubitet, iteret formam saltem sub tacita conditione; si vero omissa non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. 3° Si contingerit totum Sanguinem effundi, ut nihil remaneat, sacerdos ponat iterum vinum cum aqua et consecret ab eo loco: *Simili modo, etc.* 4° Si sacerdos advertat unam speciem, v. g. vinum deficere, quod amplius haberi non possit, si id sit ante consecrationem, ulterius ne procedat; si post, absolvat Missam praetermittendo verba, et signa ad materiam deficientem pertinentia.— Idem dicendum si hostia cadat in calicem. et neque pars aliqua abstrahi possit non madefacta.

Nota. Alias circumstantias vide apud rubricas Missalis.

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

DE POENITENTIA

CAPUT I.

De natura Poenitentiae.

Q. Quid est poenitentia?

R. Secundum vim nominis idem est ac *poenae tenentia*, idest *poen peccati me tenet.*

Q. Quot modis accipiatur poenitentia?

R. Duobus modis, nimirum prout est *virtus*, et prout est nova legis *Sacramentum.*

Q. Quid est poenitentia ut virtus?

R. Definitur: *Habitus supernaturalis*, *quo peccator movetur a odium, et detestationem de peccato commisso, cum proposito non pe candi de caetero, justitiaeque divinae satisfaciendi.*

Ex hac definitione quae colligitur ex Concil. Trident. (sess. 14 c. 1) patet, poenitentiam, prout est virtus, esse omnino idem cu contritione, quam Christus evexit ad rationem Sacramenti.

Nota 1ª. Quatuor essentialiter includit haec virtus: 1° Vitae pri ris mutationem, seu resipiscentiam. 2° Odium, et detestationem i lius. 3° Propositum vitae melioris. 4° Prioris vitae vindictam.

Nota 2ª. Dicitur ad odium, et detestationem de peccato ad refe lendum errorem Lutheri, qui totam rationem poenitentiae colloca in sola resipiscentia. Concil. Trident. igitur declarat: *Non sola cessationem a peccato, et vitae novae propositum, sed veteris etia odium continere* (sess. 14, c. 14).

Q. Quid est poenitentia ut Sacramentum?

R. Definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum ad pe cata post baptismum commissa remittenda per actus poenitentis*, *e absolutionem sacerdotis.* Diximus *peccata post baptismum commissa* quia peccata ante baptismum commissa non delentur per Sacra

mentum Poenitentiae, cujus non sunt capaces non baptizati, sed per actum virtutis poenitentiae cum receptione baptismi in re vel in voto.

Q. Quomodo differt poenitentia ut virtus a Sacramento Poenitentiae?

R. Differt: 1° Quod poenitentia ut virtus tota posita sit in actibus poenitentis; Sacramentum vero insuper requirit absolutionem sacerdotis. 2° Quod poenitentia ut virtus fuerit quovis tempore necessaria homini lapso ad justitiam assequendam; Sacramentum vero Poenitentiae non nisi a Christo fuerit institutum, nec pertineat nisi ad eos, qui, post baptismum receptum, in peccata lapsi fuerint. 3° Quod Sacramentum poenitentiae sit totum; virtus vero poenitentiae sit pars materiae Sacramenti.

ARTICULUS UNICUS.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

Q. Utrum Christus Ecclesiae suae veram concesserit potestatem dimittendi omnia peccata post baptismum commissa?

R. Affirmative, est contra Montanistas, et Novatianos. Joan. cap. 20 dicitur: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Concil. Trident. explicat haec verba dicens: *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi peccata ad reconciliandos fideles. . . Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit* (Sess. 14, c. 1).

Q. An dari possit certus peccatorum numerus, quo posito nequeat homo a peccatis resurgere?

R. Negative. Legitur enim in Ezechiele (cap. 33, v. 11): *Nolo mortem impii, sed ut convertatur, et vivat;* et Christus Petro dixit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Unde ex Concil. Trident. Poenitentiae Sacramentum potest suscipi toties, quoties fideles post baptismum in peccata labuntur.

Q. Utrum Sacramentum Poenitentiae sit distinctum a baptismo, baptismique memoria?

R. Est Sacramentum omnino distinctum a baptismo, et baptismi memoria. Nam baptismus et poenitentia habent materiam, formam, subjectum, ministrum, et effectus omnino diversos, et distinctos. Unde Concil. Trident. sess. 14, can. 2 contra Lutheranos definivit:

Si quis Sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae Sacramentum dixerit esse, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

Q. Utrum Sacramentum Poenitentiae sit lapsis necessarium?

R. Est absolute necessarium in re, vel in voto; nam absque eo non potest obtineri remissio peccatorum post baptismum commissorum. Concil. Trident. sess. 14, c. 2 ait: *Est hoc Sacramentum lapsis post baptismum ad salutem necessarium, uti nondum regeneratis ipse baptismus.* Nam eodem modo, quo Christus, Joan. c. 3 dixit: *Nisi quis renatus fuerit etc.*, dixit etiam, Lucae cap. 13: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Atqui baptismus in genere est absolute necessarius in re, vel in voto. Ergo etc.

Diximus *in re, vel in voto;* quia homo in tali statu constitutus, in quo non habet copiam Confessarii, potest per actum contritionis justificari, et salvari.

Q. Utrum absolutio sacramentalis vere, ac proprie dimittat peccata, vel tantum declaret peccata esse dimissa?

R. Vere, ac proprie dimittit peccata; est de fide contra Lutheranos et Calvinistas. Nam Christus non dixit « quorum declaraveritis dimissa peccata », sed *quorum remiseritis peccata.* Concil. Trident. definivit, sess. 14, can. 9: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti... anathema sit.*

CAPUT II.

—

ARTICULUS I.

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

Q. Quotuplex est materia Sacramenti Poenitentiae?

R. Duplex, remota seu *circa quam*, et proxima seu *ex qua.*

Materia remota est objectum circa quod versatur Sacramenti actio; et sunt omnia peccata post baptismum, vel in baptismo prave suscepto commissa, sive jam confessa fuerint, sive non; cum hoc tamen discrimine, quod peccata venialia, et mortalia jam confessa,

et directe remissa sint materia *libera*, et *sufficiens;* mortalia vero nondum confessa, et remissa sint materia *necessaria;* quia sine Sacramento in re, vel in voto saltem remitti nequeunt

Peccata dubie tantum commissa non sunt materia sufficiens: ideo si alia peccata certa desint, vel ex peccatis praeteritis certa quaerenda est materia, vel sub conditione in necessitate impetranda est absolutio. Ita Scavini, Layman etc.

Peccata indirecte remissa, seu illa mortalia, quae per oblivionem inculpabilem non fuerunt declarata, remanet obligatio postea declarandi in alia confessione, quae primo fiat, ad satisfaciendum praecepto divino integre confitendi, omniaque mortalia Ecclesiae clavibus subjiciendi.

Q. Quaenam est materia proxima Sacramenti Poenitentiae?

R. Contra Scotum, qui illam collocat in sola absolutione, et caeteras dicit esse partes integrales; et contra Durandum, qui eam reponit in confessione, cum divo Thoma, et communi Theologorum esse dicimus tres actus poenitentis, nempe contritionem, confessionem, et satisfactionem. Nam ex Conciliis Florentino, et Trident. sess. 14, c. 4, definitur, *actus poenitentis esse quasi materiam, et partes Sacramenti Poenitentiae.* Neque obesse potest particula *quasi*, ait Catechismus Romanus fidelis interpres Concilii Trident.; quia *hi actus, quasi materia a Sancta Synodo appellantur, non quia verae materiae rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sit, quae extrinsecus exhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.*

Nota. Sacramentum moribundi confiteri non valentis est validum, quia licet non faciat actualem et explicitam confessionem, adest in ipso confessio virtualis, et implicita, quae includitur in petitione Confessarii, vel etiam, ut multi volunt, in vita christiane peracta

Q. Inter istos actus adestne discrimen?

R. Affirmative. Nam contritio, et confessio sunt partes essentiales in actu; sic etiam propositum satisfaciendi. Satisfactio vero actualis est pars integralis hujus Sacramenti.

—

ARTICULUS II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

Q. Quaenam est forma Sacramenti Poenitentiae?

R. Forma Sacramenti Poenitentiae continetur illis verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis: in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Sic enim habet Tridentinum sess. 14, c. 3: *Docet sancta Synodus Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse:* Ego te absolvo etc., *quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur.* — Preces autem hujusmodi, et methodum utendi praedicta forma sic Confessario exhibet Rituale Romanum: « Cum poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.* Deinde dextera versus poenitentem elevata dicit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus Noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum, et tu indiges.* Deinde: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* ✠ (efformet signum crucis) *et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Passio D. N. J. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et proemium vitae aeternae. Amen.* »

Insuper monet Rituale vocem *suspensionis* omittendam esse cum laico, quia ejus censurae incapax est.

Q. Potestne absolutio dari per scriptum, vel absenti?

R. Nec scriptis potest dari absolutio, cum forma constet essentialiter verbis humana voce prolatis; neque potest dari absenti, quia pronomen *te*, supponit personam praesentem loquenti.

Unde Clemens VIII hanc propositionem: *Licet per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere,* damnavit ut falsam, temerariam, scandalosam, ac prohibuit sub poena excommunicationis latae sententiae ea in praxi uti; ideoque est invalida absolutio data per scriptum, vel absenti. — Sed hodie non amplius est haec excommunicatio, per Const. enim *Apost. Sedis*, a Pio IX fuit ablata.

Q. Quaenam praesentia requiritur ad licite, et valide absolvendum?

R. Praesentia moralis, idest illa intra quam homines communi voce, licet altiori loqui possunt et solent. Nonnulli extendunt usque ad viginti passus. Sed non conceditur tanta distantia, quanta sufficit in concione, vel Missae auditione : unde si casu aliquis absolvi non possit, nisi a longe, absolutio sub conditione saltem mentali danda esset.

Q. Quaenam verba in absolutione sint de essentia?

R. Certum est quod haec verba *te absolvo* sint de essentia; quia sufficienter exprimunt ministrum, subjectum et effectum primarium Sacramenti.

Q. Quaenam verba sunt necessaria necessitate praecepti ecclesiastici?

R. Verba sequentia : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* quia haec praecepit Ecclesia sub gravi.

Nota 1ª. Omissio *a peccatis tuis* est peccatum mortale, omnes fatentur. Imo vult Billuart absolutionem esse repetendam sub conditione, si ea verba fuerint omissa.

Nota 2ª. Omissio *in nomine Patris et Filii etc.*, communissime habetur ut peccatum veniale. Ita pariter de aliis, dummodo non sit contemptus, etc.

Q. Quomodo potest dari absolutio in casu necessitatis, quando nempe non est tempus proferendi totam formam?

R. Breviter sic dici potest : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris, etc.* Imo communiter dicunt quod sufficiat: *Te absolvo a peccatis.*

Q. An per verba *Absolvo te a peccatis tuis* possit sacerdos tam a censuris, quam a peccatis absolvere?

R. Affirmative, si talis sit intentio sacerdotis; nam per illa verba sacerdos potest absolvere quidquid intendit in sacro tribunali absolvendum. Sed committit peccatum veniale, si absque justa causa id faciat.

Nota. Mortaliter peccaret sacerdos, qui vellet poenitentem absolvere prius a peccatis, quam a censuris. Attamen valida est absolutio. — Sed si excommunicatus, qui ita absolvitur, sit vitandus, confessarius incurrit excommunicationem Papae simpliciter reservatam et interdictum ab ingressu ecclesiae, si hoc fecerit scienter.

Q. Utrum forma absolutionis debeat esse deprecativa, aut indicativa?

R. An valeat forma deprecativa ut si dicatur: *Absolvat te Deus, etc.*, quaestio magna fuit; graves auctores affirmarunt, et hanc formam docent fuisse in Ecclesia Latina usque ad duodecimum saeculum, et etiam nunc in Ecclesia Graeca obtinere.

Sed quidquid sit hodie ex Florentini et Trid. decretis formam esse debere indicativam. Sic enim argumentatur D. Thomas (opus. 22, cap. 1): Sicut Dominus dixit discipulis: *Euntes docete etc. baptizantes etc.*, ita dixit Petro: *Quodcumque solveris etc.* Sed sacerdos auctoritate illorum verborum dicit: *Ego te baptizo;* ita debet dicere: *Ego te absolvo;* ac proinde forma est indicativa.

CAPUT III.

De contritione, et proposito.

—

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE.

Q. Quid est contritio?

R. Definitur a Concil. Trid. (sess. 14, c. 4): *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero* (debemus adjungere prout est legis evangelicae propria) *et voto confitendi ac satisfaciendi.*

Nota. Tria in vera contritione necessario reperiri debent, nempe: 1° Animi dolor. 2° Detestatio de peccato. 3° Propositum non peccandi de caetero.

§ 1. *De conditionibus contritionis.*

Q. Quaenam sunt conditiones contritionis?

R. Sunt sequentes, nempe debet esse: 1° *Vera et realis;* quia est pars Sacramenti veri et realis. Unde qui accederet ad hoc Sacramentum cum contritione ficta, putans esse veram, non perciperet Sacramentum.

2° Debet esse *formalis et expressa;* quia pars Sacramenti debet adesse formaliter, et in se; ideo non sufficit virtualis.

3° Debet esse *supernaturalis*, idest debet elici per auxilium gratiae, et ex motivo per fidem proposito. Nemo enim potest solis naturae viribus se ad justificationem disponere, ut definivit Conc. Trid. (sess. 6, can. 3).

Nota. Distinguendum est motivum ab occasione contritionis. Motivum debet esse supernaturale; occasio naturalis esse potest. Potest enim homo ex occasione morbi redire per contritionem ad Deum, ut fecerunt Ninivitae.

4° Debet esse *universalis*, ita ut ad omnia peccata mortalia generatim se extendat, et nullum prorsus excludat; quia unum mortale non potest remitti sine alio.

Nota. Non requiritur, ut se extendat ad omnia peccata mortalia speciatim, nec ad venialia. Imo si confiteantur sola venialia, non requiritur dolor universalis de illis: sufficit, ut speciatim cadat super unum, quamvis laudabile sit illum extendere ad omnia.

5° Debet esse *appretiative summa*, ita ut peccator detestetur peccatum super omnia alia mala. Non requiritur intensive summa; quia intensio graduum non est in potestate hominis.

Nota. Contritio intensive summa est *ea, qua quis summo voluntatis ardore detestatur peccatum quatenus est offensa Dei.*

6° Debet esse *efficax*, nimirum conjuncta cum proposito non peccandi de caetero, et vitae novae inchoandae.

Q. An ad contritionem requiratur certa temporis mensura?

R. Negative; quia potest Deus in instanti convertere peccatorem quantumvis induratum.

§ 2. *De necessitate, et obligatione contritionis, et quando fieri debet.*

Q. An contritio de peccatis sit necessaria ad remissionem peccatorum mortalium?

R. Contritio sive intra, sive extra Sacramentum ad mortalium remissionem necessaria est necessitate tum medii, tum praecepti. 1° Necessitate medii, quia repugnat quod homo peccator Deo reconcilietur sine sincera cordis conversione ad Deum. 2° Necessitate praecepti, juxta illud : *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Q. Utrum contritio sit homini justo necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum venialium?

R. Requiritur saltem virtualis. Ratio D. Thomae est, quia *sicut peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale; quia, manente causa, manet effectus.* Advertendum quod intelligitur extra Poenitentiae Sacramentum; quia in Sacramento requiritur essentialiter formalis.

Q. Quo jure est praecepta contritio?

R. Jure divino: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Lucae, c. 13.

Q. Quandonam obligat per se praeceptum contritionis divinum?

R. Obligat 1° In probabili vitae periculo, quia non est impio alia via, per quam homo suae saluti consulere possit. 2° Obligat aliquoties in vita, hinc Ecclesia praecepit confessionem annuam.

Q. Quandonam obligat per accidens praeceptum contritionis divinum?

R. 1° Quando quis est in peccato mortali, et debet Sacramenta aliis ministrare, vel Sacramentum vivorum suscipere. 2° Quando quis graves patitur tentationes, neque eas superare valeat, quin eliciat actum contritionis. 3° Quando quis tenetur charitatis actum erga Deum elicere.

Q. Utrum contritio per se obliget statim post peccatum mortale commissum, ita ut ejus dilatio sit novum et speciale peccatum?

R. Quaestio agitatur inter Theologos. Alii nempe affirmant, et alii negant. Sed cum D. Ligorio et Scavini etc. negamus quod contritio per se obliget statim ac mortale fuit commissum, neque statim obligat praeceptum confessionis. Nam nullibi legitur hoc praeceptum statim a peccato poenitendi: et cum praeceptum pariter contritionis sit affirmativum, non obligat pro omni tempore.

Nota 1ª. Sed non potest excusari a peccato mortali, qui per notabile tempus existens in mortali contritionem differt; peccaret enim contra charitatem erga Deum, et contra charitatem erga se.

Nota 2ª. Advertendum, quod in dicta quaestione non agitur de deponendo affectu peccati, qui certe illico est deponendus, secus peccator pergit semper ad actualiter peccandum. Sed quaestio est de casu, quo deposito affectu peccati, remanet solum peccatum habituale, sive macula peccati. Ita D. Ligorius, Scavini etc.

Q. Quale sit hoc notabile tempus?

R. Alii dicunt spatium unius anni, sed est rejicienda haec sen-

tentia. Alii hebdomadam circiter, quae opinio videtur nimis rigida. Potius res est mensuranda ex circumstantiis peculiaribus personae in peccato existentis, et ex opportunitatibus se confitendi.

Q. An actus doloris debeat praecedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem?

R. Contritio debet praecedere absolutionem, quia forma cadere debet super materiam praesentem. Sed communius docent Lugo, Suarez et alii non oportere, ut illa praecedat etiam confessionem; quia moraliter cum illa unitur.

Nota. Datur perduratio moralis contritionis, et S. Alphonsus de Ligorio hoc spatium inter contritionem et confessionem ad unum aut alterum diem extendit (Hom. Apost., tract. 16, n. 20).

Q. Qui mortale oblitum confitetur statim post absolutionem, teneturne novum elicere dolorem?

R. Si prior contritio fuit elicita ex motivo generali, puta offensa Dei, tunc communius negant Lugo, Roncaglia, Sporer et alii; quia fuit directa ad absolutionem omnium peccatorum. — Si ex motivo particulari, puta ex speciali turpitudine peccati declarati, tunc tenetur novum elicere dolorem. Alia sententia affirmat sive contritio fuit elicita ex motivo generali, sive ex motivo particulari; quia si nova est danda absolutio, nova requiritur materia proxima. Et licet dolor perseveret moraliter; non tamen perseverat in ordine ad aliam absolutionem.

Q. An conveniat de novo dare absolutionem statim post absolutionem, redeunte poenitente cum peccato gravi oblito?

R. Affirmant generatim loquendo consultius, et melius esse novam absolutionem iterum impertire. — Diximus *generatim loquendo;* nam excipe, si res sit cum meticulosis, qui iterum iterumque redeunt; item si agatur de illis, qui brevi ad eundem Confessarium redire solent; tunc in alia confessione de oblitis directe absolvantur.

Q. An dolor, ut sit materia apta, debeat esse elicitus cum relatione ad confessionem?

R. Duae sunt sententiae: una probabilior negat, quia Trid. requirit tantum illam attritionem, quae excludit voluntatem peccandi cum spe veniae. — Sed altera, quae affirmat in praxi, est tenenda propter majorem securitatem Sacramenti.

Q. Utrum possit dari Sacramentum informe et validum, ratione defectus universalitatis contritionis, in quo tamen non infundatur gratia?

R. Multi negant posse dari. Sed D. Thomas, S. Ligorius, Sanchez, Salmaticenses etc. affirmant: 1° Esse informe licet validum: quia non confert gratiam sanctificantem propter obicem. 2° Esse validum; quia adest confessio peccatorum integra formaliter. 3° Adest dolor et detestatio etc. 4° Adest absolutio et votum satisfaciendi.

§ 3. *De contritione perfecta, et ejus effectibus.*

Q. Quotuplex est contritio?

R. Duplex, nempe *perfecta*, et dicitur *contritio*, quae ex motivo charitatis concipitur. *Imperfecta*, quae *attritio* dicitur, et concipitur ex alio motivo supernaturali, nempe, juxta Concilium Trident., ex metu gehennae et poenarum, et ex consideratione turpitudinis peccati excludens semper voluntatem peccati, et includens spem veniae.

Q. In quo differant contritio perfecta et imperfecta?

R. Differunt in duobus: 1° Ratione *motivi;* nam contritio perfecta concipitur ex perfecto Dei amore charitatis; attritio vero vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu. 2° Ratione *effectus;* contritio enim perfecta cum solo Sacramenti voto justificat; non vero attritio, ut docet Concilium Tridentinum.

Q. Quid est amor concupiscentiae?

R. Est *ille, quo volumus Deum nobis bonum, ejusque beatitudinem appetimus.*

Q. Quid est amor charitatis, seu amicitiae?

R. Est *ille, quo Deum propter seipsum amamus, illique ejus bonum, et beatitudinem, et perfectionem volumus.*

Q. Ex quo motivo contritio perfecta elicienda est?

R. Plures Theologi contendunt, actum perfectae contritionis elici posse ex motivo cujusque attributi divini per peccatum offensi. — Alii docent, contritionem eliciendam esse ex motivo bonitatis Dei, tum absolutae, tum relativae quatenus nempe Deus est bonus in se, et bonus nobis. — Alii tandem communiter et probabilius, et hanc sententiam amplectimur, docent, actum contritionis perfectae procedere ex solo motivo charitatis, divinae nempe bonitatis per peccatum contemptae, quatenus haec amplectitur omnes divinas perfectiones; hoc colligitur ex Tridentino.

Q. Unde repetenda sit ratio essentialis et distinctiva contritionis perfectae ab imperfecta, seu attritione?

R. Non ex intentione graduum charitatis, sed ex proprio speciali motivo uniuscujusque. Revera intentio graduum charitatis facit majorem, vel minorem charitatem. Sed magis et minus non diversificant speciem. Ergo attritio et contritio, si procederent ex intentione graduum charitatis, non distinguerentur specifice. Sed certum est, specifice distingui: ergo non ex intentione graduum charitatis repetenda est eorum ratio essentialis et distinctiva, sed ex alio speciali motivo unicuique proprio.

Q. Utrum contritio concepta ex amore charitatis Dei super omnia justificet non tantum in gradu intenso, sed etiam in gradu remisso?

R. Justificat; quia S. Scriptura et sancti Patres actui charitatis absolute et simpliciter sumpto, sine ulla mentione gradus intentionis, promittunt justificationem. Nam epist. 1 D. Petri, c. 4: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Chrysost., Hom. 7 in 2 ad Tim. ait: *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.*

Q. Utrum contritio etiam ex amore charitatis in gradu remisso concepta justificet extra Sacramentum in casu necessitatis tantum?

R. Justificat semper; neque enim habet virtutem justificandi propter casum necessitatis, sed ex propria sua perfectione; ergo cum juxta Bajum, Jansenium et Estium, reliquosque adversarios justificet in casu necessitatis, justificat ordinarie et in omni casu.

Nota. Hinc colligitur, contritionem perfectam non esse necessariam ad Sacramentum Poenitentiae.

Q. An contritio remittat non tantum culpam, sed ipsam etiam poenam?

R. Remittit poenam aeternam; quia homo justificatus per contritionem nequit esse reus damnationis. Remittit etiam partem poenae temporalis pro mortalibus deletis, vel venialibus debitae juxta majorem vel minorem illius intensionem, eruitur ex Trident. sess. 6, cap. 14, can. 3; et sess. 14 de poenit., cap. 8, can. 12.

Q. Quale debeat esse votum, seu desiderium Sacramenti Poenitentiae in his, qui per actum contritionis perfectae justificantur, an explicitum, vel implicitum?

R. Probabilius videtur sufficere, ut illud sit implicitum. Nam votum alicujus rei in alio inclusum est votum implicitum. Atqui ex Tridentino ad justificationem recipiendam per contritionem perfectam sufficit votum Sacramenti, quod in ipsa contritione includitur: ergo sufficit votum Sacramenti implicitum.

§ 4. *De attritione, et ejus effectibus.*

Q. Quid est attritio seu contritio imperfecta?

R. Est *animi dolor, et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero concepta, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu.*

Q. Quotuplex est timor?

R. Ex D. Thoma est quadruplex, nempe timor mundanus, servilis, initialis, et filialis.

Mundanus est *fuga mali temporalis per offensam Dei.*

Timor servilis est *fuga peccati ut poenae a Deo infligendae causativi:* et duplex est, nempe simpliciter servilis, et serviliter servilis.

Timor simpliciter servilis est *fuga peccati ut causativi poenae per fidem apprehensae sine affectu illius committendi, si haec abesset.*

Serviliter servilis est *fuga peccati ut causativi poenae cum affectu illius committendi, si haec abesset.*

Timor initialis est *ille, quo quis initio conversionis fugit peccatum, quatenus est Dei offensa, et poenae inductivum.*

Timor filialis est ille, *quo quis fugit peccatum quatenus est offensa Dei propter se super omnia dilecti.*

Nota. Certum est: 1° Timorem mundanum, et serviliter servilem esse malos, et vitiosos propter affectum peccati, qui intrinsece malus est, sicut ipsummet peccatum. 2° Timorem filialem, et initialem esse bonos, et laudabiles; quia nituntur motivo laudabili, et honesto.

Q. Utrum attritio concepta ex timore simpliciter servili sit bona, et laudabilis?

R. Est bona, ut Concil. Trident. sess. 14, c. 5 definivit contra Lutherum docentem, eam esse malam, hominemque reddere magis hypocritam, et peccatorem. Ratio est, quia Scriptura, et Patres nos hortantur ad illum timorem: *Timete eum,* inquit Christus (Luc., cap. 12), *qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Et D. Aug. in Psal. 127: *Bonus est timor iste, et utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam.*

Q. Utrum contritio concepta ex timore simpliciter servili sit supernaturalis, voluntatemque peccandi excludat?

R. Affirmative. Nam dicitur Proverb. c. 8: *Timor Domini odit malum;* et Eccl. cap. 1: *Timor Domini expellit peccatum;* et Conc. Trident. sess. 14, cap. 4 de attritione loquens ait: *Eam do-*

num Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Ergo etc.

Alexander VIII has propositiones damnavit: *Timor gehennae non est supernaturalis. — Attritio, quae ex gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, et supernaturalis.*

Q. Utrum in attritione ex metu gehennae concepta requiratur aliquis amor, ut sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Poenitentiae rite, et utiliter percipiendum?

R. Requiritur quidem quod attritio cum initio amoris conjungatur. Nam Concil. Trident. sess. 6, de dispositionibus ad justificationem in Baptismo requisitis, requirit amorem initialem, et imperfectum: *Illum,* inquit, *tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* Ergo a pari in Sacramento Poenitentiae. Ita communiter sentiunt Theologi.

Q. An hic amor inchoatus in attritione debeat esse charitas praedominans, vel sufficit aliquis amor Dei initialis?

R. Quaestio magna fuit inter Theologos; nam Antoine, Habert, Juvenin, Concina, Merbesius, et alii pauci dicunt, quod in attritione hic amor inchoatus debet esse praedominans, et benevolentiae. Docent enim talem amorem dici inchoatum non quia non sit charitas, sed quia charitas est in gradu remisso. Isti vocantur *Contritionistae.*

Alii fere communiter cum Alasia, Billuart, Lugo, Suarez, S. Alphonso de Ligorio, Scavini, Gury, et omnibus scholis docent, non requiri charitatem benevolentiae, et praedominantem neque in gradu remisso; sed sufficere attritionem, quae oritur, vel ex timore gloriae omissionis, vel ex timore inferni, vel poenarum temporalium, ut a Deo inflictarum (probabilius videtur); vel ex horrore erga turpitudinem peccati lumine fidei cognitam. Quae attritio includit aliquod initium amoris Dei; nam, ut ait Alasia, nemo est ita plumbeus, qui non incipiat sub aliquo sensu, et indirecte ei bene velle, a quo sperat sine ullo suo merito bonum maximum, nempe aeternam beatitudinem. Isti Theologi vocantur *Attritionistae.*

His notatis respondeo. Si per amorem initialem, seu inchoatum intelligatur aliquis gradus charitatis praedominantis, et benevolentiae non requiritur; quia hic gradus charitatis praedominantis, seu benevolentiae quamvis sit remissus, justificat extra confessionem, ut supra probatum fuit: sed non requiritur necessario in Sacramento

actus, qui extra Sacramentum essentialiter justificat. Ergo non requiritur amor charitatis praedominantis.

Si per amorem initialem, seu inchoatum intelligatur amor, seu pius quidam motus supernaturalis, qui provenit ex fide, et spe, et quo peccator efficaciter a peccato avertitur, et vere ad Deum convertitur, ut Attritionistae docent, requiritur utique. Ratio est, quia nequit fieri vera conversio ad Deum, quin Deus, saltem inchoative ametur. Haec sententia post Trident. cum plausu ab omnibus scholis fuit adoptata, ut asserit Benedictus XIV; et Alexander VII decreto 5 maji an. 1657 ait, quod *Hodie inter scholasticos communis videtur.* Et D. Thomas (12, q. 40, a. 7) ait: *Ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare.* Ergo cum omnis attritio nostra sit spes, vel fundetur in spe, etiam est actus, quo incipimus diligere Deum.

Nota. Contritionista, si suis principiis velit esse conformis, attente perpendere debet non solum, an dolor de peccatis conjungatur in poenitente cum fide, et spe veniae; verum etiam an ille oriatur ab amore Dei initiali quidem, sed proveniente a charitate praedominante, et super omnia. Quae inspectio difficilis est et anxietatibus plena.

Attritionista e contrario non aliud debet inquirere, nisi an adsit dolor proveniens a fidei motivo, et cum spe veniae conjunctus.

Q. An sit rectus actus attritionis illius, qui diceret, me poenitet peccati commissi; quia merui infernum?

R. Negative. Nam attritio hujusmodi non est bona. Tunc est vera attritio, si dicat: *Me poenitet offendisse Deum, propter quod merui infernum.*

Q. Quomodo potest cognosci a Confessario, quod poenitens revera dolore careat?

R. « *Monsignor Trucchi (Metodo pratico per la facile e sicura amministrazione del Sacramento della Penitenza) riferisce i segni accennati dal Card. Denoff nella sua Pastorale, riportati ancora dal Catalani, e sono:* 1° *Quando il penitente si accosta a far la sua confessione con aria di superbia come se disprezzasse il ministro di Dio, e si mostra impaziente e risentito a qualsivoglia domanda.*

« 2° *Quando accusando i peccati si discolpa, e studiasi di rifonderli negli altri.*

« 3° *Quando narra le più gravi colpe non altrimenti che narrerebbe « cose indifferenti.*

« 4° *Quando si vede che a bella posta ha voluto tacere qualche mor« tale peccato, venuto poi in luce per sola industria del Confessore.*

« 5° *Quando ricusa di ammettere una conveniente e discreta pe« nitenza.*

« 6° *Quando non vuole giovarsi dei rimedii opportuni ad evitar la « colpa.*

« 7° *Quando si portano studiosamente in cerca di Confessori, forse « ignoranti, o certo di troppo lassa morale, però appunto che non vo« gliono veramente convertirsi a Dio.* »

Q. An sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium hujus vitae pro peccato subeundarum, prout a Deo infliguntur?

R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia Concil. Trident. distinguit poenas gehennae, et alias poenas, dicens: *Et metu gehennae, et poenarum.* Insuper ex hujusmodi metu omnes verae attritionis conditiones adesse possunt. — Ita cum certitudine dicendum de attritione concepta ex metu poenarum purgatorii.

Q. An attritio remittat peccata venialia extra ipsum Poenitentiae Sacramentum?

R. Probabilius affirmandum est cum Suarez, Lugo, Gury et aliis. Quia ex Concil. Trident. variis modis venialia remitti possunt.

Q. An qui in articulo mortis susceperit Sacramentum cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis?

R. Est desiderandum, et consulendum, sed probabilius non tenetur. Nam non tenetur praecepto naturali cum sufficienter providerit saluti suae per receptionem Sacramenti Poenitentiae. Non tenetur praecepto divino, cui jam satisfecit per justificationem sui. Neque praecepto ecclesiastico, quia non exstat, ut patet.

Q. An contritio, vel attritio remittat peccata venialia sine voto Sacramenti?

R. Affirmative. Ratio est, quia Sacramentum ex institutione divina pro solis mortalibus necessarium est; ergo venialia deleri possunt absque Sacramento Poenitentiae; ergo nullum votum hujus Sacramenti requiritur ad eorum remissionem. Ita omnes Theologi, teste Gury.

ARTICULUS II.

DE PROPOSITO.

Q. Quid est propositum?

R. Est *deliberata voluntas absolute statuens evitare* ***peccatum in*** *posterum.*

Nota. Propositum differt: 1° A rigorosa promissione. 2° A juramento. 3° A voto; quia haec omnia inducunt specialem, et distinctam obligationem; non sic propositum.

Caveat igitur Confessarius exigere a poenitente juramentum, vel votum, vel aliquam rigorosam promissionem non peccandi de caetero; quia ipsi daretur occasio duplicis peccati.

Q. Quotuplex est propositum?

R. Duplex est, explicitum seu formale, et implicitum seu virtuale. Explicitum est *illud*, *quo quis de futuro cogitans statuit non amplius peccare.* — Implicitum est *illud*, *quod in ipsa contritione includitur.* Hoc est pars essentialis contritionis.

Q. An sufficit propositum implicitum, an vero requiratur explicitum, et formale?

R. Triplex est sententia. Prima cum Cajetano, Concina etc., requirit propositum formale; quia licet dolor includat necessario propositum, attamen propositum explicitum requiritur a Trident. dicente: *Cum proposito non peccandi de caetero.* — Secunda sententia communior, et valde probabilior cum Layman, Salmat., Lugo, Viva etc. dicit satis esse propositum virtuale, si dolor eliciatur ex motivo universali: haec etiam fundatur in Concil. Trid., ubi dicitur, quod attritio si excludit voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam. — Tertia sententia cum Bellarmino etc., distinguit dicens, si poenitens cogitet de futuro, requiritur propositum explicitum; si non cogitet de futuro, ut contingit moribundis, sufficit virtuale. Sed licet hae ultimae sententiae sint probabiliores; tamen prima tenenda in praxi, quia tutior in Sacramento est eligenda. Ita Ligorius, Scavini, Gury etc.

Q. Quas conditiones debet habere propositum?

R. Tres, nempe debet esse firmum, universale, et efficax.

1° *Firmum*, idest requiritur, ut poenitens habeat voluntatem non relabendi in peccatum, non obstante quocumque incommodo. aut timore humano.

Nota. Firmum propositum voluntatis consistere potest cum timore relabendi.

Q. An censeri debeat firmum propositum illius, qui habet quidem animum non peccandi, sed credit certo se relapsurum?

R. Negative ; quia practice loquendo ille, qui vere vult non peccare, quod a peccato per divinum auxilium abstinere possit, credere oportet. Ergo si credat, certo se relapsurum, hoc arguit infirmitatem propositi. Ita S. Ligorius. In praxi vero indolem , et genium poenitentis inspicere oportet.

2° *Universale*, idest ad omnia peccata mortalia , tum patrata, tum quae patrari possent extensum.

3° *Efficax*, idest aptum ad efficiendum quod proponitur. — Animadvertendum, quod sufficiat, ut sit efficax affective, idest ut peccator sit animo paratus ad media necessaria adhibenda; quia futura realis vitatio peccati non est de essentia propositi.

Q. Quale propositum requiratur, vel sufficiat pro venialibus?

R. Sufficit : 1° Habere propositum efficax saltem unum veniale evitandi ; quia sufficit dolor de uno in Sacramento Poenitentiae ; ergo a fortiori sufficit propositum evitandi unum.

2° Sufficit sibi proponere emendationem de aliquo genere venialium, v. g. de mendaciis.

3° Sufficit velle vitare omnia peccata deliberata.

4° Sufficit velle minuere frequentiam, et multitudinem venialium. In praxi tutius est elicere propositum de aliquibus determinatis, et de his praecipue, quae ex habitu patrantur.

CAPUT IV.

De Confessione.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

Q. Quid est confessio?

R. Definitur : *Sacramentalis accusatio peccatorum suorum post baptismum commissorum, facta sacerdoti ad eorum veniam obtinendam virtute clavium.*

Q. An confessio sit de institutione divina?

R. Affirmative, et est de fide definitum in Concil. Tridentino contra Wicleffum, Lutherum et Calvinum. Revera Christus dedit Apostolis, et in eorum persona sacerdotibus judiciariam potestatem dimittendi, et retinendi peccata: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* (Joan. c. 20). Atqui haec potestas non potest rite exerceri, nisi cognita causa prius per confessionem. Ergo eodem jure est praecepta confessio, quo est data Apostolis haec potestas. Sed est data jure divino, juxta recensita verba. Ergo et confessio est institutio divina.

Pariter Christus dixit in Lucae c. 13: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Et Concil. Trident. sess. 15, can. 6 dicit: *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino... anathema sit.*

Probatur etiam ex Patribus: in primo saeculo S. Clemens (2 ep. ad Cor.) dicit: *Postquam a mundo exivimus non amplius possumus ibi confiteri, aut poenitentiam adhuc agere.* — In secundo saeculo S. Ireneus (lib. 1, cap. 9): *Ipsaemet* (foeminae quaedam seductae) *saepe, cum ad Dei Ecclesiam rediissent, confessae sunt.* — In tertio saeculo Origenes (hom. 17 in Luc.): *Si revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et eis qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra.* — In quarto saeculo S. Ambrosius dicens: *Fatere delictum tuum* (lib. 2 de poenit. c. 6). Et sic de caeteris. Nunc quod universa semper tenuit, et tenet Ecclesia, nec ullo in Concilio legitur fuisse institutum, illud a Christo Domino, et Apostolis provenire merito existimatur, ut omnes docent post Augustinum. Ergo etc.

Q. Utrum confessio sit necessaria necessitate medii ad salutem?

R. Affirmative sive *in re*, sive *in voto*. Concil. Trident. sess. 15 dicit: sicut Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei;* eodem modo dixit: *Si poenitentiam non egeritis.* Atqui Baptismus non baptizatis in genere, idest in re, vel in voto, est necessarius necessitate medii ad salutem. Ergo et confessio sacramentalis est peccatoribus necessaria necessitate medii sive in re, sive in voto.

Q. Utrum confessio sit necessaria necessitate praecepti divini?

R. Affirmative, et est de fide contra Wiclephum, Lutherum, et Calvinum. Rationes jam sunt superius dictae. Et Concil Trident. definivit: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem... ad salutem necessariam esse jure divino, anathema sit* (sess. 15, can. 6).

Q. Utrum confessio sit praecepta etiam jure ecclesiastico?

R. Adest utique praeceptum ecclesiasticum confitendi, et fideles tenentur adimplere saltem semel in anno, ut definitum fuit in Concilio Lateranensi IV sub Innoc. III anno 1215: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam poenitentiam studeat pro viribus implere.*

Q. In quam poenam incurrunt illi, qui hoc praeceptum non adimplent?

R. Hoc praeceptum obligat sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae, et privationis ecclesiasticae sepulturae, ut praescribit Concil. Lateranense IV dicens: *Omnis utriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur... Alioquin, et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Verum haec poena non est latae sententiae, sed ferendae sententiae.

Q. Quos obligat praeceptum divinum confessionis?

R. Deus hoc praecepto obligat omnes, qui peccato mortali se commaculaverunt.

ARTICULUS II.

DE TEMPORE, QUO OBLIGATIO CONFESSIONIS URGET.

Q. Quomodo, et quoties obligat praeceptum divinum confessionis?

R. Obligat per se, et obligat per accidens. Obligat *per se*: 1° In mortis articulo. 2° In gravi vitae periculo. 3° In probabili periculo non amplius confitendi, v. g. tenentur confiteri ingredientes periculosam navigationem, vel conflictum etc.

Per accidens obligat: 1° Quando sumpturus Eucharistiam versatur in mortali. 2° Quoties necessarium sit ad gravem tentationem superandam; quia medium debet, qui debet finem. 3° Si quis debeat esse in statu gratiae propter receptionem, vel administrationem alicujus Sacramenti, vel propter aliam causam, et nequeat elicere actum contritionis.

Q. An hoc praeceptum divinum obliget statim ac patratum est peccatum?

R. Est commune cum D. Thoma statim non obligare post commissum peccatum. Ratio est, quia talis obligatio nullo fundamento certo niti videtur. Insuper est praeceptum affirmativum, ideo non obligat pro omni tempore.

Q. Quando urget hoc divinum praeceptum?

R. Saltem semel in anno, ut definivit Concilium Lateranense IV. Unde graviter peccare non videtur, imo satisfacere huic divino praecepto qui semel in anno tantum confitetur; quia Christus reliquit Ecclesiae obligationis tempus determinandum. Gury, Salmantic., Croix, Granata, et alii.

Q. Quosnam obligat praeceptum ecclesiasticum?

R. Obligat omnes baptizatos peccatores, idest etiam impuberes, et pueros, qui nondum septennium compleverint, si iidem ad annos discretionis pervenerint; dicit enim Concil. Lateranense IV: *Postquam ad annos discretionis pervenerint.*

Nota. Tunc pueri censentur attigisse annos discretionis, et doli capaces quoad hoc praeceptum, quando sunt capaces mortalis peccati: quod debet judicari non ex sola aetate, sed praecipue ex gradu ingenii, ex educatione, ex spiritu etc.

Q. Quid si de discretione istorum puerorum dubitetur, nec brevi possit dubium resolvi?

R. Docent Layman, Croix, Diana et alii communissime pueros esse sub conditione absolvendos, si non ex paschali praecepto, saltem ne forte diu maneant in peccato mortali.

Nota. Graviter errant Confessarii, qui sibi commissos pueros nunquam ante primae Communionis aetatem absolvere volunt; alia est enim discretio, quae requiritur ad confessionem, et alia, quae ad Communionem.

Q. An hoc praeceptum ecclesiasticum annuae confessionis obliget etiam illos, qui tantum habent venialia?

R. Quaestio est inter Theologos. Prima sententia obligat omnes omnino fideles; dicit enim D. Thomas (q. 6, a. 3): *Ad confitendum dupliciter obligamur; uno modo ex jure divino... et secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum: alio modo ex praecepto juris positivi; et sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiae...* Secus pariter impii possent illudere, dicentes se non obligari ad confitendum, quia venialia tantum habent.

Secunda sententia communior, et verior, quam amplectimur, negat; quia Concil. Tridentinum dicit (sess. 24, c. 5) . . . *ea peccata confiteatur quibus Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Insuper peccata venialia essent tunc materia necessaria, et non amplius libera; quod est absurdum, inquit D. Ligorius, Suarez, Layman, et alii communiter.

Q. An qui careat peccatis mortalibus debeat saltem praesentari sacerdoti ad satisfaciendum praeceptum ecclesiasticum?

R. Est communis sententia, et verior cum D. Antonino, Alasia, Billuart, Lugo, Suarez, et aliis contra D. Thomam, non teneri se praesentare, qui est solutus peccatis mortalibus; quia praeceptum canonis Lateranensis est tantum determinativum praecepti divini.

Q. Habens mortale, cujus non recordatur, et confitetur in Paschate sola venialia, post aliquot dies illius reminiscitur, an ad adimplendum praeceptum debeat denuo confiteri?

R. Suarez, Layman affirmant, quia adhuc urget praeceptum confessionis, cui non est satisfactum per solam venialium confessionem ab eo, qui habuit mortalia. — Sed alii communiter negant, et haec sententia est tenenda, quia cum mortale sit remissum ob bonam fidem, sola remanet obligatio illud submittendi clavibus Ecclesiae cum primum fiat nova confessio; sed proprie illud non amplius est in anima.

Q. Qua anni parte obligat hoc praeceptum annuae confessionis?

R. Nonnulli computant annum a prima die januarii ad primam diem ejusdem mensis sequentis. Alii a die ultimae confessionis computant 365 dies. Alii a Paschate ad sequens Pascha. Sed licet a Paschate usque ad Pascha adsit consuetudo, tamen probabilius haec consuetudo non habet vim legis; unde quovis modo annus computetur, videtur sufficere si inter unam, et alteram confessionem non intersit plus quam annus.

Q. An impuberes, qui praecepto ecclesiastico confessionis annuae non satisfecerunt, incurrant easdem poenas?

R. Negative: quia ab istis poenis excusantur, cum non sint comprehensi.

Q. An satisfiat praecepto ecclesiastico confessionis per confessionem nullam?

R. Negative. Quia praeceptum ecclesiasticum est determinativum praecepti divini; atqui non satisfit praecepto divino per confessionem nullam: ergo neque praecepto ecclesiastico. Insuper ab Alexandro VII damnata est haec propositio: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.*

Q. An qui praecepto ecclesiastico confessionis annuae non satisfecerit, teneatur satisfacere quam primum?

R. Sententia communior, quam sequimur, affirmat; quia hic terminus non apponitur ad obligationem finiendam, ut in jejunio alicujus diei; sed ad eandem non differendam, ut in debiti solutione.

Q. An toties peccet, qui confiteri debet, quoties negligit sibi oblatam occasionem?

R. Affirmative, si toties renovet positivam voluntatem non confitendi; secus probabilius negative.

Q. An qui anno sequenti confiteatur peccata praeteriti anni, satisfaciat praecepto utriusque anni?

R. Verior sententia Salmantic., et aliorum distinguit: si ipse confiteatur peccata mortalia tam praeteriti, quam praesentis anni, tunc satisfacit utrique praecepto; quia adimplet finem praecepti, qui est reconciliatio cum Deo a peccatis illius anni. Non satisfacit, si confiteatur tantum peccata mortalia praecedentis anni, et peccata venialia currentis anni. Quare si postea in peccata mortalia labitur, tenetur iterum confiteri, ut satisfaciat praecepto illius anni currentis.

ARTICULUS III.

DE CONFESSIONIS CONDITIONIBUS.

Q. Quot sunt conditiones ad confessionem?

R. Sexdecim hisce versiculis numeratae:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis;
Nec non nuda, frequens, discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

1° *Simplex;* idest sine admixtione rerum, quae ad confessionem minime pertinent.

2° *Humilis;* idest interne tribuens sibi malitiam peccati; externe sine audacia, vel jactantia.

3° *Pura;* idest ex solo fine obtinendi veniam peccatorum virtute Clavium.

4° *Fidelis;* idest sine ullo mendacio et aequivocatione.

5° *Nuda;* idest sine verbis aequivocis et palliatione peccatorum.

6° *Frequens;* idest juxta poenitentis conditionem, et Confessarii judicium.

7° *Discreta;* idest prudens in explicando peccata

8° *Libens;* idest voluntaria.

9° *Verecunda;* idest casta, et modesta.

10° *Lacrymabilis;* idest cum vero animi dolore.

11° *Integra;* quoad peccata mortalia.

12° *Secreta;* idest soli sacerdoti facta et sigillata. Id tamen non requiritur de necessitate Sacramenti, quasi non valeat si publica sit; sed ex usu rationabili Ecclesiae, ut explicat Tridentinum sess. 14, cap. 6.

13° *Accelerata;* idest non adeo dilata post peccatum.

14° *Fortis;* in superando timore in manifestandis culpis.

15° *Accusans;* idest non se excusans.

16° *Parere parata;* idest parere Confessario in iis, in quibus poenitentes obedire tenentur.

ARTICULUS IV.

DE INTEGRITATE CONFESSIONIS.

Q. Quotuplex est integritas confessionis?

R. Duplex, nempe materialis, et formalis. Materialis est *accusatio omnium peccatorum, nullo dempto.* — Formalis est *accusatio peccatorum, quae poenitens potest, et debet hic et nunc confiteri.*

Q. Quaenam integritas ad confessionem requiritur?

R. Requiritur integritas materialis; sed cum haec plerumque sit impossibilis, ejus defectu necessaria jure divino est integritas formalis, ut definivit Concil. Trident. (sess. 14, can. 7): *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae jure divino necessarium non esse confiteri omnia, et singula peccata, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, anathema sit.*

Q. Quid requiritur ad integritatem confessionis formalem?

R. Requiritur: 1° Ut poenitens declaret numerum peccatorum mortalium. 2° Eorum species mortales. Unde qui grave furtum, et occisionem patravit, non satisfacit dicendo se duo mortalia commisisse; sed furtum, et occisionem distincte fateri debet. 3° Circumstantias mutantes speciem, v. g. qui facit eleemosynam puellae ad eam seducendam. 4° Circumstantias, quae speciem novam addunt; tunc enim sunt diversa peccata. 5° Actum externum; quia est lege divina prohibitum. 6° Effectus malos, si satis praevisos ex mala actione secutos, v. gr. qui habuit copulam cum libera, et praevidit ex hoc secutura gravia mala, non sufficit dicere, commisisse peccatum contra castitatem; sed debet explicare actum copulae, et gravia mala inde secuta. Ita Scavini, cui adhaeremus, licet Gury cum Lugo, et Ballerini negent.

Q. An ad integritatem confessionis debeant confiteri circumstantiae notabiliter aggravantes in eadem specie?

R. Quaestio est inter Theologos. Prima sententia cum Suarez, Sanchez, Antoine, Cano valde probabiliter affirmat; quia aliter non satis perciperetur status poenitentis: haec quoque videtur sententia Catechismi Romani. — Secunda sententia communior, et valde probabilior cum D. Thoma, D. Bonav., D. Bernardo, D. Ligorio, D. Antonino, Scoto, Salmatic. et aliis negat: 1° Quia Trident. non alias memorat circumstantias, nisi eas, quae peccati speciem mutent. 2° Quia secus poenitentes semper inter angustias fluctuarent. 3° Quia juxta Benedictum XIV haec est dubia, et nemo debet obligari ad servandam legem dubiam.

Nota 1ª. Excipitur communissime circumstantia, quae inducit censuram, aut reservationem; pariter illa, de qua Confessarius prudenter interrogat ad necessariam poenitentis directionem, ut est furtum propter restitutionem et habitus pravus. Sed tunc haec aperitio est tantum per accidens et non per se. Et in hisce casibus praesertim de furto et habitu, necessitas illas circumstantias confitendi non est ratione integritatis confessionis, sed specialis directionis.

Nota 2ª. Sed in praxi expedit omnes circumstantias notabiliter aggravantes confiteri; ideo hortari possunt fideles ad ipsas aperiendas; non tamen ad id sub peccato obligari.

Q. Cum prima sententia sit tutior, nonne tenenda est, ne hoc Sacramentum exponatur periculo nullitatis?

R. Hoc procedit cum agatur de valore Sacramenti, secus de integritate. Nam quantum ad valorem certum est sufficere integritatem formalem, quae jam habetur in nostro casu.

Q. An officiat integritati confessionis, si quis accuset mortalia alteri, venialia vero Confessario ordinario?

R. Negative per se loquendo, dummodo recipiat absolutionem ab omnibus peccatis mortalibus patratis ab ultima confessione facta; quia integra est confessio, quae omnia mortalia complectitur, cum venialia non sint necessario accusanda. — Secus vero dicendum est de iis, qui circumeunt, ut liberius peccent, ne a Confessariis corripiantur. Ita S. Ligorius, n. 475.

Q. An officiat integritati, si quis simulet aliam vocem, ne a Confessario agnoscatur?

R. Negative per se; quia quando omnia mortalia aperiat, confessionem integram peragit.

Diximus *per se;* quia quando hoc facit ob solum finem, ne confes-

sarius detegat ejus protractam peccandi consuetudinem, per quam certo non absolveret eum, secus dicendum venit.

Q. An declaranda sit circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis, vel affinibus?

R. Aperienda est circumstantia consanguinitatis in linea recta, nempe inter patrem et filiam, vel matrem et filium. Item circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, nempe inter fratrem et sororem. Pariter declaranda est circumstantia primi gradus affinitatis in linea recta, idest inter socrum et nurum. — Probabilius autem caeteri gradus consanguinitatis, vel affinitatis non sunt necessario declarandi. Ita communius S. Ligorius, n. 469.

Q. An necessario accusanda sit circumstantia dignitatis personae, v. g. si peccans sit Superior, Sacerdos, Magistratus?

R. Negative probabilius per se, idest seclusa ratione scandali, aut officii, vel obligationis particularis ; quia id non mutat speciem per se. Item per se nec circumstantia domini cum ancilla.

Q. An necessario declaranda sit circumstantia peccati Confessarii cum poenitente commissi?

R. Negative probabilius, modo nullam relationem habeat ad confessionem; quia ex officio stricte tantum tenetur Confessarius ad rectam directionem in tribunali Poenitentiae. Ita S. Ligorius.

Q. An necessario declaranda sit circumstantia peccati a Parocho cum parochiana patrati?

R. Affirmative. Ratio est, quia strictissima obligatione tenetur Parochus animas pascere, scandala ab eis amovere, etc. Ita S. Lig.

Q. An necessario accusanda sit circumstantia temporis?

R. Negative. Ratio est praxis universalis. Excipe, nisi agatur de circumstantia extraordinaria, v. g. die Parasceves comoedias publicas, spectacula etc. exhibere.

Q. Ille, qui timet accusare peccatum recens postquam accusaverit alia peccata, dicit : *Praeterea me accuso de peccatis totius vitae praesertim de tali, etc.;* satisfacitne integritati confessionis?

R. Non videtur satisfacere; quia ex tali formula facit illud peccatum antiquum ex modo ordinario confitendi, quo utuntur fideles; idem enim esset, ac si diceret, me accuso de tali peccato olim commisso. Ita Gury.

Q. An ligatus voto castitatis peccans cum alio similiter ligato debeat utramque circumstantiam declarare?

R. Affirmative ; quia ibi sunt duo peccata plane distincta,

nempe peccatum contra proprium votum, et peccatum cooperationis cum alio ad votum illius violandum. Idem dicendum de conjugato, etc.

Q. An sacerdos, vel Religiosus peccans contra castitatem, conditionem suam aperire debeat, vel solam voti castitatis circumstantiam ?

R. Controvertitur. Sed sufficit, juxta sententiam veriorem, ut uterque individuus manifestet tantum circumstantiam voti; quia species obligationis non videtur mutari per specialem conditionem sive sacerdotis, sive Religiosi. Ita Lugo, disp. 16, n. 149, Lacroix et alii.

Q. An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii?

R. Affirmative, si agatur de propinquitate propiori ob strictum virtutis pietatis vinculum, v. g. in parentes, in filios, avos, nepotes. — Negative vero probabilius, si agatur de propinquitate remota. Ita Lugo, Ballerini, etc.

Q. Debetne declarari numerus personarum, cum quibus peccator deliquit ?

R. Negative per se loquendo; quia peccatum non mutat speciem, v. g. Qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendum se ter fornicatum. Excipe casum, quando aliqua persona ex istis mutat speciem per adnexam circumstantiam particularem; vel si Confessarius ad directionem interroget.

Q. Qualis numerus censeatur comprehendi in particula circiter?

R. Non potest regula praecisa determinari; non tamen comprehenditur qualiscumque excessus, nec notabilis defectus, sed modicus tantum; major tamen, vel minor proportionate ad numerum expressum.

Q. An debeat postea declarari excessus notabilis, si reperiatur peracta confessione?

R. Affirmative. Ratio patet ex dictis. Ita omnes, ait Gury. — Verum si bona fide numerum istum notabiliter majorem expresserit non tenetur postea declarare.

Q. An sit peccatum mortale mentiri in confessione?

R. Per se est peccatum mortale quoties mendacium versatur circa materiam necessariam confessionis sine justa causa celatam, aut circa materiam gravem falso suppositam, v. g. accusando peccatum grave non commissum. — Mendacium vero circa res non pertinentes ad confessionem non est per se mortale; quia non est

graviter poenitenti damnosum, nec Sacramento injuriosum. Ita communiter cum S. Ligorio ait Gury.

Q. Confessarius potestne eximere poenitentem ab obligatione integre confitendi ob magnum poenitentium concursum?

R. Non potest; quia adest propositio damnata ab Innocentio XI, quae sic exprimitur: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum, ratione magni concursus poenitentium.*

Q. Qui sciens se peccasse, v. g. contra castitatem, non recordatur de specie infima, idest de peccato specifico, teneturne patefacere peccatum?

R. Affirmative tenetur patefacere speciem genericam dicens, se contra castitatem graviter peccasse. Sic dicendum de illo, qui scit peccasse mortaliter; sed non recordatur de specie peccati, debet dicere se mortaliter peccasse.

§ 1. *De confessione peccati dubii.*

Q. An poenitens teneatur peccata dubia confiteri ut dubia?

R. Cum distinctione: si praehabito diligenti examine adhuc dubitatur, an aliquod mortale sit commissum nec ne; vel dubitatur, an peccatum quod commissum est, sit mortale, an veniale, neque debita diligentia et inquisitione adhibita dubium vinci valeat, speculative loquendo non adest gravis obligatio peccatum illud confitendi; tum quia non debet onus certum imponi ex lege dubia, tum quia ex Tridentino poenitens tenetur ea tantum mortalia confiteri, *quorum quis conscientiam habeat, vel quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit.* At dubium non est conscientia, sed suspensio judicii practici. Ergo non tenetur.

Si vero peccatum mortale est certo commissum, et tantum dubitatur, an sit in confessione declaratum, tenetur confiteri; quia obligatio confessionis est certa, cui non satisfit per dubiam satisfactionem.

Nota 1ª. In praxi tamen putamus ordinarie suadendam confessionem peccatorum mortalium, quocumque modo sint dubia; nisi res sit cum scrupolosis.

Nota 2ª. In articulo mortis, ait D. Ligorius, qui scit se Sacramentum Poenitentiae non suscepisse post peccatum dubium, vel debet confiteri peccatum dubium, vel debet fieri actus contritionis, non vi praecepti confessionis; sed ut majori securitate et diligentia effugiatur damnationis periculum.

Q. Contritio de mortali dubio elicita sine voto confitendi estne sufficiens ad remissionem mortalis peccati dubii?

R. Affirmative. Quia cum non sit materia necessaria, sicut contritio sine voto confessionis remittit venialia, ita et hujusmodi mortalia dubia (Ita Charmes ad mentem D. Alphonsi redactus).

Q. Utrum peccatum confessum ut dubium, debeat iterum confiteri, si postea cognoscatur certum?

R. Cum distinctione: si dubium versetur circa qualitatem peccati, probabilius non tenetur iterum confiteri, ait S. Alphonsus. — Si vero versetur circa existentiam, nempe an fuerit commissum nec ne, tunc debet iterum confiteri ut certum; quia licet remissum, tamen non fuit declaratum prout erat. Ita communissime, ait Scavini.

§ 2. *De manifestatione complicis.*

Q. An poenitens teneatur occultare complicem, quando potest speciem et circumstantias peccati declarare sine manifestatione complicis?

R. Affirmative: quia non licet sine legitima causa infamare proximum.

Q. An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod nequit declarari sine manifestatione complicis, ideo sine ejus infamia?

R. Quamvis Navarrus, Diana, Innocentius III et nonnulli alii teneant quod poenitens debeat peccatum suum reticere; quia praeceptum de integritate confessionis est positivum, ideo non est anteponendum praecepto naturali de servanda proximi fama; attamen communis est sententia cum D. Thoma, D. Antonino, D. Bonav. et Suarez etc., quod sit haec obligatio, *quando commode poenitens non potest invenire alium Confessarium, cui sit complex ignotus*. Nam manifestatio alieni criminis non est illicita, quando fit ex rationabili causa; tunc enim cessat naturale praeceptum. — Si vero commode potest alium Confessarium invenire, tenetur poenitens illum quaerere.

Q. Quando excusatur poenitens a tali inquisitione alterius Confessarii?

R. 1° Si urgeat periculum mortis; aut praeceptum annualis confessionis, sive Communionis; aut si non celebrando, vel non communicando incurreret infamiae notam: vel si ipse existeret in pec-

cato mortali, et pro inquirendo alio Confessario deberet exspectare aliquod tempus, puta diem.

2º Si credatur complex juri suae famae cessisse.

3º Si alicui solito celebrare, vel communicare grave sit id omittere; vel si alias privandus esset indulgentiae emolumento; vel difficulter alteri Confessario conscientiam aperit; vel si propter firmiorem directionem, quam exspectat a pio et docto Confessario, nollet alium quaerere.

4º Excusantur saepe etiam matres, ac uxores manifestantes peccata filiorum, et virorum Confessario, qui eos cognoscit. Ita Scav.

Q. An poenitens teneatur declarare in confessione personam, quae licet non sit complex, est tamen objectum peccati?

R. Tenetur, si confessio non possit esse integra sine illius personae declaratione, v. g. qui sororem per vim defloravit, tenetur sororem manifestare; nam est incestus. — Sic qui interfecerit puellam per fornicationem gravidam, tenetur revelare etiam graviditatem, licet Confessarius eam noverit innuptam: sunt enim duo homicidia.

Q. In quam poenam incurrit Confessarius, qui sine necessitate exquirit nomen complicis?

R. Benedictus XIV, Bulla *Ad eradicandam*, imponit: 1º Poenam suspensionis (ferendae sententiae) ab officio audiendarum confessionum. 2º Onus denuntiandi intra solitum tempus, nempe 30 dierum imponit omnibus, qui non quidem ex confessione propria; sed aliunde noverint aliquem Confessarium exquirere nomen complicis. Haec denuntiatio imponebatur ab eodem Pontifice sub poena excommunicationis latae sententiae; sed hodie per *Ap. Sedis* Const. est ablata, et remanet tantum obligatio denuntiandi.

Nota 1ª. Hoc intelligitur tantum, cum Confessarius deneget absolutionem poenitenti, si manifestare renuerit. Non vero, quando aliqua vice id Confessarius faceret ex quadam animi simplicitate.

Nota 2ª. Aliud est nomen complicis formaliter exquirere, et aliter inquirere circumstantias necessarias ad integritatem confessionis.

Q. In quam poenam incurrit ille, qui docet, vel defendit licitum esse in confessionali exquirere nomen complicis?

R. In excommunicationem latae sententiae Pontifici reservatam, juxta Const. Pii IX, qua censurae limitantur.

ARTICULUS V.

DE CAUSIS AB INTEGRITATE CONFESSIONIS EXCUSANTIBUS.

Q. Utrum infirmus, qui subita vi morbi obmutescit, possit absolvi absque confessione?

R. Si aliqua dederit doloris signa coram uno saltem adstante, ea de re testimonium ferente, potest absolvi; quia in hoc casu reperitur confessio virtualis et confusa, ita definivit Concilium Carthaginense IV; et hodie est sententia communis.

Q. Utrum possit absolvi, si nullum dederit signum doloris, neque desiderii confitendi?

R. Distinguendum: vel christiane vixit, vel non. Si non, praesertim si fuerit haereticus publicus, schismaticus, apostata a Religione etc... tunc prorsus deneganda est absolutio; quia ejus voluntas obfirmata in malo non censetur mutata. — Si christiane vixit, licet nonnulli dicant non posse absolvi ob defectum materiae sensibilis, tamen hodie communis est doctrina cum D. Alphonso quod possit absolvi sub hac conditione: *Si es capax*. Quia qui vitam duxit christianam, in dicta vita absolutionis desiderium saltem in articulo mortis includitur.

Q. Possuntne absolvi etiam sub conditione illi, qui in ipso criminis actu moriuntur, ut sunt concubinarii, duellantes etc.?

R. Affirmative, ait D. Alphonsus; quia (sunt ejus verba) *merito praesumi potest, quod ipse catholicus in proximo periculo suae damnationis constitutus cupiat omni modo suae saluti consulere.*

Q. Quot sunt causae a materiali confessionis integritate excusantes?

R. Duae sunt, nempe *impotentia physica*, quia impossibilium nulla est obligatio; et *impotentia moralis*, nempe grave et extrinsecum damnum, tam spirituale, quam temporale imminens poenitenti, vel confessario, vel tertio; quia non censetur moraliter possibile, quod fieri nequit sine gravi incommodo.

Ob impotentiam physicam excusantur omnes in hoc versiculo expressi:

Mutus et oblitus, moribundus, surdus, et infans.

1° Muti, qui non possunt exprimere peccata. Si vero sciunt scribere ex commun, et probabiliori sententia tenentur confiteri scri-

bendo; quia tunc non adest omnino impotentia physica, ideo tenetur confiteri ut potest. Contra Gury, qui contrarium sentit.

2° Qui non amplius inculpabiliter recordantur peccati commissi. Si vero per defectum examinis, sunt culpabiles.

Excusantur pariter per ignorantiam invincibilem putantes quod reticent non esse peccatum. Si vero ignorantia sit vincibilis, committunt sacrilegium.

3° Moribundi, qui sunt in imminenti periculo ne vel ipsi, vel Confessarius usum loquelae subito amittat.

4° Surdi, qui Confessario respondere nequeunt. Non vero surdastri.

5° Infans linguae, idest ignari idiomatis, in casu, quo commode invenire nequeunt Confessarium, a quo intelligi possint.

Excusantur ob impotentiam moralem illi in his versiculis expressi:

Qui sibi, presbytero, fratrive pericla veretur;
Quem scrupuli exagitant, aut sacri pacta sigilli.

1° Nempe si prudenter praevideatur, quod Confessarius sit abusurus vel contra poenitentem, eum v. g. sollicitando ad turpia; vel contra tertium, v. gr. ipsum postea infamando.

2° Si grave damnum Confessario obventurum timeatur, v. g. si totam audiens confessionem incurreret periculum pestis etc. Tunc audito uno peccato, absolvere potest.

3° Si immineat naufragium, aut praelium, tunc sufficit, ut unum audiatur peccatum, etsi leve: vel si in genere dicat, se esse peccatorem (juxta quosdam).

4° Si scrupulosus timore praeteritarum confessionum vexetur.

5° Si confessio fieri nequeat sine revelatione sigilli sacramentalis.

Q. Quot conditiones requiruntur ut sit vera impotentia moralis?

R. Quatuor sunt, nempe: 1° Ut desit alius Confessarius, cui sine damni periculo poenitens valeat confiteri. 2° Ut confessio non possit differri sine magna difficultate. 3° Ut illa dumtaxat omittantur peccata, quorum confessio periculum continet. 4° Ut cessante hac gravi causa postea confiteantur.

Q. Adestne obligatio in proxima confessione, si periculum cessaverit confitendi illa praetermissa peccata?

R. Affirmative. Nam licet sint remissa, adest obligatio illa subjiciendi Clavibus Ecclesiae. Quare ab Alexandro VII fuit damnata haec propositio: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Q. Ad constituendam impotentiam moralem sufficitne damnum leve, vel intrinsecum confessioni?

R. Negative. Quia damnum leve parvi momenti habendum est. Insuper non excusat damnum notabile, seu difficultas ipsi confessioni intrinseca, v. g. magna repugnantia, et verecundia in se accusando; quia confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa.

Q. Utrum confessio fieri potest per litteras, aut per nuntium absenti sacerdoti, et ab ipso absolutio recipi possit?

R. Tam confessio, tam absolutio ita facta sunt omnino illicita, et invalida ex decreto Clementis VIII anno 1602. Et hoc intelligitur, etiamsi prius voce facta fuerit confessio, et postea poenitenti facto absenti a sacerdote detur per litteram, vel alio modo absolutio.

Q. In quam poenam incurrit, qui dixerit huic doctrinae contrarium?

R. Clemens VIII praecepit sub excommunicatione ipso facto incurrenda Papae reservata, ne contraria sententia unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquomodo deducatur: et Pius IX eam confirmavit in Const. *Apost. Sedis* hisce verbis: *Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae.*

Q. Utrum sit necessarium ut poenitens audiat absolutionis verba?

R. Non est necessarium, et multominus ut intelligat verba absolutionis.

Q. In quibus casibus debet dari absolutio sub conditione propter dubium distantiae?

R. 1° Absolvendus, qui aliqua ruina sepultus, clamet, petit misericordiam, et auditur, et potest audire. 2° Qui a tecto ruit, e planta cadit, in mare submergitur, a flumine submersus trahitur. 3° Si Confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam non possit cubiculum infirmi ingredi, illum ex janua absolvere debet. 4° Si poenitens recederet a Confessario non adhuc absolutus se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciret adesse intra vicinam turbam. Imo etiam recordatus dum porrigit hostiam prius secreto dicat: *Ego te absolvo a peccatis tuis.*

Q. Valetne absolutio data a Confessario statim ac ingressus fuerit januam domus, antequam iverit in cubiculum infirmi timens, ne ad tempus perveniat?

R. Non valet : nam non censetur tunc poenitens ullo modo praesens. Ita S. Alphonsus.

Q. An confessio fieri possit scripto ?

R. Ordinarie loquendo fieri debet voce, non scripto. Unde erit illicita confessio aliter facta. — Verum extante gravi causa, v. gr. nimiae, et extraordinariae verecundiae , aut linguae impedimento , sufficit, ut poenitens scriptura confiteri possit. Tunc dicat : *Me accuso de omnibus his peccatis , quae in hac charta legisti.* Ita communiter.

Q. Utrum ille, qui non habet Confessarium sui idiomatis, teneatur alteri confiteri per interpretem ?

R. Negative, quia confiteri per interpretem est onus gravissimum, et multis periculis obnoxium, v. gr. revelationis, irrisionis etc. Ita communissime cum S. Ligorio, Salmant., et Sacra Congregatio Concilii 28 febr. 1633 declaravit, poenitentem, qui non vult uti interprete, posse, et debere absolvi.

APPENDIX

De examine conscientiae.

Q. An poenitens teneatur sub gravi instituere diligens examen peccatorum mortalium ante confessionem patratorum ?

R. Affirmative per se loquendo. Id enim sequitur ex praecepto integritatis etiam materialis, quantum fieri potest. Constat ex Conc. Trid. sess. 14, cap. 5 : *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent , in confessione recenseri.*

Nota. Non est aequalis diligentia ab omnibus requirenda. Minori enim examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur.— Unde peccat per se mortaliter, qui ex gravi negligentia in examine conscientiae omittit peccatum aliquod mortale , et tenetur iterare confessionem, utpote invalidam.

Q. An poenitens, qui timet ne peccata e memoria excidant, teneatur ea scribere, et scripta legere ?

R. Negative : quia nemo tenetur procurare confessionis integritatem per media extraordinaria, et per diligentiam adeo exquisitam. Ita S. Lig. 471.

Q. Quid agendum a Confessario, si poenitentes non satis discussa conscientia accedant?

R. Si sint instructi, benigne dimitti possunt, ut accuratius conscientiam discutiant, et revertantur. — Si sint rudes, aut parum instructi in rebus spiritualibus non facile dimittendi sunt, ut conscientiam suam examinent, sed Confessarius suppleat cum interrogationibus etc.

ARTICULUS VI.

DE CONFESSIONE ITERANDA, ET CONFESSIONE GENERALI.

Q. Quandonam adest obligatio repetendi confessiones?

R. Poenitentes cogendi non sunt ad confessiones iterandas, nisi certo moraliter constet easdem fuisse invalidas; in dubio enim an sit valida est regula: *In dubio standum est pro valore actus.* Hoc valet etiam si dubium versetur circa contritionem habitam. Item valet de recidivis, si aliquandiu post confessionem dignos poenitentiae fructus fecerint, idest vicerint aliquam tentationem etc.

Q. Quotupliciter confessio potest esse invalida?

R. Ex duplici capite, nempe: 1° *Ex parte Confessarii*, v. g. si jurisdictionem non habuit; si citra necessitatem absolverit complicem in peccato turpi; si est excommunicatus vitandus et notorius; si formam substantialiter vitiavit; si absolvere non intendit; si nullum peccatum intellexit etc.

2° *Ex parte poenitentis*, ut si scienter vel mortale tacuit, vel de eo se falso accusavit; si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia; si non fuit neque contritus, neque attritus; si non vult tollere occasiones proximas; si ignoret scitu necessaria necessitate medii etc. Item rudes et pueri, qui in confuso confessi sunt non declarantes species, et numerum peccatorum. Quando advertunt tenentur iterum confiteri; quia licet fuerint validae illae confessiones, tamen remanet obligatio post cognitionem distincte declarandi, ut sub Clavibus subjiciantur. Ita Scavini.

Q. An iteranda sit confessio facta Confessario surdo?

R. Si facta sit mala fide, utique iteranda, quia poenitens peccavit actu quo confessus est. — Si bona fide, distinguendum; si aliqua peccata audita fuerint, valida est confessio, ideo non iteranda, nisi peccata, quae non fuerunt audita. Si nullum peccatum audierit Confessarius, tunc est iteranda confessio; quia confessio non fit, nisi audienti.

Q. An teneatur poenitens totam repetere confessionem, si, hac finita, animadvertat Confessarium ob somnum, vel distractionem, vel aliam causam peccata aliqua non percepisse?

R. Si dubium circa unum, vel alterum peccatum solummodo versatur, repetendum esset illud peccatum. Ita S. Ligorius.— Si dubium versatur circa aliqua peccata, et poenitens nesciat qualia; tunc si confessio fuerit brevis, tota repetenda; quia poenitens prudenter dubitare potest de singulis. — Si vero confessio fuerit prolixa, et praesertim confessio annualis, vel generalis; tunc non est repetenda; quia prudenter praesumere potest quod unumquodque fuerit intellectum. Ita S. Ligorius, Gury, Scavini etc.

Q. An repetenda sint explicite omnia peccata eidem Confessario antea historice extra confessionem enarrata?

R. Distinguendum. Si Confessarius omnium adhuc recordetur, tunc non est repetenda; sed sufficit si poenitens generaliter de illis confiteatur dicendo: *Accuso me de his omnibus, quae tibi jam enarravi;* quia per istam summariam confessionem illa peccata sacramentaliter subjiciuntur Confessario in ordine ad absolutionem: licet melior aestimanda, et ideo tenenda contraria sententia. Scavini.

Si vero Confessarius non clare, et distincte de omnibus recordetur, etiamsi de illis in confuso, vel ex parte recordetur, explicite repetenda est confessio omnium peccatorum: secus Confessarius non potest recte, et sacramentaliter judicare de omnibus. Ita S. Ligorius.

Q. An repetenda sit confessio, si Confessarius ante absolutionem oblitus fuerit peccatorum accusatorum?

R. Negative si Confessarius recordetur, saltem in confuso, status poenitentis. — Affirmative si nullo modo recordetur de peccatis poenitentis, nec de statu ipsius. Ita omnes.

Q. Quomodo iteranda confessio, si fiat eidem Confessario?

R. Sive Confessarius in confuso tantum de accusatis peccatis recordetur; sive eorum omnino oblitus sit, sententia communis et valde probabilis cum S. Antonino, S. Ligorio etc. docet non esse opus confessionem repetere, sive defectus procedat ex parte Confessarii, sive ex parte poenitentis. Sufficit repetitio generalis peccatorum, et poenitens se accuset de sacrilegio patrato, et defectu admisso in confessione. Ratio est, quia repetitio generalis conjuncta cum notitia antecedenter habita a Confessario, sufficit ad sacramentale judicium, cum de singulis peccatis Confessarius in sacro tribunali jam judicaverit.

Q. Quid si Confessarius memoriam non habeat de statu poenitentis, sed tantum de speciali poenitentia injuncta?

R. Non est cogendus poenitens ad iterandam confessionem; quia ex sola notitia poenitentiae injunctae poterit Confessarius sibi judicium efformare de statu poenitentis. Quamquam praestat ut poenitens aliquod speciale peccatum, vel specialem aliquam circumstantiam indicet, ut sic prudenter sese Confessarius gerat. Ita S. Ligorius.

Q. Quid si Confessarius ne meminerit quidem specialis poenitentiae, sed solum recordetur, se eam injunxisse?

R. Si, facta praedicta confessione in communi, absolveret, valide absolveret; cum absolutio caderet in materiam sibi significatam. Sed in nostra sententia male se gereret Confessarius, ait Liguori (Hom. Apost. tract. 16, n. 44); quia in proferenda sententia debet sibi judicium efformare saltem in confuso de statu poenitentis.

Q. Quid si poenitens surdus sit, et jam confessio coepta sit, neque tamen ob circumstantes possit vox extolli?

R. Si Confessarius statim in initio confessionis advertat, imponat ei, ut redeat. Si in progressu confessionis, meliori modo quo potest audiat, et absolvat, si sit dispositus. Si vero dubitet de dispositione, absolvat sub conditione, et poenam levem ei imponat.

Q. Quid sentiendum de confessionibus, quae generales, vel extraordinarias vocant?

R. Certum est: 1° Quandoque illas esse necessarias ad praecedentes confessiones sacrilegas, invalidasque reparandas. 2° Quandoque esse utiles, cum nempe fiunt humilitatis, et fervoris causa, vel quando quaestio est de statu vitae eligendo. 3° Quandoque esse noxias propter periculum scrupulos excitandi etc.

ARTICULUS VII.

DE SECRETO, SEU SIGILLO CONFESSIONIS.

Q. Quid sit sigillum confessionis?

R. Est *strictissima, et indispensabilis obligatio servandi sub secreto, quae in confessione sacramentali fuerunt accepta.*

Q. Quonam jure oritur obligatio sigilli sacramentalis?

R. Ex triplici, nempe: 1° Ex jure naturali; quia infamare proximum vetat jus naturale, et hoc fieret revelando.

2° Ex jure divino; quia *eodem jure*, ait Concilium Senonense, *prohibetur revelatio confessionis, quo jure praecipitur ipsa confessio:* sed confessio est de jure divino. Ergo etc.

3° Ex jure ecclesiastico, ut habetur in jure (cap. *Omnis utriusque sexus*): *Caveat omnino sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat etc.*

Q. Quanta est haec obligatio sigilli?

R. 1° Est strictissima, et indispensabilis adeo, ut extra casum expressi, et formalis consensus poenitentis obliget semper, et pro semper, licet secus majus damnum sequatur poenitenti; licet manifestatio ad gubernationem exteriorem deserviret, ex decreto Clementis VIII; licet agatur de unius venialis revelatione; licet aliter integra confessio fieri non possit; licet agatur de vitanda morte nostra, vel aliorum; licet periclitaretur totius regni salus, etc.

R. 2° Eandem obligationem vigere etiam post mortem poenitentis certum est.

Q. Qui violat hoc sacramentale sigillum quot peccata committit?

R. Triplex committit peccatum, nempe unum *sacrilegii* contra reverentiam Sacramento debitam; alterum *injustitiae* erga poenitentem ratione fidelitatis promissae; tertium *detractionis* si peccatum jam non sit publicum.

Q. Quid de illo qui docet, vel putat hoc sigillum non graviter obligare?

R. Est denuntiandus, ut de haeresi suspectus.

Q. An detur parvitas materiae in sacramentalis sigilli violatione?

R. Negative saltem in revelatione directa: quia materia etiam levissima includit totam rationem praecepti. Ita S. Ligorius.— Diximus saltem *directa*, quia si periculum indirectae revelationis sit valde remotum, seu parum probabile, dari posset materiae parvitas.

Q. An liceat uti opinione probabili in materia sigilli?

R. Negative: quia est in praejudicium alterius.

Q. Ex quanam confessione oritur obligatio sigilli?

R. Ex omni, et sola confessione Sacramentali, idest ordinata etiam indirecto modo ad absolutionem, etiamsi non recipiatur ob indispositionem poenitentis, vel ob aliam causam. Et hoc valet etiamsi poenitens antequam confiteatur, suas culpas committat sacerdoti propter confessionem in posterum ei faciendam. Nam tunc esset quaedam inchoata confessio.

Q. Contrahiturne obligatio sigilli ex confessione quae fit ex joco, vel ex intentione furandi, vel inducendi Confessarium ad malum?

R. Negative, si de certo cognoscitur quod ille tantum ad finem furandi, vel illudendi sacerdotem, vel seducendi, vel se conquerendi accedit ad confessionem: quia cum ne inchoative quidem sacramentaliter confiteatur, hoc jus non acquirit, etsi adhuc ex prudentia tacendum esset.

Nota. De certo debet cognosci prava intentio poenitentis; nam in dubio semper praesumendum in favorem confessionis, ne reddatur ullo modo odiosa.

Q. Quid dicendum, si confessio facta fuerit penes laicum?

R. Cum distinctione. Si poenitens eum uti laicum agnovit, confessio non esset sacramentalis neque ex parte poenitentis, neque audientis, ideo nulla sigilli sacramentalis obligatio; sed tenetur observare sigillum naturale; quia non est in potestate alicujus facere sacramentale, quod ex natura sua non est. — Si vero poenitens eum credebat verum Confessarium, cum ex parte laici sit tanquam confessio sacramentalis, oritur sigillum.

§ 1. *De subjecto, et objecto sigilli Confessionis.*

Q. Quinam tenentur ad sigillum sacramentale?

R. Omnes, et singuli, qui ex confessione sacramentali immediate, vel mediate, licite, vel illicite, verbis, vel signis aliquam sigilli materiam noverint.

Tales sunt Confessarius, sive verus, sive fictus, interpres, Superior a quo postulata est licentia absolvendi a casibus reservatis; Doctor consultus a Confessario cum venia poenitentis; qui vicinus confessionali aliquid audivit, aut ex gestu Confessarii conjecturavit; adstantes, v. g., in manifesta confessione naufragorum; qui legit scripturam peccatorum quando fit illorum confessio, vel si esset jam consignata sacerdoti, ut eam legat, vel si postea in confessionali relicta esset. Item si esset epistola ad Superiorem pro obtinenda facultate reservatorum; qui rogatus a rude ejus confessionem scripsit.

Q. Teneturne ad sacramentale sigillum, qui chartam legit, ubi poenitens scripsit peccata?

R. Dummodo sit ante confessionem, licet graviter peccet manifestando ob infamationem; tamen non tenetur ad sacramentale sigillum; quia hoc debet servari, vel in actuali confessione, vel proxime jam inchoata, ait D. Thomas.

Q. Utrum ipse poenitens ad sigillum teneatur?

R. Licet habeat obligationem secreti naturalis; tamen non habet obligationem sigilli sacramentalis; quod est in favorem solius poenitentis.

Q. Quid respondere debet Confessarius, qui a judice interrogatur de auditis in confessione?

R. Debet etiam cum juramento affirmare se nescire: quia hoc non scit ut homo, sed ut Deus, idest ut minister Dei.

Q. Quaenam cadunt sub sigillo sacramentali?

R. Omnia etiam minima, quae fuerunt sacramentaliter deposita, et nata sunt reddere confessionem vel levissime odiosam. Hinc 1° cadunt sub sigillo omnia peccata mortalia, et venialia, sive secreta, sive publica, tam actualia, quam praeterita, modo in confessione sint deposita. 2° Peccatorum circumstantiae etiamsi sint dictae post absolutionem. 3° Peccatorum objecta. 4° Peccata complicis etiam imprudenter manifestata, vel cujusque alterius personae. 5° Poenitentia imposita. 6° Defectus naturales expositi ad peccata melius declaranda, vel morales poenitentis cogniti ex sola confessione. 7° Indispositio poenitentis, abusus qui regnant in monasterio, Capitulo etc.

Q. An virtutes, revelationes etc. cadant sub sigillo?

R. Negative, nisi inde sequatur gravamen poenitentis, vel aliorum.

Q. An scrupuli poenitentis cadant sub sigillo?

R. Affirmative, quia scrupulositas aliquo modo est materia confessionis, et est gravamen poenitentis.

Q. An cadant sub sigillo peccata commissa a Confessario in ipsa confessione, v. g. impatientiae etc.?

R. Affirmative tantum per accidens, quia saepe periculum revelationis aliquo modo involvunt.

Q. An violet sigillum, qui dicit se talem poenitentem absolvisse?

R. Negative per se, quia onerosum esse nequit. Sed per accidens potest evadere onerosum aliis, ideo indirecta violatio: caveat igitur Confessarius, et debet dicere se excepisse confessionem illius.

Q. An possit Confessarius de licentia poenitentis monere complicem, vel alium ad complicem corrigendum?

R. Affirmative, quia complex ex confessione alterius complicis nullum jus acquirit ad sigillum sacramentale. Ita communiter. Tamen melius erit, ut ipse poenitens rem deferat alteri, qui queat afferre remedium malo. Ita S. Ligorius.

Q. An Confessarius possit loqui cum poenitente de ipsius confessione?

R. Cum distinctione: in ipso sacro tribunali, Confessarius sine licentia poenitentis potest loqui de omnibus praeteritis confessionibus. Potest etiam loqui post absolutionem, antequam poenitens discesserit, vel si redierit; quia licet completum sit Sacramentum, tamen judicium adhuc moraliter perseverat. — Extra confessionem ne ullum verbum quidem potest dicere de confessione absque expressa licentia poenitentis.

Q. Sufficitne licentia praesumpta, vel interpretativa, vel virtualis poenitentis?

R. Negative, quamvis cederet in bonum poenitentis. Quare requiritur formalis, et expressa; libera et spontanea, non dolo, vel precibus extorta; non revocata.

Q. An liceat extra confessionem uti notitia per confessionem acquisita?

R. Licet si possit fieri sine ullo poenitentis gravamine, et indirecta sigilli infractione; secus nunquam licet; ideo Clemens VIII mandat, ne Superiores notitia confessionis ad exteriorem gubernationem utantur.

Quare licet Confessario ex tali notitia sese emendare, recedere ab aliquo loco nocivo, abstinere a celebratione Missae, diligentius invigilare super gregem suum, etc.: dummodo nulla detur suspicio de peccatis auditis in confessione.

§ 2. *De variis modis violandi sacramentale sigillum.*

Q. Quomodo violari potest sigillum sacramentale?

R. Dupliciter: directe, et indirecte. *Directe*, si expresse reveletur auditum etc. *Indirecte*, quando aliquid dicendo poenitenti, vel aliis possit oriri pudor, vel aliquod gravamen. Unde indirecte violat: 1° Qui unum prae aliis quos audivit laudans, dicit eum sola venialia commisisse. 2° Qui de peccato poenitentis per solam confessionem cognito, loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, et nesciunt, illud ex confessione acceptum fuisse. 3° Qui dicit, se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse etc. 4° Qui alta voce, aut alio modo arguit poenitentem.

Q. An possit Confessarius Communionem negare poenitenti, cui prius absolutionem denegavit, si hic ad sacram mensam accedat?

R. Negative omnino, etiamsi occulte petat, quia Confessarius notitia confessionis ad agendum externe contra poenitentem uti nequit. Ita S. Ligorius.

Q. An frangat sigillum qui dicit tale vitium regnare in civitate vel pago, aut ibi gravia crimina committi?

R. Distinguendum: si locus sit satis angustus, v. g. non constet saltem tribus hominum millibus circiter, frangit sigillum. — Secus si oppidum sit amplum, et crimina publica saepius ibi patrentur. Ita S. Ligorius.

Q. Quid si Confessarius noverit aliquem ex confessione solitum esse multa peccata, vel tenuem dispositionem afferre, poterit se celare, vel excusari ab eo audiendo?

R. Si non habeat causam externam independentem a confessione negative, secus uteretur notitia confessionis anteactae. Igitur erga ipsum Confessarius se gerere debet, sicut erga alios, quorum confessionem numquam excepit. Ita Scavini.

Q. Quid si Confessarius necesse habeat consilii?

R. Debet exponi casus tanquam si aliis accidisset, vel possibilis ut committatur.

Q. Quid si Confessarius actu, quo Missam celebrat, interrogatur a serviente, an particulam ponere debeat pro Communione poenitentis vix antea confessi, quem Confessarius meminit dimisisse inabsolutum?

R. Debet respondere: *Interroga ipsum, an velit communicare.*

Nota. Parentes, heri, magistri interrogantes de absolutione data filiis, vel subditis, remittendi sunt ad ipsos poenitentes.

CAPUT V.

De satisfactione.

Q. Quid est satisfactio?

R. Juxta etymologiam nominis provenit a verbo *facio*, et vocabulo *satis*, et significat *facere tantum, quantum quis debet.*

Q. Quot sunt genera poenarum?

R. Sunt quatuor, nempe: 1° Poena *vindictae*, seu *vindicativa*, et definitur malum, seu incommodum inflictum in vindictam peccati. Haec poena non infligitur, nisi propter peccatum proprium. De hac poena loquitur Ezechiel: *Filius non portabit iniquitatem patris.*

2° Poena *satisfactoria* et est malum afflictivum, toleratum ad compensandam injuriam laeso illatam.

3° Poena *medicinalis*, et est malum tolerandum ad medelam contra futura peccata.

4° Poena, quae dicitur *pure poenalitas*, et est malum afflictivum toleratum absque peccato. Miseriae, quas Beata Virgo, et Job etc. sustinuerunt, fuerunt poenalitates respectu ipsorum.

Q. Quid est satisfactio sacramentalis ?

R. Definitur : *Voluntaria poenae a Confessario injunctae toleratio, ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, expungendamque poenam temporalem.*

Q. Quot, et quaenam sunt haec opera poenalia satisfactionis sacramentalis ?

R. Juxta Concil. Tridentinum sunt tria, nempe *jejunium*, per quod intelligitur omnis corporis afflictatio; *eleemosyna*, sive corporalis, sive spiritualis ; *oratio*, per quam intelliguntur omnes actus Religionis.

ARTICULUS I.

DE IMPOSITIONE POENITENTIAE.

Q. Quaenam est doctrina Ecclesiae Catholicae circa sacramentalem satisfactionem ?

R. Ecclesia Catholica contra Lutheranos, et Calvinistas tenet : 1° Quod remissa culpa quoad poenam aeternam, non semper tota remittitur poena temporalis. 2° Quod haec poena temporalis per Christi merita redimi potest laboriosis poenitentiae operibus.

Q. Quo fundamento nititur debitum imponendi satisfactionem poenitentibus ?

R. In recensita Ecclesiae doctrina, nempe quod Sacramentum Poenitentiae non tollat cum culpa poenam, quae peccato debetur ; sed aeternam mutet in temporalem, ut constat exemplo Davidis, qui post impetratam veniam fuit punitus morte filii. Ita definivit Concil. Trid. (sess. 6, can. 30).

Q. An Confessarius sub gravi teneatur imponere poenitentiam ?

R. 1° Quod teneatur, fuit definitum in Concilio Tridentino his verbis : *Si quis dixerit, Claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem Clavium, et contra institutionem Christi, anathema sit* (sess. 14, can. 15).

R. 2° Quod teneatur sub gravi, est omnino certum quoad mor-

talia; quia obligatio, quae rem gravem respicit, eo ipso gravis est.— Quoad venialia etiam affirmandum contra Lugo, et Salmant., qui docent sub veniali Confessarium teneri ratione parvitatis materiae: sed non recte docent, quia injunctio satisfactionis pertinet ad ritum hujus Sacramenti, qui sub gravi servandus est.

Q. Quotuplex est satisfactio sacramentalis?

R. Duplex, nempe vindicativa, et medicinalis. Vindicativa, et sic medicinalis jam supra sunt definita.

Q. Quae, et quanta debet esse satisfactio sacramentalis?

R. 1° Debet esse vindicativa, et medicinalis: dicente Concilio Tridentino: *Satisfactiones esse imponendas non solum ad novae vitae custodiam; sed etiam ad praeteritorum vindictam, et castigationem.*

R. 2° Quoad quantitatem, et mensuram satisfactionis prae oculis habenda sunt, tum criminum gravitas, tum facultas poenitentium, idest aetas, indoles etc.

Q. Quando a Confessario imponenda est poenitentia?

R. Etsi etiam post absolutionem possit imponi, ut docent communissime; tamen ordo judicii, et consuetudo generalis postulat, ut imponatur ante.

Q. An minui possit satisfactio sacramentalis?

R. Primo. Sunt casus, in quibus nullam poenitentiam Confessarius imponere potest poenitenti, v. g. moribundo, qui nihil dicere, vel facere valet.

Secundo. Sunt casus, in quibus levissimam poenitentiam imponere debet, nempe: 1° Si eum inveniat vehementissime contritum. 2° Si poenitens sit impos mentis, aut morti proximus, aut valde debilis. 3° Si meticulosus saepius redit ad confitenda peccata. 4° Quando probabiliter major poenitentia magis ei obfutura sit, quam profutura. Ita Gury.

Tertio. Sunt casus, in quibus Confessarius culpis minorem potest injungere poenitentiam nempe: 1° Tempore Jubilaei, vel indulgentiae plenariae. 2° Ob verba, quae in forma absolutionis exprimuntur: *Quidquid boni feceris etc.*

Quarto. Ob prudentem timorem, ne poenitens illam sit impleturus, uti ferme omnes affirmant. Ratio est, quia tum hoc Sacramentum est forum veniae, et misericordiae. et non irae; tum satius est, quod poenitens luat in purgatorio residuam poenam, quam graviori poena neglecta damnetur in inferno. Ita S. Ligorius, D. Thomas etc.

Q. An possit imponi poenitentia sub conditione relapsus?

R. Affirmative, sed tunc debeat etiam imponi proportionata poenitentia pro peccatis commissis; quia secus nulla reipsa foret, si forte poenitens non relaberetur. Ita S. Ligorius.

ARTICULUS II.

DE POENITENTIIS IMPONENDIS, EARUMQUE IMPLETIONE.

Q. An pro satisfactione possit imponi ingressus in religionem, vel matrimonium, vel celebrationem Missarum?

R. Quoad ingressum in religionem commune est, quod non possit imponi; quia esset nimis durum. — Quoad matrimonium Confessarius quando cognoscit expedire, potest tantum exortari, non vero imponi pro poenitentia: licet nonnulli Theologi contrarium sentiunt. — Quoad Missas Benedictus XIV Confessarium hortatur, ne imponat. Ita etiam S. Carolus.

Q. An pro poenitentia imponi possit opus alias debitum?

R. Affirmative. Nam Ecclesia potest imponere quidquid est bonum opus meritorium, et poenale. Sed opus alias debitum non cessat esse meritorium, et poenale. Ergo etc. Verum in praxi non expedit passim fieri, sed spectata solum fragilitate poenitentis, vel ad assuefaciendum poenitentem in praeceptis implendis.

Nota. Exceptis certis rerum adjunctis, v. g. auditionem Missae imponere per mensem, debet Confessarius expresse significare quod imponat opus alias debitum, secus censetur aliud opus supererogatorium.

Q. Utrum Confessarius possit imponere opus internum?

R. Negant nonnulli Theologi, quia cum sit pars Sacramenti, debet esse sensibilis. Sed sententia communis merito affirmat; quia opus licet internum, tamen fit sensibile per impositionem, et acceptationem.

Q. An possit imponi opus pro defunctis?

R. Affirmative. Nam, ait D. Thomas, satisfactio sacramentalis duplicem habet valorem, unum ex opere operato; alterum ex opere operantis. Primus sibi soli, alter etiam aliis prodesse potest (Quodl. 3, ar. 28).

Q. An possit imponi cessatio ab aliquo opere?

R. Communiter affirmant: quia haec cessatio potest esse actus

virtutis causa obedientiae. Sed non expedit, quando sit periculum, ne alii judicent talem omissionem fuisse impositam in Sacramento, et sic odiosa reddatur confessio.

Q. An possit imponi poenitentia publica?

R. Negative, si agatur de peccatis occultis. Sed si agatur de peccatis publicis potest absque solemnitate actus ad reparandum scandalum. Verum non debet illam renuenti imponi, cum aliter ejus salus obtineri, et scandalum reparari possit. S. Ligorius.

Nota. Duplex est poenitentia publica, nempe cum solemnitate, et sine solemnitate peracta scilicet cum iis, qui scandalum passi sint.

Q. Utrum possit imponi poenitentia canonica?

R. Poenitentia canonica est *ea, quae per canones pro certis peccatis erat decreta.* Nunc non potest imponi; quia jam a saeculo VII obsoleverit.

Q. Qualis poenitentia censeatur gravis per se pro uno, vel altero peccato mortali?

R. Ex praxi hodierna Ecclesiae ea censetur gravis, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel sub gravi ex se obligaret, si praeciperetur, v. g. Missam audire, jejunium, recitare Rosarium, litanias Sanctorum, etc. Ita S. Ligorius.

Q. An per illa verba: *quidquid boni feceris* etc., eleventur ad effectum satisfactionis omnia bona opera poenitentis, licet non imposita?

R. Affirmative cum communi post S. Thomam.

Q. Utrum possit injungi poenitentia applicanda aliis?

R. Affirmative: quia non applicatur secundum valorem, quem habet ex opere operato; sed secundum eum, quem habet ex opere operantis.

Q. Utrum pro culpis gravibus possit injungi poenitentia gravis, sed sub levi obligatione?

R. Affirmative, ut tenet communior sententia. Ratio est, quia vis obligandi oritur ex intentione legislatoris; atqui Confessarius imponit in sacro tribunali poenitentiam, quatenus est legislator. Ergo etc. Sed hoc passim non debet fieri nisi in casu intensissimae contritionis, vel infirmitatis, vel quando postulat bonum spirituale poenitentis.

Nota. Nunquam sunt imponendae: 1° Poenitentiae perpetuae. Imo neque ad annum, neque ad sex menses. Ita S. Ligorius.

2° Neque sunt imponendae poenitentiae, quae exponerent poenitentem ludibrio eorum. Neque illae, ex quarum executione revelatio confessionis faciliter subsequatur.

3° Neque jejunia pueris, rusticis, opificibus, continuo labore defaticatis, neque filiis-familias. Neque peregrinationes, aut prolixae preces, aut eleemosynae mulieribus sub potestate viri constitutis.

4° Neque poenitentiae multis operibus diversis implicatae; neque nimis naturae repugnantes, etc. Ita Gury.

Q. An si poenitens post absolutionem statim deferat aliud peccatum, necesse sit illi novam imponere poenitentiam?

R. Affirmative. Quia nova requiritur absolutio, nova etiam requiritur satisfactio. Ita S. Ligorius.

Q. An poenitens teneatur poenitentiam a Confessario injunctam acceptare?

R. Affirmative, ex canone *Omnis utriusque sexus, etc.* Ratio est, quia si gravis sit Confessarii obligatio poenitentiam imponendi, gravis est poenitentis eandem amplectendi; debitum enim praecipiendi, et debitum obediendi sunt essentialiter correlativa. Unde peccat graviter poenitens, si recuset acceptare poenitentiam, etc.

Q. An poenitens teneatur sub gravi poenitentiam implere?

R. Tenetur sub gravi implere poenitentiam gravem pro gravibus peccatis impositam. Ita omnes. — Probabilius autem et communiter sub levi tantum obligatur implere poenitentiam levem pro levibus culpis impositam; quia materia levis non est capax gravis obligationis; aliunde Sacramentum jam completum est essentialiter. Ita Scavini, Gury cum sancto Ligorio contra nonnullos.

Q. An obliget sub gravi poenitentia in se quidem gravis, sed pro venialibus tantum imposita?

R. Negative probabilius: quia tunc non est necessaria satisfactio in quantum est gravis. Ita communius cum S. Ligorio.

Q. An poenitens teneatur sub gravi implere circumstantias poenitentiae sibi impositae adjectas, v. g. orare genibus flexis, etc.?

R. Solutio pendet a majori, vel minori molestia, quam affert circumstantia, et prout significaverit Confessarius poenitentiam imponens et intentionem obligandi efformans. Ita S. Ligorius.

Q. An teneatur poenitens repetere suam confessionem, si poenitentiae injunctae sit oblitus?

R. Licet D. Antoninus doceat eam repeti debere, tamen probabilius et communius negatur; quia ad impossibile nemo tenetur, poenitentia illa facta fuit impossibilis. Attamen procuret poenitens, ne relinquatur mutilum Sacramentum; unde interroget, si possit, Confessarium, vel faciat alio aliquo modo.

Q. Quandonam poenitens teneatur implere poenitentiam?

R. Tempore a Confessario praescripto; nam determinatio temporis in praecepto includitur. Si vero non fuerit a Confessario determinatum, tenetur implere quam primum fieri possit.

Q. Quaenam poenitentiae dilatio sit gravis?

R. Si poenitentia sit levis, dilatio quantacumque sit, nunquam erit gravis. — Si poenitentia sit gravis pro gravibus peccatis imposita, probabilius gravis reputanda est dilatio duorum vel trium mensium. Sed potest esse minus tempus, si secus sit periculum relabendi. Ita Gury.

Q. Teneturne implere poenitentiam ille, qui praescripto tempore eam non adimplevit?

R. Affirmative. Quia semper a Confessario intenditur opus injunctum, et tempus adsignatum est accessorium. Atqui principale remanet, etiam deficiente accessorio. Ergo, etc.

Q. Utrum necesse sit necessitate Sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem impleatur?

R. Negative. Idem enim est, sive ante, sive post absolutionem impleatur, constat ex praxi Ecclesiae.

Q. An satisfactio impleri possit per alium?

R. Cum distinctione: vel agitur de satisfactione, quae non sit imposita in Sacramento, vel de satisfactione sacramentali. Si primum, potest per alium impleri. Si secundum, nullo modo potest; est enim propositio damnata ab Alexandro VII: *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam impleat.* Ratio est, quia satisfactio qua actus poenitentis est materia Sacramenti: ergo sicuti unus non potest conteri et confiteri pro alio, ita nec satisfacere.

Q. An possit cum alio satisfactio sacramentalis adimpleri?

R. Tres sunt sententiae: prima affirmat, et dicit quod hoc opus imitatur onus divini Officii. — Secunda affirmat, si imponantur, quae dici solent in communi. — Tertia, quam amplectimur, absolute negat; quia haec est praxis: excipe casum, quo Confessarius id poenitenti concedat. Ita D. Thomas, Suarez.

Q. Potestne fieri satisfactio tempore, quo adimpletur aliud praeceptum?

R. Affirmative, ut v. g. in auditione Missae die festiva recitare Rosarium impositum a Confessario; dummodo vero aliter non sit a Confessario praescriptum.

Q. An satisfaciat poenitens poenitentiam implens in mortali?

R. Affirmative. Ratio est, quia ad satisfaciendum praecepto sufficit opus satisfactionis injunctum ponere, licet finis praecepti non obtineatur. Ita communiter.

Q. An peccet poenitens implens poenitentiam in mortali?

R. Certum est, illum non peccare graviter. Ita communiter. — Sed probabilius peccat venialiter; qui enim ponit obicem effectui partiali Sacramenti, non videtur ab omni culpa excusari posse.

ARTICULUS III.

DE COMMUTATIONE POENITENTIAE.

Q. Quis poenitentiam commutare possit?

R. Nunquam ab ipso poenitente commutari potest, ne in opus melius quidem; quia poenitentia nequit ad sacramentalis satisfactionis meritum elevari, nisi a ministro Sacramenti Poenitentiae, qui eam imposuit; quia legislator potest propriam legem mutare. A quolibet alio Confessario, si poenitens se submittat ipsius tribunali, potest mutari, cum adsit ratio sufficiens.

Nota. Excipiendum, si poenitentia ab ipso Superiore pro casibus reservatis imposita est; quia inferior sententiam Superioris mutare nequit. Excipe, nisi casus urgeat, et Superiorem non possit adiri; tunc praesumitur conniventia Superioris. Ita Liguori.

Q. An de novo danda sit absolutio?

R. Negative, cum peccata sint jam remissa.

Q. Quid requiritur ad licite faciendam commutationem?

R. Requiritur causa justa, nempe: 1° Si poenitentia videatur difficilis, vel imposita clave errante. 2° Si praevideatur quod poenitens non sit ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem etc. Ita S. Ligorius.

Q. An poenitens teneatur confessionem repetere ad poenitentiae commutationem obtinendam?

R. Quamvis nonnulli, Lugo, Concina, Layman etc. dicant probabilius requiri summariam confessionem, si Confessarius saltem in confuso statum poenitentis non cognoscat; tamen S. Ligorius cum aliis probabiliter negat; quia non agitur de judicio ferendo circa culpas deletas in praecedenti confessione, sed tantum de poenitentia commutanda; ad hoc sufficit prioris poenitentiae cognitio et notio fragilitatis, aut difficultatis.

Nota. Facta commutatione poenitens iterum potest primam eligere, quia commutatio est facta in ejus favorem.

Q. An Confessarius possit poenitentiam commutare extra confessionem?

R. Distinguendum. Si sit Confessarius diversus, non potest; quia nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali. Si sit idem Confessarius, cui confessionem fecit, quamvis juxta aliquos, Lugo, Voit, intra unius diei spatium, imo etiam intra hebdomadam a confessione posset eam mutare; tamen sententia verior et communior cum S. Ligorio, Suarez, Salmatic. docet, posse illam mutare post absolutionem immediate antequam poenitens discedat: et haec tenenda est, ut digniori modo Sacramento consulatur.

Nota. Non tenetur poenitens poenitentiam implere si fuit invalida confessio, neque si fuerit imposita absque absolutione. Attamen excipe, si poenitentia sit medicinalis, et si poenitens ad eandem confessionem perficiendam pluries accedat, et Confessarius singulis vicibus aliquam poenitentiam imponat intentione mitiorem ultima vice imponendi.

Q. Si poenitens acceperit poenitentiam ab uno Confessario, confessionem iteret apud alium, ut mitiorem poenitentiam sortiatur, vel alia de causa, teneturne primam facere?

R. Tenetur facere primam et secundam, nisi mentionem de praecedenti confessione et de accepta poenitentia faciat. Ratio est, quia ad commutandam poenitentiam ex parte Confessarii requiritur positivus voluntatis actus, quo prior obligatio revocetur. Ita communiter Lugo, Lacroix, etc.

Q. Ille, qui recusat poenitentiam in tribunali Poenitentiae (si agatur de levi satisfactione) dicens se velle illam subire in Purgatorio, potestne absolvi?

R. Scotus et Gury docent: modo poenitens se doleat, et firmum habeat propositum non amplius se relapsurum in peccatum, est absolvendus. — Nos vero huic sententiae non assentimur, non solum quia acceptatio poenitentiae respicit Sacramenti essentiam, et ideo est de praesenti; sed etiam quia talis sententia a Suarez et Bonac. post Trid. temeraria vocatur.

Conclusio. Poenalis satisfactio non est tantum ad vitae novae custodiam et aliorum exemplum, ut Novatores dicunt, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et satisfactionem pro poena temporali peccatis quoad culpam remissis debita.

Probatur. Ex Scriptura Daniel c. 4 dicitur: *Peccata tua eleemosynis redime;* et Luc. c. 3: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Ergo Scriptura praeter novitatem vitae, exigit opera laboriosa, quibus inest vis redimendi peccata et quidem *de condigno*, si fiant ab homine justo; Concil. Trid., sess. 14, can. 13 definit: *Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis... atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.*

CAPUT VI.

De ministro Sacramenti Poenitentiae.

Q. Quis est minister Sacramenti Poenitentiae?

R. Solus sacerdos; est de fide contra Wicleffitas, Valdenses et Flagellantes, qui potestatem absolvendi tribuebant laicis probis, et denegabant sacerdotibus malis; et contra Lutheranos, qui docent quemlibet fidelem hanc potestatem accepisse a Christo Domino.

Probatur. Solis sacerdotibus dictum est a Christo, Joan. c. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.;* Concil. Trid. (sess. 14, can. 10) definit: *Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed... anathema sit.*

Nota. Textus D. Jacobi, c. 5: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, debet intelligi juxta Patres de confessione reconciliationis, vel juxta a Lapide: *Confitemini illis hominibus, quibus a Christo demandata est absolvendi potestas.*

Pariter per antiquam diaconorum exomologesim debet intelligi confessio caeremonialis.

Q. An quilibet sacerdos possit confessiones rite excipere?

R. Negative; quia requiritur jurisdictio. Excipe casum extremae necessitatis.

Q. Quotuplex est potestas, quae requiritur ad audiendas confessiones?

R. Duplex, potestas ordinis, et jurisdictionis. *Potestas ordinis* est potestas remittendi peccata collata sacerdoti in sua ordinatione. *Potestas jurisdictiomis* est auctoritas, qua sacerdos tanquam judex potest in actu secundo ferre sententiam absolutionis in subditum.

ARTICULUS I.

DE APPROBATIONE.

Q. Quid est approbatio?

R. Est *authenticum Episcopi testimonium, quo sacerdos ad confessiones audiendas idoneus declaratur, ac deputatur.*

Q. A quonam Episcopo debet dari approbatio?

R. Approbatio debet dari ab Episcopo loci, in quo ipsae confessiones excipiuntur, non ab Episcopo poenitentis. Constat ex Bulla Innocentii XII et Benedicti XIV, *Apostolica indulta.*

Q. Quid debet observari circa approbationem?

R. Sequentia sunt observanda, nempe: 1° Approbatio debet esse formalis et expressa: unde non sufficit approbatio petita et injuste denegata, ut definivit Alexander VII.

2° Approbatus in una Dioecesi non potest in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi dioecesani. Ita Clemens X.

3° Approbatus in una Dioecesi potest in ea absolvere subditos alterius Dioecesis etiam a casibus reservatis in Dioecesi poenitentis. Ita declaravit Clemens X, Constit. *Superna;* dummodo poenitens non migraverit in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda; quia tunc non potest absolvi.

4° Generaliter approbatus ad saecularium confessiones audiendas, non censetur approbatus ad audiendas confessiones Monialium. Pariter approbatus pro uno monasterio, non censetur approbatus respectu Monialium alterius monasterii.

5° Etiamsi Parochus non possit valide absolvere subditos alterius parochiae vi officii sui; tamen nunc contraria viget consuetudo.

Q. An sufficiat approbatio praesumpta?

R. Negative. Quia ex Concil. Trid. requiritur approbatio actu, et absolute existens, et jam obtenta.

Q. An liceat incipere confessiones antequam per literas consensus Episcopi receptus fuerit, etsi certo obtinendus videtur?

R. Negative. Ita communiter, et S. Ligorius.

Q. Valetne ratihabitio etiam prudenter praesumpta?

R. Negative. Quia ratihabitio valet tantum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest. Sed valor absolutionis suspendi non potest.

Q. An Episcopus possit valide et licite limitare approbationem quoad certum tempus, locum et personas?

R. Affirmative quoad validitatem, etiam sine ulla causa; quia est actus omnino dependens a voluntate Episcopi ut superioris.— Affirmative quoad liceitatem si faciat justa de causa: negative, si id absque justa causa agat.

Q. An possit Episcopus valide, et licite revocare approbationem concessam?

R. Ratione validitatis affirmative, etiam sine justa causa ob rationem allatam. Ratione liceitatis affirmative, si adsit justa causa.— Negative, si nulla adsit causa. Nam non potest licite Episcopus approbationem denegare sine causa: ergo a fortiori non potest licite sine causa concessam revocare. Ita S. Ligorius.

Q. An Episcopus possit approbatos iterum examinare?

R. Affirmative: possunt iterum ad examen revocari sive Regulares, sive saeculares ex Bulla Apostolica.

Q. An Episcopus possit de novo Parochos suos examinare?

R. Sacra Congregatio Concilii statuit superveniente rationabili causa, posse etiam ex officio, etiam extra visitationem examinare Parochos ad ecclesias parochiales approbatos. Idem dicit de Parochis Regularibus. Rota Romana decrevit, quod sit sufficiens causa novi examinis libitum, et sola quies conscientiae Episcopi.

Q. An absolvere quis possit proprium subditum in aliena Dioecesi sine approbatione Ordinarii?

R. Distinguendum. Affirmative si habeat jurisdictionem ordinariam in illum; quia habens jurisdictionem ordinariam censetur approbatus ipso jure ad suos ubique audiendos. Hinc Episcopus, et Parochus subditos suos extra parochiam, et dioecesim absque approbatione Episcopi loci absolvere possunt. — Negative, si in poenitentem habeatur tantum jurisdictio delegata; quia haec non est personalis, sed territorialis.

Q. Poenitentiarius cathedralis potestne incolas suae dioecesis absolvere extra dioecesim absque approbatione Ordinarii loci?

R. Affirmative, quia Ordinariam habet jurisdictionem in tota dioecesi.

Q. Quis potest approbare?

R. Solus Episcopus, et ille qui habet jurisdictionem quasi episcopalem; quia ad solos praelatos Ecclesiae pertinet judicare de idoneitate ministrorum ad audiendas confessiones.

Nota. Ad concedendam approbationem non requiritur essentialiter examen; sufficit, quod constet aliquo modo de subjecti idoneitate.

Q. Parochus potestne approbare pro suis parochianis?

R. Negative. Quia non habet jurisdictionem episcopalem, neque quasi episcopalem.

Q. Si sacerdos audiret confessiones non approbatus, validaene essent illae confessiones?

R. Negative: ex Bulla Innocentii XII, ubi sancitum est: *Confessarios tam saeculares, quam Regulares nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum dioecesum obtentam.* Deinde declarat confessiones illas nullas, et Confessarios suspensos. Hanc Constitutionem confirmavit Benedictus XIV: hodie per Const. *Ap. Sedis* haec suspensio est ablata.

Q. Utrum valide absolvat Regularis approbatus ab Episcopo, insciis, vel repugnantibus suis Superioribus?

R. Quod sint illicitae, ac sacrilegae illae absolutiones, omnes Theologi conveniunt.

An sint validae, quaestio adhuc fuit apud Theologos. S. Antoninus 3 par., tit. 17, cap. 10 dicit: *Religiosus non debet audire confessiones etiam illorum, qui habent licentiam eligendi sibi Confessarium quemcumque, etiamsi habeat a Papa, sine auctoritate sui Superioris; quia sine suo Superiore velle et nolle non habet.* Ita pariter dicit S. Thomas quodlib. 10, art. 10 ad 3, quibus consentiunt multi Theologi, omnes affirmantes illas absolutiones esse omnino invalidas.

Sed quaestio finem habuit 2 mart. anno 1866. Nam Sacra Congregatio Episcop. et Regul. respondit ad sequens dubium: An Religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito cum sola facultate Ordinarii valide excipiat confessiones saecularium?

Respondit *affirmative. Acta ex iis decerpta, quae apud Sanctam Sedem geruntur* (Vol. 1, pag. 68).

Quare absolutio impertita saecularibus a Religioso Confessario approbato ab Episcopo, sed suspenso a suo Superiore Regulari ab audiendis confessionibus, valida est, ut definivit Sacra Congregatio Episc. et Reg.

Q. Regulares possuntne audire confessiones Regularium alterius Ordinis?

R. Regulares quamvis ab Episcopis approbati nequeunt virtute privilegiorum audire confessiones Regularium alterius Ordinis, nisi

forte ipsi Religiosi, qui volunt audiri in confessione, licentiam habeant suorum Praelatorum. Ita declaravit Clemens XIII in Constit. incipiente *Romani Pontificis*.

Q. Regularis, qui habeat legitimam facultatem a suo Praelato eligendi sibi Confessarium extra suum Ordinem, poteritne eligere etiam simplicem sacerdotem sive saecularem, sive Regularem non approbatum ab Episcopo?

R. Suarez de poenitentia disp. 28, sect. 4, Sanchez, Sporer, Lezana, Corduba, Tamburinus, et permulti alii Theologi, ut refert Ferraris, affirmant; quia, ut docet Navarrus in Enchirid. cap. 4, Concilium Trident. nihil circa Confessarios Regularium innovavit de jure antiquo. Atqui de jure antiquo Regulares poterant eligere sacerdotem simplicem: cui consentit Gury, dicens: *Possint confiteri cuilibet sacerdoti sive saeculari, sive Regulari.* Sed Clericatus (de Sacr. Poenit. dec. 39 per lat.) negat, et sustinet contrarium, idest quod etiam hoc jus per Concil. Trident. sit revocatum. Sed sententia Clericati non est attendenda, quia gratis asserit.

Quare Regulares extra domum, deficiente socio idoneo, confiteri valent sacerdoti non approbato ex communi sententia. Responsio autem quae opponi posset S. Congreg. Concilii ad Episcopum Hildescheimansem die 18 novemb. 1769 nullatenus contraria est, cum ibi sermo sit de Religiosis, qui socios sui Ordinis ad manum habebant, ut patet ex actis ejusdem Congreg. Gury pag. 357, tract. de Sacr. Poenit.

Nota. Fratres Cappuccini vero cum extra coenobium non habeant copiam Confessarii proprii Ordinis, possunt eligere Regularem approbatum tantum a Praelato Ordinis, licet non sit approbatus ab Episcopo illius loci. Verba enim Bullae Benedicti XIV sunt: *Sacerdotem ab Ordinario loci vel Regularem a suo Superiori Regulari, ad sacramentales confessiones excipiendas approbatum. Tenentur tamen, si habeant casus reservatos se postmodum sistere Superiori suo, vel alteri Religioso facultatem habenti, ut ei confiteantur, etc.*

Q. Regulares sine approbatione Ordinarii possuntne excipere confessiones Tertiariorum saecularium, qui vivunt extra coenobium?

R. Negative. Sic decrevit S. Congr. Episc. et Reg. die 20 decembris 1616.

Q. An Episcopus possit sine causa approbationem denegare Regularibus?

R. Negative. Nam inquit Pignatelli, Confessarii Regulares non

recipiunt jurisdictionem ab Episcopo, sed a Summo Pontifice, et approbatio requiritur solum tanquam conditio, ut jurisdictio exerceri possit. Ergo non possunt Episcopi prohibere, ne Regulares aliquo tempore absolvant. Consultationes canonicae, t. 4, consult. 165. — Gury, de S. Poenit. pag. 558.

Q. Episcopus potestne suspendere ab audiendis confessionibus saecularium omnes simul Regulares unius conventus?

R. Negative. Hoc absolute statuit Clemens X in Constit. incip. *Superna* his verbis: *Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse.*

Imo nec debent restringi Confessarii Regularium ad duos pro qualibet ecclesia. Ita statuit S. Congr. Episc. et Reg. 2 martii 1646.

Q. An Regulares absolvere possint sine Episcopi approbatione famulos suos, vel alios familiares in monasterio degentes?

R. Affirmative, si isti famuli sint velut de familia, idest si diu noctuque in domo remaneant, ibique nutriantur ita, ut sint continui commensales, et vivant sub obedientia Religiosorum. — Negative si tantum interdiu remaneant, et noctu alibi degant, ut sunt operarii, mercenarii quotidiani, ruriculae etc. Gury.

Q. An Regulares absolvere possint alumnos convictores sine Episcopi approbatione?

R. Prima sententia negat absolute; quia convictores non sunt de familia, ut famuli. Sed secunda sententia affirmans est hodie tuta in praxi, ait Gury. Quia pluribus Ordinibus regularibus quales sunt Benedictini, Theatini, Congregatio de Somascha, Clerici ministri infirmorum; imo et nonnullis Saecularibus Congregationibus uti sancti Sulpitii, sancti Spiritus etc. privilegium competit familiaribus pro ipsorum convictoribus. Atqui ex communicatione privilegiorum caeteri Ordines regulares jam tale privilegium consequuntur. Ergo etc.

Non obstat decisio S. Congr. in Parmensi. Nam ibi lis non erat de excipiendis alumnorum confessionibus sine Episcopi approbatione, sed de juribus Parochi in causa mortis. Gury.

Nota. Ante Concilii Tridentini celebrationem approbatio erat distincta, et separata a jurisdictione: nunc mutata fuit haec disciplina ita ut jurisdictio ab Episcopi, vel Praelati regularis approbatione non amplius distinguitur, sed eo ipso, quo Episcopus approbat, jurisdictionem confert. Ideo quae dicta sunt de approbatione, nunc debent dici, seu valent pro iurisdictione.

ARTICULUS II.

DE JURISDICTIONE.

Q. Quid, et quotuplex est jurisdictio?

R. 1° Est *potestas, qua sacerdos in subditum fert sententiam in foro conscientiae.*

R. 2° Duplex est: ordinaria, et delegata. *Ordinaria* est ea, quae alicui competit ratione officii curam animarum habentis. — *Delegata* est ea, quae habetur tantum ex commissione habentis ordinariam.

Nota. Excipi debet Parochus, qui licet habet potestatem ordinariam, tamen non potest delegare ad excipiendas confessiones; quia ejus jurisdictio est tantum pro foro poenitentiali, non vero pro foro externo, in quo habet tantum relate ad administrationem.

Conclusio. Praeter potestatem ordinis, requiritur in sacerdote, ut valide absolvat, jurisdictio ordinaria, vel delegata.

Propositio haec est fidei proxima. Nam Concilium Tridentinum declaravit: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Q. Quis possit delegare ad audiendas confessiones?

R. Ii omnes et soli, qui habent ordinariam jurisdictionem, prout definivit Bonifacius VIII. Exceptis Parochis, ut dictum est.

Q. An delegatus possit subdelegare?

R. Negative. Quia ejus solius est delegare, qui habet ordinariam jurisdictionem. Legatus Papae excipitur a jure propter excellentiam Papae delegantis.

Q. Qualis debeat esse jurisdictio delegata?

R. Requiritur, ut sit formalis, et expressa; nec sufficit interpretativa, aut praesumpta.

Q. Quot modis acquiritur haec delegata jurisdictio?

R. Dupliciter, nempe ab homine, et a jure. *Ab homine*, quando Ordinarius illam alteri committit. — *A jure*, quando legitima consuetudo, vel jus certis personis permittit, ut absolvant, vel ut ab electo Confessario ubique absolvantur.

Q. Quinam habent privilegium sibi eligendi Confessarium?

R. 1° Reges, et principes gaudentes supremo dominio pro se tantum.

2° Domestici Pontificis, Cardinales: Romae vero Cardinales possunt eligere Confessarium etiam pro propria familia.

3° Ex jure omnes Episcopi, quamvis sint tantum titulares, et nondum consecrati, modo sint confirmati.

4° Praelati minores exempti ab Episcopis, et Superiores Regulares locales.

Nota. Episcopus potest secum conducere Confessarium a se electum, et approbatum; si non conducat, debet se confiteri approbato ab Ordinario illius loci, qua transit, vel quo migrat. Ita declaravit S. Congr. Concil., et confirmavit Gregorius XVI, 1 decemb. 1832.

Q. Quando amittitur haec delegata jurisdictio?

R. 1° Per revocationem Superioris, qui illam tribuit; per quas causas enim res nascitur, per easdem dissolvitur. 2° Per expirationem temporis praescripti. Ita Scavini. 3° Morte delegantis, vel ejus cessatione ab officio, si data fuerit pro aliqua persona particulari, nec judicium nondum incoeptum fuerit: aut etiam si generaliter data, sed cum clausula ad beneplacitum nostrum.

Q. An delegatus valide, et licite absolvat elapso termino delegationis quotannis renovandae, v. g. Si turba poenitentium affluat ad aliquam magnam solemnitatem?

R. Invalide absolvit per se, idest ratione jurisdictionis; licet probabilius valide absolvat ratione erroris communis, ob quem Ecclesia supplere censetur; sed peccat graviter, si scienter hoc agat.

Q. An Vicarius generalis habeat jurisdictionem ordinariam ita, ut possit alios delegare ad confessiones audiendas?

R. Sententia communior, et vera affirmat contra paucos. Ratio est, quia Vicarius generalis licet ab Episcopo nominatus, jurisdictionem non habet ab Episcopo ipso, sed a canone, quo declaratur, eum quid unum facere cum Episcopo. S. Ligorius.

Q. An haeretici, et excommunicati vitandi valide absolvant in periculo mortis, deficiente alio sacerdote?

R. Affirmative. Ratio est; quia omnes sacerdotes possunt absolvere in articulo mortis, ut constat ex Trident. (sess. 14, cap. 7). Idem dicendum de suspensis, interdictis, irregularibus, degradatis, schismaticis, notorie haereticis, apostatis etiam a fide ad Maumetanismum.

Q. An simplex sacerdos possit absolvere non tantum in articulo mortis, sed etiam in periculo mortis?

R. Affirmative; quia eadem fere est poenitentis necessitas in periculo, atque in articulo mortis; quia jus canonicum pro eodem accipit articulum, et periculum. S. Ligorius.

Q. An possit simplex sacerdos absolvere moribundum etiam praesenti Confessario approbato?

R. Quamvis probabilis videatur sententia affirmans; tamen sententia communissima, dicit D. Alphonsus, negat. Nam cessat tota ratio, ob quam ipsa facultas data est.

Q. Potestne in aliquo casu simplex sacerdos audire confessionem moribundi, praesenti Confessario approbato?

R. Affirmative: potest in sequentibus: 1° Si approbatus non posset, vel nollet absolvere. 2° Si approbatus esset nominatim excommunicatus, vel suspensus. 3° Si in aliena dioecesi tantum approbatus. 4° Si moribundus approbato nollet confiteri. 5° Si approbatus supervenerit jam incaepta confessione. 6° Si approbatus fuerit complex moribundi in peccato turpi; vel consanguineus, vel inimicus, vel objectum peccati.

Q. An sacerdos nullam neque ordinariam, neque delegatam habens jurisdictionem, possit licite, et valide absolvere a peccatis venialibus, et a mortalibus jam confessis?

R. Negative ad primum ex decreto Innocentii XI anno 1679. Negative ad secundum; quia jurisdictio non minus est necessaria in minoribus causis, quam in majoribus.

Q. Si confessio facta simplici sacerdoti ab infirmo sit invalida, potestne iterum ipsi confiteri, etiamsi superveniat approbatus?

R. Probabiliter affirmative; quia sacerdos simplex habet jurisdictionem ad priorem illam confessionem, quae rite non censetur finita. Item commune est, Confessarium iterum excipere confessionem infirmi, qui heri ob morbi gravitatem non potuit integre confiteri, etsi hodie jam expiraverit ejus facultas audiendi confessiones; causa enim incaepta et non finita, durat delegati potestas, donec terminetur.

Q. Confessarius, cui hodie expirata est facultas, potestne audire confessionem illius, qui heri penes ipsum confessus est, et absolutus, sed inculpabiliter omiserit aliquod mortale?

R. Negative: nam illa esset nova confessio, et actus novi judicii.

Q. Utrum liceat absolvere cum jurisdictione dubia?

R. Affirmative, si sit causa gravis necessitatis, aut magnae utilitatis. Ratio est; quia tunc praesumitur Ecclesiam supplere velle jurisdictionis defectum. — Negative; si non adsit causa gravis; quia tunc deficiente causa, deficit prudens praesumptio. Ecclesia

enim non praesumitur, quod velit connivere merae libertati Confessariorum quidquid tandem ipsi credant, et operentur.

Q. Quae, et quot sunt graves causae, quae faciunt, ut Confessarius uti possit opinione dubia circa suam jurisdictionem?

R. 1° Si urgeat praeceptum annuae confessionis, nec alius adsit Confessarius, qui certa gaudeat jurisdictione. 2° Si poenitentes indigeant auxilio talis Confessarii. 3° Si poenitens deberet complicem patefacere alium adeundo; vel secus remanere debet in mortali. 4° Si Confessarius, qui habet jurisdictionem dubiam tantum, timeat ne secus poenitens apud alium sacrilege confiteatur. 5° Si sacerdos ex obligatione celebrare vel communicare tenetur, secus incurreret in infamiam etc. Scavini, Gury.

Q. Utrum liceat absolvere cum jurisdictione probabili?

R. Theoretice loquendo affirmative et absque causa necessitatis, vel magnae utilitatis, ut docent Sporer, et Elbel. Ratio est, quia ad probabilem jurisdictionem requiritur, ut quis non temere, sed solida ratione innixus prudenter judicet, sibi jurisdictionem non deesse. Atqui hoc sufficit ad rectam administrationem, aut susceptionem Sacramentorum, secus haec administratio redderetur incerta an fuerit necne justa causa; ideo odiosa, et moraliter impossibilis, quod est contra Christi institutionem. Ergo licet absolvere cum jurisdictione probabili. Insuper S. Alphonsus (lib. 6, n. 573) ait: *Sententia communis docet licitum esse absolvere cum probabili jurisdictione, modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione, et auctoritate. Ita Sanchez, Lugo, qui putant tutissimam, et eam vocant moraliter certam Sanchez, Tamb., Carden. et alii.* Postea concludit: *Posita igitur ut certa hac consuetudine, certum est, licitum esse Sacramentum ministrare cum jurisdictione probabili... Confessarius absolvendo, non absolveret cum sola opinione probabili, sed moraliter certa, non directa* (certitudine), *sed reflexa.*

Diximus *theoretice.* Nam quod ad praxim attinet, licet cum S. Alphonso quis mallet, probabili jurisdictione utendum non esse, nisi rationabilis aliqua causa hoc exigat; attamen haec causa semper adest, ut advertit Georgius Gobat (Theol. Experim. lib. 7, n. 120): *Probabiles enim de jurisdictione opiniones fere versantur circa absolvendi facultates concessas aut vi privilegii, aut indulto, aut occasione alicujus jubilaei* etc. Quocirca hic casus ita contingit (inquit Gobat): *Quando, postquam bona fide coepisti audire confitentem, oritur tibi dubium circa unum vel alterum peccatum: ac proinde*

nisi utaris probabili jurisdictione, *poenitens cogeretur apud alium iterare confessionem.* Atqui, ut notum est, onus bis confitendi eadem peccata semper doctoribus visum est gravissimum, adeo ut saltem ab integritate confessionis excusent. Ergo etc. Ita Ballerini, cui subscribimus.

Q. An valida sit absolutio data Confessario cum jurisdictione tantum praesumpta?

R. Si praesumptio consensus illius, qui jurisdictionem tribuere potest, fundatur in signis, quae indicant consensum praesentem, sufficit ad valide absolvendum, v. g. Sacerdos qui non habet jurisdictionem excipit confessiones, praesente, vel sciente, nec contradicente Episcopo, qui facile valeat resistere, esset tacite concessa. — Si vero indicant tantum consensum de futuro, non est valida absolutio, etiamsi certo sciat, Superiorem consensurum; quia consensus futurus non praebet jurisdictionem pro tempore praesenti.

Q. An Episcopi possint sub poena invaliditatis prohibere, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim?

R. Si pergant ad confitendum extra dioecesim apud Regulares non potest. Ita Suarez, Reinffenstuel, Layman etc., quia habent privilegium a Summo Pontifice audiendi confessiones omnium fidelium undequaque venientium, Gury, tract. de Sacr. Poenit. p. 555.

Si pergant ad Confessarios saeculares potest prohibere; quia licet nonnulli velint afferre consuetudinem in contrarium; tamen S. Alphonsus cum aliis dicit: *Jus confitendi extra dioecesim*, *Ordinario proprio invito*, *nullum est*, *nec potest contraria consuetudo induci obstante illa Constitutione* Concil. *Si Epist.* 2, de Poenit. et Remiss. in VI. *Nulla quoque potest consuetudo introduci*, *quod aliquis praeter sui Superioris licentiam Confessorem etc.*

Q. An Cappellani militum eos ubique sine approbatione Episcopi loci absolvere possint?

R. Affirmative. Si specialiter sint delegati a Summo Pontifice ad curam spiritualem militum, aut a Cappellano majori a Papa approbato. Si vero hac speciali delegatione careant, possunt audire confessiones in dioecesi Episcopi approbantis, et etiam extra illam in itinere, et in castris ex tacito consensu Episcoporum, ut patet ex consuetudine universali.

Sed non possunt valide absolvere in stationibus, nec in presidiis sine licentia Episcopi loci; quia nullam habent jurisdictionem; con-

stat ex variis decisionibus S. Congregationis, quas refert Lacroix n. 1518, et S. Alphonsus n. 577 etc.

Q. Quis potest absolvere navigantes in Oceano?

R. Potest extra casum necessitatis Confessarius approbatus ab Episcopo loci a quo suscipitur navigatio pro toto navigationis tempore: ita ex consuetudine universali. Bouvier, Scavini, Gury cum communi.

§ unicus. *Quando Ecclesia supplet defectum jurisdictionis.*

Q. An aliquando defectum jurisdictionis suppleat Ecclesia?

R. Affirmative, dummodo haec tria adsint, nempe titulus coloratus; error communis moraliter invincibilis; et defectus sit juris ecclesiastici.

Q. Quid est titulus coloratus?

R. Est *ille, qui habet speciem veri tituli, licet ex aliqua causa occulta laboret vitio nullitatis.* Haec occulta causa potest reperiri vel in recipiente jurisdictionem, vel in conferente, v. g. Si quis obtinuerit Beneficium parochiale per simoniam, est invalidum illud Beneficium ob latentem simoniam; item si sacerdoti incapaci ob aliquam occultam censuram ad illud Beneficium suscipiendum, tamen a legitimo Superiore, qui nescit illam censuram, confertur; item rescriptum, vel approbatio simoniace obtenta: omnes sunt tituli colorati. — Vel ex parte Superioris, v. g. Si ipse Episcopus occulto simoniae vitio sedem occupasset; aut si teneatur aliquo occulto impedimento, conferens Beneficium etc., esset titulus coloratus.

Q. Quid dicendum de errore communi?

R. Non sufficit error privatus, nempe, quo duo vel tres existimant, sacerdotem illum habere jurisdictionem, vel titulum; sed requiritur ut sit communis, idest omnium, vel fere omnium in loco ubi excipitur confessio; quia Ecclesia non censetur supplere, nisi ratione boni communis.

Q. Quare defectus debet esse juris ecclesiastici?

R. Quia si defectus sit juris divini, v. g. Si absolvens non esset sacerdos, Ecclesia non potest supplere, cum, ne transeunter quidem possit concedere potestatem Ordinis, nisi per Ordinationem.

Q. Quid est titulus existimatus seu fictus, et in quo differt a colorato?

R. Est *ille, qui a fidelibus adesse reputatur per assertionem, vel actus illius sacerdotis, sed a Superiore non fuit data, vel si data po-*

stea revocata fuit, vel jam expiravit facultas audiendi confessiones. Unde in titulis coloratis est facultas revera data a Superiore: in titulis existimatis non est facultas data a Superiore.

Q. Si error sit communis, et titulus sit tantum existimatus, fictus, praesumptus, seu putativus, supplet Ecclesia?

R. Quamvis multi Theologi cum Suarez, Lugo, Lessio etc. affirmant Ecclesiam supplere propter eandem rationem, nempe quia secus, etiam in hac hypotesi innumerae animae perirent; tamen communior sententia hodie in praxi admissa, ait Scavini, negat, et permulti Theologi, Alasia, Busembaus, Navarrus etc. pro hac sententia referunt decisionem S. Congr. Concilii anno 1683.

Nota 1ª. Haberet tantum titulum existimatum ille, qui scit elapsum esse sibi tempus approbationis, aut se vi sententiae secreto sibi intimatae ab audiendis confessionibus suspensum; tamen audit confessiones.

Nota 2ª. Circa titulum coloratum tria sunt notanda:

1° Qui vitium sui tituli colorati novit, potest nihilominus valide eo uti; nam valor actuum non pendet a dispositione personali, ab errore seu ignorantia judicis relative ad suum titulum; sed ab ipso titulo, quem jus commune vult sufficere posse in favorem societatis, posito errore communi.

2° Privati qui norunt defectum tituli in Superiore possunt valide illius ministerio uti; quia jura non attendunt ad unius, vel alterius errorem, sed ad errorem communem.

3° Quando datur jurisdictio, sive in perpetuum, sive ad tempus determinatum, et ante elapsum tempus a Superiore revocatur, valent actus jurisdictionis, donec haec revocatio cognoscatur a communitate: hoc postulat publicum bonum. Scavini tom. 3, pag. 430.

ARTICULUS III.

DE RESERVATIONE.

Q. Quid est casuum reservatio?

R. Est *restrictio potestatis absolvendi a certis peccatis, facta potestate absolvendi ab aliis.*

Q. Quos afficit haec reservatio?

R. Immediate afficit Confessarium, et *mediate* poenitentem. Censura e contra immediate afficit poenitentem, et mediate Confessarium.

Conclusio. Quilibet Superior, qui jurisdictionem suam conferre valet, habet jus sibi reservandi casus, a quibus inferiores sacerdotes non possunt absolvere.

Prob. Est definita contra novatores a Concil. Trident., his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus... atque ideo non prohibere casuum reservationem quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* Ratio est, quia Superiores ecclesiastici possunt pro libitu jurisdictionem denegare, ergo et ipsam restringere.

Q. Quotuplex est reservatio?

R. Dividitur in *Papalem*, *Episcopalem*, et *Regularem;* prout reservantur a Papa, vel ab Episcopo, vel a Superiore Regulari. Pontifex sibi reservat casus in universa Ecclesia. Episcopus in sua dioecesi. Regularis in sua religione, vel provincia.

Q. Quot modis reservari possunt casus?

R. Duobus modis: 1° *Ratione sui* tantum. 2° *Ratione censurae.*

Nota 1ª. Plerique casus episcopales sunt simpliciter reservati sine censura; casus autem papales fere omnes censuram habent, et principaliter propter censuram reservantur, ita ut in iis reservetur immediate censura, et mediate seu accessorie ipsum peccatum. Hinc in casibus papalibus reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; e contrario sublata censura, v. gr. ex eo quod ignorata fuerit, neque peccatum est reservatum; quia sublato reservationis objecto, idest censura, jam peccatum non manet reservatum. S. Ligorius.

Nota 2ª. Circa reservationem ab Episcopis faciendam opportune occurrunt notanda ea, quae habemus ex Benedicto XIV de Synodo Dioec. et ex S. Congr. Episc. et Regul. 26 novemb. 1602 quae decrevit: *Admonendos censet, ut non passim: sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, et graviorum criminum absolutionem sibi reservent...*

Q. Quot sunt casus papales, idest Papae reservati ratione sui?

R. Sunt duo: 1us Est in eum, qui sacerdotem innocentem falso insimulat de crimine solicitationis apud judices ecclesiasticos, sive per se impie calumniando, sive sceleste procurando ut ab aliis id fiat: ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. 2us Est in illum, qui dona accipit a Regularibus utriusque sexus, si dona valeant pluris decem scutorum romanorum ex Const. Clem. VIII, et Urbani VIII.

Qui accipit dona a Regularibus infra valorem decem scutorum

modo donum sit materia gravis, quae requiritur ad peccatum mortale, incidit in casum reservatum Cardinali Poenitentiario.

Nota. Hic casus de largitione munerum est reservatus usque dum non restituatur id quod acceptum fuit; et statim ac restituatur cessat reservatio, et potest absolvi a quocumque Confessario.

Clemens VIII modificavit Bullam Urbani VIII hisce verbis: *Declaravit et declarat munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiae, ejusque conservationis erga ipsam religionem, vel conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, et meriti continentibus; modeste tamen, ac discrete, et dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus de jure, vel ex constitutionibus, seu consuetudinibus cujusque religionis respective in hujusmodi casibus requiratur.*

Imo gratitudo, et remuneratio ob laborem impensum, et servitia praestita exposcit ut plus reddatur, quam sit acceptum. Ita Donatus q. 8. Imo Diana part. 1, tract. 6, resp. 16 tenet donationem posse excedere valorem meritorum, et beneficiorum.

Eleemosyna est actus charitatis, aut pietatis si fiat erga consanguineos pauperes. Unde non est prohibita in Bulla Clem. VIII. sed expresse in prohibitione excepta his verbis: *Nisi re ipsa pro divino cultu, et veris Christi pauperum indigentiis, et servato in hoc charitatis ordine, et habita necessitatis ratione de consilio et consensu Superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis* etc. — Hinc Mendo in Epit. ver. *Paupertatis* n. 11 cum Portellic. et Diana docent, quod si Religiosus parentes summe indigentes habeat, possit de Superioris licentia illis succurrere per ea, quae suo labore, aut industria acquisierit, puta per eleemosynam suae praedicationis, aut alterius sui honesti laboris. Ita etiam Felix Potestas, et alii.

Nulla imponitur censura contra Religiosos sive sint subditi, sive Superiores largientes munera, sed tantum peccant contra votum paupertatis, et incurrunt in poenam privationis vocis activae, et passivae, et inhabilitatis ad officia in futurum obtinenda; sed post sententiam declaratoriam judicis. — Recipientes dona incurrunt in dictum casum reservatum, nisi restituant. Quod si sint prorsus impotentes ad restituendum, possunt a quovis Confessario absolvi praestita in manibus Confessarii obligatione scripto exarata restituendi quando poterint: quod si postea poterint, et non restituant, reincidunt in ipsum casum reservatum. Haec Confessarius illis ante absolutionem aperiat.

Restitutio receptorum facienda est conventibus, ad quos data, donata, seu missa de jure pertinent, si id commode fieri potest: alias conventui ejusdem religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Ita dicta Bulla Clem. VIII.

Mendo in Epit. ver. *Paupertatis votum* n. 5, docet quod donans sine licentia extraneo aliquid ex suo peculio, non tenetur restituere monasterio, nec extraneus ad restitutionem teneatur; quia peculium, quod in aliquibus religionibus ex redditibus monasterii (vel alio aliquo modo) assignari solet particulari Religioso, assignatur, ut illud impendat in suos usus; unde Religiosus ejus partem alteri donans, dat illi usum rei, quo ipse se privat, in quo superior non praesumitur invitus, cum nullum damnum monasterio cedat.

Valde roboratur ex respons. 19 quam tradit Diana p. 1, tract. 6, *de paupertate Relig.*, ubi inquirens, *an Religiosus de annuis redditibus, ex Superioris licentia ad suum usum concessis, sine aliqua restrictione possit libere, parcius vivendo, aliis donare?* respondet:

« Affirmativam sententiam probabilem esse judico, cum licentia saltem tacita Superioris. Et ratio est, quia haec Bulla prohibet tantum largitiones munerum, ex quibus gravia incommoda, et mala monasteriis inferuntur. Sed donatio eorum, quae Religiosi parcius vivendo largiuntur, non affert multum damni monasterio, ut patet: ergo etc. Probatur minor. Nam in tali donatione, Religiosus nullum damnum infert monasterio, sed genio suo, et ventri, et condecentiae suae personae, cui haec detrahit, et parce vivendo aufert: ideo ex hac opinione datur occasio Religiosis, ut libentius frugalitati, et moderato sumptui assuescant, dum sciunt ea, quae de sibi necessariis detrahunt, posse licite parentibus, et aliis de se benemeritis donare, et in aliis licitis operibus expendere. » — Ita etiam sentiunt Ludovicus Beja, *in resp. cas. consc.* p. 4, cas. 32; Hieronymus Cenedo, *de paupertate Relig.* dub. 32, n. 9, et dub. 17, n. 9; Peirinus, *de Relig. subdito*, tom. 1, q. 2, cap. 2, § 6; Joannes Valerus, et alii.

Q. Quot sunt casus cum censura reservati Papae *speciali modo* adeo, ut neque Episcopus, nisi sit speciali facultate praeditus, neque quivis alius, quamvis quocumque privilegio donatus, possit ab ipsis absolvere?

R. Sunt duodecim, juxta Constitutionem Pii IX, 12 oct. 1869, qua Constitutione ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur.

Q. Quot sunt casus Papae *simpliciter* reservati cum censura.

idest a quibus potest Episcopus ut Papae delegatus absolvere, nec non qui generalem habet facultatem absolvendi a papalibus?

R. Sunt duodeviginti, juxta praedictam Constitutionem Pii IX. Vide Tractatum de censuris.

Q. Quot sunt casus Episcopis reservati?

R. Casus Episcoporum triplicis generis sunt, nempe alii sunt reservati jure communi; alii in Synodo dioecesana; alii extra Synodum; vel uti alii dicunt: *Nobis*, *a Nobis*, *et Sibi*. — Casus *Nobis* sunt illi, qui a jure generali sunt reservati Episcopis; hujusmodi sunt tres, qui continentur in Const. *Apost. Sedis* Pii Papae IX. — Casus *a Nobis* sunt illi, quos Episcopi solent in Synodis dioecesanis reservare. — Casus *Sibi* dicuntur illi, quos Episcopi aliis non concedunt, nisi speciali facultate.

Nota 1ª. Notandum quod Episcopi non possint absolvere casus papales, nisi in confessione, prout definivit Gregorius XIII.

Nota 2ª. Quod dicitur de Episcopis relate ad casus papales, idem valet de Vicario capitulari, et caeteris episcopalem expeditam jurisdictionem habentibus. S. Alphonsus, Scavini.

Nota 3ª. Casus reservati eminentissimo Cardinali Urbis Vicario sunt tantum duo, nempe: 1º Peccatum quod committunt illi, qui non satisfaciunt praecepto Communionis paschalis intra tempus, quod intercedit inter Dominicam Palmarum et Dominicam in Albis inclusive. 2º Excommunicatio *ipso facto* incurrenda ab iis, qui vel mutuo dant, vel recipiunt schedulam, vulgo *Bollettino*, Communionis paschalis receptae. — Haec excommunicatio cum sit particularis, respicit enim Urbem tantum, non est abrogata per Const. *Apost. Sedis*.

Quoad primum casum in foro conscientiae tantum et usque ad diem Ascensionis inclusive, possunt absolvere soli proprii delinquentium Parochi; elapso die Ascensionis, toties quoties petenda est facultas ab Eminentissimo Vicario Urbis, vel ejus Vicesgerente. — Quoad secundum toties quoties et quocumque tempore petenda est, ut supra, absolvendi facultas tam a Parochis, quam a caeteris Confessariis.

Qui non praemissa peccatorum sacramentali confessione sacrilege accedit ad sacram Synaxim recipiendi causa schedulam, ut possit occultare transgressionem praecepti annualis confessionis, non incurrit in dictum peccatum reservatum. Revera non incurrit propter omissionem paschalis Communionis, quia ipse non omittit; non pro-

pter sacrilegium, quia tale sacrilegium non est peccatum externum, ideo non est reservatum; non propter receptionem schedulae, quia reservatio cadit in mutuo dantem et recipientem dictam schedulam extra Eucharistiae receptionem. Ita communiter sentiunt clarissimi Examinatores Apostolici Cleri Romani.

Q. An Superiores Regulares possint reservare casus in suo Ordine, vel monasterio?

R. Possunt nonnullos tantum reservare a Clemente VIII determinatos, qui sunt undecim numero. Alia autem reservare sine consensu Capituli generalis pro tota religione, et Capituli provincialis pro tota provincia nequaquam possunt.

Nota. In Religione Cappuccina omnes undecim praedicti casus Clementis VIII sunt reservati.

Q. Quinam sunt isti casus?

R. 1° Veneficia, incantationes, sortilegia.

2° Apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii, seu conventus fiat egressio.

3° Nocturna ac furtiva e monasterio, seu conventu egressio etiam non animo apostatandi facta.

4° Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

5° Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.

6° Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.

7° Falsificatio manus, aut sigilli Officialium monasterii, aut conventus.

8° Furtum de rebus monasterii, seu conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

9° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

10° Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personae.

11° Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

Q. Quae requiruntur, ut aliquod peccatum reservetur?

R. Quatuor: 1° Ut sit mortale. 2° Ut sit externum. 3° Opere consummatum et in suo genere completum, non vero tantum attentatum, nisi aliud constet ex declaratione expresse reservantis. 4° Certo commissum. Reservatio enim est stricte interpretanda, et ideo debet intelligi de peccatis certo perpetratis.

Nota. Non debent reservari peccata venialia nisi tamen haec, attento fine Superioris, sint in aliquo casu gravia.

Q. Si poenitens certus sit, se peccasse, et illud genus peccati, quod commisit, esse reservatum, sed dubitet an in eo committendo revera mortaliter peccaverit, puta defectu advertentiae, aut causa gravis metus, incurreritne in casum reservatum?

R. Hoc est dubium facti, et reservatio non adest; quia haec est res strictae interpretationis; et ideo debet intelligi de peccatis certe gravibus.

Q. Si poenitens certus sit se mortaliter peccasse; sed Confessarius dubitet an in illud peccatum mortale lata revera sit reservatio, potest et debetne judicari reservatum?

R. Dubium est juris. Communissime Theologi docent non esse reservatum, sive dubium sit positivum, sive negativum, nisi lex etiam casus dubios amplectatur; tum quia reservatio est strictae interpretationis; tum quia in dubio melior est conditio possidentis.

Q. An cadat sub reservatione peccatum externe leve, si interne sit grave?

R. Verius, et communiter negant cum Suarez, Lugo, Alasia et aliis; quia Superiores id non intendunt. Scavini.

Q. An ignorantia reservationis ab ea incurrenda excuset?

R. Cum distinctione. Si nulla censura peccato sit adnexa, ignorantia etiam invincibilis non excusat a reservatione, cum reservatio Confessarium et non poenitentem immediate afficiat; quia non est poena poenitentes respiciens, sed jurisdictionis restrictio respiciens Confessarios. Nec videtur dubitandum, cum Tridentinum dicat absolute Confessarios super reservatos *nihil posse;* hoc modo dicere non potuisset, si requireretur notitia poenitentis quoad reservationem; quia potuisset tunc absolvere ignorantes. Insuper finis reservationis inter alia, est etiam ut magis magisque servetur, et elucescat dépendentia Confessarii ab Episcopo et differentia auctoritatis utriusque in absolvendo; et ut poenitentes recipiant a Superioribus monita et remedia opportuniora etc.; et ideo cum in ignorantibus non cesset adaequate finis reservationis, nec ipsa reservatio cessat.

Quare non est audienda sententia eorum, qui contrarium docent. Nam quamvis plures Theologi eam probabilem agnoscant, nihilominus usus et praxis communis Ecclesiae semper tenuit nostram sententiam, haud curando probabilitatem contrariae opinionis.

Si casus sit reservatus cum censura, subdistinguendum: si sint Papales, tunc ignorantia excusat; quia casus papales reservantur immediate propter censuram, a qua ignorantia excusat, et ideo

cum peccatum reservetur propter censuram, sublata censura, tollitur reservatio peccati.

Si vero sint casus episcopales, pariter subdistinguendum : vel sunt reservati in jure communi, et tunc ignorantia excusat, quia considerantur reservati propter censuram ; vel sibi ipsis Episcopi reservant, et tunc ignorantia non excusat a reservatione, sed tantum excusat a censura ; quia in his principaliter et per se reservatur casus, eique superadditur censura ad hoc, ut peccatores fortius ligentur, et per duplicem reservationem a peccato absterreantur. Scavini.

Q. Si quis sciens censuram, ignorat tamen illam esse reservatam, excusaturne ab illa incurrenda?

R. Negative ; is enim jam consentit in poenam censurae, adeoque implicite in ejus reservationem et in omnes alios effectus, licet ignoratos. Scavini.

ARTICULUS IV.

DE ABSOLUTIONE A RESERVATIS.

Q. Quinam absolvere possint a reservatis?

R. Ipse reservans, ejus successor, superior, et quivis aliud ab illis hanc facultatem delegatam obtinuit.

Q. Episcopi a quibus casibus absolvere possunt?

R. Episcopi non solum possunt absolvere a casibus sibi ipsis reservatis, sed etiam ab omnibus peccatis Papae simpliciter reservatis, quamdiu sunt occulta, nec ad forum contentiosum deducta. Imo possunt absolvere a publicis, quando subditi habent impedimentum canonicum recurrendi ad Papam. Vide pag. 121.

Diximus *simpliciter reservatis ;* quia excipiendi sunt 12 casus ex Constitutione Pii IX speciali modo reservati, cum non sit impedimentum Romam adeundi.

Nota. Qui habet facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, non ideo potest absolvere a casibus Episcopo reservatis. Clemens X, Constit. *Superna.*

Qui habet facultatem absolvendi ab omnibus casibus et censuris Episcopo reservatis, non ideo habet facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, a quibus Episcopus per accidens, aut propter impedimentum canonicum potest absolvere.

Q. In quamnam poenam incurrunt, qui sine facultate scienter absolvunt a casibus Papae et Episcopo reservatis?

R. 1° Qui extra mortis articulum scienter absolvit a reservatis cum censura *speciali modo* Romano Pontifici, incurrit ipso facto excommunicationem ipsi Romano Pontifici *simpliciter* reservatam.

R. 2° Qui scienter absolvit extra mortis articulum a casibus cum censuris Romano Pontifici *simpliciter* reservatis, vel Episcopis reservatis, nullam poenam incurrit.

Q. Poenitentiarius cathedralis ecclesiae potestne vi officii a casibus Episcopo vel Papae reservatis absolvere?

R. Negative; quamvis in tota Dioecesi valeat vi potestatis suae confessiones excipere, ut declaravit S. Congreg. Conc. 6 julii 1647.

Q. In Dioecesi ubi adest conditio, ut peccatum sit reservatum, debet esse a pubere commissum, potestne absolvi a simplici Confessario, qui confitetur post adeptam pubertatem peccatum reservatum in impubertate commissum?

R. Licet nonnulli affirment; tamen verior sententia negat, quia in absolutione reservatorum respicitur tempus, quo datur absolutio, cum reservatio directe afficiat Confessarium.

Q. An Confessarius absolvere possit a peccato non reservato in propria Dioecesi, sed commisso in alia Dioecesi ubi reservatur?

R. Affirmative, si non migraverint in fraudem reservationis, et si Confessarius non cognoscat esse reservatum cum censura, qua poenitens est ligatus; quia omnes ex quacumque Dioecesi confluentes ad Confessarium alterius Dioecesis fiunt ejus subjecti in foro poenitentiae. — Si vero migraverint in fraudem reservationis, non potest absolvere; quia nemini sua fraus patrocinari potest. — Insuper si ille poenitens cum illo peccato reservato incurrerit in censuram reservatam, Confessarius id noscens non potest eum absolvere, censura enim directe afficit poenitentem, et ideo eum ubique comitatur. Scavini.

Q. An Episcopi possint absolvere peregrinos, vel alios subditos alterius Dioecesis a peccatis reservatis proprio Episcopo cum censura, quam in propria Dioecesi incurrerunt?

R. Negative. Hoc patet ex duplici declaratione S. Congreg. Concilii et Benedicti XIV. Ratio est, quia Episcopi sunt independentes ab invicem.

Q. An poenitens confessus Superiori, vel delegato a Superiore, idest habenti facultatem absolvendi a reservatis, si inculpate obli-

viscatur reservati, possit postea de illo peccato a quovis Confessario directe absolvi, illud ei declarando?

R. Si Confessarius poenitenti manifestaverit, se habere intentionem a reservatis absolvendi, tunc ablata est reservatio; quia forma Sacramenti operatur juxta intentionem proferentis, et non ultra. — Si vero Confessarius non dederit hanc intentionem, subdistinguendum: si sit extra tempus Jubilaei, tunc non est sublata, quia non est satisfactum fini reservationis; si sit tempore Jubilaei, tunc sublata est, quia Papa tollit omnem reservationem erga eos, qui confitentur in ordine ad lucrandam indulgentiam.

Q. An tollatur reservatio per confessionem nullam factam Superiori, vel delegato a Superiore quoad reservata, si in illa declaratum fuit peccatum reservatum?

R. Si confessio poenitentis est inculpabiliter invalida seu nulla, tunc tollitur reservatio ex communi ac probabiliori sententia, quia finis reservationis est consecutus. — Si vero sit culpabiliter nulla et sacrilega, etiam tollitur reservatio communius Theologi affirmant; licet nonnulli negent. Sed tollitur reservatio dummodo non agatur de tempore Jubilaei; quia facultas absolvendi reservata tunc conceditur ad finem, ut fideles Jubilaeum lucrentur, non autem lucratur, si confessio sit sacrilega.

Q. Ad quid tenetur Confessarius, qui non habens in reservata facultatem, ab aliquo ex ignorantia, vel inadvertentia absolvit?

R. Tenetur poenitentem ad se citius revocare, si fieri potest absque poenitentis gravamine et incommodo, etc.: secus commendat illum divinae Misericordiae.

Q. Quomodo se gerere debet Confessarius audiens reservata, si absolvendi careat facultate, nec casus urgeat?

R. Statim audito peccato reservato, quin ultra poenitentem audiat, ipsum mittat ad facultatem habentem. Excipe, sin aliter suadeat charitas, ut ipse veniam petat a Superiore.

Q. An peregrinus peccans in aliena Dioecesi, ubi casus est reservatus cum censura, utramque incurrat?

R. Erit iste ligatus reservatione tantum, si ibi velit confiteri; cum reservatio afficiat Confessarium. — Quoad censuram annexam non videtur per se loquendo eam incurrere; quia censura non potest ferri, nisi in subditos: et peregrini etsi constituantur subditi ratione confessionis, non tamen tales constituuntur ratione censurae incurrendae. Scavini.

Q. An in articulo mortis, vel periculo detur reservatio?

R. Negative. Quilibet simplex Confessarius potest absolvere a reservatis et a censuris annexis peccatis reservatis, juxta Concilium Trid. (sess. 14, c. 7).

Q. Poenitens postquam in articulo mortis sit absolutus a casibus reservatis a simplici Confessario debetne, si supervivat, se praesentare Confessario habenti facultatem absolvendi a reservatis?

R. Si casus sit tantum reservatus, non tenetur se praesentare; quia ab eo directe fuit absolutus cum non sit reservatio. — Si vero casus, seu peccatum habeat annexam censuram reservatam, si poenitens convalescat, debet se praesentare habenti potestatem absolvendi a censuris, seu Superiori. Id praecipitur in jure, non quidem ut iterum absolvatur, quia jam a censuris et a peccatis absolutus fuit, sed ut se ostendat paratum et obedientem ad majorem poenitentiam recipiendam, si Superiori videbitur.

Nota. Nonnulli Theologi innixi Conc. Tridentini verbis, quibus nulla restrictione declaratum fuit *omnem reservationem in periculo mortis cessare*, limitant obligationem se sistendi Superiori pro casu percussionis *Clerici*, aut pro alia reservatione a legislatore excepta, aut quando (ut alii dicunt) excommunicatio est notoria, vel deducta ad forum externum, ut sensit Sporer (n. 752). Hanc sententiam dicunt probabilem Navarrus, Henriquez, Avila, Filliucius, Diana, Salmanticenses et alii : neque S. Alphonsus contradicit (l. 7, n. 87). Verum hodie post Const. *Apostol. Sedis* Pii IX, qua limitatae sunt censurae, absolutus in articulo mortis si convalescat debet se praesentare Superiori tantum pro duodecim censuris in speciali modo Papae reservatis; quia idem Summus Pontifex de hoc mentionem fecit tantum pro hujusmodi censuris et non pro aliis, dicens: *Dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.* Profecto pro aliis etiam censuris similiter dixisset, si ab illa lege eas comprehendi voluisset.

Q. In quam poenam incurrit si poenitens postea non se praesentet Superiori?

R. Reincidit in censuram, ut aperte statuitur cap. *Eos qui de sent. excom.* in 7.

Q. Si impedimentum sit perpetuum adeundi causa ad Pontificem, vel ad Superiorem?

R. Tunc absolutio directe datur sine ullo onere coram Superiore comparendi. Cap. *Eos de sent. excom.* in 6.

Q. An simplex Confessarius, seu inferior absolvere possit moribundum a reservatis, praesente Superiore, aut alio facultatem habente?

R. Affirmative, si casus sint pure reservati; quia non est reservatio in periculo mortis. — Affirmative, etiam quoad peccata cum censuris reservata. Eruitur ex Concil. Trid., sess. 14. Dummodo imponatur onus se praesentandi, si convalescat.

Q. An requiratur venia Episcopi ad absolvendum moribundum a casibus papalibus, si facile peti possit?

R. Negative. Etenim, ut constat ex Conc. Trid., in mortis articulo nulla est reservatio. Hoc autem valet sive pro casibus publicis, sive pro occultis: proinde superflua prorsus foret Episcopi venia.

Q. An possit Superior absolvere poenitentem a reservatis, et eum mittere ad inferiorem pro absolutione non reservatorum?

R. Negative; quia non licet dimidiare confessionem. Ita communiter contra aliquos.

Q. An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat ut certum?

R. Affirmative probabilius. Quia cum peccatum dubie reservatum est accusatum, jam directe absolutum est; ac proinde directe ablata reservatio. Gury.

Q. An Confessarius qui facultatem obtinuit absolvendi aliquem a reservatis, possit et ab aliis reservatis eum absolvere etiam commissis post licentiam petitam, et obtentam?

R. Distinguendum: vel concessio est generaliter facta, v. g.: *Facultas tibi sit poenitentem pro hac vice absolvendi a reservatis;* vel est tantum pro casu particulari, v. g.: *Ab exposito casu poenitentem absolvendi facultas tibi sit.* Si primum, potest ex communissima sententia poenitentem absolvere etiam ab omnibus reservatis postea commissis, sed semel tantum. Excipe, nisi interponatur magna distantia, puta ultra mensem inter concessionem licentiae, et commissionem novarum culparum. Pariter nisi licentia impertita fuerit intuitu alicujus festivitatis, quae jam praeteriit.— Si secundum, ab illo tantum casu potest absolvere; et potest numero plura peccata in eadem casus specie etiam postmodum commissa absolvere.

Nota. Quae de reservatis Pontificis dicuntur, ad reservata episcopalia extendi possunt. Ita communis sententia.

Q. Si poenitens habeat tantum reservata, potestne in necessitate extra periculum mortis absolvi a simplici Confessario?

R. Si poenitens non habeat nisi reservata, non potest absolvi nisi submittat clavibus aliud peccatum saltem veniale vitae praeteritae directe remittendum; secus enim nulla daretur Sacramenti materia.

Q. Quinam, et quot sunt casus, in quibus simplex Confessarius sic absolvere potest?

R. Sunt: 1° Periculum infamiae, vel scandali, v. gr. ex omissione celebrationis Missae. 2° Necessitas adimplendi praeceptum confessionis, vel Communionis. 3° Timor ne poenitens remaneat diu in statu peccati mortalis.

Q. An reservatione ligatus in necessitate communicandi aut celebrandi, teneatur confiteri Confessario simplici, alio deficiente?

R. Si nullum aliud peccatum mortale habeat, nisi reservatum, distinguendum: si excitet contritionem, non tenetur neque ratione reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione alterius peccati jam confessi; quia non sunt materia necessaria. — Si non habeat contritionem, tenebitur confiteri saltem veniale, vel mortale jam remissum, ut sic indirecte a reservatis absolvatur.

Si habeat mortalia, tam reservata, quam non reservata, licet nonnulli teneri negent; tamen communissima sententia, ait S. Alphonsus, affirmat teneri confiteri; quia urget praeceptum divinum praemittendi confessionem Communioni.

Q. An habens reservata, et non reservata teneatur in confessione accusare etiam reservata?

R. Negative probabilius. Ratio est, quia alias teneretur bis peccata illa confiteri, scilicet inferiori, et superiori. S. Ligorius, Gury.

Q. Si Superiores Regulares, qui sibi casus reservarent, requisiti a Confessario pro facultate absolvendi ab aliquo casu reservato, eam dare recusarent, possetne Confessarius subditum pro illa vice absolvere?

R. Affirmative, pro illa tantum vice Confessarius posset absolvere etiam non impetrata facultate, ex decreto Clementis VIII. Ita Goritia. — Intellige quoties facultas petitur ad absolvendum eundem, vel alium, et negatur, toties Confessarius absolvere potest. Hoc valet etiam pro Confessario Monialium.

Littera ad Episcopum pro obtinenda facultate absolvendi a reservatis, mittitur hoc modo, vel alio simili:

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Titius (vel *Titia*) *incidit in casum reservatum in Tabella Dioecesana sub N.... Facti ipsum* (vel *ipsam*) *poenitet, et humiliter petit absolv'.*

Faveat rescriptum dirigere ad me subscriptum Confessarium,

Humilissimum Servum N. N.

Sub literis N. N. ponitur Confessarii nomen et cognomen, addendo nomen loci quo rescriptum mittendum ; sed reticita persona poenitentis, cujus nomen fingitur. Item sufficit nominare numerum tabellae, sub quo casus cadit, quin casus ipse qui fuerit, exprimatur. Alicubi petitur facultas absolvendi a casibus in genere, quin vel numerus indicetur. Literae postea comburantur.

ARTICULUS V.

DE ABSOLUTIONE PROPRII COMPLICIS IN PECCATO TURPI.

Q. Quid intelligitur per peccatum turpe?

R. Intelligitur omne factum, vel dictum turpe, et mutuum inter sacerdotem, et complicem, quod ex utraque parte sit grave peccatum contra sextum praeceptum.

Q. Quando peccatum turpe est reservatum in complicitate?

R. Quando est: 1° *Externum*; unde si actus externus, licet in interno ratione magni affectus libidinosi sit mortalis, fuerit solummodo peccatum veniale, non comprehenditur in hac reservatione; quia Superior non reservat peccatum externe tantum veniale.

2° *Grave;* quia hic non comprehenduntur peccata inhonestatis venialia, sive talia sint ex parvitate materiae, sive ex defectu advertentiae, aut consensus.

3° *Certum;* peccata enim dubia non reservantur, nisi expresse Superior declaret.

4° *Mutuum*, idest ex utraque parte complicitas sit mortalis, et externa. Unde non adest complicitas, quando una pars renuat, etsi violenter, et passive se habet in peccato alterius, idest Confessarii. Imo quamvis interne consentiat, et externe fortiter renuat. Scavini.

Q. An nomine complicis veniant non solum mulieres, sed etiam viri?

R. Affirmative. Ratio est, quia verba Bullae sunt omnino generalia.

Q. In quamnam poenam incurrit Confessarius complicem proprium absolvens?

R. In excommunicationem Papae *speciali modo* reservatam ipso facto incurrit juxta Constitutionem Pii IX, post Benedict. XIV in Bulla *Sacramentum Poenitentiae.*

Q. An sacerdos possit absolvere complicem in articulo, vel periculo mortis?

R. Affirmative valide, et licite, si non possit advocari alius sacerdos, qui munus Confessarii obire possit. Si vero adsit sacerdos alter, etiam non approbatus, qui confessionem excipere queat, absolvit quidem valide, sed illicite, et incurrit in dictam excommunicationem. Ita dicta Const. Pii IX.

Q. An sacerdos possit absolvere complicem in morte, si alius nequeat advocari, vel accedere sine infamia, vel scandalo?

R. Affirmative valide, et licite. Tenetur tamen sacerdos complex talia infamiae, vel scandali pericula praecavere, si possit, v. g. aliquo praetextu discedendo etc. Secus poenas non effugiet, licet absolutio sit valida, constat ex Constit. Benedicti XIV. Ita S. Ligorius, Gury etc.

Q. An sacerdos possit absolvere complicem in morte, si hic alteri confiteri recuset?

R. Affirmative, si aliunde sit dispositus, ne scilicet pereat. Unde absolvit valide, et licite. Ita Gury in notatione Ballerini.

Q. An sacerdos absolvere possit complicem ab aliis peccatis sibi extraneis, postquam ille semel ab alio rite fuit absolutus?

R. Affirmative, quia caret tantum jurisdictione in hunc poenitentem quoad peccatum, cujus ipse fuit particeps: ergo deleto illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, jam cessat prohibitio. S. Ligorius, et alii communiter.

Consulendum tamen, ut sacerdos se abstineat audire illum complicem in confessione.

Q. An incurret excommunicationem sacerdos confessionem complicis audiens quidem, sed eum non absolvens?

R. Negative cum D. Ligorio et aliis; quia id sat clare patet ex Constit. Benedicti XIV.

Q. Si Confessarius complicem suum inadvertenter absolveret, validene absolveret?

R. Affirmative communiter contra Grassi. Quia hic jurisdictionis

privatio habet rationem poenae, et excommunicationem comitatur; et hoc non incurrit, qui minime advertit.

Q. Si poenitens omiserit inculpabiliter, v. g. inculpabili oblivione confiteri peccatum complicitatis, valetne absolutio ei data a complici Confessario?

R. Valet; quia absolutio in hoc casu nullatenus cadit super peccatum complicitatis, unde non absolvit directe complicem pro peccato turpi. Valet etiam probabilius absolutio, licet Confessarius advertat poenitentem inculpabili oblivione non confiteri peccatum complicitatis. Scavini.

Q. Utrum Episcopi absolvere possint ab excommunicatione lata in complicem suum absolventes, si casus sit occultus?

R. Negative ex particulari generalique decreto, quod Pius IX per S. U. Inq. edidit die 17 junii 1866; atque ex novissima Const. *Ap. Sedis*, in qua idem Pontifex statuit duodecim casus speciali modo Papae reservatos nullo modo ab Episcopis absolvi posse.

Nota. Juxta Scavini Confessarius invalide absolvit: 1° Poenitentem, cum quo habuit inhonestos sermones, quia turpiloquium grave est contra castitatem.

2° Poenitentem, qui ipsi permiserit (et magis si invitaverit), ut peccaret cum propria uxore, vel filia.

3° Poenitentem, cum quo convenit de seducenda muliere, licet postea non seduxerit.

4° Poenitentem, a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere.

5° Poenitentem, cum quo peccavit contra castitatem, antequam esset sacerdos.

6° Poenitentem impuberem complicem.

7° Poenitentem, qui ab alio Confessario a peccato complicitatis fuit indirecte absolutus ob inculpabilem oblivionem.

8° Poenitentem generalem suorum peccatorum confessionem facientem, si certum sit, aut dubium confessiones anteactas fuisse invalidas.

9° Poenitentem, qui vi privilegii posset absolvi a quocumque peccato Summo Pontifici reservato, quia hoc peccatum non est reservatum. Ex quo sequitur Confessarium habentem potestatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis non posse complicem absolvere.

ARTICULUS VI.

DE OFFICIO MINISTRI IN CONFESSIONE.

Q. Quot sunt officia, vel munera ministri poenitentiae?

R. Quadruplex est officium, seu munus ministri poenitentiae: 1° Officium patris. 2° Medici. 3° Doctoris. 4° Judicis.

Q. Ad quid tenetur Confessarius ex officio patris?

R. Magna charitate, et sincera directione erga poenitentes procedere debet, tum in principio, idest omnes indiscriminatim excipiendo; tum in actu, idest patienter et amanter audiendo; tum in fine confessionis, idest sic e sacro tribunali charitative remittat, ut redire desideret.

Q. Ad quid tenetur Confessarius ex officio doctoris?

R. Tenetur sub gravi scire ea omnia, quae ad munus suum rite obeundum requiruntur. Quare tenetur scire quomodo alii aliter instruendi sunt; alii aliter admonendi.

Nota 1ª. Peccat Confessarius, si scientiam ad hoc necessariam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola charitate, et obedientia confessiones excipiet. Ita Gury.

Nota 2ª. Sufficit, ut Confessarius ita scientia morali sit praeditus, ut saltem bene intelligat, et resolvat, quae frequentius contingunt, et de aliis sciat dubitare; nam per dubitationem suspendit judicium, et veritatem inquirit.

Q. Ad quid tenetur Confessarius ex officio medici?

R. Ut prudens medicus apta debet applicare remedia in sui poenitentis infirmitatibus curandis, pro necessitate, ingenio, conditione poenitentis.

Q. An Confessarius debeat poenitentem ignorantem monere?

R. Vel poenitens obligationes suas ignorat ex ignorantia vincibili et mortaliter culpabili; vel ex ignorantia invincibili et inculpabili. Si primum, Confessarius tenetur eum admonere. — Si secundum, adhuc obligatio correctionis viget casu, quo fructus speretur. Quod si ex monitione fructus certo non speretur, communis, ac vera sententia docet Confessarium per se loquendo teneri monitionem omittere, et poenitentem relinquere in sua bona fide. De duobus enim malis melius est permittere peccatum materiale, quam formale. Ita S. Lig.

Diximus *per se loquendo*, quia admonitio debet fieri: 1° Quando ea omissa damnum redundaret in bonum commune. 2° Quando poe-

nitens interrogat; tunc Confessarius debet veritatem patefacere, non plus tamen respondendo, quam a poenitente interrogetur. 3° Quando poenitens cito monitioni obsecuturus praevideatur. 4° Quando poenitens, tacente Confessario, in proxima versatur occasione peccatorum. 5° Quando poenitens ignoret necessaria necessitate medii ad salutem, ut tradit Benedictus XIV Const. *Etsi minime.*

Q. An Confessarius debeat poenitentes interrogare?

R. Affirmative, si Confessarius deprehendet poenitentes non integre confiteri, sive quoad numerum, sive quoad species, vel circumstantias peccatorum explicatu necessarias.

Q. Si Confessarius certo sciet, aut prudenter suspicetur aliquod peccatum, quod poenitens omnino malitiose sileat?

R. Vel peccatum Confessarius novit ex sacramentali alterius confessione; vel extra confessionem et ex certa scientia. Si primum, non poterit specialiter poenitentem de peccato illo interrogare sine expressa licentia alterius personae. — Si secundum, de peccato interrogabit etiam specialiter, neque absolutionem impertietur: modo non adsit prudens dubium an alteri jam fuerit confessus, vel justam habeat tacendi causam.

Nota. Monitio debet omitti si ex aequo dubium est, an sit profutura, vel obfutura.

Q. Ad quid tenetur Confessarius ex officio judicis?

R. Cognoscere momenta causae, ut recte efformet judicium de peccatis, et congruam poenitentiam conferat absque personarum acceptione, vel absolutionem differat.

Q. Quid agere debeat Confessarius in dubio de sinceritate poenitentis?

R. Est regula communis, et veluti axioma receptum: *Credendum est poenitenti, tam pro se, quam contra se dicenti.*

ARTICULUS VII.

DE OFFICIO MINISTRI POST CONFESSIONEM.

Q. Quotuplex est officium, vel obligatio Confessarii post Confessionem?

R. Duplex, prima *per accidens* ad defectus commissos reparandos; secunda obligatio *per se* ad sigillum servandum.

Q. Quid praestare debeat Confessarius, qui invalide absolvit poenitentem?

R. Confessio invalida esse potest, tum ex parte poenitentis, tum ex parte sacerdotis. Unde vel poenitens jam recessit e sacro tribunali, vel non. Si non recessit, statim corrigendus est defectus. Si jam recessit, vel est reversurus, vel non: si sit reversurus, in prima confessione erit corrigendus defectus, confessionem iterando, si opus sit, vel si peccata fuerint rite confessa, et horum Confessarius saltem in confuso meminerit, dicat poenitenti ut conterat tam de praeteritis quam de praesenti peccato, et absolutionem de omnibus faciat. — Si non sit reversurus poenitens, Confessarius, prius obtenta ab illo licentia, admoneat illum de invaliditate. Si licentia non obtinetur, sacerdos omnia Deo commendet.

Q. Quo jure tenetur Confessarius corrigere defectum, si erravit circa valorem Sacramenti, uti si absolutionem non protulit, vel si eam dedit carens jurisdictione?

R. Distinguendum; vel erravit inculpabiliter, vel culpabiliter. Si primum, conveniunt omnes, Confessarium non teneri cum gravi incommodo honoris, famae, aut bonorum poenitentem admonere de defectu commisso. Excipiendum: 1° Si poenitens sit in periculo mortis, vel in periculo non amplius se confitendi. 2° Si Confessarius sit Parochus, qui certe tenetur ex justitia reparare damnum grave subditorum, ut constat ex Tract. de Oblig. — Si erravit culpabiliter, licet nonnulli Theologi negent, tamen nostra sententia cum S. Ligorio, Scavini etc. affirmat Confessarium teneri, et quidem sub levi, si illius culpa sit levis; sub gravi, si defecerit graviter, quamvis onus excipiendi confessiones susceperit ex charitate.

Sed animadvertendum, quod Confessarius qui erravit culpabiliter, non tenetur cum gravi incommodo poenitentem monere de nullitate primae confessionis: 1° Si licentia peti nequeat, ex eo quod, si fiat monitio, gravis sequeretur offensio poenitentis. 2° Si poenitens interim alteri confessus fuerit. 3° Si sacram in bona fide susceperit Eucharistiam, quae in hoc casu justificat.

Q. Utrum Confessarius teneatur defectum reparare, si error sit tantum circa accidentalia seu integritatem Sacramenti?

R. Si Confessarius negative se habuit, v. g. neglexit interrogare de speciebus, et numero peccatorum, non tenetur errorem reparare, nisi intra ipsam confessionem. — Si positive, et cum culpa gravi induxerit poenitentem ad integritatem non procurandam, tenetur reparare etiam extra confessionem, supposita licentia ipsius poenitentis.

Q. Ad quid tenetur Confessarius, qui positive deobligavit poenitentem a restitutione facienda, vel e contra ad indebitam obligavit?

R. 1° Distinguendum: vel deobligavit poenitentem paratum, et dispositum ad restituendum, vel non dispositum ad restituendum, licet fuisset admonitus. Si primum, tenetur, vel intra, vel extra confessionem illum admonere; quod si poenitens renitatur, vel interea sit factus impotens ad restituendum, tenetur Confessarius restituere creditori; quia fuit causa injusta illius damni proximo. — Si secundum, non tenetur de damno, quia etsi fuerit causa injusta, non fuit tamen causa efficax damni.

R. 2° Vel obligavit cum culpa gravi, v. g. ex malitia, ignorantia vincibili, gravi negligentia etc., vel non. Si primum, tenetur pariter ex justitia errorem retractare; quod si poenitens jam restituerit, tenetur ipsum compensare. Ita communiter. — Si secundum, idest ita se gessit ex levi negligentia, tenebitur monere poenitentem cum incommodo levi; quia pro modo rei debet esse obligatio: quod si admonere nequeat, ad nihil tenetur.

Q. Ad quid tenetur Confessarius, si de restitutionis obligatione poenitentem non monuerit?

R. Si de restitutionis obligatione Confessarius siluerit, vel id fecit inculpabiliter, vel culpabiliter. Si primum, non tenebitur cum gravi incommodo poenitentem admonere, sed tantum cum incommodo aliquali; sed ad restitutionem non tenetur. Si secundum, tenetur ad monitionem pro gravitate culpae. Sed cum sententia communissima dicimus Confessarium ad restitutionem pariter non teneri, sive sit Parochus, sive sit simplex Confessarius; quia Confessarius non tenetur, nisi curare bonum spirituale suorum poenitentium.

Nota. Si error Confessarii inducat poenitentem in periculum salutis, v. g. si non absolvisset, etiam non petita licentia, posset ex abrupto errorem suum aperire, dicendo se non absolvisse. Neque hoc modo frangitur sigillum. Gury.

CAPUT VII.

De absolutione concedenda, neganda, et differenda.

Q. Quibusnam Confessarius teneatur concedere absolutionem?

R. Tenetur concedere iis, quos prudenter, et cum certitudine morali, judicat esse vere contritos, et rite dispositos; nam per confessionem acquisierunt jus ad absolutionem.

Q. Nunquam potest differre absolutionem dispositis?

R. Certum, et commune est quod Confessarius differre possit absolutionem etiam disposito, si prudenter judicet dilationem futuram utilem ejus emendationi.

Q. An saepe expediat differre absolutionem poenitenti sufficienter disposito remedii, aut experimenti causa?

R. Attendendum praecipue est ad majus poenitentis bonum. Sed dilatio ad breve tempus tantum fieri debet.

Q. Quaenam certitudo de dispositione poenitentis requiritur ad absolutionem impertiendam?

R. Requiritur et sufficit judicium prudens, seu certitudo moralis lata, quae, ut ait S. Alphonsus, prudenti probabilitati aequivalet.

Q. Quaenam sint signa ordinaria sufficientis dispositionis?

R. Praecipua sunt sequentia: 1° Si poenitens candide et humiliter confiteatur. 2° Si asserat cordate se dolere de peccatis, et firmum habere propositum non peccandi de caetero. 3° Si omnia peccata, etiam majora et turpia sincere declaret. 4° Si ex aliquo pio motivo ad confessionem libere accesserit. 5° Si ex desiderio conversionis jam a peccato cessaverit. Gury, Scavini etc.

Q. An Confessarius teneatur excitare dolorem in poenitente?

R. Affirmative, si poenitens non videatur sufficienter dispositus. Nam si dimittat, quia non satis dispositus, remanet in statu peccati mortalis et in periculo non amplius redeundi.

Q. Quibus absolutio deneganda est?

R. Indispositis; secus Confessarius committit grave peccatum contra Deum indigne violando Sacramentum; et contra poenitentem, quem exponit periculo damnationis aeternae.

Q. Quinam sunt indispositi?

R. 1° Qui nulla dant signa doloris, vel nolunt uti remediis necessariis ad emendationem. 2° Qui rem alienam, vel honorem, aut famam laesam, quum valeant, restituere recusant. 3° Qui odia et inimicitias deponere, et inimicis reconciliari nolunt. 4° Qui occasionem proximam peccandi deserere recusant. 5° Qui publicum dantes scandalum, illud tollere non curant. Item ab usura, vel artibus illicitis nolunt abstinere. 6° Qui ignorantia voluntaria mysteriorum fidei laborant, nec curant addiscere.

Q. An possit denegari absolutio poenitenti, qui suam vult sequi sententiam, cum tamen opposita Confessario videatur probabilior, imo solum probabilis?

R. Distinguendum: vel agitur de opinione, quae directe versatur circa poenitentis dispositiones; vel agitur de aliis opinionibus, quae directe versantur circa ea, quae a poenitente aliunde agenda, vel vitanda sunt. Si primum, Confessarius poenitentem non debet absolvere. — Si secundum, communis et sequenda sententia docet Confessarium non solum posse, sed etiam teneri sub gravi talem poenitentem absolvere; quia Confessarius non est judex opinionum. Excipe, si opinio poenitentis sit temeraria, vel aperte falsa.

Q. Quibusnam absolutio differenda est?

R. Iis, quorum dispositio est dubia, vel quibus dilatio censetur profutura. Quare differenda est:

1° Iis, qui negligunt discere necessaria etiam necessitate praecepti.

2° Qui solent parum curare conditiones ad confessiones requisitas.

3° Occasionariis et recidivis.

4° Aliena retinentibus donec restituant si possint, praesertim si jam admoniti omiserint.

Nota. Hoc intelligendum extra periculum mortis; quia, juxta omnes, in tali casu licitum est uti materia dubia. Hinc etiamsi dubia sit moribundi contritio, non debet ei differri absolutio.

ARTICULUS I.

DE OCCASIONARIIS.

Q. Quid est occasio peccati?

R. Est *id, quod ad peccatum pertrahere potest.*

Q. Quotuplex est occasio?

R. Multiplex est occasio, scilicet remota, vel proxima; voluntaria, vel necessaria; absoluta seu per se, vel per accidens seu relativa; praesens, seu in esse, vel absens, seu non in esse.

Occasio *remota* est ea, quae aliquando, sed raro ad peccatum inducit.

Proxima est ea, quae ordinarie ad peccatum impellit.

Voluntaria est ea, quae pendet a voluntate, et facile dimitti potest.

Necessaria est ea, quae deseri non potest vel physice, ut si quis in carcere cum foemina sit inclusus; vel moraliter, ut militia respectu militis.

Absoluta seu *per se* est ea, quae ex natura sua et sine alio respectu inducit ad peccatum.

Relativa seu *per accidens* est ea, quae licet bona in se, aut in-

differens, tamen considerata poenitentis dispositione, inducit ad peccatum; et ideo dicitur etiam *personalis.*

Praesens et *in esse*, quae dicitur etiam continuata, est ea, quae est apud peccatorem, quin eam actu quaerat, v. g. cum quis concubinam domi retineat.

Absens seu *non in esse*, vel interrupta est ea, quae non est apud peccatorem, sed illam quaerere debet; v. g. frequentatio puellae, cauponis, etc.

Q. Quid est periculum peccati?

R. Est *aliquid inclinans, seu disponens ad peccatum.* — Quare periculum et occasio differunt inter se: occasio est causa, periculum effectus.

Q. Quotuplex est periculum?

R. Duplex, nempe proximum, et remotum.

Proximum est *illud, quod habet frequentem conjunctionem cum peccato.*

Remotum, *quod non habet frequentem conjunctionem cum peccato.*

Periculum proximum subdividitur: 1° In formale et materiale. 2° In periculum certum, vel probabile, vel leve.

Periculum *proximum formale* est illud, quod hic et nunc, consideratis intrinsecis et extrinsecis circumstantiis praeter occasionem externam, est proxime conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus, formaliter consentit et peccat.

Periculum *materiale* est illud, quod *de se*, spectatis circumstantiis et occasionibus externis, solet esse cum peccato conjunctum, sed in casu non conjungitur ratione necessitatis, vel mediorum, quibus utitur homo ad vitandum peccatum.

Periculum *certum*, quando quis firmiter existimat in tali occasione se peccaturum, et illud est omnino vitandum.

Probabile, quando ob prudens motivum valde timet ne peccet in illa occasione multum alliciente.

Leve, quando aliqualis tantum est apprehensio de lapsu.

Q. An possit absolvi, qui versatur in occasione proxima voluntaria?

R. Certum est absolutionem esse denegandam ei, qui monitus non vult occasionem proximam voluntariam dimittere, sive sit *in esse*, sive *non in esse*, sive sit *absoluta*, sive *respectiva*. Pariter ita faciendum, etiamsi causa sit utilis aut honesta, aut directa ad bo-

num spirituale, vel temporale nostrum, vel proximi, ut jam definitum fuit per damnationem totidem propositionum hujusmodi.

Q. Qui nondum occasionem proximam voluntariam dimiserit, sed sincero animo eam dimittere promittit; poteritne prima, aut secunda vice absolvi?

R. Distinguendum cum S. Carolo Borromeo: vel agitur de occasione *absenti et non in esse;* vel de *praesenti et in esse.* — Si primum, utiquê potest absolvi antequam praebeat experimentum, sed non ultra bis, aut ter. — Si secundum, nisi prius occasionem reliquerit ne prima quidem vice est absolvendus; quiâ cum sit nimis arduum resistere, faciliter redibit ad vomitum.

Sêd hoc ordinarie loquendo, quia excipitur: 1° Si agatur de moribundo, cui non possit differri absolutio. 2° Si agatur de poenitente, qui instructionis defectu nunquam advertit ad occasionem periculosam, neque ad obligationem eam deserendi. 3° Quando poenitens affert signa extraordinaria doloris. 4° Quando poenitens non potest ad Confessarium redire, vel non nisi post longum tempus.

Q. Potestne absolvi, qui est in proxima occasione necessaria, sive physice, sive moraliter?

R. Speculative loquendo poterit absolvi poenitens, qui in ea versatur. Docent enim communissime et probabilissime cum D. Basilio, Sanchez, Layman, Lugo etc. eum minime teneri occasionem hanc relinquere, si grave passurus sit damnum, modo tamen paratus sit interim uti mediis ad peccatum vitandum. — Sed in praxi nos dicimus cum S. Alphonso, Scavini etc. Confessarium teneri ad differendam absolutionem, praesertim si occasio sit de materià turpi, quoties commode fieri potest. Secus poenitentes faciliter negligunt media praescripta, et sic cito relabuntur. — Si vero agatur de poenitente, qui in tali occasione proxima licet adhibuerit remedia opportuna semper eodem modo relapsus sit, tunc non potest absolvi, nisi occasionem deserat etiamsi occurrat ipsa quoque jactura vitae.

Q. Potestne denegari absolutio poenitenti, qui non vult dimittere occasionem remotam?

R. Negative. Quia ea non inducit proxime poenitentem ad peccatum.

Q. Possunt absolvi qui sunt in occasione peccati per accidens, quae est voluntaria?

R. Si tolli possit, et promittant tollere hanc occasionem, possunt absolvi pro prima, vel secunda vice. — Si vero tolli non

possit, differenda est absolutio donec poenitens reliquerit occasionem, v. g. officium, ad quod capacitatem necessariam non potest acquirere.

Q. Quid si proxima occasio peccati per accidens sit involuntaria et inevitabilis?

R. Differenda est absolutio donec videatur emendatio, v. gr. differri debet absolutio viro, cui uxor est occasio odii, juramenti, etc.

Q. An absolvi possit, qui se exponit probabili periculo peccandi?

R. Cum distinctione: vel nulla adest necessitas periculo se exponendi, vel adest. Si primum, non potest absolvi; nam formale peccandi periculum est omnino fugiendum. — Si secundum, potest absolvi, imo etsi se exponat periculo probabiliori, modo moraliter certus non sit de lapsu; quia periculum in hoc non est voluntarium, sed necessarium; et in his circumstantiis sperandum est majus auxilium Dei, et de proximo fit remotum.

Nota. In confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit poenitens, etsi de facto illud non admiserit; quia quodvis praeceptum, dum prohibet sui transgressionem, prohibet etiam obire periculum illud transgrediendi.

Q. Dandane est absolutio ei, qui est aliis occasio scandali et peccati?

R. Differenda est absolutio, donec illam prorsus abscindant; tales sunt mulieres immodesto ornatu; illi, qui foedas picturas conficiunt, etc.

Q. Dandane est absolutio iis, qui ad restitutionem sunt obligati?

R. Vel isti nunquam admoniti sunt a Confessario ad restitutionem; vel admoniti, et promiserunt restituere, et postea nihil fecerunt. Si primum, pro prima, vel ad summum secunda vice possunt absolvi, dummodo serio promittant. — Si secundum, differenda est absolutio donec restituerint.

Q. Quid dicendum de iis, qui grave scelus perpetrarunt?

R. Differenda est, saltem ad aliquod tempus, absolutio eis, qui grave scelus, v. g. homicidium perpetrarunt, donec orationibus et bonis operibus probaverint contritionem. Charmes.

—

ARTICULUS II.

DE CONSUETUDINARIIS, SEU HABITUATIS, ET RECIDIVIS.

Q. Quid est consuetudinarius, seu habituatus?

R. Est *ille, qui frequenter lapsus est in ejusdem generis peccata, de quibus nondum fuit confessus.*

Q. Quomodo potest cognosci, quod poenitens contraxerit hanc consuetudinem, seu habitum?

R. Regula determinari non potest; sed dicimus cum Scavini sufficere quinque lapsus in mense, si sermo sit de peccato externo, modo sit aliquod intervallum inter unum et alterum. Si vero sit de materia luxuriae sufficit, ut per annum peccet semel in mense, ut dici possit habituatus.

Q. Potestne absolvi consuetudinarius, seu habituatus?

R. Potest absolvi etiam prima vice, qua pravum habitum confitetur, etsi nulla emendatio praecesserit, modo hanc serio proponat et poenitentiae signa, quamvis ordinaria tantum ostendat. S. Ligorius et communiter.

Nota. Excipitur: 1° Si habitus sit valde radicatus, tunc potest saltem ad breve tempus absolutio differri. 2° Si habituatus in gravi peccato sit Clericus, qui suscipere debet Ordinationem.

Q. Potestne absolvi poenitens habituatus, si recuset media adhibere a Confessario proposita?

R. Negative; praesertim si haec media sint ad consuetudinem vincendam maxime opportuna, vel necessaria; quia iste non vult sincere corrigi, quamvis asserat se velle mutare vitam.

Q. An absolutio negari possit consuetudinario, qui recusat confiteri pluries in anno?

R. Negative per se, si aliunde videatur sufficienter dispositus; quia nullum est praeceptum pluries confitendi in anno.

Q. Quid agendum cum iis, qui confitentur immediate ante matrimonium contrahendum, et hucusque pravae consuetudini addicti fuere?

R. Si inter se peccare soliti fuerint, facilius absolvi possunt; occasio enim per matrimonium cessabit. — Si cum aliqua alia persona peccaverint, magis expedit tales absolvere, quam non absolutos dimittere, nisi de eorum indispositione certo constet.

Q. Quid est recidivus?

R. Est *ille, qui habitum alicujus peccati contraxit, et post confessionem in idem peccatum relabitur.*

Q. Potestne absolvi recidivus?

R. Est communis sententia, quod recidivus rediens cum iisdem peccatis, quae in aliis confessionibus deposuerat, nec potest, nec debet absolvi generatim loquendo, nisi simul afferat signa extraordinaria suae dispositionis, quae sint solida et fundata.

Q. Potestne absolvi recidivus praebens tantum signa ordinaria contritionis?

R. Potest absolvi, et generatim debet, quoties absolutio non potest fäcile differri; quia est gravis ratio eum absolvendi, ne diu permaneat in statu peccati mortalis. Tunc curet Confessarius, ut meliori modo eum disponat.

Q. Quid dicendum de recidivo dubie disposito?

R. Differenda est per aliquod tempus, usquedum prudens dispositionis signum appareat. S. Ligorius.

Q. Quot, et quaenam sunt signa extraordinaria?

R. Sunt : 1° Major dolor patefactus per lacrymas insolitas, per suspiria, aut per alia verba, vel signa.

2° Minor numerus peccatorum, cum poenitens fuerit in iisdem occasionibus; vel si perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta 20 dies etc.; vel non nisi post magnum conflictum relapsus sit.

3° Studium adhibitum ad emendationem et implementum mediorum, quae praescripta sunt.

4° Confessio spontanea, quae neque oriatur ex obligatione praecepti paschalis, neque ex impulso Superiorum, vel ex usu.

5° Si accedat ad confessionem ductus motivo extraordinario, v. g. mortis amici, vel timore infortunii, vel ex audita concione.

6° Si prius confiteatur peccata culpabiliter omissa; vel restituat ablatum; vel reparet famam proximi laesam, etc.

Nota 1ª. Commune est apud Doctores nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura, quam profutura esse debet poenitenti.

Nota 2ª. Probe distinguendum est inter recidivum ex infirmitate interna, et ex causa externa. Si relapsus sit ob infirmitatem internam, ut accidit in pollutionibus etc., raro expedit, ait S. Alphonus, absolutionem differre poenitenti recidivo sufficienter disposito; quia gratia Sacramenti est robur ad non relabendum. — Si relapsus sit ex causa extrinseca, agendum ut dictum est.

Q. An peccator, qui ex consuetudine semel in hebdomada peccabat mortaliter, ad absolutionem sufficienter dispositus censeri debeat, si semel tantum in mense in idem peccatum labatur?

R. Affirmative. Quia vera conversio non excludit quodlibet peccatum futurum.

Notandum. Haec est doctrina, quae quoad recidivos traditur a Scavini, Gury, et aliis cum D. Alphonso; sed in praxi saepe accidit, quod alii Confessarii nunquam credant invenire signum extraordinarium in poenitente recidivo; alii facillime, imo semper haec signa extraordinaria inveniant. Insuper dicti Theologi evitandi causa scopulos, in quos saepissime incidunt, recurrunt ad nonnullas exceptiones, et saepe saepius absolutionem, vel ejus negationem remittunt prudentiae Confessarii: nonnulli ex Confessariis sunt rigidiores; nonnulli alii plus aequo laxi. Ex hoc provenit id, quod fere quotidie deploramus, nempe quod Titius Confessarius inabsolutum dimittat poenitentem recidivum; Cajus eundem poenitentem cum iisdem dispositionibus absolvit. Quare melius videtur pro praxi edoceri, quod consuetudinarius, et recidivus (excipe illum, qui est recidivus propter occasionem proximam, et voluntariam, et non vult eam relinquere) rediens cum eodem pravo habitu, nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio ex iis, quae a Confessario praescripta sunt, possit absolvi modo signa ordinaria doloris ostendat, idest modo sit dispositus.

Revera dicti Theologi exigunt in recidivo signa extraordinaria: 1° Quia adest praesumptio quod hujusmodi recidivus rite dispositus non sit, cum relapsus possit esse argumentum continuatae malae voluntatis. 2° Quia per temporis probationem potest haberi argumentum mutatae voluntatis, et sic meliori modo possumus consulere bono poenitentis. 3° Quia adest propositio damnata ab Innocentio XI sub n. 60, quae ita se habet: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponat emendationem.* Atqui 1° Non valet prima ratio; quia neque praecedentes relapsus, neque sequentes logicam connexionem habent cum actuali dolore, et proposito poenitentis; cum enim humana voluntas mutationi subjaceat, relapsus non defectui propositi sincerissimi, sed saepissime fragilitati, et inconstantiae adscribi debent, dicente S. Thoma (3 p., q. 84, a. 10 ad 4): *Nunquam veritas prioris actus excluditur per actum con-*

trarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat; et S. Joan. Chrysost. (Adhort. ad Theod. laps. lib. 2, n. 2) ait: *Lubrica est natura humana; cito decipitur, sed cito a fraude se expedit; et sicut confestim cadit, ita confestim erigitur.* Ergo nullum fundamentum habet dicta praesumptio, quod recidivus dispositus non sit. Praeterea Confessarius non debet tam attendere ad praeterita commissa peccata, neque ad futura, quam ad actualem dispositionem, idest an sit actualis dispositio, seu dolor ac propositum in recidivo, dicente De Lugo: *In quo puncto doctrina communis, et vera est, si sacerdos hic, et nunc, non obstante consuetudine praeterita, judicet poenitentem habere verum dolorem, et propositum non peccandi, posse eum absolvere, quia dispositio sufficiens est dolor, et propositum praesens, non emendatio futura; atque ita poterit absolvi, licet judicetur relapsurus* (Disp. 14, sect. 10, n. 166); et Suarez ait: *Non oportet ut Confessarius judicet illum* (poenitentem) *non amplius pejeraturum; sed satis est ut judicet illum in praesenti habere tale propositum* (Tom. 2 *de Rel.*, lib. 3, cap. 8); ita pariter confirmat in disp. 32, *de Sacr. Poenit.*, sect. 1).

Sed nemo rationabiliter affirmare potest, quod hujusmodi recidivus non possit habere, vel non habeat tale propositum etiamsi non manifestet signa extraordinaria doloris; secus enim neque posset absolvi recidivus *quoties* (ut Scavini, Gury, et alii dicunt) *absolutio non potest facile differri*, quia sine dispositione nequit impertiri absolutio. Ergo sufficit haec dispositio manifestata per sola doloris signa ordinaria: ac proinde nulla est praedicta prima ratio fundata in praesumptione quod recidivus non sit rite dispositus.

2° Nulla est praedicta secunda ratio adversariorum; quia temporis probatio non est verum signum mutatae voluntatis; ait enim Chrysostomus, *temporis moram non quaere, sed animae correctionem: hoc itaque fac, ut demonstrent sintne compuncti* (Hom. 14 in 2 ad Cor.)

3° Tandem ad rem non facit indicata propositio ab Innocentio XI damnata; quia dicta propositio ita enunciatur: *Etsi emendationis spes nulla appareat.* Atqui cum in recidivo adsint sola ordinaria contritionis signa, apparet profecto spes emendationis. Nam per signa ordinaria doloris credimus poenitentem probabiliter esse rite dispositum: est autem impossibile quod eodem tempore in poenitente disposito non appareat ulla spes suae emendationis, ut patet.

Caeterum haec est doctrina Patrum Ecclesiae; inter quos S. Au-

gustinus exponens Christi verba: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, ait (Serm. 15 in Matth.): *Audeo dicere, etsi septuagies octies peccaverit, ignoscas: et si centies et omnino quoties peccaverit, ignosce. Si enim Christus millia peccatorum invenit, et tamen omnia donavit, noli subducere misericordiam.* Ast nulla distinctio in hoc fit de recidivis in eadem peccata jam confessa: quare igitur debet Confessarius pro istis subducere misericordiam? Et Cornelius a Lapide dicit: « Si enim nos homulos tantae vult esse charitatis, et liberalitatis, quantam ejusdem in ipso abyssum contineri existimabimus? » Atqui in nobis Christus non fecit restrictionem et distinctionem de recidivis in eadem peccata: et cur Confessarius debet eam facere in misericordia divina quoad recidivos? Insuper D. Chrysostomus (*Vita scritta dai Maurini*) dicere solebat: *Si iterum peccasti, iterum poenitentiam age: et quoties peccaveris, veni ad me, et ego te sanabo.* Quare probat Favre e Societate Jesu (*Dubitationes Theologicae de judicio practico* etc. Lucani 1840) quod Patres, ac Doctores hujusmodi recidivis, et consuetudinariis nunquam negaverint, vel distulerint absolutionem ante tempus Jansenistarum.

Praeterea impertiri absolutionem recidivis, et consuetudinariis est bonum ex parte Sacramenti; cum enim sit institutum ad beneficium peccatoris, si iste sit dispositus debet ei impertiri, ne illi pro quo est institutum reddatur inutile: ex parte poenitentis recidivi, ne ipse relinquatur per aliquod tempus in peccato, sed roboretur auxilio divinae gratiae, ut magis magisque possit se abstinere a relapsu: ex parte Confessarii, quia est officium ipsius absolvere poenitentem dispositum, et sic meliori modo charitatem Dei imitatur. Ergo concludimus, quod recidivus rediens cum iisdem peccatis nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio ex iis, quae a Confessario praescripta sunt, possit absolvi; modo Confessarius probabiliter possit judicare per signa contritionis ordinaria, quod ipse hic et nunc sit rite dispositus ad recipiendam peccatorum absolutionem.

Nota. Ex hac doctrina non aufertur facultas, quam habet Confessarius, differendi absolutionem, quando ejus prudentia requirit, et quando cognoscit, quod dilatio sit magis proficua poenitenti recidivo.

CAPUT VIII.

De effectibus Poenitentiae.

Q. Quinam, et quot sunt effectus Sacramenti Poenitentiae?

R. Tres : 1° Gratiae habitualis et sacramentalis infusio. 2° Omnis culpae remissio. 3° Condonatio poenae aeternae pro peccatis debitae, et non semper totius poenae temporalis.

Q. Quotuplex est genus operum, quae a Theologis indicantur?

R. Quintuplex communiter a Theologis distinguitur operum genus, nempe vivificantia, viva, mortifera, mortua, et mortificata.

Opera *vivificantia* sunt ea, quae vitam animae afferunt ; talis est contritio. — Opera *viva* sunt ea, quae facta sunt ex charitate, et quae vitam aeternam merentur. — Opera *mortifera* sunt ea, quae mortem animae spiritualem inferunt, ut peccata mortalia. — Opera *mortua* sunt opera ex se bona, facta ab homine existente in statu peccati mortalis. — Opera *mortificata* sunt opera viva, quae, superveniente peccato mortali, impediuntur a consecutione praemii ipsis alias debiti.

Q. Opera mortua nullum bonum effectum afferunt?

R. Afferunt bona sequentia : 1° *Dant bona terrae.* 2° *Cor faciunt humile.* 3° *Minuunt tormenta gehennae.*

Conclusio. Viva justorum opera per peccatum mortificata, per poenitentiam subsequentem reparantur ac reviviscunt.

Prob. Joel cap. 2. Deus ad poenitentiam peccatores invitans promittit se ipsis redditurum *annos*, *quos comedit locusta*, *bruchus*, *et rubigo*, *et eruca*. Ergo etc.

Q. Quomodo bona opera mortificata reviviscant per poenitentiam?

R. Reviviscunt juxta omnem gratiae gradum, quem ante peccatum habebant, et juxta totum jus ad gloriam, quod merebantur, juxta illud Ezech. c. 33 : *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.*

Conclusio. Peccata per poenitentiam dimissa non redeunt *simpliciter* per peccatum subsequens, sed tantum *secundum quid*, et *virtualiter.*

Nota. Peccatum redire secundum quid, est peccatum sequens, quod ratione ingratitudinis, fit gravius, quam alias fuisset.

Prob. 1ª pars conclusionis : *Lavabis me*, ait Psalmista ps. 50,

et super nivem dealbabor. Ergo deleto semel peccato, non redit per peccatum subsequens.

Prob. 2ª pars conclus. D. Thomas (3 p., q. 88, a. 2 ad 4) ait: *Dicendum, quod peccata dimissa per poenitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato sequenti.* Ergo ratione ingratitudinis fit gravius, quam alias fuisset; ac proinde redit secundum quid.

APPENDIX

De Solicitatione.

Q. Quid intelligitur nomine solicitationis?

R. Intelligitur *incitatio, invitatio, provocatio ad res venereas facta a Confessario sub datis clausulis.* Unde Confessarii solicitantes in confessione poenitentes ad alia crimina, puta furti, homicidii etc., non sunt denuntiandi. Ita Diana, Felix Potestas, et omnes alii.

Ad inhonesta tentare dicitur provocando, invitando aut alliciendo verbis, aut signis de se ordinatis ad actus venereos. Signa sunt oscula, tactus impudici etiam sui ipsius Confessarii, tactus manuum poenitentis sine causa, missio osculi manibus, studiosa compressio pedis, aut oculi, et similia signa amatoria, quibus amantes uti solent ad invitandum, aut alliciendum aliquam personam ad sui amorem. — Verba sunt sequentia, v. gr. si Confessarius diceret: *Tecum matrimonium contrahere vellem, si essem saecularis. Haec tua peccata me inducunt in pollutionem. Si quis tibi daret pecuniam, peccares ne?* et postea pecuniam reapse praeberet. *Experiris ne erga me tentationes, quas ego sentio erga te? Dic mihi quantum me diligas. Vellem te semper videre. Ingrata erga me es tu, quia me non amas.* Si cum confiteretur turpia cum aliis patrata, diceret: *Cur etiam mecum non es humana?* Si poenitenti, quae confiteretur turpe desiderium erga Confessarium, ipse diceret: *De hoc loquemur post confessionem;* vel diceret: *Tua causa somnum pravum passus sum.*— Item si Confessarius dicat mulieri e confessionali et occasione confessionis: *Vade ad confitendum alteri, cum enim tua pulchritudine captus sim, timeo ob infirmitatem meam aliquem lapsum;* ostendit enim turpem suum amorem nimium allicientem. Ita S. Lig., Hom. Ap. tract. 16, n. 180. — Item videtur dicendum, si Confessarius exhibeat, et aperiat poenitenti suum magnum amorem, ex gendo

amoris (sensibilis) repromissionem, quia hujusmodi loquendi modi pro alliciendo ad amorem lascivum usurpantur. Ita Roncaglia, Scavini etc.

Ad onus denuntiandi non requiritur, quod sequatur principalis effectus per solicitationem intentus, aut quod persona solicitata consentiat; sed sufficit, quod sit attentatus, ut constat ex verbis sequentibus Bullae: *Solicitare, vel provocare tentaverint.*

Solicitatio est gravissimum peccatum; quia Confessarius et gravem Sacramento injuriam irrogat eo abutens ad rem ita turpem, et lethale damnum infert poenitenti, ei pro medicina venenum porrigens. — Si Parochus in hoc delinquat peccat etiam contra justitiam; cum ex justitia vi officii sui graviter teneatur oves suas et verbo, et exemplo pascere. Ita Elbel, Scavini etc., quibus subscribimus.

Q. Confessarius in confessione mulierem, quae de tepido mariti amore querebatur, docuit artificia, pluresque modos inhonestos allectivos, et remedia quaedam applicanda vasi, pariter ad alliciendum maritum: an sit reus solicitationis, et denuntiandus?

R. Affirmative; quia docuit meretricia cum alio perpetranda, vel turpia cum se ipsa exercenda. Ita Felix Potestas.

Q. A quo fuit prohibita haec solicitatio?

R. A quatuor Constitutionibus Summorum Pontificum, nempe 1ª Pauli IV. 2ª Pii IV. 3ª Gregorii XV. 4ª Benedicti XIV.

Q. Requiriturne quod persona solicitata sit foemina?

R. Nihil refert solicitatus foemina sit an vir. Nam lex non distinguit: et etiam masculi allici possunt ad inhonesta. Ita omnes.

Q. Quot et quaenam sunt datae clausulae?

R. Sunt quatuor, nempe: 1° *In actu sacramentalis confessionis.* 2° *Immediate ante, vel immediate post.* 3° *Occasione vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta.* 4° *Extra confessionis occasionem in confessionario, vel in loco quocumque ad confessionem audiendam electo.*

Notandum I. Quoad clausulam *in actu sacramentalis confessionis.*

Per hoc intelligitur sive confessio sit perfecta, sive inchoata tantum; item intelligitur si in actu confessionis dicatur, vel ponatur quaecumque res, quae licet in illo instanti appareat indifferens; postea vero cognoscitur apposita ad solicitandum, uti, v. gr., si imponat mulieri, ut eum domi exspectet; vel eam interroget ubi habitet, an sola moretur, et postea Confessarius illuc se conferat et illam solicitet.

Item denuntiandus est Confessarius, si in confessione suadeat mulieri, ut sibi domi verenda ostendat, quae infecta morbo dixit; hujusmodi enim sunt actiones inhonestae, a confessione per actum externum dependentes. — Item denuntiandus, si Confessarius poenitenti poenitentiam imposuit, ut ab ipso Confessario nude afficeretur domi disciplinae flagellis, et id accidit; nam hoc est maxime honestati repugnans, et poenitentia est per se annexa actui confessionis.

Notandum II. Quoad clausulam *immediate ante, vel immediate post.* Haec verba stricte intelligenda sunt ut communius docent, ita ut nullum intervallum intercedat inter sollicitationem et confessionem. Quare *immediate ante* intelligitur quando poenitens ad Confessarium jam expositum in confessionali accedit, et hic eum ante se constitutum, et genuflexum solicitat: et hoc tempus desinit quando poenitens narrare peccata incipit. Unde intra hoc spatium solicitans, dicitur solicitare *immediate ante* confessionem. — Quamobrem si ante solicitet, licet petierit confessionem, non dicitur *immediate ante:* item non dicitur *immediate ante* si Confessarius videns mulierem in stallo genuflexam, solicitet, quia non solicitat intra illud dictum spatium. Ita Bordonius *in Trib. fidei* cap. 23, n. 35, Carena, Felix Potestas, et alii, quibus nos subscribimus.

Immediate post incipit a data absolutione, et desinit postquam poenitens recessit e conspectu Confessarii, genuflectendo extra locum confessionis in alio loco ut solet. Igitur data absolutione, nec Confessarius, nec poenitens debet ad alia divertere, si solicitet intra hoc spatium verificatur *immediate post.* — Quamobrem non potest dici solicitare *immediate post* si postquam poenitens immediate recessit a Confessarii pedibus, et est in alio ipsius ecclesiae loco, Confessarius illuc accedit, et eam solicitat. Ita Bord., Carena, Felix Potestas, et alii communiter.

Verum si statim post confessionem (nullo alio interposito negotio) Confessarius ducat poenitentem in cubiculum, et eum solicitat, dicitur solicitare *immediate post;* quia nihil mediat inter ipsam et confessionem, nisi ipsa conductio ad effectum solicitationis. Ita Scavini et omnes alii.

Item denuntiandus Confessarius, qui dat mulieri immediate post confessionem schedulam solicitationis domi legendam. Ita Leander, Felix Potestas, et alii.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui post auditam confes-

sionem mulieris accedit ad ejus domum, ibique, aut in itinere illam solicitat?

R. Quamvis Leander, Diana, Castrop., et alii negent; quia in illa solicitatione nulla est clausula per quam debet denuntiari; attamen nos cum Lezana (in Summa q. qu. regul. cap. 19, n. 34), Peyr., Hurtado, Felice Potestate, et aliis affirmamus si solicitatio contingat eodem die, et ex peccato carnis in confessione audito, quia videtur facta occasione confessionis, qua cognovit poenitentem proclivem ad venerem. Et cum sit facta eodem die dicitur facta in continenti, unde licet non sit immediata, est proxima confessioni facta occasione confessionis. Ita Bord., Felix Potestas, et alii.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui immediate post confessionem dixit mulieri: *Exspecta me paulisper in ecclesia;* ipse autem a loco confessionis secedens ad aliud opus se divertit, tandem rediit, et eam inveniens solicitavit?

R. Distinguendum: vel quando ad mulierem rediit, nullo habito negotio, et tractatu cum illa antecedenti honesto, eam solicitavit; vel habuit tractatum de aliquo serio et reali negotio. Si primum, est denuntiandus, quia haec solicitatio habet initium e confessione *immediate post.* — Si secundum, pariter distinguendum; vel solicitatio incoepit a muliere, quatenus haec primo sacerdotem provocavit ad inhonesta, vel incoepit ab ipso Confessario. Si incoepit a muliere, et Confessarius consensit, non est denuntiandus; quia ex hoc cognoscitur quod verba illa *exspecta paulisper* non fuerint ordinata ad solicitationem, sed haec per accidens, et independenter ab illis contigerit.— Si vero incoepit a Confessario, denuntiandus; quia dignoscitur, quod fuerint ordinata ad inhonesta, et quod tractatus antecedens fuerit artificiose factus a Confessario ad palliandam solicitationem; quoniam exitus acta probat.

Q. An denuntiandus Confessarius qui audita confessione nihil dixit poenitenti (v. gr. mulieri, puero etc.); sed ipsemet postea tulit in ejus domum chirographum confessionis, et de inhonestis egit?

R. Negative si in peracta confessione non fuerit accusatum peccatum carnis, ex quo Confessarius poterat aperte cognoscere poenitentem proclivem ad venerem, neque accedat ad poenitentem eadem die; quia tunc solicitatio non est proxime pendens a confessione.— Esset autem denuntiandus, si proxime ad confessionem dixisset poenitenti: *Ego ducam in tui domum chirographum confessionis,*

etiamsi suam mentem inhonestam non expressisset; modo accessisset, ut diximus, eadem die. Ita Bord. n. 57, et alii.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui statim post confessionem dixit poenitenti: *Veni hodie meam domum, et tradam tibi chirographum tuae confessionis*, accessit poenitens, et Confessarius eam solicitavit?

R. Affirmative: quia haec solicitatio data fuit *immediate post* confessionem, cum aperte cognoscatur quod illud medium *veni hodie* etc. erat ordinatum ad inhonesta. Ita Diana, Leander, Felix Potestas, et alii.

NOTANDUM III. Quoad clausulam *occasione, vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta.*

Per to *occasione confessionis* intelligitur quando poenitens rogat Confessarium ad ejus confessionem audiendam, et ipse Confessarius ad alia divertit, et differendo ad aliud tempus confessionem, interim eum solicitat, licet nondum sederit in confessionali, nec poenitens fuerit genuflexus: item probabilius si ob fragilitatem in confessione auditam mulierem ipsam in via solicitet; vel accedat domum ejus ad illam solicitandam; vel literis ipsam solicitet; impulsus enim provenit ab ipsa confessione.

Praetextu confessionis intelligitur quando Confessarius ficte invitat poenitentem ad confessionem faciendam, et deinde illam solicitat; ideo sub velamine, vel colore confessionis, quae non est, aut falsa est, solicitat.

Nota. Si nulla facta petitione confessionis Confessarius solicitet mulierem in ecclesia existentem, non est denuntiandus, etiamsi statim post solicitationem mulier confessionem petat ab eodem, si ille post petitionem non solicitet; quia occasio et praetextus, uti causae, debent praecedere effectum solicitationis. Ita Bord. *in man. consult.* sect. 25, n. 32, Felix Potestas, et alii, quibus subscribimus.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui vocatus hodie a poenitente ad audiendam ejus confessionem domi sequenti die, accessit sequenti die ad ejus domum, et eam confessione postposita solicitavit?

R. Affirmative: quia verificatur *occasione confessionis;* quoniam occasionem solicitandi accepit a confessione petita a persona vere confiteri volente, data illius tempore opportunitate. Ita Bord., Felix Potestas, Scavini, et alii.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui post auditam mulieris

confessionem, et ibi ejus adulterium, accedit ad ejus domum, et illam solicitavit, et mulier renuisset, Confessarius subjunxit: *Cum aliis es adulterata, bene potes mecum?*

R. Est denuntiandus primo ut fractor sigilli, ut patet; secundo, quia solicitavit *occasione confessionis*, ut ipsemet exprimit per allata verba subjuncta mulieri.

Q. Confessarius amore captus cujusdam mulieris, non exspectat ut invitetur, sed ipse eam prosequenti die ad confessionem invitat: accedit ad ecclesiam mulier, et Confessarius nil de confessione curans, imo ne det locum mulieri, ut verbum ullum de confessione loquatur, illam ante januam ecclesiae exspectat, et ibi solicitat: an sit denuntiandus?

R. Affirmative; quia verificatur *praetextu confessionis;* solicitat enim ex colore confessionis. Ita Bord., Felix Potestas et alii.

Q. Estne denuntiandus Confessarius, qui absque ulla solicitatione, sed communi consensu convenit cum poenitente, ut se simulet infirmam, et praetextu confessionis ad se eum advocet; et ita rem habuerunt?

R. Negative: quia in hoc casu praetextus non inservit ad solicitandum, sed ad domesticis illudendum, ne de malo suspicentur.— Item dicendum si mulier vocet in sui domum Confessarium ex compacto fingens velle confiteri, ut sic decipiat Superiorem ad dandam licentiam exeundi, et tunc rem habeat. Ita Diana, Salmant., Roncaglia, Bordonius, Tancredus, Scavini, et alii, quibus adhaeremus.

Q. Mulier non ex compacto, sed vere colore confessionis vocavit in sui domum Confessarium, qui cum accessisset, a muliere provocatus, habuit rem cum illa: an sit denuntiandus?

R. Affirmative: quia vere habuit inhonesta cum muliere *praetextu confessionis.* Ita Tancredus q. 19, et alii.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui mulierem solicitat extra confessionem, et quia illa recusat metu ne detegatur, ipse ei insinuat, ut se simulet aegrotam, et tali praetextu illum ad se advocet?

R. Affirmative, quia verificatur *praetextu confessionis.*

Q. Mulier vocavit in sui domum Confessarium non confessionis, sed solum consilii causa; quo dato, Confessarius ab ea inhonesta quaesivit; at quia illa respondet, se nolle assentiri ob verecundiam, quam habet in confitendo peccata carnis, Confessarius subjunxit,

se ejus confessionem excepturum quando ei placuerit; an denuntiandus sit?

R. Negative: quia in hoc casu nulla adest conditio ad onus denuntiationis a Pontificibus requisita. — Nec obstat, quod consensus mulieris dependet postea a confessione, qua non praemissa, cum Confessarius non obtineret; quia licet consensus mulieris a confessione pendeat, non sic solicitatio. Bulla vero solum loquitur et disponit de solicitatione Confessarii, minime de consensu mulieris solicitatae. Ita Lupus, *de Inquis.*, p. 1, lib. 5, diff. 7, Bordonius, Felix Potestas, etc.

Q. Mulier accessit ad Confessarium, ut statim confiteretur; Confessarius autem eam dissuasit ex mala intentione, ut postea illam provocaret ad inhonesta, at tunc nihil dixit, nec per aliquod signum pravam intentionem ostendit; sed recedente muliere accessit ad ejus domum, et ibi, aut in itinere solicitavit: an sit denuntiandus?

R. Negative; quia ex una parte Confessarius minus malum fecit dissuadendo mulieri confessionem, et ab ea se eximendo, quam eam excipiendo; nam sic liberatur a sacrilegio, quod incurreret ministrando in peccato mortali, nempe cum illa prava intentione postea solicitandi; ex altera parte nulla in casu reperitur clausula, quae importat onus denuntiandi. Nam ad summum potest esse clausula *occasione confessionis.* Sed non est; quia Confessarius dissuasit a confessione, et talis dissuasio non habet pro suo fine provocationem ad inhonesta postea faciendam, nec est effectus, aut medium intentionis illius, sed solum concomitanter se habet, ac proinde non est casus denuntiationis. Ita Tancredus, tom. 4, tr. 1 *de Poenit.*, disp. 7, quaest. 16, pag. 126, ubi dicit hanc esse sententiam communem. Hanc sententiam nos amplectimur.

Verum si post petitionem factam Confessarius immediate subjungeret aliqua verba, aut signa cum futura provocatione connexa et ad illam ordinata, v. gr. diceret mulieri: *Non cures modo confessionem, quia prius habeo tecum loqui;* aut aliquod aliud signum adderet pravam intentionem indicans, tunc quidem esset casus denuntiationis, quia provocatio futura esset incoepta per illa verba, aut signa immediate post confessionis petitionem.

Item esset denuntiandus Confessarius quando accedit ad ipsum Confessarium ficte dicens se velle confiteri; ipse autem confessionem dissuadet, et statim tractat inhonesta; quia Confessarius ne-

sciens fictionem mulieris vere ex parte sui tractat inhonesta *occasione confessionis*. Ita Tancredus cit. q. 19, Felix Potestas etc.

NOTANDUM IV. Quoad clausulam *Extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione ibidem confessionem audiendi.*

Adest decretum posterius illo facto 11 feb. 1661 (ait Scavini) Supremae Universalis Inq., in quo declaratur, quod debeat denuntiari Confessarius ille, qui sine simulatione confessionis aut solicitat, aut tractat de turpibus in confessionali; in eo enim praecipitur denuntiatio omnium illorum, *qui abusi sunt Sacramento Poenitentiae, confessionem seu confessionarium adhibentes ad fines inhonestos.*

Per ly *aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur*, intelliguntur praesertim cellulae quaedam in primo claustro, aut in sacristia, quae sunt in domibus religiosis, et etiam intelliguntur genuflexoria in sacristiis pro preparatione sacerdotum ad Missam, et pro gratiarum actione destinari solita. — Per ly *electo*, intelligitur ille locus, quem Confessarius ex sui placito pro eo tempore, quo confessionem excipit, eligit. Hic potest esse in scamno ecclesiae, in foro, in domo, in agro, in monte et ubique. — In istis locis tam ad confessiones audiendas destinatis, tam electis, ut in solicitatione sit onus et casus denuntiationis, requiritur confessio, vel simulatio confessionis, idest Confessarius ita se gerere, seu talia efficere debet, ut merito credi possit ipsum actu audire confessionem.

Q. Mulier volebat quoddam suum familiare negotium Confessario extra confessionarium communicare, ille autem pravum habens animum, ut liberius ageret, eam duxit ad confessionarium, et ibi confessionem non simulans, eam solicitavit: an sit denuntiandus?

R. Affirmative, juxta decretum S. Inquisitionis.

Q. Confessarius dum audiebat confessionem unius mulieris, ea non advertente, fecit signa inhonesta alteri ante conspectum existenti: an sit denuntiandus?

R. Affirmative; quia habetur ut solicitator in confessionario.

Q. Confessarius in scamno (non in confessionario ordinario) sedens excipit nonnullas confessiones, immediate tamen accessit mulier, non ut confiteretur, sed ut loqueretur cum Confessario; genuflexa igitur est eum allocuta: Confessarius autem non simulans

ex parte sui confessionem audire, eam solicitavit: an sit denuntiandus?

R. Negative: quia non habetur *simulata confessio*, neque ex parte mulieris, quae non solum debuisset genuflectere, sed etiam facere signum crucis, percutere pectus, etc.; quae, cum nollet confiteri, profecto usa non fuit, et genuflexio sola habetur ut res indifferens: neque ex parte Confessarii, ut casus indicat. Imo dato, et non concesso, quod genuflexio mulieris fuerit *simulatio confessionis*, onus denuntiandi non se extendit ad plus, quam ad verba Bullae et legis, quae comprehendunt praesertim simulationem se tenentem ex parte Confessarii per illa verba: *Sacerdotes simulantes confessiones audire.* Ita Leander, tr. 5 *de Poenit.*, disp. 3, q. 31, et alii, quibus subscribimus.

Q. Confessarius dixit poenitenti verba quaedam provocativa ad inhonesta: poenitens autem, vel quia distracta et applicata ad peccatorum confessionem. vel quia surdastra, talia verba non audivit, aut non advertit; quod Confessarius dignoscens, ea verba non repetit, sed est prosecutus confessionem: totum vero factum intellexit et percepit una mulier, quae in proximo latere reperiebatur: an sit denuntiandus?

R. Affirmative; quatenus inhonestos sermones cum poenitente habuit. Tractatus enim et sermones inhonesti, ait Bordonius, dupliciter contingere possunt: 1° Sine provocatione. 2° Cum provocatione ad actum inhonestum sive inter se, sive cum aliis perpetrandum, et utroque modo est casus denuntiationis. Ita Felix Potestas, cui subscribimus.

Nota. Ex omnibus expositis videtur posse cum securitate dici: 1° Quando facta, vel verba habita a Confessario cum poenitente in *actu confessionis*, vel *immediate ante*, vel *immediate post*; vel *occasione*, vel *praetextu confessionis*, vel *in confessionario* etc., v. g. si diceret mulieri: *Exspecta me paulisper post confessionem*, vel eam interroget *an sit sola*, vel: *Ego ducam in tui domum chirographum confessionis*, vel alia verba, quae per se non sunt directa ad inhonesta, nec ex modo loquendi, neque ex alia circumstantia potest cognosci quod dicat cum prava intentione, tunc si Confessarius accedat ad poenitentem eodem die confessionis et eam solicitet, debet denuntiari; quia ex facto detegitur quod illa verba ad hoc erant directa. — Si vero non accedat eodem die, sed die sequenti, etiamsi mulier confessa fuisset peccata carnis, modo Confessarius

nihil dicat, quod referri possit ad factam confessionem, nec aliquo modo detegi potest quod solicitet *occasione* factae confessionis, tunc non est denuntiandus. Colligitur etiam ex praxi tribunalis S. Officii, qua, refert Giraldi (l. c., pag. 637), non censetur Confessarius solicitasse *immediate post* confessionem, si solicitatio post transactum integrum diem accedat, dummodo nullo modo pravum animum suum in confessione indicaverit. Colligitur insuper ex hoc, quia provocatio est a confessione remota, et prava illa intentio potuit contingere nocte immediata. Colligitur tandem ex regula: *In continenti facta non dicuntur, die interposita, leg. quod ait* 23 § *quod* ff. ad l., Ful. de adult., Bord. *in man. consult.*, sect. 25, n. 31.

2° Si magna cum probabilitate detegi potest, quod Confessarius solicitet ob proclivitatem mulieris ad venerem cognitam in praecedenti audita confessione, v. g. si diceret: *Scio, quod etiam tibi placent hi actus inhonesti*, vel alia similia, licet nihil dicat de praeterita confessione, est denuntiandus etiamsi plures transierint dies ab illa audita confessione. — Tunc vero non est denuntiandus quando distantia inter praemissam confessionem et hanc solicitationem esset tanta, v. g. triginta, vel quadraginta dies, ut prudenter illa solicitatio non censeretur moraliter cum confessione conjuncta. Vide Felicem Potest., tom. 2, part. 3 de Den. pro Confes. solic. cap. 6, q. 3, Bordonium etc.

3° Quando Confessarius refert aliquod peccatum in praecedenti confessione a poenitente auditum, ut facilius obtineat intentum solicitationis, v. g. si diceret: *Cum aliis es adulterata, bene potes mecum;* vel alia similia, semper etiamsi longum transierit tempus a facta confessione, debet denuntiari ut fractor sigilli et ut reus solicitationis.

Q. An Confessarius solicitans teneatur denuntiare seipsum?

R. Negative; quia nemo tenetur prodere seipsum. Ita omnes. Ideo neque poenitentem a seipso solicitatum de denuntiandi obligatione tenetur monere. — Si vero solicitator sponte compareat, gaudebit beneficio sponte comparentium, idest salutaribus tantum monitis ac poenitentiis punietur, nisi forte jam fuerit ab aliis denuntiatus; tunc poena solum imminueretur. Ita S. Congregatio, 24 novembr. 1624.

Q. An poenitens teneatur ad denuntiationem, si ipse consenserit in solicitationem?

R. Affirmative. Quia lex est generalis, et non videtur casum

hunc excipere. Sed non tenetur fateri se solicitationi consensum vedisse.

Q. An denuntiandus sit Confessarius, qui sit jam defunctus?

R. Probabilius negative. Excipe, si agatur de haeretico formali, qui ex legis praescripto esset denuntiandus etiam post mortem, ad reparandum damnum aliis forte irrogatum.

Q. An urgeat obligatio denuntiationis, si reus sit emendatus, vel si a multo tempore solicitatio contigerit?

R. Ad primum affirmative; quia Pontifex non intendit solam rei emendationem, sed etiam ejus punitionem. — Ad secundum pariter affirmative ob easdem rationes; et constat ex Const. *Sacramentum Poenitentiae* § 2, ubi definitur, Confessarium denuntiandum esse, *etiamsi longum tempus post ipsam solicitationem jam effluxerit*. S. Cong. Inquisitionis, die 11 maji 1707 (apud Giraldi, l. c., pag. 641) declaravit, *puellam solicitatam in simplicitate constitutam et absque notitia inhonestatis, teneri denuntiare Confessarium solicitantem, postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae solicitationis acquisiverit.*

Q. Si poenitens solicitat Confessarium, estne a Confessario denuntiandus?

R. Negative; leges enim poenales non sunt extendendae de casu in casum. Imo oriretur gravis suspicio revelationis sigilli.

Q. An excusetur poenitens a facienda denuntiatione, ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiandi?

R. Negative. Ratio est, quia molestia haec minimi facienda est in re tanti momenti et ad bonum commune spectante.

Q. An denuntiandus sit laicus vel Clericus, qui simulet se confessionem audire?

R. Affirmative ex decreto S. Inquisitionis, vide S. Alph., l. 6, n. 684. Requiritur autem, ut absolutionem etiam dederint; quia non censentur Sacramentum Poenitentiae administrasse, si absolutionem non dederint. Ita Castropalaus, tom. 1, tr. 4, disp. 9, punct. 9, n. 5.

DECLARATIONES, ET DECISIONES S. CONGREGATIONIS SUPREMAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS 11 FEBR. 1661.

1° An sit denuntiandus Confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem solicita-

bat? *Domini qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

Nota. Non esset vero denuntiandus si tantum tribueret libros romanienses mulieri ad amores in genere excitantes (nisi ex manifestis adjunctis ipsa solicitatio eruatur) ; haberetur enim nonnisi remota provocatio, ut dicunt.

2° An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? *Censuerunt incidere, et Confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

3° An Confessarius solicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus? *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et si daretur in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

Nota. Intellige si ex circumstantiis certe conjiciatur, Confessarium levi illo actu animum revera habere ulterius progrediendi. Nec talis actus fit gravis, quia contingit in *confessione* vel *occasione* confessionis ; secus quodlibet veniale in materia veracitatis, humilitatis, patientiae evaderet grave in Sacramento : quod falsum est. S. Lig. lib. 6, n. 683, Castrop., Tancr., et alii.

4° An Confessarius qui foeminam in confessionario dicentem se velle in crastinum confiteri, solicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus? *Si solicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem : secus si in confessionario, seu in loco confessionis.*

Nota. Illud probabile est in usu Theologiae, si cum alia opinione non fiat comparatio, idem est ac dicere, quod opinio illa valida ratione sustinetur, et tuto teneri potest. Ita intelligenda est haec vox *probabile* in istis decisionibus, nempe intelligenda ut doctrina tuta omnino, et ut notat Giraldi (Exp. Jur. Pontif. p. 1, lib. 5, tit. 7, pag. 637) : *Probabilitas hic intelligitur non utcumque, et levis, sed qua tuto in praxi quis se gerere possit ac debeat.*

Per ly *seu in loco confessionis* intelligitur locus jam destinatus ad audiendas confessiones, vide *IV Notandum ;* non vero locus a Confessario libere electus ad audiendam alicujus confessionem ; quia verba legis onerosae non debent plus extendi, quam significant.

5° An sacerdos carens jurisdictione, si solicitat in confessione poe-

nitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum*, *et opinionem negativam non esse probabilem.*

6° An interpres, si solicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

Nota. Etsi ex Bulla Gregorii, quam praesentes declarationes interpretantur, non sit denuntiandus sacerdos interpres; est tamen denuntiandus ex alio decreto Supremae Inquisitionis, in quo habetur denuntiandos esse omnes de haeresi suspectos, inter quos enumerantur illi, « *che abusano del Sacramento della Penitenza servendosi* « *della confessione o confessionale a fini disonesti.* » Vide S. Lig. Op. mor. lib. 6, n. 690. Ita Scavini etc.

7° An mandans Confessario, ut in confessione solicitet, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

Nota. Ex Bulla Benedictina certum est esse denuntiandum Confessarium ipsum, qui solicitaret poenitentem ad peccandum cum alio.

8° An quando Confessarius et poenitens invicem se solicitant, Confessarius sit denuntiandus? *Affirmative responderunt*, *et opinionem negativam non esse probabilem.*

9° An Confessarius solicitatus, si metu inductus solicitationi consentiat, sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum*, *et negativam opinionem non esse probabilem.*

Nota. Intellige si revera fieri possit quin periclitetur poenitentium fama, quod valde timendum est, si ipsi poenitentes tantum solicitaverint, nec mutua fuerit solicitatio. Ita Scavini.

10° An Confessarius incidat in poenas Constitutionis Apostolicae contra solicitantes, si solicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

11° An Confessarius, qui solicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

12° An Confessarius, si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam solicitare, et ideo sit denuntiandus? *Censuerunt*, *si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat*, *negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus*, *non esse probabilem.*

13° An sit denuntiandus Confessarius, qui propter solicitationem

alterius abjuravit? *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die 26 julii 1628.*

Idest qui ob aliam praecedentem solicitationem comparuit coram Inquisitore, et abjuravit, nempe haeresim detestavit, quia solicitator habebatur, et habetur tamquam haereticus, vel de haeresi suspectus, qui ideo abjurare debet saltem ad cautelam. Ita Diana, et alii.

Giraldi (l. c. pag. 641, n. 6) refert decretum S. Inquisitionis, *quo definitum fuit mulierem solicitatam teneri ad denuntiationem, etiamsi sciret, solicitantem sponte comparuisse.*

14° An quis teneatur denuntiare Confessarium solicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

Ex hoc palam subinfertur obligationem adesse, si a fide dignis, et gravibus personis id quispiam resciverit.

15° An denuntiandus Confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam solicitasse? *Idem responderunt quod ad duodecimum.*

Q. An facile fides sit adhibenda mulieribus sacerdotem de solicitatione accusantibus?

R. Negative. Sed sedulo, imo cum maxima diligentia, et prudentia res examinanda est.

Q. Quid sentiendum sit de dubiis solicitationibus?

R. In dubio an illa fuerit, vel non solicitatio, debet judicari non esse; quia verba in partem meliorem accipienda sunt.

Q. An deneganda sit absolutio poenitenti, quia sacerdotem solicitantem denuntiare recusat?

R. Si hoc faciat absque rationabili, et gravi causa deneganda est absolutio, secus enim lex inutilis, et irrita plerumque evaderet: et Bened. XIV in sua Const. § 2 ait: *Caveant insuper diligenter Confessarii, ne poenitentibus, quos noverint jam ab aliis solicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt delaturos spondeant, ac promittant.* — Si recuset denuntiare, quia rationabiliter ex denuntiatione grave sibi damnum in vita, fama, aut temporalibus bonis timeret, vel ob aliquam aliam circumstantiam grave incommodum perciperet, non est ei deneganda absolutio. Quippe ad haec damna prae-

cavenda adest cuique jus naturae, quod juri positivo praevalet. Insuper non solet Ecclesia ad suarum legum observantiam cum tam gravi incommodo impellere; ideo, ut Confessarius possit recte impertiri absolutionem tali poenitenti, sufficit ut promittat se denuntiaturum Confessarium solicitantem cum primum absque dicto gravi suo damno famae, vel vitae, vel bonorum etc. poterit. Excipe si solicitatio ortum duceret ex contempta Sacramenti religione, aut aperte cognoscitur ex repetitis factis quod animarum pernicies sequeretur, ratio boni communis, et religionis obsequium privato damno anteferri deberet. Ita Ballerini, etc.

Q. Quinam tenentur ad denuntiationem?

R. Tenentur omnes solicitati, et ii qui certa scientia factum resciverint, etiamsi id sciant sub secreto naturali, modo solicitatio non sit manifestata ad petendum consilium.

Q. In quamnam poenam incurrit si solicitatus recuset denuntiare?

R. Peccat graviter, et in excommunicationem non reservatam incurrit, juxta Const. Pii IX, in qua limitatae sunt censurae.

Q. Quando fieri debet denuntiatio?

R. Tenentur ad eam cito faciendam; idest intra mensem ex decreto S. Inquisitionis 18 martii 1677, et Constitutione Pii IX.

Q. Quaenam poenae decernuntur contra falsos denuntiantes?

R. Benedictus XIV falso denuntiantibus, et illis qui procurant, ut ab aliis id fiat (excepto mortis articulo) prohibet, ne absolvantur, quia absolutio est Pontifici reservata.

Q. Quaenam poenae decernuntur contra solicitantes?

R. Praeter unam ex Benedicto XIV, nempe perpetuam inhabilitatem ipso facto ad Sacrificii celebrationem; aliae poenae relinquuntur ad arbitrium Superioris, v. gr. Suspensio ab exercitio Ordinis, privatio Beneficiorum, dignitatum, et officiorum quorumcumque: et quoad Regulares privatio vocis activae et passivae. Sed tam prima poena, quam aliae debent esse declaratoriae, idest ferendae sententiae.

Q. Quomodo facienda sit denuntiatio?

R. 1° Fieri debet voce, quare mulier sistere se debet coram Ordinario, etc.

2° Facienda est Inquisitori, vel Ordinario loci, in quo est poenitens, etiamsi Confessarius ad aliam dioecesim pertineat.

3° Si fieri non possit voce, facienda est scripto nomine, et cognomine proprio subscripto, aut saltem per internuntium.

4° In omni casu denuntiatio facta per literas anonymas est omnino insufficiens, et prorsus invalida perinde ac si facta non fuisset.

5° Mulieres solicitatae ad denuntiationem non tenentur, si Inquisitores vel Episcopi, aut eorum Vicarii in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant. Verum cessante impedimento, v. gr. in Episcopi visitatione, obligatio denuntiationis urgenda est. Sic declaravit Sac. Congreg. Inquisit. 22 junii 1727.

Nota. Caveat Confessarius ne assumat in se onerosissimam obligationem denuntiandi vice poenitentis; quia sic non paucis detractionibus, et periculis exponeretur, ait S. Alphonsus.

TRACTATUS DECIMUS NONUS

DE EXTREMA UNCTIONE

CAPUT UNICUM

De natura, et institutione Extremae Unctionis.

Q. Quid sit Extrema Unctio?

R. Sacramentum a Christo institutum, quo infirmi de vita periclitantes, per unctionem olei, et orationem sacerdotis obtinent salutem animae, et sanationem membrorum, ubi saluti animae expedit.

Q. Utrum Extrema Unctio sit Sacramentum proprie dictum?

R. Affirmative. Et est de fide; ait enim S. Jacobus c. 5: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittuntur ei;* atqui illa unctio habet omnia requisita ad rationem Sacramenti etc.: ergo etc. Hinc Tridentinum sess. 14, can. 1, contra Calvinum definit: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Q. Quo tempore Christus instituerit Extremam Unctionem?

R. Plane incertum est; probabilius tamen est, quod ipsam instituerit post suam Resurrectionem: nam ex Trid. Extrema Unctio est *Poenitentiae consummativum Sacramentum;* ideo fuit instituta inter Resurrectionem, et Ascensionem, sicut Sacramentum Poenitentiae

ARTICULUS I.

DE MATERIA, ET FORMA EXTREMAE UNCTIONIS.

Q. Quaenam sit materia Extremae Unctionis?

R. Materia *remota* est *oleum ex ulivis expressum, et speciali benedictione consecratum.* Ita Conc. Florent. et Trident. Oleum ex Cle-

mente VIII singulis annis in Coena Domini renovandum est, veteri exusto. Materia *proxima* est unctio. — Haec autem unctio ex decreto Eugenii IV facienda est in septem corporis partibus, nempe in oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum vel locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum; in renibus propter delectationem ibi vigentem. — In mulieribus unctio renuum honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest (hodie tamen quoad omnes omittitur). Ita Scavini.

Nota 1ª. Si quis careat aliqua parte, quae ungi debeat, ut sunt muti, surdi, ac caeci a nativitate; vel si quis manu, vel pede sit truncatus, pars loco illi proxima inungatur. — Si dum inungitur, infirmus moriatur, ne ultra procedat; si dubitet, inungat sub conditione, *Si vivat.*

Nota 2ª. Peste grassante, vel alio morbo contagioso ad unctionem potest adhiberi virgula oleo inuncta ex Benedicto XIV, de Synod. l. 13, c. 19.

Q. An unctio quinque sensuum (una videlicet pro quolibet sensu) sit de Sacramenti necessitate?

R. Duplex est sententia. Prima cum Tournely, Natali Alexandro etc. negat; nam ex D. Jacobo simplex unctio praecipitur. Hanc sententiam D. Alphonsus speculative probabilem appellat. — Altera communior et tutior (sub gravi in praxi tenenda) affirmat unctiones simplices quinque sensuum esse de Sacramenti necessitate. Ita D. Bonaventura, Bellarminus, Valentia, Elbel, et omnes fere antiquiores scholastici, Scavini, Gury etc. Et hanc secundam nos tenemus.

Nota 1ª. Nonnisi in necessitate, ac sub conditione adhiberi debet una unctio in aliquo sensu magis obvio, et consultius in capite, idest in fronte, ut notant cum Benedicto XIV. — Quamvis sufficiat si dicatur: *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per sensus*, ut habet Rituale Parisiense; melius tamen erit dicere: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum.* Intellige, quod verbum *deliquisti* debeat praemitti; quia si proferatur in fine, et interim infirmus moriatur, nullum est Sacramentum.

Nota 2ª. Non requiritur de necessitate Sacramenti unctio in u-

troque oculo, utraque aure etc. Extra tamen casum necessitatis gemina unctio servanda est vi praecepti. Ita S. Lig. n. 710. — Pariter unctiones fieri debent pollice dextero sacerdotis incipiendo ab oculo dextero. Pariter unctionis inversio minime impedit Sacramenti significationem. Attamen communiter dicunt talem inversionem esse graviter illicitam ; quia est contra usum Ecclesiae in re notabili. Ita S. Lig. n. 710.

Nota 3ª. Probabilius sufficit una sola gutta olei ad unctiones faciendas. Sed in praxi tutius est intingere in oleo extremam partem digiti ad singulas unctiones speciales.

Q. An hoc oleum debeat necessario esse benedictum ab Episcopo?

R. Affirmative; constat ex variis declarationibus Pauli V, et nuperrime Gregorii XVI, die 4 sept. 1842.

Nota 1ª. Haec benedictio est de necessitate Sacramenti, ut confirmarunt Gregorius XVI, 1842, et Pius IX, 10 jan. 1850. Attamen ex delegatione Romani Pontificis haec benedictio fieri potest etiam a simplici sacerdote, ut sentiunt omnes ex decreto Clementis VIII.

Nota 2ª. An oleum debeat esse benedictum in ordine ad Extremam Unctionem, controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Sed in praxi tutior omnino sequenda est, excepto necessitatis casu, in quo administrandum est hoc Sacramentum sub conditione cum oleo Confirmationis, vel catechumenorum, et postea si oleum infirmorum haberi possit, iterandum est.

Q. An praeceptum renovandi oleum obliget sub gravi?

R. Affirmative; quia materia sat gravis apparet. Si deficiat ante finem anni debet oleo consecrato admisceri non consecratum. — Attamen si novum oleum haberi non possit, antiquo uti licitum est. Ita S. Lig. n. 708. — Intellige quod oleum necessario debet esse olivarum juxta decretum Eugenii IV : patet etiam ex tota traditione, et unanimi Doctorum consensu. Vide S. Lig. n. 708.

Q. Quaenam est forma Extremae Unctionis?

R. Sunt haec verba : *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum etc. deliquisti.* Ita praescribunt Conc. Floren., et Trident. sess. 14, c. 1. Forma integre repetenda est ad singulas partes ungendas, exprimendo membrum, quod tunc inungitur, nempe *per visum* ungendo oculos, *per auditum* inungendo aures, etc. — Relata verba sunt essentialia formae, exceptis illis : *per suam piissimam misericordiam.*

Nota. Forma Extremae Unctionis est deprecativa ut patet.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO, ET SUBJECTO EXTREMAE UNCTIONIS

Q. Quinam est minister Extremae Unctionis?

R. Solus sacerdos est minister hujus Sacramenti, Constat: 1° Ex verbis S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae* etc. 2° Ex definitione Ecclesiae. Sic enim Trid. sess. 14, can. 4: *Si quis dixerit presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores etc. anathema sit.*

Nota 1ª. Nullus sacerdos potest extra casum necessitatis hoc Sacramentum licite administrare, nisi habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam ex Clementina n. 1 de privilegiis. — Etiam sacerdos excommunicatus potest administrare, quia cum non sit institutum hoc Sacramentum per modum judicii, prout instituta est Poenitentia, sufficit ad illius collationem potestas Ordinis. — Item quivis sacerdos potest hoc Sacramentum ministrare ex consensu Parochi probabiliter praesumpto; quia non videtur cum tanto rigore procedendum esse, ubi agitur de delegatione ad meram liceitatem, nec ullatenus sermo est de valore ipsius Sacramenti. Attamen non facile praesumenda est talis delegatio. Ita S. Lig. n. 722, Salmant., et alii.

Nota 2ª. Regulares illud sine licentia ministrantes incurrunt excommunicationem latae sententiae Papae simpliciter reservatam. Si tamen Parochus absit (et ejus Vicarius), aut non velit, tunc quilibet sacerdos in necessitate potest illud administrare; imo ex charitate debet sub gravi illud administrare, si urgeat aegroti necessitas. — Si non urgeat necessitas, certum est vestes sacras, idest stolam ac superpelliceum omittere grave esse. — Item omittere preces ministro in Rituali praescriptas est grave; cum agatur de re gravi. Ita S. Lig. n. 727, et alii communiter.

Q. An, et qualis sit obligatio Extremam Unctionem ministrandi?

R. Pastor nisi gravi aliqua causa excusetur, tenetur ratione officii sub mortali eam subditis periculose aegrotantibus, eandem petentibus ministrare. Ita S. Lig. n. 729.

Nota. Communiter docent Theologi, graviter peccare Parochos, qui illud differunt usquedum infirmus destituatur usu sensuum et rationis; quia sic caret infirmus uberiori fructu, quem percepisset, si compos rationis Sacramentum recepisset. Consonant plures de-

clarationes S. Congr. Concilii relatae apud *Analecta Juris Pontif.* (julio 1861).

Ministrare Extremam Unctionem sine lumine non est excusandum a veniali, nisi necessitas urgeat, tum propter Ecclesiae consuetudinem, tum ob reverentiam Sacramento debitam. Ita S. Lig. n. 728. Extrema Unctio debet post Eucharistiam administrari. Sic expresse statuit Rubrica Ritualis Romani. In illo casu bis recitari debet *Confiteor*. Ita S. Congr. Indulg. 5 febr. 1841.

Omittere signum Crucis in unctionibus est veniale tantum juxta communem sententiam; in necessitate vero nullum est peccatum. Ita S. Lig. n. 728. — Non est peccatum mortale nullum adhibere ministrum, et in necessitate nullum est peccatum. Ita communissime Theologi. — Mulier ad officium ministrantis nunquam est adhibenda; et si Clericus aut laicus inveniri facile nequit, sacerdos solus omnes caeremonias peragat, et ipse orationibus respondeat. Ita S. Lig. ibid., et alii communissime.

Q. Quisnam est subjectum Extremae Unctionis?

R. Est solus homo baptizatus, graviter infirmus, qui peccati capax aliquando fuerit.

Nota 1ª. Si conferatur sano Sacramentum est invalidum. Item est ex sententia communiori, si morbus non sit gravis; quia ex Eugenio IV, *hoc Sacramentum dari non debet nisi infirmo, de cujus morte timetur.*

Nota 2ª. Si puer habeat usum rationis, uti communius, et probabilius dicunt, etsi adhuc non sit Communionis capax, ut docet Benedictus XIV, reficiendus est hoc Sacramento. Si vero dubium sit, an puer habeat usum rationis, ungendus est sub conditione, *Si es capax.*

Nota 3ª. Si mulier laboret in partu doloribus extraordinariis, debet inungi, cum jam infirmitas periculosa sit.

Nota 4ª. Amentes si perpetuo tales sint, judicantur incapaces Extremae Unctionis. Secus si lucida haberent intervalla; et in dubio ungendi erunt sub conditione. — Phrenetici ungendi sunt, ac ubi resistant tenendi et etiam ligandi, ut tollatur irreverentiae periculum. — Impoenitentibus notoriis, et excommunicatis unctio neganda est. Idem est de vulneratis in rixa; nisi praesumantur conteri. — Infirmi sensibus destituti ungendi sunt. Idem est de ebriis deficientibus, nisi constet eos esse in mortali. — Qui a nativitate sit

et caecus, et mutus, et surdus omnia una simul ungendi sunt sicut caeteri, saltem sub conditione. Ita sententia verior.

Nota 5ª. Capite plectendis, vel praelium, aut periculosam navigationem inituris non est danda unctio. — Danda est senio deficientibus, quia debilitas illa est vere infirmitas.— Item unctio danda est veneno infectis.

Q. An Extrema Unctio possit iterum infirmo ministrari?

R. Si agitur de diversa infirmitate affirmative; quia characterem non imprimit. — Si sermo sit de eadem infirmitate, *iterari non debet*, *nisi diuturna sit*, *ut cum infirmus convaluerit*, *iterum in periculum mortis inciderit*, *ait Rituale.* — Si dubitetur, an morbi status mutatus sit, v. g. per mensem infirmus se melius habuisset, tunc ex Benedicto XIV standum magis erit pro iteratione.

ARTICULUS III.

DE DISPOSITIONIBUS, QUAE REQUIRUNTUR AD RITE RECIPIENDAM EXTREMAM UNCTIONEM, EJUSQUE EFFECTIBUS.

Q. Quaenam dispositiones requirantur in subjecto Extremae Unctionis?

R. Duae, scilicet *status gratiae*, quia est Sacramentum vivorum; et *intentio* saltem habitualis recipiendi Sacramentum. — Si infirmus non possit sua peccata confiteri attritio sufficere posse videtur, est enim etiam simul Sacramentum mortuorum, cum sit praecipue institutum ad reliquias peccatorum tollendas; et ideo peccata mortalia cum attritione remittere potest. Ita Salmantic. n. 13, et alii.

Q. An Extrema Unctio sit necessaria, et sub gravi sumenda?

R. Duae sunt sententiae. Prima communis, et satis probabilis negat cum Estio, Navarro, Salmant., Suarez adesse gravem obligationem; cum verba Jacobi non sint de praecepto, sed de consilio; et infirmus aliis mediis potest sibi providere. His adẽret D. Thomas in 4, d. 23, q. 1, a. 1. — Sed secunda sententia etiam probabilis, quae omnino suadenda nobis apparet, contrarium docet cum S. Bonaventura, Concina, Soto et aliis, quia secus se exponeret gravi salutis periculo, qui robur illud ideo institutum negligit.

Omnes tamen conveniunt, quod per accidens potest esse grave peccatum Extremam Unctionem non suscipere; idest vel ratione pe-

culiaris necessitatis moralis; vel ratione scandali; vel ratione contemptus.

Q. Quinam sunt effectus Extremae Unctionis?

R. Sublato obice sunt: 1° Productio gratiae sanctificantis. 2° Remissio peccatorum. 3° Abstersio reliquiarum peccati. 4° Alleviatio animae infirmi, per magnam divinae misericordiae fiduciam, quae in eo excitatur. 3° Corporis sanatio, si expedierit animae saluti. Ita a Conc. Trid. sess. 14 tit. *de Extrema Unctione* recensentur.

Nota 1ª. Utrum mortalia huic infirmo remittantur per se, vel per accidens, disputant: alii cum Conet, Sporer etc. dicunt per accidens remitti, cum agatur de Sacramento vivorum. — Alii remitti per se, et quidem probabilius, et communius Tournely, Salmant. etc.; quia licet sit Sacramentum vivorum, tamen habet ex institutione divina, quod peccata dimittat, prout Trident. definivit sess. 14, cap. 2.

Nota 2ª. Utrum quaelibet unctio suam gratiam partialem conferat, affirmant multi cum Soto. — Negat D. Thomas (Supp. q. 30, a. 1), dicendo totam gratiam non conferri, nisi in ultima unctione; nulla enim partialis unctio per se Sacramentum est. Utraque sententia est probabilis; sed nos sententiam D. Thomae sequimur: secus enim hoc Sacramentum necessitatis causa collatum per unicam unctionem Titio maxime disposito, in eo per se produceret gratiam valde parvam, imo minimam respectu Francisci, qui vix dispositus quinque sensuum reciperet unctiones. Sed hoc dici nequit: ergo etc.

TRACTATUS VIGESIMUS

DE SACRAMENTO ORDINIS

CAPUT I.

De natura, et institutione Ordinis.

Q. Quotuplici modo sumi potest Ordo?

R. Duplici: 1° Sumitur pro Clero, seu Hierarchia Ecclesiastica, et definitur: *Certus hominum status, in quo varii sunt distincti, ac subordinati Ordinationum gradus, alii aliis superiores, destinati ad celebrandum Eucharistiae Sacramentum: aut ad inserviendum ex officio ipsius celebrationi.*

2° Sumitur pro sacra Ordinatione, et definitur: *Sacramentum a Christo institutum, quo gratia, spiritualisque potestas Clerico traditur, ad Eucharistiam consecrandam, consecranti inserviendum, caeteraque munia ecclesiastica rite obeunda*

Dicitur: 1° *Sacramentum;* pro genere. 2° *A Christo institutum;* prout definivit Concil. Trident. sess. 24, can. 3. 3° *Clerico*, quia Ordo praesupponit clericatum. 4° *Confertur gratia, spiritualisque potestas*, ut designetur differentia hujus Sacramenti ab aliis. 5° *Ad Eucharistiam consecrandam;* quibus verbis officium et finis presbyteratus exprimitur. 6° *Ad inserviendum consecranti;* quibus verbis officium et finis inferiorum Ordinum traditur. 7° *Caeteraque munia rite obeunda;* quibus verbis alia Ordinum munia, quae directe ad Eucharistiam non ordinantur, designantur; v. gr. peccatorum absolutio, aliorumque Sacramentorum administratio.

Q. Utrum Ordinatio sit verum, ac proprie dictum novae legis Sacramentum?

R. Affirmative; ut definivit Conc. Trident. sess. 23, can. 3: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum... anathema sit.* Revera sunt in eo omnia requisita ad verum Sacramentum, nempe

signum sensibile, productio gratiae, institutio divina, et est perpetuum, et constans in Ecclesia.

De fide est, quod in Ecclesia adsit Hierarchia divina ordinatione instituta, ait enim Trident.: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit.*

Q. Quotuplex est Hierarchia Ecclesiastica?

R. Duplex est: *Ordinis*, et *jurisdictionis.* Illa est facultas peragendi ex officio ritus sacros, Sacrificium, Sacramenta, benedictiones etc. — Haec vero est potestas publica fideles regendi in ordine ad cultum Dei, et animarum salutem.

Nota. Ecclesia per potestatem a Christo acceptam, habita ratione temporis, et circumstantiarum, potuerit gradus alios inferiores inducere, inductos extinguere, vel alios iisdem substituere: quod quidem saltem quoad Hierarchiam jurisdictionis sic eam fecisse tradunt eruditi. — Porro gradus Hierarchiae Ordinis tot sunt, quot sunt Ordines, quorum quidem aliqui probabilius sunt tantum de jure ecclesiastico.

Q. Quandonam Ordo fuit institutus?

R. In ultima Coena: nam tunc Christus instituit Sacerdotes, et Episcopos per verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Q. Quomodo dividuntur Ordines?

R. Dividuntur in majores, et minores. Ordo major est *ille, qui propinque versatur circa Eucharistiam, habetque adnexam legem continentiae, et Horarum.* — Ordo minor est *ille, qui remote tantum versatur circa Eucharistiam, nec habet adnexam legem continentiae. et Horarum.*

ARTICULUS I.

DE VARIIS ORDINIS SPECIEBUS.

Q. Quot sunt in Ecclesia Ordines?

R. Ex Conc. Trident. sunt septem, nempe: 1° Ostiariatus, *quo specialis confertur potestas aperiendi, vel claudendi januam ecclesiae, dignos admittendi, excludendi indignos.*

2° Lectoratus, *quo specialis traditur potestas legendi psalmos, et lectiones in ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus Fidei.*

3° Exorcistatus, *quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi*

daemonia per exorcismos ab Ecclesia institutos. — Attamen hodie haec potestas solis reservatur Presbyteris, qui ea tantum de licentia Ordinarii uti possunt.

4° Acolythatus, *quo confertur specialis potestas inter Missae solemnia Subdiacono inserviendi, accendendi cereos, praeparandi, porrigendique ampullas vini, et aquae.*

5° Subdiaconatus, *quo confertur specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, solemnique ritu Epistolam cantandi.*

6° Diaconatus, *quo confertur specialis potestas in solemni Missa Presbytero immediate assistendi, inter solemnia decantandi Evangelium, praedicandi, et solemniter baptizandi: si justa tamen intervenit causa.*

7° Presbyteratus est *Ordo, quo traditur specialis potestas, tum consecrandi, et ministrandi Corpus et Sanguinem Christi, tum remittendi, et retinendi peccata.*

Quorum quatuor priores vocantur Minores; et tres posteriores vocantur Majores. Unde Tridentinum ait: *Si quis dixerit praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines et majores, et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Nota 1ª. Tonsura est *ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus baptizatus et confirmatus tonsione capillorum in Clerum adsciscitur.*

Tonsura juxta probabiliorem sententiam non est Ordo, cum officium non importet circa altaris ministerium, sed praeparatio ad Ordines. — Illius autem effectus sunt: 1° Quod candidatus Clero adscribitur, et Clerici nomen assumit. 2° Quod gaudet privilegiis Clericorum. 3° Quod disponitur ad Ordines. 4° Quod sit Beneficiorum capax.

Tonsura etiam illicite data, irrevocabiliter data est, nec iterari potest, uti pluries declaravit S. Congr. Concilii penes Fagnanum. Unde Clericos monet Pontificale Romanum, ut in posterum *habitu honesto, bonisque moribus ac operibus Deo placere studeant.*

Nota 2ª. In Ecclesia vero Graeca multis abhinc saeculis quatuor tantum sunt Ordines, nempe *Presbyteratus*, *Diaconatus*, *Subdiaconatus*, et *Lectoratus;* attamen *Subdiaconatus* graeco ritu collatus *Acolythatum* et *Ostiariatum* includit. — *Subdiaconatus* ad dignitatem Ordinum majorum fuit elevatus, juxta communem sententiam apud Latinos ab Innocentio III in fine saeculi XII, cum primitus inter minores Ordines connumeraretur.

Q. Quaenam sunt officia Subdiaconorum?

R. Praeter gravissimam obligationem quotidie recitandi divinum Officium, ac perpetuam servandi castitatem, sunt: 1° Diacono in altaris ministerio ministrare. 2° Vinum, panem, lintea, et caetera ad Sacrificium praeparare. 3° Epistolam in Missa solemni cum manipulo cantare. 4° Calicem, et patenam ad aram deferre; aquam in calicem fundere; patenam elevatam tenere; pacem in choro deferre; Crucem in processionibus portare.

Q. Quaenam sunt officia Diaconatus?

R. Diaconum oportet: 1° *Ministrare ad altare*, idest sacerdoti solemniter celebranti patenam cum hostia, et calicem cum vino porrigere, Evangelium solemniter canere, vasa sacra Eucharistiam continentia extrahere e sacrario, et reponere; item Eucharistiam distribuere, sed tantum ut minister extraordinarius. 2° *Baptizare* publice, sed ut minister extraordinarius. 3° *Praedicare*, sed intellige ex Episcopi tantum delegatione.

Q. Quaenam sunt officia Presbyterorum?

R. Ex Pontificali Romano praecipua sunt haec, nempe: *Offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare.* — Item et caetera Sacramenta administrare, exceptis Confirmatione, et Ordine.

Q. An omnes, et singuli Ordines sint Sacramentum?

R. 1° Quoad Sacerdotium de fide est a Trident. definitum.

2° De Diaconatu, licet non sit expresse de fide esse Sacramentum, certum est tamen esse verum Sacramentum. Nam adest manuum impositio, ideo signum sensibile: divina institutio; per ministros enim a Trident. indicatos in illis verbis: *Quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris*, principaliter intelligitur Diaconatus: gratiae collatio, et hanc significant illa verba ad candidatum: *Accipe Spiritum Sanctum.*

3° Quod vero pertinet ad alios Ordines, adhuc Sacramenta esse probabiliter affirmat D. Thomas; quia unicuique Ordini sua est assignata materia et forma. Sed etiam in hac sententia omnes Ordines unum semper Sacramentum constituerent in ratione finis. — Attamen nobis est probabilius alios Ordines non esse Sacramenta; desunt enim substantialia, et praesertim institutio divina, quae neque in Scripturis, neque in traditione legitur; et deest gratiae collatio, quia sola fit mentio potestatis tributae.

Q. Quid est Episcopatus?

R. Est *Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas specialis*

confirmandi, *ordinandi*, *de fide judicandi*, *et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.*

Duplex est Episcopi potestas, nempe *Ordinis*, et *jurisdictionis*. Utraque est a jure divino, juxta illud: *Attendite vobis*, *et universo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, *regere Ecclesiam Dei.* Act. 20.

Q. Utrum Episcopatus sit Ordo natura distinctus a Presbyteratu?

R. D. Thomas vult Episcopatum esse tantum Presbyteratus extensionem, ita ut huic tantum superaddatur nova destinatio ad certa particularia officia, quibus Presbyteri nullo modo idonei sunt. — Verum sententia communior, imo nunc temporis communis, et omnino tenenda, docet ipsum esse Ordinem a Presbyteratu distinctum; cum in eo distinctus character tradatur, seu specialis potestas; et distincta habeatur tum materia, tum forma.

Nota. Ordo generatim sumptus, immediate dividitur in septem species, quarum prima, nempe Sacerdotium, subdividitur in Presbyteratum, et Episcopatum, qui in Sacerdotio continetur, tamquam nobilior species in suo genere; ideo dicitur complementum, seu plenitudo Sacerdotii. Unde non potest dici quod Ordines sint octo.

Q. Utrum Episcopi sint Presbyteris superiores?

R. De fide est Episcopos esse Presbyteris superiores, ut definivit Trident. contra novatores, sess. 23, can. 7: *Si quis dixerit*, *Episcopos non esse Presbyteris superiores*, *anathema sit.*

Nota. An vero Episcopi *jure divino* sint Presbyteris superiores, Concilium non dixit, certum tamen habemus; nam Christus juxta Scripturam constituit Apostolos in supremo gradu supra 72 Discipulos.

Q. Quaenam sunt officia Episcopi propria?

R. Officia potestatis *Ordinis* sunt administratio Ordinis, et Confirmationis; item consecratio altarium, et ecclesiarum, olei infirmorum, catechumenorum, et chrismatis; calicum et patenarum benedictio, sacrorumque vestium; abbatum, abbatissarum, regum, et reginarum, sanctimonialium velationes, et benedictio major, seu solemnis.

Officia potestatis *jurisdictionis* sunt: 1° Docere res fidei. 2° Jubere seu leges ferre ad rectum dioecesis suae regimen. 3° Judicare causas tum ecclesiasticas, tum mixti fori, tum miserabilium, quorum est pater, juxta tamen pragmaticas sanctiones. 4° Corrigere et punire poenis ecclesiasticis, ac multis. 5° Administrare, quod positum est

in collatione, suppressione, erectione, divisione Beneficiorum; in demandando ecclesiastica officia ecclesiasticis; in bonorum Ecclesiae tuitione, curatione juxta canones; in Sacramenta ministrando etc.

Nota. Appetere Episcopatum ratione bonorum temporalium (ait D. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 1) *erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit praesumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. Verum, quia prout est episcopalis actus, habet jam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur, quod aliquis praeesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.*

ARTICULUS II.

DE MATERIA, ET FORMA SINGULORUM ORDINUM.

Q. Quaenam sit materia et forma Episcopatus?

R. Materia Episcopatus essentialis est sola manuum impositio, quae fit a consecrante Episcopo, cum dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*, et quae dein ab ipso continuatur post brevem orationem. — Forma vero sunt haec verba impositioni manuum correspondentia: *Accipe Spiritum Sanctum.* Caetera ad solam integritatem ordinationis pertinere videntur.

Q. Quaenam sit materia, et forma Presbyteratus?

R. Controvertitur inter Theologos. Alii cum Soto contendunt materiam esse solam traditionem instrumentorum, calicis nempe cum vino, ac patenae cum hostia; et formam esse verba prolata in eorum traditione.

Alii cum Bellarmino, Scoto, et Charmes volunt materiam essentialem esse et traditionem instrumentorum cum sua forma, et tertiam manuum impositionem, item cum respondenti forma.

Alii probabilius cum S. Bonaventura, Concina, Tournely, et aliis docent, materiam essentialem esse tantum secundam manuum impositionem. Nam prima certo non est de essentia, cum nulla ei correspondeat forma. Item neque essentialis potest esse tertia, tum quia non fuit in usu apud Latinos per XII priora saecula; tum quia jam Sacerdotium collatum est, siquidem noviter ordinati jam concelebrarunt cum Episcopo. — Pariter de porrectione instrumentorum in Scripturis nulla fit mentio; et Graeci sola manuum impositione ordinant: imo instrumentorum traditio apud Latinos non ante saeculum VIII, vel IX invecta est, ut observat Benedictus XIV

(de Syn. Dioec. lib. 8, c. 10). Sed quod est de essentia apud omnes et in omnibus temporibus debuit esse in usu, ut patet; ergo etc. Hanc tertiam sententiam nos tenemus.

Impositio manuum Presbyterii non est essentialis, quia Presbyteri non sunt ministri Ordinis; pariter nulla ipsi verba proferunt. In signum igitur cooptationis et societatis ad simile ministerium Presbyteri manum imponunt, cui ceremoniae correspondet apud Graecos salutatio. Ita Tournely, Scavini etc.

Formam probabilius (speculative loquendo) cum Tournely, Scavini et aliis dicimus esse orationem, quae in secunda manuum impositione dicitur ab Episcopo: *Oremus, fratres etc.* Verba autem, *Accipe Spiritum Sanctum etc.*, quae dicuntur in tertia impositione esse tantum declarativa et confirmativa rei peractae, nempe Spiritus Sancti jam collati in secunda impositione.

Nota. Speculative loquendo tertia sententia est probabilior. Sed secunda sententia, quae tradit necessariam esse instrumentorum traditionem, et tertiam manuum impositionem, cum sit adhuc probabilis, in praxi sequenda est, agitur enim de Sacramento. — Quare ordinatio facta sine secunda manuum impositione, tota sub conditione iteranda est, ut declaravit S. Concilii Congreg. penes Benedictum XIV. Si vero ordinatio fuerit facta sine traditione instrumentorum, vel sine tertia solummodo manuum impositione, haec tantum supplenda est. — Unde forma in praxi sunt etiam verba iis correspondentia, nempe pro traditione calicis etc: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.* — Pro tertia manuum impositione: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Ita Scavini.

Q. An necessario traditio utriusque speciei requiratur?

R. Affirmative probabilius. Ita S. Lig. n. 750.

Q. An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam; et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam?

R. Ad 1um affirmative cum sententia communi, quae probabilissima videtur; quia hostia et vinum sunt materia substantialis Ordinis, et propter solam decentiam ex praecepto Ecclesiae usurpatur calix et patena; attamen in praxi pars tutior sequenda est. Ita S. Lig. n. 751.

R. Ad 2um etiam affirmative cum sententia communi et veriori; ait enim S. Lig., non praescribitur ab Ecclesia tactus immediatus

hostiae, sed tantum patenae, ut patet ex Pontificali. Insuper vinum in calice nunquam tangitur immediate.

Q. Quaenam sit materia, et forma Diaconatus?

R. Triplex est sententia. Prima probabilis cum Vasquez docet solam traditionem libri Evangeliorum cum sua forma esse de essentia ad Diaconatum; et huic consentit D. Thomas dicens: *In ipsa libri datione imprimitur character* (supp. q. 37, a. 5). — Secunda probabilior cum D. Bonaventura, Tournely, et aliis docet, solam manuum impositionem esse illius materiam, ideoque et verba tunc prolata formam constituere; quia in ea tantum tribuitur Spiritus Sanctus, et haec una reperitur apud Graecos.

Tertia etiam probabilis, et in praxi omnino tenenda utpote spectans ad valorem Sacramenti, cum Bellarmino, Salmantic., et aliis docet, esse impositionem manus dexterae ab Episcopo facta super caput ordinandi cum hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus in nomine Domini.* Et traditionem libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis et defunctis etc.;* quia Ecclesia ex potestate sibi a Christo data, quoad Latinos praeter manus impositionem etiam traditionem libri determinavit. — Unde si alterutrum omissum fuerit, caute supplendum est ex S. R. Cong. 16 jun. 1837, et jure canonico.

Q. Quaenam sit materia, et forma Subdiaconatus?

R. Apud Graecos est manuum impositio; et verba in ea impositione prolata constituunt formam. — Apud Latinos materia remota est calix vacuus cum patena vacua, et liber Epistolarum. Traditio utriusque est materia proxima. Forma vero sunt verba in traditione prolata, idest dum tradit calicem cum patena verba illa: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis;* dum vero tradit librum Epistolarum: *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Nota 1ª. D. Thomas et Salmantic. cum aliis docent sufficere traditionem calicis vacui cum patena; quia satis indicatur per hoc praecipuum ministerium Subdiaconi. — Alii cum Aversa dicunt essentialiter requiri etiam traditionem libri Epistolarum. — Sed in praxi si quid omissum fuerit, supplendum est opportuno tempore; agitur enim de Sacramento.

Nota 2ª. An calix et patena debeant esse consecratae non solum de necessitate praecepti, sed etiam de Sacramenti necessitate ad ejus valorem, licet nonnulli negent; attamen affirmandum est, quia officium Subdiaconi versatur circa vasa sacra. — Tantum ad complementum traduntur urceoli cum vino et aqua, etc.

Q. Quaenam sit materia, et forma Ordinum minorum?

R. 1° Materia Acolythatus est traditio candelabri cum cereo extincto, sub hac forma: *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari in nomine Domini.* Et traditio urceolorum vacuorum, sub hac forma: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.*

2° Materia Exorcistatus est traditio libri exorcismorum, sub hac forma: *Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

3° Materia et forma Lectoratus est traditio libri lectionum, sub hac forma: *Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.*

4° Materia et forma Ostiariatus est traditio clavium ecclesiae, sub hac forma: *Sic age, quasi Deo redditurus rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

Q. An requiratur tactus physicus instrumentorum?

R. Duplex est sententia. Sententia affirmans est tutior, et ideo in praxi sequenda. Attamen sententia negativa etiam tuta dicenda est ex decisione S. Congr. Rituum; et eadem Congr. id rursus confirmavit *in Romana*, 21 jan. 1863.

CAPUT II.

De ministro, subjecto, et effectibus Ordinis.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO ORDINIS

Q. Quis sit minister Ordinis?

R. 1° Minister ordinarius est solus Episcopus, ut definierunt Conc. Florent. in decreto, et Trid., sess. 23, can. 7.

R. 2° Simplex sacerdos potest ex commissione S. Pontificis ton

suram et quatuor minores Ordines conferre, ut constat ex cap. *Requisivit*, tit. *De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit*, in quo dicitur: *Minores Ordines a non Episcopis quandoque conferuntur.*

Q. A quonam Episcopo Ordines debeant recipi?

R. A proprio Episcopo, nullo modo ab alieno, absque litteris dimissoriis proprii Episcopi, ut statuit Conc. Trid., sess. 23, cap. 8 *de Refor.* Secus Episcopus ordinans remanet suspensus ipso jure per annum ab Ordinum administratione. Ita Const. Pii IX.

Q. Quisnam est proprius Episcopus, quoad Ordines nempe legìtime seu lìcite etiam suscipiendos?

R. Ille est, cujus jurisdictioni quisque subjicitur; idque ex quadruplici capite contingere potest, nempe ratione vel *originis*, vel *domicilii*, vel *Beneficii ecclesiastici*, vel *familiaritatis* seu *famulatus.* Hac de re Innocentius Papa XII, anno 1694, Bullam edidit valde celebrem, quae incipit *Speculatores*, quamque refert Croix.

1° *Ratione originis*, idest ut naturaliter ortus sit in ea Dioecesì, dummodo id non fuerit ex accidenti, v. g. occasione mercaturae, legationis, officii etc., in quo casu erit attendenda vera et naturalis patris origo. Ita S. Congr. Concilii, 15 feb. 1704.

2° *Ratione domicilii*, idest decennalis habitatio, vel translatio majoris partis bonorum in eum locum, et successiva permanentia per aliquod tempus; quod potest relinqui arbitrio Ordinarii loci; sed in utroque casu ordinandus debet affirmare jurejurando, se vere habere animum perpetuo ibidem permanendi. Ita habet Bulla innocentiana. — Quod si habeat domicilia diversa, poterit ab utriuslibet Episcopo ordinari; quia utrique Episcopo subditus est ratione domicilii, modo in iis aequaliter, licet non mathematice, habitet. Ita S. Concilii Cong.

3° *Ratione Beneficii*, dummodo non fuerit obtentum in fraudem Episcopi originis, vel domicilii.

Satis est coadjutoria cum futura successione, modo coadjutor ex ea jus habeat percipiendi praebendam congruam. — Non sufficit tamen titulus Missarum, nec pensio licet perpetua et ecclesiastica, nec cappellania laicalis; quia non sunt vera ecclesiastica Beneficia.

Si autem plura quis habeat Beneficia in Dioecesibus diversis, iste potest ordinari a quolibet illorum Episcoporum.

Clericus, qui Beneficium sufficiens in aliena Dioecesi obtinet, atque pacifice possidet, eo ipso evadit subditus, causa sacrae ordinationis, hujus quoque Episcopi, ita ut possit ab hujus Dioecesis Episcopo

ordinari sine litteris dimissoriis Episcopi proprii domicilii. Ita S. Congr. Conc. Vide *Acta S. Sedis in comp. red.*, vol. 6, pag. 510.

Non potest tamen ab hoc Episcopo ordinari sine litteris testimonialibus Episcopi tam originis, quam domicilii. S. Congr. ibid.

Litterae testimoniales ad Ordines a litteris dimissoriis ex eo essentialiter differunt, quod litterae dimissoriae tribuant ac exprimant traditam facultatem ad suscipiendos Ordines, quod non faciunt litterae testimoniales. S. Cong. ibid.

4° *Ratione famulatus;* si per triennium eum Episcopus secum habuerit, et Beneficium, omni remota fraude, statim ipsi conferat. Pariter debet litteras testimoniales natalis, aetatis etc. obtinere a proprio Praelato originis et domicilii, juxta Const. Clem. XII, *Speculatores*, 4 nov. 1694.

Q. Quid si filius sit illegitimus, vel expositus, vel infidelis baptizatus?

R. Si 1°, attenditur origo matris; si 2°, locus in quo fuit expositus; si 3°, locus in quo Baptisma recepit. Ita Paulus III, Const. *Cupientes.*

Nota 1ª. Nonnulli affirmant posse Pontificem concedere facultatem Presbyteris ordinandi alios quoad Diaconatum et Subdiaconatum ob indultum concessum ab Innocentio VIII anno 1460 Abbatibus Cisterciensibus. Sed nos dicimus cum D. Thoma dictum indultum esse dubium; vel cum aliis ad summum illud indultum extendi tantum ad Subdiaconatum. Ita Billuart etc.

Nota 2ª. Certum est ordinationes factas a quovis Episcopo consecrato, licet sit haereticus, degradatus, simoniacus, censuratus et irregularis, validas esse; nam Sacramenti valor a probitate ministri non pendet. Sed ordinati ab istis, suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt. Ita Const. Pii IX, lim. cens.

Nota 3ª. Summus Pontifex omnibus et ubique potest conferre Ordines. — Sed qui a Romano Pontifice minorem Ordinem susceperit, majorem licite suscipere non potest ab alio, nisi ab eodem Pontifice venia facta.

Nota 4ª. Etiam impii et non praedestinati possunt esse veri Ecclesiae ministri, patet exemplo ipsius Christi, qui Judam elegit; et Concilium Constantiense damnavit Wicleffum et Huss contrarium docentes.

Nota 5ª. Vocatio seu missio ministrorum ad populum non pertinet, quia ecclesiastica jurisdictio non est in ipso fidelium coetu.

Christus enim non dixit fidelibus: *Pasce oves meas; ego mitto vos;* sed Apostolis, ac primo Summo Pontifici. — Jus eligendi pastores non convenit populo jure divino; Apostolus enim ait: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron:* atqui Aaron a solo Moyse fuit electus in Pontificem sine ullo consensu, vel consilio multitudinis. Et Christus ait Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* at si Apostoli eadem potestate et ratione, qua Christus, missi sunt, sine ullo suffragio multitudinis possunt deputare pastores.

Si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniventia, vel concessione Pontificum; et hoc modo debet intelligi cum D. Chrysostomo electio Matthiae et Barnabae, nempe ex concessione Petri. Pariter D. Cyprianus hoc tantum tribuit populo, ut ferat testimonium de vita et moribus ordinandorum, quod etiam nunc servat Ecclesia. Mens D. Cypriani patet ex electione Eleazari, quam praebet in exemplum; at Scriptura dicit Eleazarum electum a Moyse, et nihil tribuit populo.

Q. An quis possit licite ordinari ab Episcopo alieno tantum sub spe, quod Episcopus proprius ratam habebit ordinationem?

R. Licet nonnulli affirment; verius tamen negatur; nam Trid. exigit licentiam expressam Ordinarii proprii. — Sed Episcopus proprius bene poterit ratam habere talem ordinationem sine recursu ad Pontificem.

Nota 1ª. Probabilius non potest Episcopus dispensare ab irregularitate, vel alio canonico impedimento alienum subditum, qui ad ipsum missus fuit, ut eum ordinet; quia privilegia non extenduntur extra casum expressum. — Attamen si candidatus fuerit ab Episcopo missus ad alium Episcopum, ut ab ipso conferatur Subdiaconatus, si candidatus nondum recepisset minores, neque Confirmationem; tunc et Confirmatio et minores ab illo licite conferri poterunt; quia in majori necessario includitur minus quoad rem in eodem genere.

Nota 2ª. Ex declaratione S. Concilii Congregationis in arbitrio est Episcopi examinare sibi dimissos, etsi jam examinatos; quod tamen sine causa non praestat agere. Si vero Episcopus alienus vocetur ad vices dioecesani supplendas, non poterit examinare ordinandos; sed tantum abstinere ab ordinatione, si ei justa causa occurrat. Ita Benedictus XIV, de Syn Dioec., l. 12, c. 8.

Q. An Episcopi titulares, qui non habent nec populum, nec clerum, possint licite ordinare familiares suos?

R. Negative; quod si fecerint, ipsi sunt suspensi ab exercitio pontificalium per annum; taliter vero promoti ab executione Ordinum sic susceptorum (donec suo Praelato visum fuerit) ipso jure sint suspensi. Ita Trid., sess. 4, c. 2, confirmatum per Const. *Apost. Sedis.*

Nota. Regulares ordinandi sunt ab Episcopo, in cujus Dioecesi est monasterium, ubi tunc commorantur. In ordinatione servanda est dispositio Pontificalis Romani quoad formulam: *Promittis Ordinario tuo obedientiam etc.* Ita S. Cong. Rit. die 22 jul. 1848.

Q. Quaenam Missa dicenda sit ab Episcopo in collatione generali Ordinum, quando in Sabbatis quatuor Temporum, aut ante Dominicam Passionis occurrit aliquod festum, an scilicet de feria, an vero de festo?

R. De feria celebrare debet. Ita S. Congr. Rit.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO ORDINIS.

Q. Quinam sit subjectum Ordinis?

R. Est homo baptizatus.

Q. Quid requiritur ad validam susceptionem Ordinum?

R. Tria, nempe Baptismus, sexus masculinus, et intentio, si de adultis sit sermo; nam quamvis nonnulli contendant infantes invalide ordinari: contrarium tamen alii praesertim recentiores verius, et communius affirmant cum D. Thoma, qui docet, *valide suscipi ante usum rationis* omnia Sacramenta, quae non requirunt actum suscipientis, sed solummodo in eis datur aliqua potestas spiritualis, ut sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo. Insuper character imprimitur independenter a consensu; cum character non actum, sed potestatem ad actum solummodo tribuat.

Q. Qui per vim, aut per metum, idest minis parentum, vel aliorum inductus accedat ad ordinationem, validene ordinatur?

R. Ordinatur valide si interne consentiat, secus si dissentiat. Quare non est validus Ordo collatus viro reluctanti. — Item invalide ordinatur qui neque consentit, neque dissentit, sed tantum permittit ordinari. Ita Bened. XIV.

Causae, quae moventur de nullitate sacrorum Ordinum susceptorum ob vim et metum, considerari possunt et solent sub duplici respectu: 1° Sub respectu validitatis Ordinis in se considerati.

2° Sub respectu onerum, quae ex ecclesiastica lege sunt cuique Ordini adnexa. — Multo difficilius probari potest in foro externo nullitas Ordinis in se considerati, quum ostendi debeat voluntas positive contradicens in actu sacrae ordinationis. Facilius potest demonstrari nullitas onerum, quae ex ecclesiastica lege Ordini sint adnexa. — Ejusmodi tamen demonstratio ejusdem generis est ac illa, quae exigitur in causis matrimonialibus, vel professionis religiosae vi metuque emissae. Ita S. Congreg. Conc. Vide *Acta S. Sedis in comp. red.* vol. 6, pag. 94.

Probata coactione, quae in constantem virum, vel in constantem juvenem cadere possit, quaeque directe fuerit illata ad Ordinem suscipiendum, onera sacro Ordini adnexa ipso jure censentur nulla absque dispensationis ope. Ibid.

Q. Quid requiritur ad licitam ordinationem in subjecto?

R. Requiritur: 1° Vocatio divina. 2° Status gratiae. 3° Intentio recta. 4° Probitas vitae. 5° Animus clericandi. 6° Confirmatio. 7° Exercitium Ordinis suscepti. 8° Aetas legitima, quae juxta Trident. est annus 22 pro Subdiaconatu, 23 pro Diaconatu, 25 pro Presbyteratu, sufficit autem ut annus sit inchoatus, et 30 pro Episcopatu 9° Scientia. 10° Titulus. 11° Exercitia spiritualia. 12° Ordinatio per gradus. 13° Immunitas a censura et irregularitate.

Nota 1ª. Ad primam tonsuram suscipiendam requiritur, ut initiandus polleat rationis usu, scilicet ut saltem septennis sit. Ita Trid. sess. 23. — Quoad minores Ordines nulla in jure canonico assignatur aetas.

Sacra Conc. Congreg. 27 sept. 1671 declaravit, quod, qui suscepit tonsuram vel Ordines non confirmatus, uti male promotus non possit ascendere ad alios Ordines, nec recipere Beneficia sine Pontificis dispensatione; habetur enim uti irregularis.

Nota 2ª. Ab initiandis ad Ordines minores exigitur, ut saltem latinum sermonem intelligant. — Ab initiandis ad Subdiaconatum et Diaconatum requiritur ut in litteris eruditi sint, et in iis, quae ad Ordinem exercendum pertinent.— Ab initiandis ad Sacerdotium exigitur, ut ad populum docendum ea, quae ad salutem omnibus necessaria sunt, et ad ministranda Sacramenta idonei reperiantur. Ita Trid. sess. 23, c. 4. — Pro Episcopo ex eodem Tridentino requiritur ut *antea in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus sit in S. Theologia, vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.* — Episcopi nominati Italiae et insularum adjacentium

debent examen subire coram Romano Pontifici; caeteri coram Nuntio Apostolico. Ita Scavini.

Q. Quonam tempore Ordines conferri possint?

R. 1° Prima tonsura quovis die, hora, et loco conferri potest.

R. 2° Ordines minores ubivis etiam conferri possunt singulis dominicis, vel festis duplicibus ex praecepto, dummodo mane conferantur. Sed hoc est intelligendum de ordinatione, quae non sit generalis; siquidem generalis fieri debet iis diebus, quibus Ordines majores conferri possunt. Ita Scavini, Gury etc.

R. 3° Ordines majores ex jure inter Missae celebrationem conferuntur: 1° Sabbato singulorum quatuor Temporum. 2° Sabbato ante Dominicam Passionis. 3° Sabbato Sancto. Ex dispensatione vero a Papa obtenta, conferri possunt etiam extra tempora, aliis diebus, scilicet vel dominicis, vel festis de praecepto. — Festa autem suppressa reputantur de praecepto quoad Ordines. Ita S. Congr. Rit. 16 mart. 1833.

Q. Quid de interstitiis?

R. Interstitia sunt *ea temporis intervalla, quae inter unum et alium Ordinem excurrere debent.*

Quoad interstitia haec observanda sunt: 1° Quoad Ordines minores tempus non determinatur, ideo in multis locis quatuor Ordines eadem die conferuntur. 2° Inter postremum e minoribus susceptum, et Subdiaconatum, unus annus intercedere debet. Idem dicendum inter alios Ordines majores. Sed Episcopus habet potestatem ab interstitiis dispensandi, *si expedire ipsi videatur;* modo debitis temporibus Ordines conferat. Ita Conc. Trid. sess. 23. c. 11, 12. Graviter autem peccaret, qui eodem die praeter quatuor Ordines minores, etiam Subdiaconatum susciperet, nisi excuset contraria consuetudo, quae per Episcopum probanda est.

Nota 1ª. Non peccat graviter Clericus, qui initiatus in minoribus uxorem ducit; imo nec etiam leviter, si ob justam causam hoc facit. — Sed ait S. Ligorius, valde timendum est, ne in malo statu existat ille, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab eo recedit, ut saeculo fruatur. — Nec peccat graviter, etiamsi suscipiat Ordines majores, et non intendat suscipere Sacerdotium; imo per se probabiliter nec venialiter, quamvis habeat aliquod Beneficium non curatum. Sed graviter peccat, si iste habeat Beneficium curatum; quia committeret gravem inordinationem. Ita Scavini.

Qui tamen tonsuram susciperet animo effugiendi forum laicale

et postea redeundi ad saeculum, probabilius non excusaretur a mortali; quia sic agere fraudem appellat Tridentinum. Ita S. Lig., Op. mor. l. 6, n. 113.

Nota 2ª. *Communiter*, ait S. Ligorius n. 786, *dicunt Confirmationem non requiri in ordinando sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi; quia licet verba Trid. potius indicent decentiam quam praeceptum, tamen in hoc contraire non excusatur a levi saltem deordinatione.*

Q. An, vel quomodo peccet ordinatus, qui omittit recitationem precum, quae post ordinationem per modum poenitentiae ab Episcopo imponuntur?

R. Disputant inter se Theologi: alii dicunt eum graviter peccare. Alii censent hujusmodi omissionem esse tantum peccatum veniale Haec sententia, quam tenemus, probabilior videtur. Ita Gury.

Quando Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum est nocturnum feriae, quae respondeat illi diei, in quo facta est ordinatio. Si fiat in Sabbato quatuor Temporum Pentecostes, videtur posse recitari nocturnum ipsius Pentecostes; quia pro feria habetur.

Q. An vel quomodo neo-sacerdotes tres Missas ab Episcopo praescriptas legere teneantur?

R. 1° Non tenentur eas applicare juxta Episcopi intentionem, et proinde stipendium pro illis accipere possunt. Ita communiter.

R. 2° Nec apparet obligatio gravis eas Missas celebrandi; nec prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti, cum Missae votivae esse debeant. Ita S. Lig. loco citato.

Q. Quaenam sunt signa divinae vocationis?

R. Praecipua sunt scientia conveniens, probitas vitae, recta intentio, seu desiderium vacandi divinae gloriae, et saluti animarum.

Qui sine vocatione in sacrum ministerium se intrudit, non potest a magna praesumptione, et forte a gravi culpa excusari, cum magno damnationis periculo se exponat. Ita Gury.

Q. Quid, et quotuplex est titulus, qui requiritur ad Ordines sacros suscipiendos?

R. Titulus ad Ordines definitur: *Jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam pro honesta Clerici sustentatione.* — Quadruplex distingui potest, nempe *Beneficii ecclesiastici*, *cappellaniae laicalis*, *pensionis ecclesiasticae*, *et patrimonii.* Quibus pro Regularibus adjungitur titulus *paupertatis*, quam so-

lemniter profitentur. — Si pereat titulus post susceptum Subdiaconatum, alius requiritur ad Ordinem superiorem suscipiendum. Ita Trident. sess. 21, c. 2. de Refor.

Nota. Ut cappellania laicalis de sui natura ad titulum sufficiat, et induat quasi naturam Beneficii, necesse est ut a patrono expresse, et legali forma in Curia Episcopali recognita detur in titulum, cum obligatione illam non repetendi, donec Clericus alium titulum sibi procuraverit, et consecutus sit. — Idem dicendum etiam de pensione ecclesiastica. Ita Scavini.

Q. Potéstne Episcopus aliquem in sacris ordinare sine titulo, v. g. Beneficii, etc?

R. Negative. Si id fecerit, debet ipsi dare alimenta; si autem cum pacto ordinaverit, ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrit. — Item per annum a collatione Ordinum suspensus remaneret Episcopus si absque titulo ordinaret Religiosum nondum solemniter professum. Ita Const. Pii IX.

ARTICULUS III.

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

Q. Quinam sunt effectus Ordinis?

R. Sunt quatuor: 1us Est gratia sanctificans in augmento. 2us Est gratia sacramentalis. 3us Est character, ratione cujus Ordinatio semel valide data iterari non potest. 4us Est caelibatus, qui sacris Ordinibus est adnexus.

Nota. In Ecclesia Graeca licet quidem sacris initiatis (exceptis Episcopis) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, et omni jure matrimoniali uti, sed omnino, et quidem sub poena depositionis, prohibitum est eis, post ordinationem ducere uxores ex Conc. Trull. can. 5, et 12.

Q. Quid sit gratia sacramentalis Ordinis?

R. Est *gratia habitualis*, *sacrae potestatis traditiva*, *adnexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad officia cuilibet Ordini propria rite persolvenda.*

TRACTATUS VIGESIMUS PRIMUS

DE MATRIMONIO

CAPUT I.

De sponsalibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA, ET DIVISIONE SPONSALIUM.

Q. Quid sunt sponsalia?

R. Sunt *futuri matrimonii promissio.* Ita Canon *Nostrates*, cap. 30, qu. 5.

Nota. Sponsalia dicuntur a *spondendo* ex Ulpiano *lege* 2 etc. *de spons.* — Simplex propositum non valet in sponsalibus. Sponsalia differunt a promissione in hoc; nempe promissio est contractus gratuitus; sponsalia sunt contractus onerosus: promissio agit de omnibus; sponsalia tantum de matrimonio. — Contractus sponsalium concludenter (seu validis argumentis, quae dubitationem excludant) est probandus. Ita S. Congr. Conc. 13 aug. 1870.

Q. Quaenam requiruntur conditiones ad valide sponsalia contrahenda?

R. Sex. 1ª Ut promissio sit libera. 2ª Ut sit acceptata. 3ª Ut sit mutua. 4ª Ut sit vera. 5ª Ut sit signo externo expressa. 6ª Ut fiat a personis legitimis. — Septennium mathematice completum est aetas a jure requisita.

Nota 1ª. Scavini adjungit aliam conditionem, nempe ut fiant sponsalia inter personas determinatas.

Nota 2ª. Repromissio ex parte mulieris potest identidem praesumi, si constiterit de deliberata promissione ex parte viri, quando mulier, ceteroquin honesta, in tantum sui dedecus devenerit, ut stuprum post dictam viri promissionem passa fuerit. — Ejusmodi praesumptionem stuprum ex se non inducit, si de deliberata promissione

ex parte viri vel non constiterit, vel stuprum promissio non praecesserit. Ita S. Congr. Conc. 13 aug. 1870.

Q. An hoc ipso quod altera pars acceptet, sed sine proposito repromittendi, sponsalia sint obligatoria ?

R. Negative : non tenetur promittens, quia verba contrahentium accipienda sunt secundum naturam contractus, ex *lege conducto ;* non tenetur acceptans, quia actus agentium non operatur ultra intentionem eorum. — Si vero promittens sponsalia intendit se obligare sine onere repromissionis, tenetur ad sponsalia, sed vi simplicis promissionis; verum ista sponsalia non inducunt impedimentum publicae honestatis, quia non sunt vera sponsalia.

Si dubitet, qua intentione promiserit, censendum est promisisse juxta naturam sponsalium, scilicet cum onere repromissionis alterius.

Quare vaga viri promissio, ob quam mulier, spe allecta matrimonii ineundi, copiam sui corporis fecerit, causa est, si mulier fuerit ceteroquin honesta, ad virum seducentem cogendum ad damna reparanda, sive per matrimonium, sive alia congrua ratione. Ita S. Cong. Conc. 13 aug. 1870. Vide *Acta S. Sedis in comp. redacta*, vol. 6. — Si vero non est honestae vitae, tenetur tantum ad mulctam, juxta prudentiam judicis.

In locis, in quibus promulgatum non est Tridentinum decretum *Tametsi*, vel in facto non servatur ut Tridentini decretum, si sponsalibus contractis subsequatur carnalis copula, matrimonium censetur facto ipso contractum, et consummatum adeo, ut quoties in foro externo id constaret, non audiretur in judicio conjux dicens, se non animo contrahendi, vel consummandi matrimonium id fecisse.— Verum si revera non fuisset consensus contrahendi, seu affectus maritalis in foro interno esset nullum ob defectum consensus; ac proinde praesumptus conjux, si aliud matrimonium contraxerit, sustinere debet quamcumque poenam, potius quam cum primo praesumpto conjuge copuletur. Vide *Acta S. Sedis in comp. redacta*, vol. 6, pag. 456.

Q. Qui ficte promitteret ad quid tenetur ?

R. Licet graviter peccaret, quia deciperet proximum in re gravissima; attamen per se non contraheret obligationem contrahendi, sed obligationem deceptionis damna resarciendi, si quae sint. — Diximus *per se;* nam si fuerit defloratio, tenetur illam matrimonio ducere: 1° In foro externo, si deflorata probet apud judicem factam promissionem. 2° In foro interno tenetur ex justitia determinate

ducere corruptam. — Exceptis casibus: 1° Si puella fornicetur cum alio. 2° Si puella facile potuerit fictionem advertere. 3° Si ultro acceptaverit satisfactionem pecuniariam. 4° Si deflorator notabiliter excedat conditionem virginis. 5° Si adsit scandalum. 6° Si damnum sequatur, puta rixae inter parentes etc.

Q. An subarrhatio annuli, idest ejus in digitum immissio; vel missio munerum jugalium, teneant locum verae promissionis sponsalitiae?

R. Distinguendum. Si haec ex patriae consuetudine veram promissionem determinent, tenent locum verae promissionis. Item si tractatus de matrimonio praecessisset inter amicos.— Secus si haec omnia non sint.

Q. Utrum verba de praesenti inter impuberes apta ad matrimonium vim habeant sponsalium?

R. Affirmative cum communi.

Q. Quaenam sunt legitimae personae?

R. Sunt illae, quae non sunt irretitae aliquo impedimento, quod dirimat sponsalia. Impedimenta, quae dirimunt sponsalia, sunt votum castitatis, votum non nubendi, votum suscipiendi sacros Ordines, et votum ingrediendi in religionem: insuper omnia impedimenta, quae dirimunt matrimonium, dirimunt etiam sponsalia. Tandem sponsalia facta cum una dirimunt sponsalia cum alia.

Q. An valida sint sponsalia inita per metum?

R. Distinguendum. Si metus sit gravis, atque injuste incussus ab extrinseca et libera causa ex se invalida sunt, ut communissima, et probabilior sententia docet. — Si sit levis, vel juste incussus valent sponsalia; quia tunc irrationabiliter respuuntur. Ita S. Lig. n. 844, Lacroix, et alii.

Nota. Si metus sit ab intrinseco, v. g. morbo etc., valent sponsalia; quia nulla fit injuria. Unde in sponsalibus requiritur perfecta libertas, quae sufficiens est ad peccatum mortale, et ad meritum; quia sunt veri contractus.

Q. An sponsalia, quae cohabitatio subsecuta est, acquirant rationem matrimonii?

R. Distinguendum: in locis ubi lex Tridentini viget de clandestinitate, non obtinent rationem matrimonii. — Ubi non viget, obtinent in foro externo. Ast etiam in interno, si fuerit copula cum affectu maritali transeunt sponsalia in rationem matrimonii. Secus, si non fuerit affectus maritalis.

Q. An sponsalia sine consensu parentum inita, sint valida, et licita?

R. Ad 1um distinguendum. Si parentes irrationabiliter renuant consentire, sunt valida; nam in iis, quae pertinent ad matrimonium, filii sunt sui juris et ideo tenentur filii ea observare. — Si parentes rationabiliter renuant propter causam justam perpetuam, sponsalia sunt invalida, licet accedat juramentum, vel jungantur cum stupro. Si causa non sit perpetua, sed temporanea, tunc valent sponsalia; sed eorum executio differenda est usque ad causae cessationem. Attamen compars non tenetur diu exspectare.

R. Ad 2um regulariter loquendo sunt illicita, ideo peccant filii contra pietatem et reverentiam parentibus debitam si, ipsis insciis, et inconsultis, sponsalia contrahant; quia parentum cura et potestas postulat ut sine eorum consilio nihil statuatur in re tanti momenti. — Diximus *regulariter loquendo;* quia si parentes eos ab omni matrimonio impedire conantur, non est eis obediendum cum peccati periculo, dicente Apostolo: *Melius est nubere quam uri.* Item si parentes conantur compellere illos ad certas nuptias alioquin abhorrentes, quia filius in matrimonio est sui juris. Quod si persona a parentibus filiis praesentata sit omnino honesta, et digna, nec genio ipsorum repugnans, aequitas in hoc casu dictat contrahere juxta voluntatem parentum.

Q. An parentes pro filiis possint inire sponsalia?

R. Possunt, modo filii sponsalia a parentibus inita, rata habeant si absentes fuerint, vel quando ad aetatem legitimam pervenerint, vel non contradicant, si sint praesentes.

Nota 1^a. Si filii sint absentes sufficit eorum taciturnitas ad validitatem, nec requiritur ratihabitio pro foro externo. Si sint praesentes licet non contradicant, tamen si dissentiant animo ad sponsalia illa, non obligantur in foro interno.

Nota 2^a. Si spondent, vel acceptant tutores, curatores, fratres, etc. sponsalia sunt nulla; solis enim parentibus hoc privilegium lex concedit.

Q. An matrimonium mere civile prout fit in Italia, in Gallia etc. coram magistratu laico haberi possit saltem ad instar sponsalium?

R. Distinguendum: affirmative si contrahentes intentionem habeant recurrendi postea ad Ecclesiam; quia hoc casu sunt vere sponsalia. — Si vero nullam habeant intentionem postea recurrendi ad Ecclesiam, non sunt vere sponsalia, sed matrimonium clandesti-

num, ut pluries declaravit S. Cong. Concilii. Producit tamen ex jure impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum.

Q. Quomodo dividuntur sponsalia?

R. Sponsalia dividuntur: 1° In *ecclesiastica*, quae celebrantur coram sacerdote ad id deputato; et in *clandestina*, quae ineuntur absque ministerio sacerdotali. 2° In *absoluta*, quae a nulla pendent conditione; et *conditionata*, quibus conditio adnexa est. 3° In *simplicia*, quae poenam in resilientem non important; et in *poenalia*, quae poenam continent.

Q. An valida sint sponsalia conditionata?

R. Distinguendum: vel conditio est possibilis, vel impossibilis. Si impossibilis sive de jure, sive de facto nulla sunt sponsalia. Si possibilis subdistinguendum; vel est honesta, vel inhonesta. Si primum, purificata conditione valida sunt. — Si secundum, dummodo non pugnet contra substantiam matrimonii, impleta conditione, valida sunt.

Resolves. Si Titius celebret sponsalia cum vidua praegnante sub conditione ut eliminet prolem, quam jam utero gerit, sponsalia sunt valida, quia ista conditio, uti turpis rejicitur a jure, nec respicit bonum prolis suscipiendae in matrimonio celebrando.

Advertendum quod sponsalia conditionata evadunt absoluta per adimpletionem conditionis, et per consequens non requiritur novus consensus. Evadunt etiam absoluta per copulam carnalem, quia tunc censetur remissa conditio.

Advertendum pariter si Titius contraxerit sponsalia conditionata cum una, et postea alia sponsalia absoluta cum tertia persona; secunda sponsalia sunt nulla, quia res uni promissa alteri repromitti non potest, et licet conditio priorum non verificetur, semper sunt nulla; quia quod a principio non subsistit, tractu temporis convalescere non potest. — Si secunda sponsalia fuerunt jurata, hoc juramentum non obligat, quia vergeret in damnum tertii, nempe prioris sponsae.

Tandem sciendum, quod obligatio eorum, qui contrahunt sponsalia conditionata, est exspectare eventum conditionis, et interim non reddere se impotentes.

Q. An ille, qui promisit matrimonium puellae, ea conditione ut cum alio peccet, eam ducere debeat?

R. Affirmative cum sententia communi, quae docet, hanc sententiam esse omnino tenendam; quia haec conditio non respicit matri-

monium celebrandum, ideo non est contra substantiam ipsius matrimonii.

Q. Quid dicendum si sponsalia inita sint in gradu prohibito, seu sub conditione si Papa dispensaverit?

R. Si Papa non dispenset nulla sunt sponsalia.— Licet permulti Theologi cum D. Thoma affirment, sponsalia esse omnino valida sine novo consensu post obtentam dispensationem, juxta illud: *Actus factus tempore inhabili, relatus ad tempus habile, valet pro illo.* Tamen hodie praxis tribunalium, idest Rotae Romanae, et Cong. Concilii habet haec sponsalia uti nulla, adeo ut obtenta dispensatione, necessarius sit novus consensus.

Q. Quas ob causas praemittuntur sponsalia matrimonio?

R. 1° Ut matrimonium maturius contrahatur. 2° Ut sponsi ad gratiam Sacramenti se praeparent. 3° Ut diligentior fiat inquisitio morum vitae etc.

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS, ET OBLIGATIONE SPONSALIUM.

Q. Quos effectus producunt sponsalia?

R. Duos: 1us Est impedimentum publicae honestatis. 2us Est gravis obligatio matrimonii contrahendi tempore praefinito, nisi habeat justam causam differendi.

Nota. Obligationes ex contractu sponsalium, et obligationes ex seductione ortae in se differunt: quum primae oriantur ex data fide, a qua sponsus altero invito resilire non potest; secundae vero ex generali obligatione reparandi damna illata, quae variis modis reparari possunt. Ita S. Congr. Conc. 13 aug. 1870. Vide *Acta S. Sedis*, vol. 6, pag. 99.

Q. Quandonam obligatio a sponsalibus orta implenda sit?

R. Si terminus fuerit praefixus, eo adveniente, sponsalia sunt implenda.

Q. Quid dicendum si sponsalia fuerint celebrata cum animo promittendi, sed absque animo se obligandi?

R. Nulla sunt; quia deest essentia promissionis, quae consistit in voluntate se obligandi; ideo non est vera promissio. — Item dicendum etiamsi haec promissio sit jurata, ut docent D. Thomas, D. Bonaventura, et D. Antoninus; nam juramentum sequitur na-

turam promissionis: unde festo quod sic promittens peccet, Deum in testem falsitatis vocando, vel saltem inaniter usurpando; non tamen obligatur stare promissis, quia obligatio nascitur ex promissione vera, et non ficta. — Si vero fuerunt celebrata cum animo se obligandi, sed non exequendi, sunt valida, quia jam contraxit obligationem, quod valet, quamvis ad obligationem non advertat; quia jam habet virtualem voluntatem se obligandi.

Q. An liceat sponsalibus apponere poenam?

R. Vel poena apponitur generatim, nempe qui resilit sive juste, sive injuste ad poenam cogatur; vel apponitur speciatim illi, qui injuste resilit. Si primum, poena est illicita, et invalida; quia laeditur matrimonii libertas. — Si secundum, est licita et valida, et obligat in conscientia.

Nota. Qui culpabiliter resilit perdit arrhas suas, et tenetur restituere arrhas alterius partis, et reparare facta damna.

Q. Estne licitum pactum lucrativum in sponsalibus?

Nota. Pactum lucrativum est, quando paciscitur aliquid dari causa contrahendi matrimonium.

R. Negative: quia matrimonium non est mercimonium. Esset tantum licitum, si apponeretur ratione dotis, vel donationis ob inaequalitatem aetatis, vel natalium, vel quando apponeretur a tertia persona.

ARTICULUS III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

Q. Quot modis dissolvuntur sponsalia?

R. Novem modis: 1° Mutuo ac libero sponsi et sponsae consensu. 2° Per susceptionem sacrorum Ordinum. 3° Per ingressum in religionem, saltem quoad partem in saeculo manentem. 4° Per subsequens matrimonium cum altero contractum. 5° Per affinitatem accedentem post sponsalia, sive carnalis illa sit, sive spiritualis. 6° Propter crimen fornicationis post sponsalia commissum, etiamsi fuerint jurata. 7° Propter quamlibet mutationem notabilem in altero supervenientem sponsalibus, v. gr. notabilis difformitas, morbus contagiosus, mutilatio etc. 8° Per diuturnam absentiam unius partis sine consensu alterius, nam censetur juri suo cedere. 9° Cum adversus facta sponsalia reclament, qui ante annos pubertatis ea inierant.

Nota. Ordines minores non dissolvunt per se sponsalia. Sed si sponsus inscia et invita sponsa illos suscipiat, licet adsit sententia negativa, tamen sententia probabilior docet solvi sponsalia ex parte sponsae.

Q. Quid dicendum de pubere, qui contraxit sponsalia cum impubere?

R. Non potest resilire nisi impubes acquirat libertatem, et consentiat; quia privilegium resiliendi a sponsalibus, adepta pubertate, est concessum tantum impuberibus.

Nota 1ª. Impuber, qui fecit sponsalia, debet exspectare pubertatem, qua adepta, etiam altero renuente, ei resilire fas est, modo id agat intra triduum a die cognitionis, tum pubertatis, tum privilegii, idest potest resilire post triduum postquam cognoscit se adeptum esse pubertatem, nam aliter requiritur consensus utriusque, ut patet *ex argumento legis finalis*, cod. *de judiciis.* — Item si duo impuberes contraxerint sponsalia, et unus perveniat ad pubertatem citius altero, statim potest, si vult, dissolvere sponsalia, etiam altero impubere renuente. Excipe ex Alexandro III eos, qui pubertati proximi sponsalia juramento vel copula firmaverint, qui quidem prohibentur resilire, comparte renuente.

Nota 2ª. Sponsalia ab impuberibus celebrata partim sunt rata, partim sunt suspensa. Sunt rata, quatenus inducunt impedimentum publicae honestatis juxta cap. *Libertas de desp. impub.* Sunt suspensa, quatenus impubes, acquisita pubertate, potest ab illis resilire juxta cap. *A nobis de desp. impub.* — Quoad matrimonium ab impuberibus celebratum per verba de praesenti dissolvitur in sponsalia juxta cap. ult. *De desp. impub.*; mens enim contrahentium est, quod, si actus non valeat secundum omnia, valere debeat quatenus potest, modo tamen non intendant matrimonium tantum contrahere.

Proximi pubertati dicuntur mas a decimo anno cum dimidio usque ad quartum decimum; foemina a nono anno cum dimidio usque ad duodecimum.

Q. An per impedimentum superveniens sponsalia solvantur?

R. Distinguendum: si sint impedimenta impedientia (excepta melioris status electione) non solvunt sponsalia, ut probabilius et communissime est. Sed pars innocens potest a sponsalibus resilire, si velit. — Si impedimenta sint dirimentia certe sponsalia dissolvunt ex parte innocentis. At probabilius et communius est non solvi

ex parte nocentis; quia aequum non est, ut commodum ex sua iniquitate reportet. — Quod si innocens matrimonium urgeat, probabilius tenetur nocens aere suo dispensationem expostulare, si fieri possit sine magnis expensis, et longa mora: excipe, nisi esset reparandum damnum deflorationis, vel famae deperditae; tunc etiam magnae expensae erogandae sunt.

Si tamen utraque pars sit innocens, tunc ex superveniente impedimento dissolvuntur penitus sponsalia.

Q. Si quis initis sponsalibus cum Berta, matrimonium contrahit cum Lucia; si Lucia uxor nunc moriatur, reviviscuntne prima illa sponsalia cum Berta contracta?

R. Affirmative, et probabilius est ex regula generali, quod nemo potest ex suo delicto commodum reportare. Sic patet in eo, qui post votum ingrediendi in religionem matrimonium consummaret; iste, fatentibus omnibus, mortua conjuge, jure naturali inspecto, tenetur votum suum implere.

Q. An per notabilem defectum sponsalia dissolvi possint?

R. Si noviter sit detectus, certum est, sponsalia posse dissolvi, licet sint jurata.

Q. Quid si defectus sint occulti? suntne aperiendi?

R. Si defectus reddant nuptias perniciosas, v. g. gravis infamia, morbus contagiosus, pars laborans tenetur eosdem manifestare. — Si reddant nuptias tantum minus appetibiles, v. gr. pauper, deformis, quae putabatur dives, et pulchra; corrupta quae putabatur virgo etc., non tenetur dicere, se immunem a tali defectu; nec tenetur illum manifestare. Et ideo poterit etiam interrogata dissimulare ambigue respondendo.

Q. Quid de mutatione in bonis animi, et corporis in sponsis?

R. Notabilis mutatio in bonis animi sponsalia dissolvit: 1° Quando sponsus cognoscitur ebrietati, ludo, blasphemiis, et impietati deditus. 2° Quando in eo cognoscitur gravis morum asperitas, saevitia, vel infamia. 3° Si ex conjugio timeantur graves inimicitiae, odia, rixae inter conjuges, vel inter eorum parentes.

Mutatio in bonis corporis dissolvit sponsalia, si postea superveniat aliquod grave physicum malum, vel amittat notabiliter venustatem. quae si ab initio extitissent, sponsalia inita nón fuissent.

Q. Quid dicendum si in sponsis fornicatio contigerit?

R. Si sponsus solus fornicatus sit post sponsalia, sponsa potest resilire. Si ante sponsalia, commune est quod sponsa non possit

resilire extra casum, si prolem sponsus non suscepisset, nec possit deprehendi quod similiter facturus sit etiam matrimonio contracto. Si sint hi duo casus sponsa potest resilire.

Si sponsa sola sit fornicata etiam per vim post sponsalia, certum est virum liberum fieri. Quod valet etiamsi fornicatio antecesserit sponsalia, si de illa fornicatione compars inscia foret.

Si fornicatio se teneat ex utraque parte, licet nonnulli affirment, non posse rescindi sponsalia; tamen probabilius, et communiter tenetur posse sponsum resilire, non sponsam; quia longe turpior est sponsae fornicatio.

Q. Quid de mutatione in bonis fortunae quoad sponsalia?

R. Superveniens mutatio in bonis fortunae, quae est paupertas, amissio dotis etc., si reddat nuptias nimis gravosas et noxias, dissolvit sponsalia. — Si reddat tantum minus appetibiles, non solvit sponsalia.

Q. Quid si alterutri sponsorum superveniat ingens haereditas?

R. Quidquid alii dicant communissime est sponsalia non posse dissolvi; quia non fit magis onerosum matrimonium.

Q. Quid si sponsi sint notabiliter dispares conditionis?

R. Si non noverint hanc disparitatem, possunt solvi sponsalia. — Si noverint, vel potest contrahi matrimonium sine dedecore familiae, aut magno scandalo, tenent sponsalia; si secus, non tenent, dummodo non intercesserit defloratio; nam perditio virginitatis, aut bonae famae saltem aequivalet excessui disparitatis sponsi.

Q. Quid si adsit causa sic contrahendi, sed contradicant parentes, et inde ex conjugio timeantur damna et odia inter ipsos?

R. Sanchez docet, abstinendum a matrimonio ex lege charitatis: imo nulla esse sponsalia, cum sint promissio de illicito.

Q. An ob discessum unius e sponsis possint solvi sponsalia?

R. Si sponsus alio transferat suum domicilium, inscia vel invita sponsa, aut si abeat in longinquam regionem, etiamsi cum animo redeundi, jure poterit sponsa transire ad alias nuptias; quia censetur sponsum renuntiasse juri suo. — Si vero sponsus non alio transferat domicilium, et non abeat nisi in locum propinquum, debebit eidem determinari terminus; si redeat inter praefixum tempus, sponsalia tenent; si non redeat, solvuntur sponsalia.

Nota. Regulae ad cognoscendum, an terminus praefixus ad implenda sponsalia sit ad solicitandam, an vero ad extinguendam obligationem, sunt tres: 1ª Si terminus ab una tantum parte ponatur, altera se

negative habente, censetur appositus ad solicitandam obligationem, non vero ad finiendam. Si vero ponatur ab utraque parte, censetur appositus ad eam terminandam. 2ª Si terminus ponatur antequam sponsalia celebrentur, censetur ad terminandam; si post, censetur positus ad obligationem solicitandam. 3ª Si adhuc res dubia sit, censebitur terminus appositus ad solicitandam obligationem, si adhuc commode contraheretur matrimonium; secus ad eam terminandam.

Q. Si quis cum duabus foeminis sponsalia contraxerit, et cum secunda peccaverit, quamnam ducere debeat?

R. Si secunda conscia erat priorum sponsalium, certum est matrimonium esse contrahendum cum prima; quia secunda decipi voluit. — Si vero erat inscia priorum sponsalium, probabilius est matrimonium esse contrahendum cum prima; quia promissio facta secundae est semper nulla, utpote de re illicita; et hoc valet etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata. Ita S. Ligorius. — Excipe in illis locis, ubi non est receptum Concilium Trid., quia tunc ista secunda habent rationem matrimonii clandestini.

Q. An tunc prior sponsa debeat cedere juri suo, si altera ex defloratione grave damnum passura sit?

R. Negative probabiliter. Ratio est, quia secunda sponsa imbecillitati suae hujusmodi damnum imputare debet. Ita S. Ligorius.

Q. Quid juris, si vir, violans obligationem sponsalium, contraheret matrimonium, ut ajunt, civile cum alia muliere, atque deinde postulet idem matrimonium celebrare coram Ecclesia, reclamante prima sponsa? Possetne Ordinarius facultatem facere, ut matrimonium coram Ecclesia contrahatur?

R. Ad rigorem justitiae certe non posset; impedimentum enim canonicum non cessat per illegitimum factum, quod falso nomine matrimonium appellant: cum igitur ex iniquo facto vir non adimpleat fidem datam mulieri, obligationes ex sponsalibus ortae convertuntur (non ex justitiae rigore, sed ex canonica aequitate) in obligationes illas, quae ex generali obligatione derivant reparandi damna illata; ita ut nec videatur Ordinarius posse facultatem facere contrahendi matrimonium coram Ecclesia nisi prius vir damna illata reparaverit, congrue videlicet dotando primam sponsam, si opus sit, et prolis educationi prospiciendo. — Si vir pauper esset, ita ut nihil haberet, tunc emissa obligatione reparandi omnia damna, facultas contrahendi coram Ecclesia permittitur.

Q. An post inita sponsalia fas sit eligere religionem?

R. Per se loquendo fas est post inita sponsalia religionem eligere; quia semper censetur, *nisi status perfectior eligatur.* — Diximus *per se loquendo;* nam si sponsus jam sponsam spe matrimonii deflorasset, et multo magis si proles inde nata esset, vel aliter scandala, aut sponsae infamiae occurri non posset, tenetur tunc a religione abstinere, votique dispensationem petere, si eam forte vovisset; quia censetur renuntiasse statui perfectiori.

Nota 1ª. Certum est: 1° Quod vovens ingredi in religionem, licite vovet et debet ingredi, nec tenetur stare sponsalibus. 2° Per vota ingrediendi in religionem, suscipiendi Ordines sacros, servandae castitatis perpetuae, solvuntur sponsalia ex parte non voventis. 3° Quod si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi, sed etiam profitendi religionem, tunc ex parte utriusque solvuntur; quia vovens fit omnino inhabilis ad contrahendum matrimonium.

Nota 2ª. Si vota servandae perpetuo castitatis, vel suscipiendi Ordines sacros emissa sint ante sponsalia, nullius esse roboris sponsalia sequentia.

Q. An sponsalia solvantur per subsequens votum simplex castitatis perpetuo servandae, vel suscipiendi sacros Ordines?

R. Licet sit sententia negans apud Theologos; tamen sententia probabilissima affirmat, quia promissio sponsalium semper censetur facta sub tacita conditione, *nisi status melior eligatur.*

Q. An ad legitimam sponsalium solutionem requiratur ipsa judicis auctoritas?

R. Si causa dissolvendi est certa, non requiritur judicis auctoritas; si dubia, requiritur. Sed si vera et certa, nequeat vero probari, pars innocens poterit per se a sponsalibus resilire, modo non sit scandalum.

ARTICULUS IV.

DE PROCLAMATIONE BANNORUM.

Q. An sit necessaria proclamatio bannorum?

R. Est necessaria necessitate praecepti Ecclesiae in Conciliis Lateranensi IV et Tridentino intimati; non vero est necessaria ad valorem matrimonii.

Q. A quibus fieri debeant proclamationes?

R. Debent fieri a proprio Parocho utriusque contrahentis.

Q. An peccet graviter Parochus omittens proclamationem, si sciat nullum adesse impedimentum?

R. Affirmative; quia etiamsi nullum appareat impedimentum ante bannorum proclamationem, fieri potest ut iis proclamatis aliquod superveniat.

Q. An peccet graviter Parochus si unam tantum proclamationem sine dispensatione omittat?

R. Controvertitur. Affirmant alii, quia ut pars gravis totius praecepti habenda est. Negant vero alii, quorum sententiam probabilem vocat S. Alphonsus. Probabilius est autem omissionem duarum denuntiationum esse peccatum mortale.

Q. Ubi debent fieri proclamationes militum, vagorum et alienigenarum?

R. Militum banna sunt facienda in loco ubi sunt in praesidiis. Insuper in domicilio parentum, si sint minores; si autem sint majores, in loco ubi residebant ante militiam susceptam; quia aliud non acquisierunt domicilium juris. Ita communiter.

Banna vagorum et alienigenarum juxta communem sententiam publicanda sunt in domicilio facti et in loco originis, si alibi verum domicilium non obtinuerint, vel saltem in loco, in quo diutius commorati sunt. Insuper habendum est testimonium authenticum de eorum statu libero.

Q. Quo in loco, quo tempore, et quoties fieri debeant proclamationes?

R. Debent fieri in ecclesia inter Missae solemnia, vel probabiliter etiam tempore concionis, vel processionis; imo etiam extra ecclesiam in loco magni concursus saltem sine culpa gravi; tribus diebus festivis continuis non tamen probabiliter immediatis.

Q. Quid si contrahentes mutent paroeciam post denuntiationes?

R. Si fuerint per quatuor menses in alia paroecia, tenentur denuo facere denuntiationes; sin minus, tenentur facere unam in paroecia novi domicilii, duas in ea unde discesserunt.

Q. An omnes contracturi sponsalia subjiciantur legi proclamationis?

R. Affirmative, quia lex est omnino generalis. — Ex usu tamen excipiuntur principes. Excipitur etiam casus necessitatis, v. g. Si quis morti proximus concubinam ducere vellet ad prolem legitimandam, et periculum esset in mora.

§ 1. *De revelatione impedimentorum.*

Q. Quinam tenentur revelare impedimentum?

R. Omnes, qui extra confessionem noverunt aliquod impedimentum, etiam occultum, inter nupturientes, tenentur sub mortali illud detegere, licet isti qui norunt impedimentum sint consanguinei. Excipiuntur tamen illi, qui norunt impedimentum per secretum commissum petendi consilii causa, v. g. medicus, advocatus, Parochus etc., modo id fiat ratione eorum professionis.

Q. An revelari debeant impedimenta cognita sub secreto commisso cum juramento?

R. Affirmative; quia secretum naturale etiam commissum et juratum non obligat, quando damnum grave communitati, vel tertiae personae imminet. Ita S. Ligorius.

Q. An tenearis revelare cum gravi tuo incommodo, vel detrimento?

R. Negative generatim loquendo, quia lex Ecclesiae et charitas non obligant cum tanto incommodo. Ita communiter.

Q. An tenearis impedimentum revelare, si tu solus illud noveris, nec probare possis?

R. Affirmative; quia in praesenti materia sufficere potest unius testimonium. Ita communissima, et verior sententia.

Q. An ipsi contrahentes impedimentum revelare teneantur?

R. Affirmative, quia hic non agitur de poena infligenda, sed de evitando peccato.

Nota. Contracto matrimonio, lex denuntiandi cessat, quae solum lata est ad praeveniendam matrimonii nullitatem; remanet tamen semper lex charitatis, si speretur bonus effectus ex revelatione impedimenti postea cogniti.

Q. Quomodo se gerere debet Parochus, cum novit aliquod impedimentum, aut cum fit oppositio futuro matrimonio?

R. Parochum non posse ulterius procedere; neque in denuntiationibus perficiendis, neque in celebrando conjugio, donec sublata sit oppositio.

§ 2. *De dispensatione bannorum.*

Q. Ad quos pertinet facultas dispensandi a publicis denuntiationibus?

R. Ad solos Episcopos, quia Concilium Tridentinum hoc remittit *prudentiae et judicio Episcoporum.*

Q. An cum sponsi sint ex diversis Dioecesibus, dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda sit?

R. Affirmative. Quia nulla est connexio inter dispensationem unius, et dispensationem alterius.

Q. An requiratur dispensatio bannorum ad conjungendos concubinarios jam civiliter unitos, si unus eorum sit in articulo mortis?

R. Negative; quia casus ille omnino a lege excipiendus videtur. Ita Gury et alii.

Q. An Vicarius generalis possit dispensare a proclamationibus bannorum?

R. Affirmative probabilius; modo Episcopus sibi hoc non reservaverit, aut contradicat.

Q. Quaenam sint causae dispensandi in proclamationibus?

R. Duplicis sunt generis: aliae ob quas Episcopus tenetur dispensare, et sunt: 1° Timor ne matrimonium malitiose impediatur. 2° Si matrimonium sit necessarium ad vitandum scandalum, vel infamiam contrahentium. 3° Si sponsus statim debeat longe proficisci. 4° Si parentes, vel tutor cogant virginem, ut nubat indigno. 5° Si immineat periculum incontinentiae.

Aliae propter quas Episcopus non tenetur, sed potest dispensare, et sunt: 1° Si nuptiae sint contrahendae inter magnates. 2° Si sponsi sint valde senes etc. 3° Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum. 4° Si immineat tempus Quadragesimae, vel Adventus.

CAPUT II.

De matrimonio.

ARTICULUS I

DE ESSENTIA, ET DIVISIONE MATRIMONII.

Q. Quid est matrimonium?

R. Prout est contractus, definitur: *Contractus, quo vir, et foemina sibi invicem legitime tradunt, et accipiunt corporum suorum dominium perpetuum ad usum conjugalem* (cui si addentur haec verba habetur definitio matrimonii quatenus est Sacramentum), *elevatus a Christo ad gratiam significandam, et conferendam.*

Dicitur matrimonium a verbis *matris munium*, idest officium matris.

Q. Quomodo dividitur matrimonium?

R. Dividitur in legatimum, in ratum, et consummatum.

Legitimum est *illud*, *quod inter personas a lege non prohibitas contrahitur*, quale etiam nunc est inter non baptizatos.

Ratum est *illud*, *quod a solis fidelibus contrahitur.* Hoc habet tantum rationem Sacramenti.

Consummatum est *illud*, *quod*, *accedente copula carnali*, *extrinsece completur.*

Matrimonium subdividitur ratione contractus, et ratione vinculi. Ratione contractus definitur ut supra. — Ratione vinculi definitur: *Viri*, *ac mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas*, *individuam vitae consuetudinem retinens.*

§ 1. *De matrimonii sanctitate*, *et obligatione.*

Q. An matrimonium sit Sacramentum?

R. Est vere, et proprie unum ex septem novae legis Sacramentis. Est de fide definitum a Tridentino contra novatores. Paulus Apost. ad Ephes. ait de matrim.: *Sacramentum hoc magnum est*, *ego autem dico in Christo*, *et in Ecclesia.*

Q. Matrimonium fuitne Sacramentum in veteri lege?

R. Sub antiqua lege fuit Sacramentum tantum late sumptum, quia a Deo fuit ordinatum, ut esset signum sacrum, sed speculativum tantum unionis Verbi Divini cum humana natura, et Christi cum Ecclesia.

Q. Licitus ne est usus matrimonii, honestus, ac potest esse meritorius?

R. Est de fide contra varios haereticos damnatos a variis Conciliis, usum matrimonii esse licitum et honestum, dicente Apostolo Paulo: *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit* (Epist. 1ª ad Corint. c. 7).

Quod sit etiam meritorius prob. Quia actus matrimonii est praecepti impletivum, cum sit redditio debiti: factus igitur ex charitate fit de se meritorius.

Q. Utrum exstat praeceptum contrahendi matrimonii?

R. Fuit praeceptum in initio mundi. Multiplicatis hominibus desiit praeceptum nubendi, ut Christus docuit: *Non omnes capiunt verbum istud* (non nubere), *sed quibus datum est.*

Q. Quandonam matrimonium fuit institutum?

R. Si sumatur pro contractu, certum est ipsum fuisse institutum ante peccatum hominis. — Si sumatur pro Sacramento, nonnulli censent in nuptiis in Cana Galilaeae. Sed probabilius dicitur, fuisse institutum, cum Christus ejus indissolubilitatem sancivit, aut solemniter confirmavit.

Q. Qua ratione dicatur magnum Sacramentum?

R. Ratione unionis Dei cum anima; ratione unionis Christi cum Ecclesia; ratione unionis Verbi Divini cum humanitate.

Q. Utrum matrimonium inter baptizatum, et non baptizatum verum sit Sacramentum?

R. Prima sententia negat, et hanc tenent Sanchez, et nonnulli alii; quia Sacramentum non potest esse in uno et non in alio, sed est necessario in duobus. — Secunda sententia affirmat, quam tenemus cum Catharino et permultis aliis; quia gratis asseritur, quod Sacramentum sequatur naturam contractus, ac proinde debeat necessario esse in duobus. Habemus exemplum multarum sanctarum mulierum, quae connubium inierunt cum infidelibus.

Q. An inter duos fideles dari possit matrimonium validum in ratione contractus, et non in ratione Sacramenti?

R. Est controversia inter Theologos. Prima sententia affirmat, quia de facto contingit in Lutheranis, qui non agnoscunt matrimonium ut Sacramentum, sed ut pure contractum civilem. Ita Cajetanus, Charmes, Vasquez etc. — Secunda sententia longe probabilior et verior, quam amplectimur, negat; quia contractus matrimonialis evectus est a Christo ad rationem Sacramenti, et partes contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti, ut communissima tenet sententia; ideo necessario conficiunt, et recipiunt Sacramentum. Ergo vel est Sacramentum si sit matrimonium; vel non est matrimonium si non sit Sacramentum, ut declaravit Pius IX in allocutione quam habuit ad Cardinales die 27 sept. 1852.

Q. Utrum matrimonium infidelium, accedente Baptismo, evadat Sacramentum?

R. Non conveniunt Theologi; sed probabilior et communior sententia affirmat, modo post Baptismum coram Parocho, et testibus ipsum ratificent, habeantque intentionem saltem implicitam faciendi quod facit Ecclesia. Ratio est; quia in hac matrimonii ratificatione nihil deest ad rationem Sacramenti.

Q. Utrum matrimonium fidelis cum infideli, ex dispensatione pontificia contractum, sit Sacramentum?

Nota. Certum est infidelem non posse recipere Sacramentum, cum Baptisma sit janua Sacramentorum.

R. Prima sententia negat; quia Sacramentum non potest esse in uno et non in altero loquendo de matrimonio. Ita Sanchez etc.— Sed sententia, quam nos amplectimur, affirmat; quia non est praesumendum, quod Pontifex dispensaret fidelem ad contrahendum hoc matrimonium, nisi esset Sacramentum; et eo magis hoc credendum; quia ut diximus non potest Sacramentum separari a vero matrimonio.

Q. Utrum virginitas sit excellentior matrimonio?

R. Est de fide definitum contra Juvinianum a Siricio Papa, virginitatem esse excellentiorem, et meliorem matrimonio. Pariter fuit definitum a Concilio Tridentino contra novos haereticos: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel caelibatus, et non esse melius, et beatius manere in virginitate, aut caelibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.*

§ 2. *De fine, materia, et forma matrimonii.*

Q. Quotuplices sunt fines matrimonii?

R. Duplicis generis, essentiales nempe, et accidentales. — *Essentiales* sunt intrinseci, et pertinent ad matrimonii naturam, scilicet: 1° Mutua corporum traditio in ordine ad debitum conjugale. 2° Vinculum indissolubile resultans ex ipso contractu. — Fines *accidentales* sunt: 1° Procreatio prolis. 2° Remedium concupiscentiae. 3° Solatium vitae per societatem. 4° Pax familiae conciliandae.

Q. Quinam fines intendi debent in matrimonio ineundo?

R. Ad valide et licite contrahendum requiritur, ut fines intrinseci essentiales vel intendantur expresse, vel saltem positive non excludantur. — Salvis finibus essentialibus, valide et licite contrahit, qui fines extrinsecos accidentales excludit.

Q. Potestne deduci in pactum non procreare prolem?

R. Potest deduci in votum, non vero in pactum. Pactum enim respicit personam cum qua contrahitur, et cadit in contractum; votum vero respicit Deum, et est extra contractum; unde contractus matrimonialis bene consistere potest cum voto castitatis.

Q. An liceat matrimonium contrahere principaliter in remedium concupiscentiae?

R. Prima sententia negat, et habet ut veniale; quia finem secundarium eligit prae primario. Ita S. Thomas. — Secunda sententia aeque communis et probabilis affirmat, quia ait Apostolus Paulus! *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat:* ergo est finis licitus. Ita Cajetanus, Salmanticenses, Catechismus Romanus, et alii.

Q. An liceat contrahere matrimonium principaliter ob fines extrinsecos accidentales?

R. Distinguendum: vel finis est turpis, vel honestus. Si prius, est veniale; si vero excludat fines primarios est mortale. — Si posterius, nullum est peccatum.

Q. Quaenam est materia remota, et proxima Sacramenti matrimonii?

R. Materia remota, seu circa quam, sunt contrahentium corpora; quia eadem corpora sunt materia ipsius contractus matrimonialis. — Materia proxima, seu ex qua, est corporum ad actum conjugalem traditio; quia in hoc Sacramento nulla alia excogitari potest materiae applicatio, quam corporum traditio.

Q. Quaenam est forma Sacramenti matrimonii?

R. Est mutuus contrahentium consensus verbis, aut nutibus expressus; quia hic consensus determinat corporum traditionem ad esse firmum, et ratum contractum.

§ 3. *De ministro matrimonii.*

Q. Quinam est matrimonii minister?

R. Non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes; et est communis contra nonnullos. Prob. ex Concilio Florentino dicente: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus:* ergo illi soli sunt ministri matrimonii, qui conficiunt matrimonium per consensum. Insuper Concil. Tridentinum expresse declarat omnia conjugia clandestina (idest sine assistentia Parochi) ante ipsum Concilium celebrata fuisse rata, et vera, ac proinde etiam Sacramenta; quia matrimonia fidelium nequeunt esse rata et vera, quin simul sint etiam Sacramenta. Quod esse non posset juxta sententiam adversariorum.

Q. An validum sit matrimonium inter absentes celebratum?

R. Quoad contractum nullum est dubium. Quoad Sacramentum discordia est inter Theologos. Sed sententia communior, et verior

affirmat, quam amplectimur; adsunt enim omnia requisita ad Sacramentum.

Q. Quaenam sint conditiones a jure requisitae ut matrimonium inter absentes sit validum?

R. Sex: 1° Ut procurator habeat speciale mandatum. 2° Ut a seipso mandatum impleat; quia subdelegare non potest. 3° Ut mandatum non fuerit revocatum antequam contraxerit procurator. 4° Ut mandatum sit de contrahendo cum certa, et determinata persona. 5° Ut procurator ostendat mandatum Parocho et testibus, et contrahat coram eis. 6° Ut procurator non deficiat in essentialibus.

Q. An valeat matrimonium, si mandans dederit mandatum ficte, et ante celebrationem ratificaverit mandatum?

R. Controvertitur. Alii probabilius affirmant esse validum, quia verba procuratoris sunt verba exprimentia consensus praesentis. Alii vero non improbabiliter negant, quia mandatum, deficiente animo contrahendi, fuit nullum. Verum prima tenenda sententia, si ratihabitio fiat etiam per aliquem actum externum.

Nota. Si ficte aliquis exterius mandatum dederit, licet intus serio consenserit, invalidum est matrimonium factum per procuratorem. Nam cum nullum fuit ab initio mandatum exterius, nequit solo interno consensu validari.

Q. Quid de matrimonio contracto per litteras?

R. Debet fieri sicut matrimonium per procuratorem: tunc vero hoc matrimonium per epistolas contrahitur quando foemina aperit epistolam viri coram Parocho et testibus, et consensus praestat, nec requiritur ut illa ad virum rescribat. Ita S. Ligorius. — Sed hic modus in praxi non admittitur ob plura inconvenientia, quae timeri possunt. Item S. Lig. Pariter sic dicendum de matrimonio per procuratorem.

Q. Quomodo se gerere debent Parochi cum iis, qui petunt matrimonio conjungi, et propter eorum peccata non sunt dispositi, nec fortasse post plures menses, aut annos essent?

R. Si publicus et certus peccator Sacramentum petat, et indispositus permaneat, non est admittendus; occultus peccator, si occulte petat, et absque scandalo repelli possit, admittendus non est. — Peccator, quem talem Sacramenti minister ex sacramentali confessione agnoscit, semper est admittendus.

Si pars una disposita petat, et accedat ad matrimonii Sacramentum, quamvis pars altera etiam notorie sit indisposita, ad matrimonii celebrationem deveniendum est, ut patet ex praxi matrimonii

contrahendi a parte catholica cum alia disparis cultus, et ex regulis traditis a Doctoribus de cooperatione. Ita Sac. Poenit.

Q. Parochus matrimonium quoddam invalide contractum ex errore denuo coram se contrahere curavit, nullis testibus adhibitis. Quid agendum?

R. Dummodo publice habeantur pro legitime conjunctis, et ipsi revera in bona fide sint, et certiorari non possint de nullitate matrimonii absque gravis scandali, vel perturbationis periculo, ut matrimonium denuo contrahant cum testibus, in eorum bona fide relinquantur.

§ 4. *De matrimoniis ad morganaticam, et conscientiae.*

Q. Quid dicendum de matrimoniis ad morganaticam?

Nota. Matrimonium hoc dicitur etiam *sinistrae manus*, a Gallis autem dicitur etiam *ad legem salicam;* est matrimonium, quo vir nobilis post susceptos ex prima uxore nobili liberos, ea defuncta, alteram ex humiliori ordine privatim ducit, obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione; addita conditione, ut tam mulier, quam filii ex ea nascituri nihil neque de nobilitate participent, neque de haereditate, exceptis nonnullis donis ipsis ab initio tributis.

R. Est verum matrimonium, cum non deficiat in substantialibus; sed disconvenit sine gravissima causa illud celebrare, cum aequalitatem inter sponsos nimium sane laedat.

Q. Quid dicendum de matrimoniis conscientiae?

Nota. Est matrimonium occultum quod, omissis denuntiationibus, contrahitur coram Parocho, et duobus testibus fidelissimis, ea lege ut non reveletur. Conscientiae dicitur, quia palam non innotescit.

R. Est omnino validum, cum omnia essentialia includat. Benedictus XIV in Const. *Satis vobis* tribuit facultatem solis Episcopis dandi licentiam sub istis conditionibus: 1° Ut adsit urgentissima causa. 2° Ut omnino constet nullo ligari impedimento partes, et tenebuntur intra dies triginta prolem natam et baptizatam denuntiare Episcopo; secus in gratiam filiorum publicatur matrimonium. 3° Ut in cancellaria episcopali liber retineatur sigillo clausus, ubi illud matrimonium describatur: et alio simili libro proles inde nata adnotabitur fideliter. Qui libri omnem merentur fidem.

Q. Nonne parit scandalum hoc matrimonium? ac proinde ut omnino illicitum habendum?

R. Non est habenda ratio hujusce scandali, cum adsit justa causa matrimonium sic contrahendi; tunc scandalum non erit datum, sed acceptum.

ARTICULUS II.

DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

Q. Ad valorem matrimonii requiriturne, ut intendatur copula carnalis?

R. Negative. Quia non est de essentia matrimonii, cum sit posterius matrimonio.

Q. Quot conditiones necessario requiruntur ad consensum matrimonialem?

R. Quinque: 1° Debet esse verus, et mutuus. 2° Debet esse signo aliquo externo expressus. 3° De praesenti. 4° Consensus utriusque debet esse simul moraliter. 5° Debet esse omnino liber.

Nota. Metus gravis irritat matrimonium incussus a causa libera injuste ad extorquendum consensum; quia si a causa necessaria orietur, v. g. timore inferni, tempestate etc., matrimonium minime irritaret. Pariter si juste sit incussus, non invalidat matrimonium. Pariter si incutiatur non ad extorquendum consensum, sed ob alium finem, valet matrimonium.

Q. Quid si matrimonium initum supradicto metu fuisset juramento firmatum?

R. Nihilominus foret invalidum.

Q. An ad matrimonium sufficiat consensus conditionatus?

R. Distinguendum: vel conditio apposita est honesta, vel inhonesta, vel impossibilis. Si *honesta* subdistinguendum; vel est de praesenti, v. g. *Contraho tecum si nobilis es;* aut de praeterito subsistente, v. g. *Si tale crimen non commisisti;* vel de futuro contingenti, v. g. *Si patruus tuus te suum haeredem constituerit.* . . Si primum, et secundum validum est matrimonium, si conditio exstet. Si tertium, non perficitur matrimonium donec impleatur conditio; ut definivit Urbanus III.

Si conditio sit *inhonesta*, vel pugnat contra substantiam matrimonii, vel non pugnat contra substantiam matrimonii. Si primum, invalidum est matrimonium. — Si secundum, validum est matrimonium.

Si conditio sit *impossibilis*, v. g. *Contraho tecum si solem stare fe-*

veris, matrimonium est omnino validum; quia illa conditio censetur non fuisse serio facta.

Q. Quid, si conditio sit, v. g. Contraho tecum, si pater meus consentiat; et pater sit mortuus tempore illius conditionis?

R. Si ille, qui ponit hanc conditionem jam scit mortuum patrem, commune est, valere matrimonium, et illa conditio habetur pro non adjecta uti impossibilis. — Si mortem ignoraverit, Sanchez docet probabilius adhuc valere matrimonium; quia conditio sic intelligitur, ne scilicet contra voluntatem patris contrahatur.

Q. Quid dicendum, si conditio pendeat a voluntate tertii, v. g. Si parentes consentiant?

R. Cum distinctione: si conditio est de praesenti, vel de praeterito, stante conditione, valet matrimonium; si de futuro, suspenditur consensus usque ad purificationem conditionis. — Si parentes taceant, silentium eorum pro consensu, vel dissensu censetur, ut ex adjunctis circumstantiis induci potest. Si primo assentiant, postea dissentiant, vel e converso, semper secundum debet considerari.

Q. An ad valorem matrimonii requiratur consensus parentum?

R. Negative; contra Lutherum, et alios ex Concil. Trident. sess. 24, *de reformatione.*

Nec dicas quod vota filiorum possunt irritari a patre; ergo etiam matrimonium celebratum absque consensu parentum; nam ideo vota possunt irritari a patribus, quia Deus vult ut promissio sibi facta pendeat a consensu parentum, non sic matrimonium: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae.*

Q. Quid de conditione educandi prolem in cultu idololatriae, vel in haeresi?

R. Quoad primum, matrimonium est nullum, cum id repugnet aperte bono prolis. — Quoad secundum, matrimonium valet, quia omnimode non excluditur Christiana Religio, etsi pactum illud iniquissimum sit, proinde nullius roboris.

Q. An valide contrahatur matrimonium cum pacto nunquam se cognoscendi?

R. Negative, ut patet ex Gregorio IV, qui loquitur distincte in *cap. finali* de conditionibus substantiae matrimonii contrariis.— Neque ex hoc eruitur matrimonium B. Virginis cum Divo Josepho non fuisse verum matrimonium. Nam constabat per revelationem B. Mariae Virgini alterum conjugem non petiturum debitum; sed quia hoc non fuit deductum in pactum, matrimonium fuit validum.

Q. An cum errore, vel dubio facti consistere possit consensus sufficiens ad matrimonium, v. g. Titius certo credens, vel dubitans suam primam conjugem adhuc vivere, contrahit; prima tamen conjux, ipso nesciente, revera mortua est?

R. Si cum errore probabilius non valet tale matrimonium; nam nemo vult, aut velle potest sincere quod firmiter credit sibi esse impossibile. — Si vero tantum sit cum dubio valet matrimonium, quia tunc vult homo contrahere quantum potest.

Q. An verificata conditione novus requiratur consensus?

R. Duplex est sententia. Prima affirmat cum D. Thoma, quia matrimonium etiam Sacramentum est, cujus valor suspendi nequit, sed vel statim, vel nunquam obtinet. — Secunda sententia probabilior negat. Verum in praxi consultius est renovare consensum. Ita communiter.

Q. Quid de matrimonio inito sub modo, vel sub causa, vel sub demonstratione?

Nota. *Modus* est adjectio oneris, ad quod volumus obligare contrahentem, v. g. Contraho tecum, ut tuam nobilitatem consequar etc.

Causa est, cum denotatur ratio ob quam contrahitur, v. g. Contraho tecum, quia es virgo, pulchra etc.

Demonstratio est, quoties significatur aliqua qualitas in contrahente, v. g. Contraho tecum, quae es dives, quae pia es etc.

R. Si demonstratio et causa non apponantur sicut verae conditiones, non vitiant matrimonium, licet sint turpes, falsae, contrariae substantiae matrimonii; nam proprie ad substantiam contractus non pertinent, sed sunt quaedam ipsi contractui superaddita. Idem dicendum de modo; nam consensus non pendet a modo sicut pendet a conditione. Attamen probabilius excipiunt, si modus sit contra substantialia matrimonii, ut v. g. si dicas: duco te, ut adulterium facias.

Q. An sit licitum contrahere cum consensu conditionali?

R. Negative, nisi adsit urgentissima causa.

Q. Quid agendum, si quis dicat se ficte consensisse?

R. 1° Quoad forum externum fides ei non adhibetur, nisi ex circumstantiis pateat. — Quoad forum internum, qui asserit se ficte consensisse, obligandus est: 1° Ab abstinendo a debito petendo et reddendo, donec vere consenserit. 2° Ordinarie etiam ad consensum verum ponendum ut sic reparet injuriam illatam comparti. —

Diximus *ordinarie;* quia si compars separationi consenserit, vel ipse ad contrahendum coactus fuerit, consensum supplere non tenetur.

Q. Quid, si duo sint celebrata matrimonia conditionata?

R. Illud valet, cujus conditio prius verificatur, licet sit posterius initum; quia prius absolutum evadit. Quod si eodem tempore conditio utriusque matrimonii verificetur, neutrum valet; quia est incertum utrumque, et unum alterum impedit. Scavini.

CAPUT III.

De bonis, et proprietatibus matrimonii.

Q. Quot sunt bona matrimonii?

R. Sunt tria, scilicet proles, fides, et Sacramentum. — Per *fidem* intelligitur unitas matrimonii. — Per *prolem* intelligitur prolis susceptio et educatio ad cultum Dei. — Per *Sacramentum* intelligitur tum augmentum gratiae sanctificantis, tum gratia sacramentalis et indissolubilitas.

Haec tria bona pertinent ad substantiam matrimonii, ac proinde vocantur bona substantialia. Quare contraheret contra bonum Sacramenti et simul fidei, ideo invalide, qui diceret: *Contraho tecum donec inveniam aliam ditiorem;* contra bonum fidei, qui diceret: *Contraho tecum si pro quaestu ad adulterandum te tradas;* contra bonum prolis, qui diceret: *Contraho tecum, si generationem prolis evites.*

Conditio circa bonum prolis et fidei ad invalidandum matrimonium requiritur ut sit expressa.

Q. Quot sunt proprietates matrimonii?

R. Sunt tres, nempe *unitas*, secundum quam vir plures uxores et uxor plures viros habere non possunt. — *Indissolubilitas*, quia conjux ab altero conjuge vivente separari nequit. — *Castitas*, qua usus matrimonii sanctificatur.

ARTICULUS I.

DE UNITATE MATRIMONII.

Q. Quid est bigamia?

R. Est *ulterius connubium, nempe secundum post compartis mortem.*

Q. Quid est polygamia?

R. Est *connubium unius viri cum pluribus simul uxoribus, aut unius uxoris cum pluribus simul viris;* et tunc dicitur *polyandria*, seu *biviratus.*

Conclusio. Ecclesia secundas, et ulteriores nuptias generatim nec persuasit unquam, nec ex voto probavit, a quibus exoptasset, ut abstinerent fideles; nusquam tamen eas pro noxiis ac pér se illicitis habuit. Est de fide contra Montanistas et Novatianos.

Prob. ex Concil. Florentino: *Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas, atque ulteriores nuptiās, si aliquod impedimentum canonicum non obstet, licite contrahi posse.*

Nota. Certum est, polygamiam respectū mulierum ipso jure naturae esse illicitam; quia fini primario matrimonii, nempe generationi et educationi prolis est opposita.

Conclusio. Simultanea uxorum pluralitas adversatur legi naturali et primaevae matrimonii institutioni.

Prob. ex Gen. 2, ubi dicitur: *Relinquet homo... et erunt duo in carne una.* Atqui duorum in carne una conjunctio polygamiam excludit, qua non duo, sed plures essent in carne una: ergo etc.

Conclusio. Deus a lege vetante polygamiam dišpensavit cum veteribus Patriarchis et aliis in lege mosaica.

Prob. Quod est contra jus naturale, sola Dei auctoritas dispensare potest: atqui veteribus Patriarchis licitum fuit plures simul habere uxores. Ergo etc.

Conclusio. Christus in Lege nova matrimonium ad primaevam suam revocans originem, dispensationem datam veteribus plane revocavit, atque conjunctionem cum pluribus simul uxoribus illicitam fecit et irritam. Est de fide contra Lutherum et alios.

Prob. ex Lucae c. 16: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur.* Ergo a fortiori moechatur qui, priori retenta, alteram adjungit. Concil. Tridentinum definivit: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, anathema sit.*

ARTICULUS II.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Q. Quotuplex est dissolutio matrimonii?

R. Duplex, alia propria, et alia impropria. *Propria* est ea, qua conjuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint inire nuptias; et vocatur etiam dissolutio *quoad vinculum.* — *Impropria*,

quae et *divortium* dicitur, est ea, qua conjuges fiunt immunes vel ab obligatione reddendi debiti, et dicitur *dissolutio quoad torum;* vel ab obligatione simul habitandi, et dicitur *dissolutio quoad habitationem;* vel ab utraque, tum reddendi debiti, tum cohabitandi obligatione, et dicitur *dissolutio quoad torum et habitationem.*

Q. Utrum matrimonium sit indissolubile quoad vinculum?

R. 1° Quodvis matrimonium, sive legitimum, sive ratum, sive consummatum jure divino est indissolubile quoad vinculum. Est efinitum in Conc. Tridentino his verbis: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit.*

2° Matrimonium ratum, pariter matrimonium consummatum jure naturae sunt indissolubilia; quia indissolubilitas matrimonii rati fuit instituta ab ipsa natura in sui principio. Solubilitas autem matrimonii consummati adversatur fini primario matrimonii.

Q. An matrimonium sit ita indissolubile, ut propria auctoritate contrahentium dissolvi nequeat?

R. Affirmative, ut patet ex Conc. Trid., sess. 24; imo conditio de dissolubilitate matrimonii est contra substantiam conjugii, ut dictum est.

Neque dicas, res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ex cap. 1 *De regulis juris;* quia hoc valet de contractibus temporalibus, qui solo mutuo consensu fiunt, non vero de contractu (ut est matrimonium), qui ex divina institutione est indissolubile.

Q. Utrum matrimonium infidelium non baptizatorum etiam consummatum dirimatur, cum unus conjugum convertatur ad Fidem Christianam?

R. Affirmative, dummodo alter in infidelitate contumaciter permaneat, et hoc variis casibus, nempe: 1° Si infidelis discedat, et nolit habitare cum fideli. 2° Si nolit cohabitare sine injuria Creatoris et fidei. 3° Si partem fidelem ad peccatum mortale pertrahat.

Nota. Certum est, vinculum matrimonii non solvi, si uterque conjux ad Fidem Christianam convertantur.

Q. Quandonam censeatur dissolutum tale matrimonium, an statim post Baptismum, an vero post contractas secundas nuptias?

R. Dissolvi per subsequentes nuptias compartis fidelis, non vero ipso jure per Baptismum.

Q. Utrum si infidelis interpellatus nolit converti, sed tamen con-

sentit pacifice cohabitare, acquirat nihilominus pars conversa jus ad alia vota transeundi, et liceat ei ab eo separari etiam quoad vinculum?

R. Licet diversae sint sententiae Theologorum; tamen in praesenti tempore, si infidelis monitus converti recuset, regulariter loquendo fidelis debet eum relinquere, eique liberum est ad alias nuptias transire, ex instructionibus Gregorii XIII et Pii V.

Diximus *regulariter loquendo;* nam excipitur si Episcopus justissimis de causis dispenset ad cohabitandum.

Q. Utrum privilegium Fidei intelligendum sit etiam de catechumenis?

R. Negative, ut patet ex responso S. Congr. de Prop. Fide.

Q. Quomodo agendum sit cum infideli, qui ad fidem convertitur si plures habet uxores?

R. Cum distinctione: vel constat unam esse veram uxorem inter illas, vel nullam esse, vel dubium est, an aliqua vera sit uxor. Si primum, ipsa retinenda est, modo velit converti, ut patet. — Si secundum, nubat quamlibet sibi placet. — Si tertium, Urbanus VIII decrevit posse permitti secundum matrimonium cum quacumque ex illis, quae ipsi magis placuerit.

Q. Utrum si conjux fidelis, altero nolente converti, professionem religionis probatae emittat, possit pars infidelis ad secunda vota transire?

R. Affirmative. Quia professio religionis dirimit vinculum conjugii rati fidelium: ergo a fortiori consummati infidelium.

Q. Quid sit interpellatio, et quo jure necessaria?

R. 1° Est admonitio verbis, vel scriptis etc., qua pars fidelis monet compartem infidelem, se ad veram fidem conversam esse, et ab eo sciscitatur, an velit pariter ad fidem converti.

R. 2° Interpellatio necessaria est tum de jure naturali, tum divino, tum ecclesiastico, nisi interveniat dispensatio Romani Pontificis. — Haec interpellatio fieri debet juxta normam Brevis Gregorii XIII.

Q. Utrum in Lege veteri matrimonium dirimeretur per libellum repudii?

R. Duplex est sententia. Prima docet non fuisse dissolutum matrimonium. — Secunda docet solutum fuisse matrimonium, et factam fuisse liberam licentiam ad aliud matrimonium. Hanc sententiam nos tenemus; quia Ss. Scripturae debent intelligi in sensu

proprio et naturali quantum fieri potest; sed ita intellecta concedebant veram licentiam. Ergo etc.

Q. Utrum vinculum conjugale Christianorum sit omnino indissolubile, ita ut nec per adulterium solvi possit?

R. Affirmative, et est dogma catholicum; quia Concil. Tridentinum quoad vinculum definivit: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi... anathema sit* (sess. 24, can. 7).

Q. Utrum matrimonium ratum dissolvi possit per votum simplex castitatis?

R. Negative, ex Alexandro III et ex D. Thoma dicente: votum simplex est nuda promissio Deo facta; matrimonium vero est actualis traditio proprii corporis facta conjugi: ergo non dirimitur; a fortiori neque dirimitur matrimonium consummatum.

Q. Utrum dirimatur matrimonium per solemnem conjugis professionem in religione a Sancta Sede approbata?

R. Est de fide, quod dirimatur matrimonium ratum, non vero consummatum. Concil. enim Tridentinum definivit: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Nota. Non vero solvitur per religionis ingressum; ideo conjux remanens in saeculo alteri nubere non potest tempore novitiatus compartis.

Q. An matrimonium ratum dirimatur per susceptionem Ordinis sacri?

R. Susceptio Ordinis sacri etiam episcopalis non dissolvit matrimonium, ut definivit Joannes XXII; quia homo per susceptionem Ordinis sacri non moritur civiliter sicut Religiosus, et matrimonium non repugnat statui sacerdotali.

Q. Quo jure matrimonium ratum dissolvatur per solemnem religionis professionem?

R. Duplex est sententia. Prima cum D. Thoma dicit de jure divino positivo. — Secunda docet, matrimonium ratum dirimi solo jure ecclesiastico. Utraque sententia est probabilis.

Q. Utrum Papa dispensare possit a vinculo matrimonii rati nondum consummati?

R. Longe probabilius videtur Papam posse dispensare a vinculo matrimonii rati, sed nondum consummati; quia Summi Pontifices

multoties hac potestate usi sunt, ut fecit S. Gregorius VII. Paulus III et dubitare, postquam dispensaverit, adinstar sacrilegii est, ait Benedictus XIV.

Nota. In solvendo matrimonio rato duo ostendi apprime debent, et matrimonium manere tantum ratum, et legitimas causas dispensationis suppetere. Ita Sacr. Congr. S. Inquis. Vide *Acta S. Sedis*, vol. 6, pag. 441.

Q. Quibus de causis Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, et nondum consummato?

R. Sunt: 1° Impotentia superveniens. 2° Scandalum imminens. 3° Sterilitas de novo cognita. 4° Ut vir efficiatur Episcopus. 5° Casus leprae supervenientis.

ARTICULUS III.

DE DIVORTIO.

Q. An conjuges teneantur cohabitare?

R. Sub gravi peccato tenentur cohabitare, in eadem mensa comedere etc., ex praecepto divino, ut homo uxori suae adhaereat, et uxor viro.

Q. Quid, si vir in exilium pulsus fuerit?

R. Est sententia communis, quod uxor teneatur sequi virum proprium.

Q. Quid, et quotuplex est divortium?

R. Est *separatio quoad torum et cohabitationem, caeteraque conjugii jura et commoda, salvo matrimonii vinculo.* Et triplex est, nempe divortium quoad *torum*, quoad *habitationem*, et quoad utrumque simul. Tam unum quam alterum potest esse in *perpetuum*, et in *temporale.* — Manet nihilominus conjugale vinculum ita, ut neutra pars possit ante mortem alterius inire aliud matrimonium, sicut declaratur a Conc. Trid. sess. 24, can. 8, *Si quis* etc. ut infra.

Q. An divortium sit licitum?

R. Est licitum legitima auctoritate ex Concilio Tridentino definiente: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Causae, quae cohonestant divortium sunt: mutuus consensus, grave animae, vel corporis periculum, et alterutrius adulterium.

1° *Mutuus consensus*, idest uterque conjux simul possunt juri pro-

prio renuntiare quoad torum sive ad tempus, sive in perpetuum, dummodo absit incontinentiae periculum. Item sepărari possunt etiam quoad habitationem, sive ad tempus negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitae perfectioris desiderium.

2° *Periculum grave animae*, si adsit perversionis periculum in uno ex causa alterius; et *periculum grave corporis*, si immineat periculum vitae aut mutilationis, vel infirmitatis contagiosae, vel si cohabitatio ex parte unius erga alium adeo evadat molesta, ut moraliter impossibilis reddatur; id eveniret si conjux enormes, aut frequentes saevitias pati cogeretur.

3° *Adulterium alterutrius*, scilicet tale ut sit: 1° Moraliter certum juxta communēm Doctorum sententiam. 2° Voluntarium, non vero ex illata violentia patratum. 3° Non condonatum sive expresse, sive implicite, v. g. per actum conjugalem. 4° Non mutuum; quia tunc existeret compensatio.

Quare divortium fieri potest ex duplici capite, nempe ratione virtutis, et ratione delicti.

Causa divortii perpetui est fornicatio, idest adulterium, ut patet ex jure, cap. *Significasti*, et cap. *Gaudemus* 8 de divortiis.

Q. An sodomia, vel bestialitas commissa a conjuge, habeatur ut adulterium ratione divortii?

R. Duplex est sententia. Prima communior affirmat cum D. Thoma; quia quidquid dividit carnem cum alia dat locum separationi. — Secunda sententia vere probabilis negat; quia sola vera copula vere dividit carnem. Haec sententia videtur rationabilior.

Q. An vir cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur?

R. Certum est non teneri ratione adulterii; quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non in ejus poenam. Ita communiter Theologi, et S. Lig. n. 693. — Attamen aliquando potest vir teneri ad dimittendam uxorem adulteram, ut dicetur infra.

Q. An, facto divortio, possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat?

R. Affirmative, tam si agatur de *separatione non juridica*, quia haec per sententiam judicis non firmatur; tam in ipso casu *juridicae separationis*, quia sententia separationis fertur in favorem innocentis, et proinde non aufert jus revocandi alterum; nec ad hoc opus est nova judicis sententia. — Non est tamen cogenda mulier adultera ad redeundum, quoties potest rationabiliter timere, ne dure, acerbe, aut etiam crudeliter tractetur. Ita S. Lig. ibid.

Q. An, facta juridica separatione ob adulterium, conjux innocens teneatur redire ad compartem revocantem si ipse postea lapsus fuerit?

R. Negative probabilius. Ratio est, quia primus adulter per judicis sententiam jam omnino spoliatus fuit omni jure erga innocentem. Ita S. Lig. n. 967. — Diximus *probabilius;* quia Fagnanus, Reinffenstuel, Gonzalez, et nonnulli alii veriorem dicunt oppositam sententiam. Sed nos cum D. Alphonso sentimus.

Q. An divortium privata auctoritate fieri valeat?

R. Affirmative quoad *torum*, si justa subsit causa, et speciatim ratione adulterii, quia jura matrimonii in perpetuum conjugi infideli denegari possunt. Hoc valet, licet crimen sit occultum; et etiamsi, deficientibus probationibus, a judice ecclesiastico compelleretur innocens ad reddendum debitum, non teneretur tamen hujusmodi obedire sententiae, quae falsa niteretur hypotesi. Vide Sanchez (de matrim., lib. 10, disp. 12, n. 34).

Diximus *quoad torum;* quia *quoad habitationem* fieri potest tantum quando ipsum conjugium est occultum: extra hunc casum fieri non potest; quamvis enim Christus divortium hac de causa permittendo non distinxit inter adulterium publicum et privatum; ob scandalum tamen quod inevitabiliter eveniret, nec in foro conscientiae posset conjugem dimittere. Unde si dimittat, deficientibus probationibus, compellendus esset ad compartem adulteram recipiendam, ne ansa detur malitiae hominum conjugem, forte innocentem, ejusmodi dimissione vexandi. Ita Ballerini, cui subscribimus.

Quando vero maritus est omnino certus de delicto uxoris, et exterius nequit probari, licite posset facere divortium quoad habitationem praetextu peregrinationis longinquae, cum animo non amplius redeundi; quia in isto casu non adest periculum scandali.

Neque dicas, nemo potest esse judex in causa propria, ideo nemo privatus potest; quia hoc valet quando jus non praebet illi facultatem, in hoc casu jus dat facultatem innocenti faciendi divortium, quando delictum est certum.

Q. In quibus casibus non potest fieri divortium?

R. In sequentibus, nempe: 1° Si uterque conjux adulterium commiserit (ex cap. *Ex liberis*); quia injuria unius per alterius injuriam compensatur. 2° Quando adulterium est tantum materiale, scilicet sine culpa commissum, et colligitur etiam ex jure; quia ubi

non est culpa, neque poena potest esse. 3° Quando vir fuit causa uxori adulterii, et colligitur ex capite *Discretionem, de eo, qui cognovit consanguineam*, quia volenti et consentienti nulla fit injuria. 4° Quando ab innocente fuit jam remissa injuria adultero; quia qui semel juri suo renuntiat, illud repetere non potest (ex cap. *Quam periculosum* 7 quaest. 1).

Q. Utrum quandoque conjuges ad divortium teneantur?

R. Tenentur maxime in duobus casibus: 1us Est dum periculum subversionis ita est evidens, ut sit moraliter impossibile ipsi resistere. 2us Si cohabitatio praebeat tegumentum comparti adulterae ita ut liberius, et facilius adulteria committat.

Q. Quod jus habeat innocens post factum divortium?

R. Cum distinctione: si divortium sit perpetuum per sententiam latam, innocens potest mutare statum per susceptionem Ordinum, vel professionem religiosam etiam absque consensu nocentis; non vero pars nocens, nisi innocens prius fuerit professus, vel expresse consentiat; et si religionem ingrederetur, posset ab innocente, etiam post professionem revocari. Ita Sanchez, et alii. Monet tamen D. Alphonsus cum Sanchez sufficere ad id etiam consensum tacitum, si nempe innocens hoc sciat, nec contradicat, cum possit. — Si divortium non sit perpetuum, innocens non potest mutare statum.

ARTICULUS IV.

DE CASTITATE IN USU MATRIMONII SERVANDA.

Q. An aliquando conjuges teneantur petere debitum?

R. Tenentur per accidens, nempe: 1° Dum quis videt, aut suspicatur compartem esse in periculo incontinentiae. 2° Si cognoscat compartem ex verecundia debitum exigere non audere. 3° Quando necessarium est ad fovendum amorem mutuum. 4° Dum prolis generatio valde necessaria est.

Q. Quandonam conjuges teneantur reddere debitum?

R. Tenentur sub peccato mortali injustitiae dum vel expresse, vel tacite exigitur, nisi aliqua rationabilis causa ab eo reddendo excuset.

Q. Quibus casibus non licet debitum?

R. 1° Moraliter certus de nullitate matrimonii, nec potest debitum petere, nec reddere parti etiam ignoranti.

2° Qui matrimonium contraxit cum dubio de valore matrimonii debitum non potest petere, donec dubium prudenter deposuerit.

3° Qui post initum matrimonium culpabiliter cognovit consanguineam compartis in primo, vel secundo gradu, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere.

4° Qui extra casum necessitatis scienter prolem ex legitima uxore susceptam baptizat, aut in Baptismo scienter tenet, a petitione debiti impeditur ob contractam cognationem spiritualem.

5° Qui vovit castitatem, sive ante, sive post matrimonium, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere petenti. — Qui vero post matrimonium consummatum vovit religionem, aut sacros Ordines, potest petere, et reddere, quia per hoc votum contraxit solum obligationem suscipiendi Ordines, vel profitendi, si supervixerit.

Q. Si conjux uterque cum dubio de valore matrimonii contraxerit quid dicendum?

R. Neutri licet debitum petere, vel reddere.

Q. Quid, si dubium vinci non possit?

R. Vel dubium versatur circa mortem conjugis, vel circa aliquod impedimentum. Si primum, non licet petere, vel reddere; quia vinculum primi matrimonii non censetur solutum. — Si secundum, duplex est sententia: prima communiter negat jus petendi, vel reddendi, quia nemo potest uti re, quam mala fide possidet. Secunda sententia satis probabilis affirmat posse petere, vel reddere; quia dubitans in praxi potest deponere dubium per judicium reflexum. Item qui post matrimonium bona fide contractum, durante investigatione, non potest debitum petere; tenetur tamen reddere. Sed si post diligentiam factam vinci non possit dubium, potest libere petere, et reddere.

De morte conjugis absentis constare debet legitimis, consuetisque probationibus per documenta scilicet, vel per testes fide dignos. — Si plena legitima probatio haberi non possit ex carentia documentorum, vel testium, permittitur locorum Ordinariis procedere per indicia, conjecturas et praesumptiones, quae prudentem judicem movere valeant ad praesumendam mortem conjugis absentis, eamdemque juridice declarandam, ut alter conjux licite, legitimeque contrahere aliud matrimonium possit. Ita S. Congr. Concil. Vide *Acta S. Sedis.* Diximus, ut alter conjux *licite*, *legitimeque* contrahere aliud matrimonium possit: *legitime* quidem ut coram Ecclesia, idest in foro externo, alterum matrimonium contrahi, aestima-

rique possit validum : *licite* autem, ut conjux per ejusmodi declarationem praesumptae mortis alterius conjugis, auctoritate Ecclesiae factam, dimisso dubio, possit tuta conscientia et petere et reddere conjugale debitum.

Q. In quibus casibus non licet debitum reddere petenti ?

R. Dantur communiter tres regulae : 1ª Quando petere est mortale propter circumstantiam se tenentem ex parte copulae, v. gr. si petatur in loco sacro, vel publico, etc. 2ª Quando petere est mortale ob circumstantiam petentis, quae non possit a petitione separari, v. g. in eo, qui votum castitatis emisit. 3ª Quando petere est solum colpa venialis, reddere nulla culpa est, v. g. ne detur occasio rixarum.

Q. An liceat uxori reddere, vel petere debitum a viro volente seminare extra vas post copulam ?

R. Quoad redditionem affirmative si sint rationes sufficientes ; est sententia probabilior, et communior. Quoad petitionem non posse passim petere, sed tantum si adsit justa, et gravis causa.

Q. Quandonam conjuges peccant in usu conjugali ?

R. Multipliciter : 1° Ratione affectus inordinati. 2° Ratione loci ubi copula exercetur. 3° Ratione modi. 4° Ratione damni ex copula orituri.

Q. An, et qualia sunt peccata tactus, aspectus, et oscula obscena inter conjuges ?

R. Cum distinctione : si fiant sine animo perveniendi ad copulam, et praesertim si sit periculum pollutionis, sunt mortalia juxta S. Antoninum. — Si fiant in ordine ad copulam, licita sunt. — Si vero fiant tantum voluptatis gratia sine periculo pollutionis, sunt culpa saltem venialis, ut definit Innocentius XI.

CAPUT IV.

De impedimentis matrimonii.

Q. Quid, et quotuplex est impedimentum matrimonii ?

R. Est *quidquid obstat ne matrimonium rite celebretur :* et duplex est, nempe impedimentum impediens et dirimens. — Impediens est *illud, quod reddit matrimonium tantummodo illicitum.* — Dirimens est *illud, quod reddit matrimonium attentatum nullum ac irritum*

Q. An Ecclesia habeat potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia?

R. Affirmative, et quidem jure proprio, intimo et innato. Est de fide contra Protestantes, et contra Neotericos. Prob. ex Concil. Tridentino sess. 24, can. 4: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Insuper Pius IX in Syllabo hanc propos. damnat: *Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.*

Q. An principes saeculares habeant jus statuendi impedimenta dirimentia?

R. 1° Certum est principes posse suis edictis irritare civilem matrimonii contractum quantum nimirum ad effectus civiles, politicos, ac temporales.

2° Certum est reges neque directe, neque indirecte quidquam posse in matrimonium, quatenus est res spiritualis, et Sacramentum.

Q. Utrum nullum sit Sacramentum Matrimonii per accidens, quando contractus civilis matrimonii declaratur irritus lege civili?

R. Affirmant illi, qui asserunt civilem contractum esse materiam Sacramenti. Sed sententia communissima, et certissima inter Theologos negat; quia Christus elevavit naturalem contractum ad dignitatem Sacramenti.

Q. Utrum principes habeant potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium subjectorum infidelium?

R. Duplex est sententia. Prima communissima affirmat; quia non fuit evectum ad dignitatem Sacramenti, nec subjicitur legibus Ecclesiae. — Secunda sententia negat, quia matrimonium, sive ante, sive post Incarnationem Christi, fuit et est nunc in infidelibus Sacramentum late sumptum, ita ut sit res omnino sacra. Sed prima praeferenda videtur.

Q. Quis potest in Ecclesia statuere impedimenta dirimentia?

R. Potest: 1° Summus Pontifex. 2° Concilium Oecumenicum ab ipso approbatum. 3° Consuetudo, cum omnibus vestitur conditionibus, ut vim legis habeat.

Nota. 1° Non possunt Episcopi, nequidem pro sua Dioecesi. 2° Nec possunt Concilia Provincialia, nisi Pontifice confirmante.

—

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM IMPEDIENTIBUS.

Q. Quot et quaenam sunt impedimenta matrimonium impedientia?

R. Sunt tantum quatuor, et his versibus continentur:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Q. Quid intelligitur per *Ecclesiae vetitum?*

R. Est prohibitio ab Episcopo, vel Parocho facta nupturientibus, ne contrahant matrimonium ob aliquam causam temporalem

Q. Quid per *tempus?*

R. Tempus, quo interdicuntur nuptiarum solemnitates, nempe ab Adventu usque ad diem Epiphaniae inclusive, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive.

Q. Quid per *sponsalia?*

R. Intelliguntur sponsalia legitima prius cum alio contracta, et nondum dissoluta.

Q. Quid per *votum?*

R. Intelliguntur quatuor simplicia vota, nempe votum simplex castitatis in saeculo servandae, vel votum ingrediendi religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel nunquam nubendi.

Q. An possit reddere, ac petere debitum, contracto matrimonio, qui ante ipsum matrimonium fecit votum non nubendi?

R. Affirmative; quia jam impossibilis facta est voti obligatio. — Ob eandem rationem mortuo conjuge matrimonium novum saltem probabiliter potest contrahere.

Q. Quid dicendum de illo, qui ante matrimonium emisit votum suscipiendi Ordines sacros?

R. 1° Peccat graviter matrimonium ineundo. 2° Inito matrimonio potest illud consummare, si votum amplius adimplere nequeat.

Q. Quid dicendum de illo, qui fecit votum ingrediendi religionem?

R. 1° Peccat graviter matrimonium ineundo. 2° Post consummatum matrimonium potest petere, et reddere debitum; quia executio voti facta est impossibilis. 3° Tenetur ingredi in religionem, si matrimonium solvatur per mortem compartis.

Q. Quinam dispensare valeant in impedimentis impedientibus?

R. 1° Nemo potest dispensare ne Summus quidem Pontifex ab

impedimento ex validis sponsalibus orto, cum hac in re agatur de stricto debito justitiae.

R. 2° Episcopi, jurisdictione plena in foro externo gaudentes, dispensare possunt: 1° In obligatione bannorum. 2° Quoad contractum per tempus feriatum. 3° In voto castitatis temporaneae, et virginitatis, seu non nubendi.

Nequeunt Episcopi dispensare : 1° Quoad votum perpetuae castitatis : intellige ante contractum matrimonium; nam contracto matrimonio, Episcopus dispensare potest ad debitum petendum. 2° Quoad votum ingrediendi in religionem. 3° Quoad impedimentum disparitatis cultus inter catholicos, et haereticos. Hoc enim triplex impedimentum Papae reservatum est.

R. 3° Regulares dispensare valent mere pro foro interno in voto virginitatis, seu non nubendi. 2° In voto castitatis temporaneae. 3° Ad debitum exigendum post initum matrimonium dispensare possunt: imo voto perfectae castitatis, si necessitas urgeat, dispensationem tribuere ad contrahendum matrimonium. Haec omnia probantur ex generali principio, quod Regulares Mendicantes vi privilegiorum suorum dispensare possint in iis votis omnibus, in quibus *jure ordinario* dispensare possunt Episcopi. Ita Ballerini apud Gury pag. 545.

Q. An Episcopus, urgente necessitate, cum nempe periculum sit in mora, dispensare possit in voto castitatis ad matrimonium contrahendum ?

R. Affirmative, dummodo vere adsit illud periculum, nec aditus ad Pontificem facile pateat. Ita S. Ligorius et alii.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

Q. Quot sunt impedimenta dirimentia?

R. Quindecim, iis versibus expressa :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Amens, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Haec facienda vetant connubia, facta retractant

Q. Quot peccata committit ille, qui scienter contrahit matrimonium cum impedimento dirimente?

R. Duo peccata specie distincta, scilicet unum contra obedientiam Ecclesiae debitam, alterum contra reverentiam Sacramentis debitam.

Q. Quo jure sunt impedimenta dirimentia?

R. Quinque sunt de jure naturae, scilicet : 1° Error circa personam. 2° Consanguinitas in primo gradu lineae rectae. 3° Vis absoluta. 4° Ligamen. 5° Impotentia antecedens et perpetua. Omnia alia sunt de jure ecclesiastico. Praesentia Parochi et testium, nec non raptus sunt de jure novo, alia de jure antiquo.

Q. An impedimentum invincibiliter ignoratum irritet matrimonium cum illo contractum?

R. Affirmative. Quia lex constituens tale impedimentum habet pro objecto ipsumet contractum irritandum.

Q. An incurrantur, licet ignorata, ea quoque impedimenta, quae videntur habere rationem poenae, ut impedimentum criminis?

R. Affirmative. Quia illa impedimenta habent primario et principaliter rationem vinculi; et secundario tantum rationem poenae.

Q. An leges Ecclesiae constituentes impedimenta, urgeant etiam in casu gravissimi incommodi, v. g. periculi mortis?

R. Affirmative. Quia si ignorantia nequit facere habilem ad matrimonium illum, qui per legem inhabilis existit; ergo multo minus metus damni. Ita Gury.

Q. An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio, seu probabili?

R. 1° Affirmative probabilius in dubio juris ecclesiastici; quia Ecclesia supplere censetur defectum contractus, si adesset.

R. 2° Negative, si agatur de dubio juris divini, aut naturalis.

R. 3° Negative etiam, si agatur de dubio, vel probabilitate facti. Ita communiter.

Q. An valeat matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non existente?

R. 1° Si contrahens non sit omnino certus de impedimento, sed aliquo modo dubitet de illo, validum est matrimonium. Ita communiter; quia contrahit saltem conditionate, nempe in quantum possum.

2° Si contrahat cum certitudine impedimenti, invalidum est ma-

trimonium; quia voluntas contrahendi matrimonium non est praedominans. Sed ad cautelam in praxi inducendus foret ad consensum renovandum.

§ 1. *De impedimento erroris, et conditionis.*

Q. Quid est impedimentum erroris?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex errore circa personam, vel circa qualitatem redundantem in personam.*

Q. Quotuplex est error quoad matrimonium?

R. Quadruplex, nempe personae, fortunae, conditionis, et qualitatis.

Q. An, et quomodo error sit impedimentum dirimens?

R. 1° Error circa substantiam personae, et circa qualitatem redundantem in personam, qualiscumque sit, sive antecedens, sive concomitans, vincibilis, aut invincibilis, irritat matrimonium; quia ad matrimonium requiritur explicitus, formalisque consensus circa substantiale objectum illius.

R. 2° Error circa fortunam, et simplicem qualitatem personae per se non irritat matrimonium.

Diximus *per se;* quia si explicite veniant in conditionem, afficiunt substantiam, ac proinde tollunt consensum, si non verificentur.

Q. Quot modis hoc cognosci potest?

R. Tribus: 1° Quando qui contrahit aperte nunc exprimit, vel antecedenter expressit, quod non intendit contrahere, nisi sub conditione talis fortunae, et qualitatis.

2° Quando adjuncta personae non sunt communia cum aliis, sed propria et individualia ipsius, v. g. qui crederet se contrahere cum primogenita alicujus, contrahit cum secundagenita.

3° Quando consensus fertur directe, et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, v. g. si quis diceret: volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam: volo ducere divitem, et ideo duco Titiam. — Est validum vero matrimonium si diceret: volo ducere Luciam, quam puto esse nobilem; tunc error non redundaret in substantiam personae.

Nota. Validum est matrimonium, si quis ducat viduam putans se ducere caelibem, etiamsi per fraudem in hunc errorem inductus fuerit. Imo hoc valet licet certe contrahere noluisset, si scivisset. Ita Gury.

Pariter valide contrahit puella nobilis cum viro vago, qui falso se jactat nobilem, et bonorum multorum possessorem, idque falsis testimoniis probat. Sed mulier illa non tenetur cum ipso cohabitare, et divortium perpetuum quoad torum, et habitationem statim facere potest. Ita S. Ligorius et alii omnes.

Q. Quid dicendum si iste error circa personam sit invincibilis et crassissimus?

R. Matrimonium est invalidum; quia in praesenti non agitur de committenda culpa, a qua non excusat talis error; sed de contrahendo matrimonium, quod verum consensum exigit circa personam, quo deficiente ex quocumque capite, non valet. Quia licet talis error non faciat actum involuntarium positive, facit tamen non voluntarium negative, idest non datur actualiter talis consensus requisitus ad valorem matrimonii.

Q. Quo jure error dirimit matrimonium?

R. Jure naturali, quia prorsus tollit consensum.

Q. Quid intelligitur nomine conditionis?

R. Intelligitur hic *servitus*, qua quis ita est sub dominio alterius, ut sit ejus possessio, quem pro libitu possit vendere, locare, permutare, et nuncupantur mancipia.

Ad validitatem et liceitatem matrimonii servorum non requiritur consensus dominorum, ut colligitur ex cap. *De conjugio servorum;* ratio est, quia servus non est subditus domino in his, quae sunt de jure naturae. Et peccarent domini impediendo servos a contractione matrimonii, quia faciunt contra jus illis a natura debitum.

Q. Quid est impedimentum conditionis?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex servitute ignorata a parte libera.*

Dicitur *ignorata;* quia si fuerit servitus cognita a parte libera, non dirimit matrimonium.

Si liber contrahat cum libera existimans esse servam, validum est matrimonium; quia non adest inaequalitas. — Si servus contrahat cum ancilla existimans esse liberam, est nullum matrimonium; cum non adsit consensus perfectus ad matrimonium requisitus.

Q. Quo jure conditio dirimit matrimonium?

R. Dirimit solo jure ecclesiastico. — Ecclesia imposuit hoc impedimentum ad tollendam inaequalitatem, et in favorem libertatis.

Q. Utrum validum sit matrimonium cum serva ignorata, quae per matrimonium fit libera?

R. Affirmative communiter; quia cessante causa, cessare debet ipsum impedimentum. — Pariter est validum matrimonium si liber cum ignorantia affectata contrahit matrimonium cum serva; quia haec ignorantia aequiparatur scientiae, quidquid alii in contrarium dicant.

Nota. Servus potest acquirere libertatem per matrimonium triplici modo: 1° Si dominus dotale instrumentum conferat ancillae contrahenti, quod etiam est verum respectu liberi, qui contrahit cum ancilla sciens esse talem, quia constitutio dotis est propria personae liberae. 2° Quando dominus recipit in conjugem ancillam, vel domina servum *ex leg.* 1, tit. 3, par. 4. 3° Quando dominus servum, vel ancillam matrimonio tradit libero ignoranti talem servitutem, vel si non tradat ipse, scit tamen et dissimulat, et non vult veritatem detegere *ex authentica ad haec cod. de captivorum libertate.*

Q. An matrimonium celebratum cum liberta sit validum?

Nota. Liberta est illa, quae ex ancilla consecuta est libertatem, quae triplici modo acquiritur: 1° Si absolute et in perpetuum a domino recepit libertatem. 2° Si dominus ei fecit promissionem quod post breve tempus libertatem esset ei concessurus. 3° Si libertatem acceperit ad tale tempus, puta biennium.

R. Matrimonium celebratum cum liberta primo modo est validum, quia in contractione matrimonii jam est libera. — In secundo et tertio modo considerata controvertitur; sed nos dicimus esse validum; et ratio primi est, quia quod parum distat ab actu, nihil distare videtur; ratio secundi est, quia libertas pro quocumque tempore concessa, est perpetua ex lege *libertas* 31, alias 32.

Nota. Ut filius sit servus cum matre, requiritur ut mater sit serva tempore conceptionis, gestationis et partus, aliter filius est liber ex institutione *de ingenuis* p., *sed si quis.* Excipe casum, in quo mater gravida ratione belli fuit facta serva, quia foetus facit unum cum matre.

Q. Cuinam incumbit onus probandi ignorantiam servitutis?

R. Licet quidam dicant alleganti ignorantiam servitutis, tamen verius ancilla tenetur probare scientiam suae servitutis in altero.

§ 2. *De impedimento Ordinis, et voti.*

Q. Quid est impedimentum Ordinis?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex susceptione sacrorum Ordinum.*

Q. Quodnam votum dirimit matrimonium?

R. Per se solum votum solemne castitatis, quod emittitur in professione religionis approbatae, vel in susceptione sacrorum Ordinum, ut definivit Bonifacius VIII. De utroque loquuntur Concilia Lateranense I, II, et Tridentinum sess. 24, can. 9: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque esse validum, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.*

Diximus *per se*, quia: 1° Votum simplex castitatis quod emittere debet uxor, quae consentiat virum sacro Ordine initiari, impedit valide illa copulari cum alio matrimonio. Ita communior sententia. Scavini. 2° Votum simplex castitatis in Societate Jesu emissum de jure novo Gregorii XIII dirimit matrimonium.

Haec duo vota non dirimunt matrimonium eodem modo; nam votum sacrorum Ordinum dirimit matrimonium contrahendum, uti patet ex Conc. Trid. sess. 24, can. 9, non vero dirimit matrimonium contractum, quamvis ratum, ut habetur ex Joanne XXII in *Extravaganti antiquae de voto.* Votum professionis dirimit non tantum matrimonium contrahendum juxta cap. *Memineris;* sed etiam matrimonium ratum, ut patet ex Trid. sess. 24, can. 6. Non vero dirimit matrimonium contractum consummatum, ut patet ex can. *Si quis conjugatus.*

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut votum solemne, et Ordo matrimonium dirimant?

R. 1° Quoad *votum*, debet esse emissum 1° voluntarie, et deliberate; 2° cum vera intentione se obligandi; secus enim votum validum non foret.

R. 2° Quoad *Ordinem*, requiritur 1° ut sit susceptus valide; 2° ut sit susceptus voluntarie. Ita omnes.

Q. In quam poenam incurrit ille, qui post matrimonium vel ratum vel consummatum recipit Ordines sacros extra veram licentiam uxoris, et extra justum ac perpetuum consortium?

R. Incurrit in irregularitatem, quae durat etiam uxore mortua

usquedum ab illa dispensetur, uti patet ex Joanne XXII, *Extravagan. antiquae de voto.*

Q. In quam poenam incurrit ille, qui post receptionem Ordinis sacri contraxit matrimonium?

R. In irregularitatem ratione bigamiae, uti patet ex capite *Quotquot* 21 quaest. 1, et in excommunicationem Episcopis reservatam justa Const. *Apost. Sedis* Pii IX. — Item Regulares, et Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes in eamdem excommunicationem incidunt.

Q. Quodnam tempus ab Ecclesia datur contrahentibus ad deliberandum ingressum religionis?

R. Bimestre, intra quod non tenentur conjuges reddere debitum, cum ambo non habeant jus petendi, neque obligationem reddendi ex capite *Ex publico* 7, *de conversione conjugatorum.*

Si vir per vim ante tempus bimestrale consumet matrimonium, uxor potest ingredi in religionem, et profiteri absque consensu mariti; quia nemo injuste debet jure suo spoliari: matrimonium vero non dissolvitur; cum copula ex qua resultat affinitas consumat matrimonium, quod habetur ex praedicta copula ut patet ex cap. *Debitum de bigamia.* — Si vir post consummatum matrimonium absque consensu mulieris ingressus fuerit religionem, et professus est, professio est nulla; quia post consummatum matrimonium non potest ingredi nisi ex consensu mulieris.

Q. Quo jure Ordo dirimit matrimonium?

R. Dirimit jure tantum ecclesiastico, ut Concil. Trident. definivit, sess. 24, can. 9.

Q. Quo jure votum dirimit matrimonium?

R. Dirimit jure ecclesiastico; licet alii probabilius cum D. Thoma, Bonaventura, et aliis dicant votum solemne emissum in religione approbata matrimonium dirimere jure divino.

§ 3. *De impedimento cognationis.*

Q. Quid est cognatio?

R. Cognatio prout est naturalis dicitur consanguinitas, et definitur: *Vinculum personarum, quarum una ab alia, vel ambae ab eadem, tamquam a communi et propinquo stipite, per carnalem generationem descendunt.*

Dicitur *propinquo stipite;* quia stipitis remoti in linea transversali (obliqua etiam, vel collaterali dicta) nulla habetur ratio alio

quin omnes homines essent consanguiñei, utpote ab uno Adamo procedentes.

Dicitur *per carnalem* etc., idest per copulam carnalem, quae nihil refert ad consanguinitatem utrum licita an illicita, sicut neque refert utrum ex patre et mâtre simul, an vero ab alterutro tantum generatio deducatur, ut ab Innocentio III expresse declaratum fuit; ideoque matrimonium prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos, et germanos. Ita in 2 *Decreti* p. *causa* 35, q. 10, can. 2.

Q. Quotuplex est cognatio?

R. Triplex: 1ª Carnalis, et dicitur *consanguinitas*. 2ª Spiritualis, et dicitur *compaternitas*. 3ª Legalis, et dicitur *adoptio*.

PUNCTUM Ium. *De cognatione naturali, seu consanguinitate.*

Q. Quid est impedimentum cognationis?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium inter personas, vel carnaliter, vel spiritualiter, vel legaliter propinquas.*

Q. Per quod distinguitur consanguinitas?

R. Per lineas, et gradus. — Quare in consanguinitate consideranda sunt stipes, gradus, et linea.

Stipes *est persona, ex qua aliae originem ducunt.*

Linea est *ordinata personarum ab eodem stipite descendentium collectio, diversos gradus continens.*

Gradus est *mensura distantiae unius personae ab alia in eadem consanguinitatis scala.*

Q. Quotuplex est linea?

R. Duplex: directa, et indirecta, seu collateralis. — Linea *directa* est ordinata series earum personarum, quarum una ab alia procedit, sive ascendendo, sive descendendo. — Linea *indirecta* est ea, quae continet personas descendentes quidem ab uno communi stipite, sed quarum nulla descendit ab altera, v. g. Frater, et soror.

Q. Quotuplex est linea indirecta?

R. Est duplex: aequalis, et inaequalis. — *Indirecta aequalis* est ea, secundum quam personae aequaliter distant a communi stipite. — *Inaequalis* est ea, secundum quam personae inaequaliter distant a communi stipite.

Q. Quot sunt regulae ad computandos gradus consanguinitatis?

R. Sunt tres: 1ª In linea recta tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite a quo elicitur computationis initium; v. g.

Pater, filius, nepos, et pronepos, quatuor sunt personae, sed tres tantum gradus, quia tres tantum sunt generationes et tres personae dempto stipite, nempe patre: unde stipes non est gradus, sed ipse est, unde fiant gradus.

2ª In linea collaterali aequali, tot gradibus duo distant inter se, quot ambo distant a communi stipite, v. gr. Frater et soror sunt in primo gradu; quia in una parte una tantum habetur persona.

3ª In linea collaterali inaequali, personae tot gradibus distant inter se, quot remotior distat a communi stipite. Hinc si unus distet a communi stipite duobus gradibus, et ejus consanguinea tribus, erunt inter se consanguinei in tertio gradu, juxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Igitur Berta erit consanguinea in secundo gradu cum patruo suo, seu cum fratre patris sui, quia distat duobus gradibus ab avo suo, qui est stipes communis non computandus.

Q. In quo gradu consanguinitas matrimonium dirimit?

R. 1° Consanguinitas in linea recta dirimit matrimonium in quocumque gradu usque in infinitum, ait Nicolaus I.

R. 2° Consanguinitas in linea collaterali dirimit usque ad quartum gradum inclusive, ex Concilio Lateranensi IV.

Q. Quo jure consanguinitas matrimonium dirimit?

R. 1° In primo gradu lineae rectae tam ascendentium, quam descendentium dirimit matrimonium jure naturae. Ita indubitanter omnes.

2° In aliis gradibus lineae rectae, an consanguinitas dirimat matrimonium jure naturae, vel jure tanto ecclesiastico, controvertitur. Verum nos sentimus cum D. Thoma, qui docet in aliis gradibus lineae rectae consanguinitatem dirimere jure tantum ecclesiastico; quia, exceptis parentibus, inter alios non videtur adesse tanta indecentia, ut ipso naturali jure irritum esse debeat matrimonium. Hanc opinionem etiam S. Alphonsus (lib. 6, n. 470) probabilem habet aeque ac contrariam; et Schmalzgr. et plures alii censent nostram opinionem alteri esse praeferendam. Insuper Innocentius III nulla facta linearum distinctione (observat Billuart), indistincte permittit infidelibus ad fidem conversis, ut suas retineant uxores sibi in secundo gradu consanguineas.

3° Dicimus cum eodem D. Thoma, quod in nullo gradu lineae collateralis dirimat matrimonium jure naturae. Vide S. Alphonsum

(lib. 6, n. 470), et Schmalzgr. (l. 4, tit. 14, n. 45, 48). — At tamen Benedictus XIV Constitutione *Aetas anni* dicit nullum citari exemplum concessae dispensationis quoad fratrem et sororem; ait enim Angelicus 2, 2, q. 154, n. 9: *Commixtio sororum, et fratrum quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, Religione prohibente.*

Q. Quomodo inveniri facile possint gradus consanguinitatis?

R. Si cognitus sit stipes communis, scribe illius nomen in charta, et infra generationes, et nomina personarum hinc et inde descendentium referto usque dum pervenias ad eas personas, quae connubio jungendae sunt, et sic facile gradus computabis. — Si incognitus sit stipes e contrario procedas.

Nota. Consanguinitas potest esse duplex ex duplici capite: 1° Nempe quando sunt duo stipites. 2° Quando ex eodem stipite descendentes inter se matrimonia contraxerunt, ex his nati sunt, sunt dupliciter consanguinei, ac proinde duplex impedimentum.

Punctum IIum. *De cognatione spirituali.*

Q. Quid est cognatio spiritualis?

R. Est *propinquitas jure ecclesiastico inducta proveniens ex Baptismi et Confirmationis collatione, et susceptione in utroque Sacramento, ratione spiritualis nativitatis hominis.*

Q. Quidnam requiritur ad valide cognationem spiritualem contrahendam?

R. Ad valide in Baptismate contrahendam cognationem requiritur: 1° Ut susceptores sint baptizati; quia nequit spiritualis esse pater, qui spiritualiter nondum natus est. 2° Ut habeant usum rationis, secus incapaces forent illius muneris suscipiendi. 3° Ut gerant intentionem patrini obeundi officium, secus actio illa esset pure materialis (non tamen necesse est, ut habeant intentionem etiam contrahendi cognationem). 4° Ut infantem teneant, vel saltem suscipiant de manu baptizantis, etsi non necessario requiratur ut respondeant ad interrogationes: attamen sufficit ut suscipiant infantem ab obstetrice. Unde si quis susciperet de manu patrini non contraheret cognationem, quia ab alio jam levatum de sacro fonte susciperet. 5° Ut sint a parentibus designati, vel a Parocho. 6° Ut Baptismum reapse administretur, quod enim nullum est, nullum potest parere effectum.

Ad valide cognationem in Confirmatione contrahendam praeter

dicta de Baptismate requiritur, ut jam confirmati sint, juxta declarationem S. Concilii Congregationis. Ita Renzi.

Contrahunt veram cognationem spiritualem patrini a parentibus designati, et injuste a Parocho reprobati, si infantem reapse teneant; secus si a Parocho juste rejicientur.

Licet Synodus Trid. (sess. 24, cap. 2 *de Reform. matr.*) decreverit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant;* hoc tamen decretum non esse *irritans* constat ex declaratione S. Congr. in causa Aquensi 10 martii 1631, dummodo tertia vel quarta persona fuerit et ipsa designata, quae proinde cognationem contrahet. Ita Ballerini. Illicite tamen ageret, qui plures quam duos designaret, ut dictum fuit in cap. 3 de baptismo.

Si nullus fuerit designatus, et plures tangunt, nullus contrahit cognationem, quia Concilium exigit designationem tanquam necessariam conditionem, ut tangentes sint veri patrini.

Q. Inter quos cognatio spiritualis dirimat matrimonium?

R. Ex jure novo: 1° Dirimit inter susceptores in utroque Sacramento, et susceptum, illiusque patrem et matrem. 2° Inter ministrum Baptismi et Confirmationis, et illa Sacramenta suscipientem, illius patrem et matrem, etiamsi minister baptizet in casu necessitatis.

Nota. Excipitur pater, aut mater, quae legitimam prolem baptizant in mortis articulo, vel causa necessitatis, vel causa ignorantiae invincibilis facti. — Imo probabilius etiamsi scienter, et ex industria legitimam prolem baptizent extra casum necessitatis non contrahunt cognationem spiritualem, licet graviter peccent; quia in jure haec poena non est expressa. Ita S. Lig. n. 150.

Q. Utrum vir, qui privatim baptizavit puellam, contraxit cognationem?

R. Affirmative; unde nec ipsam, nec ejus matrem ducere potest. Sic dicendum de muliere, quae privatim baptizavit infantulum. Ita communiter, S. Ligorius de Bapt. n. 149.

Q. An patrini contrahant cognationem adhibiti in Baptismo privato?

R. Negative; quia Concil. Tridentinum de iis tantum patrinis loquitur, qui in Baptismo solemni adhibentur. Ita communius.


Nota. Patrini cognationem spiritualem contrahere non videntur, nisi baptizatum physice tangant. — Pariter impedimentum seu co-

Schemata ad gradus cognationis dignoscendos



Nota 1ª Personæ quæ tractu conjunguntur, sunt inter se in linea recta; cum cæteris in linea collaterali.


2ª Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur.



Nota


Hoc schema refert consanguineos in linea recta ad quartum gradum. Lineas collaterales, nempe fratres, consobrinos etc. facile adjicies.

SCHEMA COGNATIONIS SPIRITUALIS



Nota contrahentes cognationem spiritualem hisce claudicantibus versiculis exprimi solent (quod de **Baptismo** idem de **Confirmatione**)

Baptizans, Baptizatus, Baptizatique parentes
Levans, Levatus, Levatique parentes


SCHEMA COGNATIONIS LEGALIS
Adoptans
Uxor adoptantis
Consanguinei
Consanguinei
Uxor adoptatis
Filii adoptantis
Filia adoptantis
Adoptatus
Adoptati Filii
2 Nepotes Adoptati
3 Pronepotes Adoptati
4 Abnepotes Adoptati

gnationem non contrahunt patrini dum supplentur caeremoniae Baptismi; quia tunc Sacramentum non confertur, licet exerceant munus patrini, ut dictum est.

PUNCTUM IIIum. *De cognatione legali.*

Q. Quid, et quotuplex est cognatio legalis?

R. 1° Est *propinquitas personarum ex adoptione perfecta consurgens.*

R. 2° Duplex est: perfecta, et imperfecta. *Perfecta* dicitur arrogatio, et est illa, quae fit auctoritate principis, per quam adoptatus necessario succedit adoptanti tam ex testamento, quam ab intestato ad quartam partem. — *Imperfecta* dicitur simplex adoptio, et est illa, quae fit auctoritate cujuslibet magistratus, et per istam adoptatus tantum succedit ab intestato, ut ex p. *Sed hodie.*

Quare adoptio perfecta indiget rescripto principis; pro imperfecta sufficit auctoritas cujusvis judicis competentis.

Q. Inter quos cognatio legalis dirimit matrimonium?

R. 1° Dirimit quasi in linea recta inter adoptantem et adoptatum, ejusque filias et filios legitimos dum sunt sub patria potestate. Ita omnes.

2° Inter adoptatum et filios adoptantis, quasi in linea collaterali, dum hujus filii sub paterna potestate versantur.

3° Inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi in linea recta per modum affinitatis, ut constat ex declaratione Sacr. Congr. in *Hortana* 26 sept. 1734.

Nota. Prima, et postrema adoptiones sunt perpetuae; quocirca adoptans, v. g. ducere nequit filiam, aut neptem adoptivam in uxorem, etiamsi per emancipationem adoptio fuerit soluta: nec privignus, aut nurus (intellige adoptivi) jungi matrimonio possunt cum noverca, aut socero, licet adoptio aut per emancipationem, aut per mortem adoptantis cessaverit. Requiretur igitur dispensatio Sedis Apostolicae, quae tamen etiam in postremo casu difficillime conceditur. Ita ex cap. *Per adoptionem* 30. — Secunda adoptio vero in linea collaterali durat dumtaxat, quamdiu durat adoptio, idest quamdiu sunt sub potestate adoptantis juxta cap. unic. *De cognatione legali.* Ita S. Alph. lib. 6, n. 1027, not. 2; Schmalzgrueber lib. 4, tit. 12, n. 26; Ballerini etc.

Jure romano sex modis solvitur adoptio: 1° Morte naturali adoptantis. 2° Morte ejusdem civili. 3° Ob nuptias incestuosas. 4° Ob

dignitatem, v. gr. episcopalem. 5° Per sententiam. 6° Per emancipationem. Ita Schmalzgr. ib. num. 10.

Durante adoptione potest matrimonium consistere : 1° Inter adoptantem et matrem adoptati. Ita S. Thom. in 4, dist. 42, q. 1, art. 2 ad 5. 2° Inter adoptantem et filiam adoptivae ; quia haec non est in potestate matris, ideoque non transit in potestatem adoptantis. 3° Inter adoptantem et filiam illegitimam adoptati ; quia scilicet filii illegitimi non sunt in patris potestate, atque adeo filia adoptati in casu in potestatem adoptantis non transit. 4° Eadem de causa consistet matrimonium inter filium illegitimum adoptantis, et hujus filiam adoptivam. 5° Inter filium et filiam duorum fratrum adoptivorum, quia isti nullo cognationis vinculo inter se vinciuntur. 6° Denique inter duos adoptivos unius adoptantis ; nam nullo id jure vetitum est. Ita Schmalzgrueber lib. 4, tit. 12, n. 31 ; Ballerini et alii.

Q. An cognatio legalis matrimonium dirimat usque ad quartum gradum inter adoptantem et descendentes adoptati, aut viceversa ?

R. 1° Certo restringitur ad primum gradum quoad adoptatum et descendentes adoptantis ; ex jure canonico constat.

R. 2° Quoad adoptantem et descendentes adoptati controvertitur. Sed dicimus cum communiori sententia ex jure romano hoc impedimentum se ad eos tantum extendere, qui simul cum patrefamilias adoptato transeunt in potestatem adoptantis. Ita Sanchez, et alii.

Unde adoptans potest contrahere cum filia adoptati nata post adoptionem ; quia non erat sub patris potestate tempore adoptionis. — Item adoptans potest contrahere matrimonium cum adoptati filia, quae non amplius est sub patria potestate ; quia hoc impedimentum durat inter istos durante patria potestate. — Item adoptatus potest contrahere cum sorore adoptantis ; quia non contrahitur inter istos cognatio.

Q. An adoptio imperfecta dirimat matrimonium ?

R. Negative cum S. Lig. n. 1027 et aliis communius. Imo ex adoptione imperfecta neque impedimentum impediens oritur.

§ 4. *De impedimento criminis, et disparitatis cultus.*

Q. Quid est impedimentum criminis ?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex homicidio, vel adulterio, vel utroque simul.*

Nota. Nonnulli Theologi docent cum impedimentum criminis habeat rationem poenae, et poenas ignorantes non incurrant; qui ignorant hanc poenam inflictam contrahentibus cum hoc crimine, non incurrunt in hoc impedimento.

Sed videtur hoc principium non posse saltem indiscriminatim applicari quando agitur de *lege irritante actum*, quamvis legislator moveatur ad irritandum actum, ut crimen vindicet. Hisce enim in casibus militat regula juris 64 in 6: *Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Praesertim vero quando vindicta criminis non sit ratio unica, quae legislatorem moveat ad actum irritandum, sed et aliae possint haberi, ut in nostro themate de impedimento criminis, puta, ut mentes avertantur ab ejusmodi criminibus patrandis quum finem, quem sibi delinquentes proponunt in patrando crimine, consequi certo non possint; vel ob honestatem publicam, quae non patitur, ut aliquis emolumentum consequatur ex propria iniquitate; et ob alia id genus.

Insuper ex Sacra Congr. Concilii Tridentini in nonnullis propositis dubiis 13 aug. 1870 colligitur quod neque causa ignorati impedimenti validum censeri possit: leges enim irritantes actum, ex quibus impedimenta, quae dirimentia appellantur, derivant, in eo statu contrahentes constituunt, in quo inhabiles sunt ad matrimonium inter se contrahendum. Unde ex legibus irritantibus matrimonium orta est ratio generalis concipiendi contrahentes tanquam inhabiles ad contrahendum. Vide *Acta S. Sedis in comp. redacta*, vol. 6, p. 107.

Q. Quid de impedimento criminis si agatur de solo adulterio?

R. Dupliciter contrahitur impedimentum, nempe vel per adulterium cum promissione matrimonii; vel per adulterium cum attentatione matrimonii.

Ex parte adulterii requiritur: 1° Ut sit verum, et consummatum. 2° Ut sit formale ex utraque parte, nempe ut uterque cognoscat alterutram partem esse conjugatam. S. Lig. 1036.

Si Confessarius vere deprehendat actum etiam ex parte foeminae consummatum non fuisse, non debet scrupulum impedimenti injicere, sive de matrimonio jam contracto agatur, sive de contrahendo. Ita Schmalzgr. lib. 4, tit. 7, n. 50.

Circa dictam cognitionem excusat ignorantia crassa, et culpabilis. A poenis enim excusat quaelibet ignorantia facti, nisi sit affecta.

ta; et praeterea ad formale adulterium requiritur dolus, qui abest, ubi adest ignorantia. Vide S. Alph. lib. 6, n. 1036.

Q. Quot conditiones requiruntur ex parte promissionis?

R. Quinque: 1° Ut ea facta sit vivente eodem conjuge. 2° Ut sit externa et acceptata, non vero requiritur repromissio. 3° Ut ea non fuerit ante adulterium serio revocata. 4° Ut promissio non fuerit ficta. 5° Ut non sit conditionata.

Dicitur *vivente eodem conjuge;* nimirum tum adulterium, tum matrimonii promissio cedere in injuriam debent unius ejusdemque conjugis: quod non contingeret, si Berta, v. g. vivente primo marito promitteret matrimonium Titio; cum eodem vero adulterium committeret, quando post primi mariti mortem Cajo nupsisset.

Dicitur *non sit conditionata;* sed si adjecta conditio purificetur ante mortem conjugis, ac multo magis si ante patratum adulterium, consideratur tamquam non esset apposita; nam promissio post impletam conditionem fit pura. Ita Schmalzgr., Ballerini et alii.

Resolves: 1° Si Titius committat adulterium materiale, postea habita scientia quod sit uxorata, promittit illi matrimonium, non adest impedimentum, quia non verificatur adulterium formale cum promissione.

2° Si Petrus promittat matrimonium alicui, existimans illam esse solutam, postea cognoscens illam esse uxoratam, habet cum illa copulam, adest impedimentum, quia verificatur promissio et adulterium, nam per copulam ratificatur promissio.

3° Si Cajus promittat Sylviae uxoratae matrimonium, postea revocat promissionem, et habet cum illa copulam, non adest impedimentum, quia non verificatur promissio et adulterium, cum promissio jam fuerit revocata ante adulterium.

4° Si Titius promittat et habet copulam cum uxorata, et postea revocat promissionem, adest impedimentum, quia illud jam contraxit.

5° Si Linus ficte promittat uxoratae matrimonium, et habet copulam cum illa, non adest impedimentum, quia sicut requiritur verum adulterium, ita et vera promissio, cum impedimentum sit odiosum.

Q. Quid circa adulterium cum attentatione matrimonii?

R. Praeter ea, quae diximus circa adulterium, ex parte attentationis requiritur probabilius ut adulterium, et matrimonii attentatio fiant durante eodem conjugio.

Non requiritur ut adulterium antecedat attentationem matrimo-

mi, sufficit ut sit subsequens, quia semper verificatur adulterium, et matrimonium attentatum juxta cap. *De eo qui duxit.*

Resolves : 1° Cajus inivit matrimonium cum Berta putans eam non esse uxoratam, comperto ejus conjugio cum altero, si committat adulterium non retractans matrimonium, adest impedimentum. Si matrimonium retractet, vel ab adulterio cessat statim ac conjugium alterius comperit, impedimentum non adest. Ita Schmalzgr.

2° Si Linus habeat copulam cum Caja, et attentat matrimonium cum illa putans esse mortuum maritum illius, qui revera erat vivus, non adest impedimentum, quia non verificatur adulterium formale.

3° Si Petrus habeat copulam cum Berta, et attentat matrimonium putans maritum illius esse vivum, qui revera erat mortuus, non adest impedimentum; quia adulterium est affective, non vero effective.

Q. Quot conditiones requiruntur circa homicidium solum?

R. Tres: 1° Mutua conspiratio. 2° Intentio matrimonii. Ita communissime, secus non est ratio impedimenti. Sufficit, ut haec intentio sit ex parte unius, et aliquo modo alteri manifestata, v. g. per munera, per epistolam amatoriam, etc. 3° Mors realiter secuta ex actione physica, vel morali alterutrius complicis. Ita communiter.

Resolves : 1° Si Linus percutiat Cajum per accidens leviter, sed cum conspiratione facta cum muliere illius causa contrahendi cum illa matrimonium, tamen ex incuria medicorum moritur Cajus, non adest impedimentum; quia mors non fuit secuta vi percussionis, quae revera non erat mortalis, sed ex culpa medicorum.

2° Si Titius mandet Cajum ad occidendum Petrum ex conspiratione facta cum muliere Petri, causa contrahendi cum illa matrimonium; postea revocat mandatum, Cajus etiamsi cognoscat hanc revocationem, nihilominus occidit Petrum, non adest impedimentum; quia occisio non fuit facta malitia mandantis, sed mandatarii. Si vero Cajus dictam revocationem non cognosceret, adesset impedimentum.

3° Si Titius cum Berta causa contrahendi matrimonium conspirant in consortem Bertae; sed ex conspiratione consors Bertae est ab alio occisus, ipsi audiunt et ratum habent, non adest impedimentum; quia ratihabitio postea nihil nocet, cum sit post factum, non vero ante factum.

Q. Quot conditiones requiruntur circa utrumque simul, idest homicidium cum adulterio?

R. Ex parte adulterii requiritur, ut sit verum, consummatum, atque formale. — Ex parte homicidii requiritur: 1° Ut machinatio mortis ab uno adulterorum fiat ex intentione matrimonii. 2° Probabilius ut haec intentio sit comparti aliquo modo manifestata; non vero requiritur, ut homicidium ex communi consilio sit secutum. 3° Ut revera mors sit secuta, ut diximus supra.

Resolves: 1° Si Linus habeat copulam cum Caja uxore Petri, et causa contrahendi cum illa occidit Petrum; postea cognoscit matrimonium Cajae cum Petro fuisse nullum, non adest impedimentum, quia adulterium non fuit secundum se tale cum injuria conjugis occisi, et colligitur ex cap. *Significasti de eo, qui duxit.* — Si vero matrimonium Cajae cum Petro fuisset validum, etiamsi tantum ratum, adesset impedimentum.

2° Si Titius habeat copulam cum Caja uxorata, et causa contrahendi cum illa, machinet occidere maritum illius; quadam die occidit illum, ipsa contradicente, adest impedimentum; quia non requiritur conspiratio, et haec est differentia, quae intercedit inter impedimentum criminis ex homicidio tantum, et ex homicidio simul cum adulterio; ad primum requiritur conspiratio, ad secundum vero non.

3° Si Cajus habeat copulam cum uxorata, et postea occidit maritum, ut liberius fruatur illa, non adest impedimentum, et potest cum ipsa inire matrimonium, si velit; quia homicidium non fuit patratum causa contrahendi matrimonium.

4° Si Cajus commiserit adulterium cum duabus mulieribus; postea occidit uxorem causa contrahendi cum una ex illis, adest impedimentum, ideo contrahere non potest; quia verificatur homicidium commissum causa contrahendi cum adultera.

5° Si Titius occidat mulierem suasu Cajae, cum qua habuit copulam, ut contraheret cum Sylvia, potest contrahere cum Caja; nam homicidium non fuit patratum causa contrahendi cum adultera.

6° Si Titius habeat copulam cum uxorata, putans esse solutam; postea cognoscit esse uxoratam, et occidit maritum illius causa contrahendi cum illa, absque illius conspiratione, non adest impedimentum; quia non adest adulterium formale.

Q. Quid dicendum de infidelibus, qui committunt ista delicta in infidelitate?

R. Possunt contrahere, quia hoc impedimentum est de jure ecclesiastico, hinc tantum subditos ligat.— Pariter possunt remanere in conjugio, licet postea ambo recipiant Baptismum; quia delictum commissum extra Ecclesiam ab Ecclesia non punitur.

Si fidelis haec delicta committat cum infideli, et postea infidelis veniat ad fidem, non potest cum hac contrahere; quia licet Ecclesia non possit punire infidelem, potest tamen fidelem, inhabilitando illum ad contrahendum cum complice delicti.

Q. Quid est impedimentum cultus disparitatis?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium inter personas, quarum una est baptizata, altera non baptizata.*

Q. Quo jure irrita sunt matrimonia Christianorum cum infidelibus?

R. Sunt invalida solo jure ecclesiastico. — Sed sunt prohibita jure divino positivo, juxta illud: *Quae pars fidelis cum infideli?*

Q. Quomodo se gerere debet sacerdos in dispensatione concedenda super disparitatem cultus?

R. Debet habere praesentes regulas a Sancta Sede traditas, quae sunt principaliter: 1° Ut in tuto sit fides contrahentis catholici, remoto probabili periculo perversionis. 2° Ut in tuto sit educatio prolis, datis debitis cautionibus. 3° Ut sint graves causae.

Q. Ad quem spectant filii procreati tempore infidelitatis, quando unus conjux venit ad fidem?

R. Vel isti filii sunt doli capaces, vel non. Si primum, relinquendi sunt in propria libertate; quia requiritur proprius consensus. — Si secundum, debent sequi conditionem fidelis in favorem fidei uti habetur in cap. *Judicis* 28, *quaest.* 1ª. — In dubiis autem debent etiam sequi fidelem, quia possessio stat pro fide.

§ 5. *De impedimento violentiae.*

Q. Quid est impedimentum violentiae?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex metu gravi, injuste incusso a causa libera, in ordine ad matrimonium extorquendum.*

Q. Quo jure vis et metus gravis irritant matrimonium?

R. Est controversia inter Theologos. Prima sententia docet dirimere matrimonium jure naturali.— Alia sententia docet dirimere matrimonium jure ecclesiastico. Utraque sententia est probabilis. Sed S. Alphonsus probabiliorem appellat secundam sententiam.

Nota. Sufficit, ut malum timeatur non sibi sed aliis sibi con-

junctis et propinquis consanguinitate, vel affinitate, vel etiam famulis et domesticis.

Quare tres conditiones requiruntur ad invalidandum matrimonium per metum gravem celebratum, nempe : 1ª Ut metus sit ab extrinseco, idest ab homine incussus. 2ª Ut sit injuste incussus. 3ª Ut sit ad extorquendum matrimonium.

Resolves. Valide contrahit matrimonium cum concubina, qui hoc facit ob metum gravem poenarum infernalium. — Item Sempronius valide contrahit cum Caja ab ipso turpiter decepta et cognita, si inductus sit a metu incusso a patre Cajae; quia juste incutitur.

Ille qui injuste incutit alteri metum ad contrahendum matrimonium committit duo peccata specie distinctā, scilicet contra justitiam, et contra reverentiam Sacramento debitam.

Domini temporales, et magistratus habentes jurisdictionem in foro exteriori cogentes injuste suos subditos, et quoscumque alios ad matrimonium, incurrunt excommunicationem ipso facto ex Trid. sess. 24, c. 9 *de Reform.*

Q. An matrimonium metu gravi contractum firmetur juramento?

R. Negative; quia est nullum quatenus contra bonum commune, ex cap. *De eo qui duxit* etc.

Q. Quomodo matrimonium ex metu injusto irritum, possit fieri firmum?

R. Non est necesse ut partes iterum coram Parocho et testibus contrahant; sed sufficit ut pars, quae metum passa est, consentiat in copulam conjugalem, prout decrevit Clemens III, modo hoc faciat affectu maritali, et sciat matrimonium fuisse nullum.

Nota. Metus reverentialis nisi sit conjunctus cum timore gravis damni, ut diuturni odii parentum etc. non invalidat matrimonium.

§ 6. *De impedimento ligaminis, et publicae honestatis.*

Q. Quid est impedimentum ligaminis?

R. Est *vinculum prioris matrimonii, sive rati, sive consummati, quo durante, secundum matrimonium jure naturali, et divino est irritum.*

Differentia inter *biviratum*, *bigamiam*, *monogamiam*, et *polygamiam* ex ipsa verborum significatione apparet. Nam *biviratus* dicit conjugium unius mulieris cum pluribus viris simul, et eodem tempore retentis; *bigamia* dicit conjugium cum pluribus successive; *monogamia* dicit conjugium unius viri cum una tantum; *polygamia* dicit conjugium unius viri cum pluribus uxoribus simul retentis.

Biviratus fuit, et est semper illicitus, et omnino prohibitus tum jure naturae, tum ex jure divino, cum sit contra finem primarium matrimonii; opponitur enim generationi prolis. — Polygamia quoque est illicita; est enim contra secundaria juris naturae praecepta, ut superius dictum fuit.

Q. Quo jure hoc impedimentum dirimit matrimonium?

R. Jure naturae; quia res uni tradita non potest alteri tradi: pariter dirimit jure divino juxta verba Christi (Matth. c. 19): *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit moechatur:* quod autem dirimat jure ecclesiastico patet ex cap. *Gaudemus* etc.

Nota. Mulier putans virum suum esse mortuum ad secundas nuptias transvolavit, si posthac resciverit, ipsum adhuc vivere, ad ipsum tenetur reverti; quia secundum matrimonium est invalidum, ut superius dictum fuit.

Q. Quid est publica honestas?

R. Est *propinquitas orta ex sponsalibus validis, aut matrimonio rato non consummato.* — Hoc impedimentum contrahitur inter virum et consanguineos mulieris, et vice versa, uti patet ex cap. *Si quis uxorem.*

Inductum fuit ob decentiam, et decus, et honestatem publicam, ne quis contrahat matrimonium cum consanguinea illius, cum qua prius fuerat desponsatus.

Q. Usque ad quem gradum dirimit matrimonium publica honestas?

R. Ex matrimonio rato dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, ut declaravit S. Pius V. Ex sponsalibus validis, dirimit tantum in primo gradu ex Trident. sess. 24 *de Reform. matr.* cap. 3.

Nota. Honestas publica oritur ex sponsalibus quamvis privatis; quia Ecclesia inter sponsalia privata, et publica nullam admittit distinctionem.

Q. An honestas publica oriatur ex sponsalibus conditionatis?

R. Conditio vel est de praesenti, vel de futuro. Si primum oritur, quia tunc sponsalia fiunt absoluta. — Si secundum non oritur, nisi conditio adimpleta fuerit; quia conditione non adimpleta, vera sponsalia non habentur. Ita S. Ligorius n. 1061. Sed verificata conditione, etiam non renovato consensu, eo ipso oritur impedimentum. Ita Schmalzgr. et alii.

Verum si Titius contrahat sponsalia sub conditione de futuro, et postea cum alia absolute ipse contrahat, impedimentum publicae honestatis non oritur neque ex primis, neque ex secundis. Nam prima non sunt absoluta; secunda non sunt valida, cum in praejudicium tertii fuerint celebrata : tenebatur enim eventum conditionis exspectare.

Item neque ex sponsalibus incertis (v. gr. Si Cajus promittat tribus filiabus Titii se unam illarum ducturum, et ipsae repromittant) oritur impedimentum publicae honestatis; quia hoc oritur ex sponsalibus certis ex cap. *De sponsalibus* in 6.

Q. Quid dicendum de matrimonio Titii, qui contraxit sponsalia cum Berta, et postea contraxit matrimonium cum Agnete?

R. Distinguendum : si Agnes sit consanguinea Bertae in primo gradu, nullum est matrimonium ob impedimentum publicae honestatis: si Agnes non sit consanguinea in primo gradu, matrimonium est validum, quia non adest impedimentum; et vinculum fortius rumpit minus forte.

Q. An impedimentum publicae honestatis remaneat post sponsalia justa de causa dissoluta?

R. Affirmative. Ratio est, quia impedimentum contrahitur statim post inita valide sponsalia, et impedimentum semel inductum non potest auferri ex voluntate sponsorum, vel alia causa superveniente. Ita ex declaratione S. Congreg. Vide S. Ligorius n. 1063.

Q. An oriatur impedimentum publicae honestatis ex matrimonio invalido?

R. Affirmative, quia ante Concilium Tridentinum honestas oriebatur ex hujusmodi matrimonio. Concilium vero nihil circa hoc immutavit, quamvis jus antiquum pro sponsalibus de futuro coarctaverit. Ita declaravit S. Pius V Const. *Ad Romanum* 1 jul. 1560.

Excipe 1° si oriatur invaliditas ex defectu consensus. Ita ex jure canonico. — Hinc non adest impedimentum publicae honestatis, si matrimonium vel ex errore, vel ex metu sive per vim absolutam, sive per vim secundum quid incusso, aut cum ficto consensu contractum fuerit. Vide S. Lig. n. 1062.

Excipe 2° si invaliditas veniat ex priore impedimento publicae honestatis orto ex sponsalibus valide contractis; ut definivit Bonifacius VIII in cap. unic. *De sponsalibus* in 6; in hoc enim casu non inducitur impedimentum in praejudicium priorum sponsalium. Ita S. Lig. n. 1064.

Item impedimentum publicae honestatis non oritur ex matrimonio rato, sed nullo, quia inito cum incerta persona; non enim est determinatus consensus quoad personam. — Idem est dicendum de matrimonio sub conditione de futuro celebrato ante verificatam conditionem.

Item si Titius contrahat sponsalia, et postea dissolvat illa, et contrahat matrimonium cum consanguinea illius, matrimonium est nullum ob impedimentum publicae honestatis. Insuper non potest redire ad primam ob impedimentum publicae honestatis ortum ex matrimonio rato nullo, cum non sit nullum neque ex defectu consensus, neque in praejudicium priorum sponsalium, quae fuerunt mutuo consensu dissoluta, quamvis impedimentum remaneat, quia ab Ecclesia impositum.

Verum ex matrimonio nullo, quia clandestine celebrato, videtur oriri impedimentum publicae honestatis; quia hoc matrimonium non est nullum defectu consensus, sed solemnitatis ab Ecclesia requisitae: hanc sententiam amplectimur utpote juri canonico conformiorem, licet nonnulli sententiam contrariam teneant.

Q. Quid dicendum de matrimonio Petri, qui contraxit sponsalia cum Caja, et postea emisit votum castitatis, deinde tamen obtinuit dispensationem, et contrahit matrimonium cum consanguinea illius?

R. Matrimonium est nullum, quia ex solutis sponsalibus semper remanet impedimentum; potest tamen redire ad primam, quia illud matrimonium fuit celebratum in praejudicium priorum sponsalium.

Item si Titius contrahat sponsalia cum Berta, et postea contrahit matrimonium cum istius consanguinea in primo gradu, ex primis oritur impedimentum, ex secundo non oritur quoad antecedentia, sed quoad subsequentia, idest hoc matrimonium nullum efficit, ut non possit contrahere cum quacumque Bertae consanguinea usque ad quartum gradum ob publicam honestatem ortam ex matrimonio nullo. Potest tamen ducere Bertam sponsam, supra quam solam non cadit impedimentum. — Si vero Titius habuit copulam cum consanguinea Bertae in primo gradu, cum qua contraxit matrimonium nullum, ne ad primam quidem redire potest ob impedimentum affinitatis ex copula habita.

Si Titius contraxerit sponsalia conditionata cum Berta, postea absolute contrahit matrimonium cum sorore illius in primo gradu, hoc matrimonium est validum, quia non adest impedimentum publicae honestatis.

Q. An impedimentum publicae honestatis oriatur ex matrimonio ab impuberibus celebrato?

R. Oritur non ratione matrimonii cum sit nullum, sed ratione sponsalium; nam illud matrimonium in sponsalia resolvitur juxta cap. *Tuae nobis de desponsatione impuberum*.

Q. Quo jure publica honestas dirimit matrimonium?

R. Solo jure ecclesiastico. Ita omnes.

§ 7. *De impedimento amentiae, et affinitatis.*

Q. Quid est impedimentum amentiae?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex perpetua amissione usus rationis.*

Nota 1ª. Si dementia non sit pérpetua, potest contrahi matrimonium in lucido intervallo. — Si matrimonium fuit contractum ante dementiam, est validum.

Nota 2ª. Moderni moralistae loco impedimenti amentiae ponunt aetatem. Ad libitum remanet tenere vel impedimentum amentiae, vel impedimentum aetatis.

Q. Quid est impedimentum aetatis?

R. Est *impedimentum ortum ex defectu aetatis sufficientis ad matrimonii officia adimplenda.*

Q. Quaenam aetas requiritur?

R. Annus 14us in viro, et 12us in foemina.

Nota 1ª. Si malitia suppleat aetatem, et potentia naturalis, seu physica sit apta ad consummandum conjugalem actum ante pubertatem, ipso jure canonico valide contrahitur.

Nota 2ª. Quando adest dubium, an impuberes qui contrahunt matrimonium sint ne subjecta capacia ad matrimonium, et non facile potest probari, ad Supremam Sedem debet recurri. Ita Benedictus XIV.

Nota 3ª. Pubertate legali completa, etsi nondum advenerit potentia naturalis valet matrimonium.

Q. Quando solet ab ipso jure impotentiam declarari perpetuam?

R. Non potest ante annum decimum octavum in viro, et quartum decimum in foemina.

Q. Quid est affinitas?

R. Est *propinquitas orta ex copula carnali, sive licita, sive illicita inter cognoscentem et consanguineas personae cognitae, et vicissim inter cognitam et consanguineos cognoscentis.*

Q. Quid est impedimentum affinitatis?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium proveniens ex tali propinquitate.*

Unde hoc impedimentum contrahitur inter virum et consanguineos mulieris; inter mulierem et consanguineos viri. — Affinitas contrahi potest etiam inter ipsos conjuges, si alteruter rem cum aliquo ex consanguineis alterius habeat, sed tantum privatur jure petendi, ut dicetur.

Affinitas non contrahitur nisi per copulam perfectam et consummatam, seu talem ex qua per se generatio sequi possit; quia secus vir et mulier non fiunt stricte una caro. Ita S. Lig. n. 1075. — Neque refert, an ea habita sit cum invita, vel amente, quia semper verificatur divisio carnis.

Q. Ad quem gradum se extendat impedimentum affinitatis?

R. Affinitas orta ex copula licita, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive; orta vero ex copula illicita et fornicaria dirimit usque ad secundum gradum inclusive ex Conc. Lateran. IV et ex Conc. Trid., sess. 24, c. 4. — Hoc decretum juxta Doctores intelligendum est de linea transversa, non vero de linea recta; quia jure ecclesiastico in linea recta affinitas matrimonium dirimit ad infinitum. Unde Titius non potest ducere neque matrem, neque aviam, neque filias, neque filiarum filias (et sic successive) suae uxoris.

Quoad controversiam, an contrahatur affinitas si in copula sola foemina seminaverit, in praxi valere debent regulae, quas S. Alphonsus habet, nempe: 1° Quando de copula constat, in foro externo semper praesumitur pro impedimento contracto. 2° Idem praesumitur etiam in foro interno, qnando de opposito non constet; quia judicium prudenter fit ex communiter contingentibus, praesertim si foemina fateatur magnum voluptatis sensum se expertam, esto seminalem effusionem non advertat. 3° Si certo constet re ipsa seminationem alterutra ex parte non esse secutam, in foro conscientiae non potest sententia pro impedimento ferri. Ita Schmalzgrueber, lib. 4, tit. 14, n. 71-73, Ballerini et alii.

Q. Si inter praefatos gradus affinitas superveniat matrimonio, an dissolvatur ipsum matrimonium?

R. Negative; sed secundum juris sententiam impeditur quoad debiti petitionem, non quoad redditionem. Haec poena utpote ex copula illicita, vi decreti Tridentini, sess. 24, cap. 4, *De Reform.*

Matr., non contrahitur, nisi ex copula cum consanguineis alterius in primo et secundo gradu. Confirmatur ex declaratione expressa Gregorii XIII; dummodo non habeat ignorantiam facti, vel juris, et non sit copula coacta ex metu gravi.

Quare Berta vi absoluta, aut metu cognita a consanguineo viri non amittit jus debitum petendi; quia hoc impedimentum petendi poenae tantum rationem habet; poena autem nulla esse potest, ubi nulla est culpa. Imo probabilius non amittit hoc jus petendi etiamsi dicta Berta graviter peccaverit, quia metus gravis excusat a legibus humanis, etsi a lege naturali excusare non valeat; ergo cum in nostro casu vis, vel metus gravis excuset a lege, prout est ecclesiastica, a poena etiam per eam legem inflicta excusare debet. Ita communius cum S. Ligorio, 1071, contra aliquos.

Si uterque conjux per incestum affinitatem cum altero contraxerit, neuter potest debitum petere, quia uterque jus suum amisit; et proinde neuter tenetur, imo nec potest debitum alteri reddere. Ita S. Lig., n. 1069.

Q. Qui peccat cum propria sua consanguinea, an similiter impediatur a petitione debiti?

R. Negative; quia vir per hoc crimen non fit affinis propriae uxori, quod advenit cum peccet cum consanguinea uxoris.

Q. Quid est stipes in affinitate?

R. Est *illa duplex persona*, *quae per copulam fit una caro;* unde maritus et uxor non sunt affines, sed affinitatis principium.

Q. Quomodo computatur gradus affinitatis?

R. Eodem modo computatur, quo gradus consanguinitatis; et haec est regula: *Quo gradu consanguinitatis quis est junctus viro, eodem gradu affinitatis junctus est mulieri*. Vicissim: *Quo gradu consanguinitatis quis junctus est mulieri*, *eodem gradu affinitatis junctus est viro*.

Quare qui peccavit cum duabus sororibus, aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia, nullam harum ducere potest.

Nota. Est regula generalis: *Affinitas non parit affinitatem;* idest affinitas, quam contraho cum consanguineis, non facit me affinem cum affinibus eorumdem consanguineorum. « *Per questo principio* « (*dice* Gousset, n. 813) *due fratelli possono sposare due sorelle; il* « *padre e il figlio possono sposare la madre e la figlia; un uomo* « *può successivamente sposare le vedove di due fratelli. Similment*

« *chi ha sposato la sorella di Tizio, potrà, dopo la morte della mo-*
« *glie, sposare la vedova del medesimo Tizio.* »

Q. Quo jure affinitas dirimit matrimonium?

R. Est certa omnium sententia quod solo jure ecclesiastico dirimat in linea collaterali, et multo probabilius etiam in linea recta, si forte primum gradum excipias. Nam quoad hunc primum gradum lineae rectae controvertitur: plures censent jure naturali matrimonia prohiberi; alii, quibus adhaeremus, probabilius tenent illud impedimentum esse tantum jure ecclesiastico. Ecclesia tamen licet pluries enixe rogata fuerit, nunquam voluit dispensare, si affinitas oriatur ex legitimo matrimonio, ut etiam testatur Benedictus XIV (de Synod. l. 9), licet non raro dispensaverit in hujusmodi affinitate orta ex commercio illicito, v. g. Si quis ducat uxorem postquam cum hujus filia, aut matre fornicatus fuerit.

Ratio diversae hujus praxis est, quia in copula fornicaria fit unio tantum corporum, in copula matrimonii consummati adest etiam societas in communem vitam, ut notat D. Thomas (in 4, disp. 41, q. 1, ar. 1, q. 3), *secundum quam etiam matrimonium naturale est.*

Resolves. Si fidelis habeat copulam fornicariam cum infideli, non potest contrahere cum sorore illius, si veniat ad fidem; quia fidelis jam contraxit impedimentum.

Si infidelis habeat copulam fornicariam cum alia infideli, postea veniat ad fidem, et velit contrahere matrimonium cum filia illius mulieris, quae etiam venit ad fidem, quamvis nonnulli Theologi dicant illam non posse contrahere; attamen nos sentimus cum De Lugo, Sanchez, Gonzalez, Navarro et aliis, qui posse affirmant; quia quod ab initio non subsistit, non firmatur tractu temporis ex lege *non firmatur ex regulis juris.*

Si infidelis contrahat cum sorore mortuae uxoris, si ambo veniant ad fidem non sunt separandi.

Si Titius infidelis contraxerit matrimonium cum Berta vidua et consummaverit, et postea, mortua Berta, contraxerit cum filia istius Bertae ex alio matrimonio, et cum filia suae concubinae. Dato quod veniat ad fidem, et velit cum una ex istis remanere, debet stare cum filia concubinae; quia cum ista aderat impedimentum de jure ecclesiastico, cum filia conjugis nondum est omnino definitum, an sit impedimentum jure naturae; ideo eligenda pars tutior.

Q. An affinitas ex matrimonio consummato, sed invalido, dirimat matrimonium ad quartum gradum, vel ad secundum tantum?

R. Ratione *affinitatis* dirimit ad secundum gradum tantum; quia non habetur affinitas ex legitimo matrimonio. — Ratione vero *honestatis publicae* videtur dirimere usque ad quartum gradum; quia matrimonium etiam invalidum vi honestatis publicae dirimit ad quartum gradum.

§ 8. *De impedimento clandestinitatis.*

Q. Quid est clandestinitas?

R. Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex defectu praesentiae Parochi et duorum saltem testium.*

Quare matrimonium juxta decretum Conc. Trid. non solum coram proprio Parocho, sed etiam coram duobus vel tribus testibus contrahendum est. — Nihil refert an isti non sint omni exceptione majores, vel non sint ad hoc vocati et adducti. Pariter nihil refert an sint caeci, vel surdi, dummodo habeant notitiam de contractione matrimonii, et possint intendere consensum expressum verbis, vel signis.

Q. Quotuplex est clandestinitas?

R. Duplex, nempe propria et impropria. *Propria* habetur quando celebratur matrimonium absque praesentia proprii Parochi et testium. *Impropria* quando fit absque denuntiationibus.

Matrimonia primo modo celebrata, idest clandestina sunt invalida in omnibus locis, ubi Concilii Trid. (sess. 24, c. 1) decretum circa matrimonium promulgatum, vel receptum est. — Secundo modo celebrata sunt valida, sed illicita, ut patet ex Trid., loc. cit.

Fuerunt irritata matrimonia clandestina ob periculum, quod clam contrahens cum una, postea palam in foro Ecclesiae cum alia contraheret, et simul viveret cum illa, relicta propria uxore, in perpetuo concubinatu.

Quare ubi non est promulgatum, vel receptum dictum Trid. decretum, licet matrimonia clandestina sint valida, sunt tamen illicita, quia addit Tridentinum: *Nihilominus sancta Dei Ecclesia illa semper detestata est et prohibuit.*

Q. An matrimonium clandestinum resolvi possit in sponsalia?

R. Negative juxta declarationem S. Congreg. Conc.

Q. Quaenam praesentia Parochi requiritur?

R. Non sufficit materialis praesentia, sed requiritur praesentia moralis et humana, qua videat et intelligat quid agatur a contra-

hentibus, sive ad assistentiam consenserit, sive adsit invitus, imo etiamsi contradicat; quia non ejus consensus, sed sola praesentia a Concilio Trid. requiritur.

Unde quamvis Parochus sit vi, metu, vel dolo coactus, dummodo plene percipiat id, quod agitur, et percipiat contrahentium consensum, validum est matrimonium. — Item matrimonium est validum, etiamsi Parochus affectet se non audire, nec videre. — Item non requiritur ad validitatem ut Parochus sit vocatus; quia sufficit praesentia, et possit testificari de matrimonio, ut patet ex Trid., leg. 2 *De testibus* etc.

Verum peccant mortaliter contrahentes coram Parocho vi, aut metu, vel dolo coacto, ob irreverentiam factam Sacramento Ecclesiae et Parocho : excipe si urgeat necessitas.

Q. Quis est Parochus, cujus praesentia est omnino necessaria?

R. Est Parochus domicilii, vel quasi-domicilii. Usus autem obtinuit, ut celebretur matrimonium coram Parocho mulieris de licentia Parochi viri, qui debet testificari se proclamasse banna, nemine contradicente.

Verum domicilium suppleri non potest per simplicem adscriptionem inter loci municipes, quidquid statuant quoad hoc civiles leges. Ita S. Congr. Concilii 28 aug. 1864. Vide *Acta S. Sedis in comp. redacta*, vol. 1, pag. 138.

Q. An valeat matrimonium contractum coram proprio Parocho in aliena parochia?

R. Affirmative; ejus enim praesentia non est actus jurisdictionis contentiosae, sed voluntariae.

Q. An valeat matrimonium contractum coram proprio Parocho nondum sacerdote, vel contra inhibitionem Episcopi?

R. Affirmative, prout declaravit S. Congr. Conc.

Q. An valeat matrimonium contractum coram Parocho suspenso, excommunicato, vel irregulari?

R. Affirmative. Ita declaravit S. Congreg. Cardinalium. — Item Parochus excommunicatus vitandus, vel irregularis, vel suspensus, modo non sit privatus officio parochiali, ac omnino depositus, assistit valide; quia hoc ipso, quod Beneficio non est privatus, vere Parochus est; insuper est actus jurisdictionis assistentia et testificationis, neque per assistentiam aliquis incidit in irregularitatem, ex eo quia non est actus Ordinis. — Item Parochus excommunicatus vitandus

vel suspensus potest dare licentiam alteri sacerdoti ut assistat matrimonio; quia nondum est privatus officio parochiali.

Non peccat graviter Parochus excommunicatus vitandus assistens matrimonio; quia communicat cum aliis in necessariis requisitis ad aliorum utilitatem, quod non est exercitium Ordinis, nec Sacramenti administratio.

Unde matrimonium contractum coram Parocho non proprio, nulla interveniente delegatione, in locis, in quibus publicatum est Concilium Tridentinum, irritum est, quamvis hic Parochus caeteras solemnitates praescriptas adimpleat. — Matrimonium sic contractum, quamvis initum bona fide circa ejusdem validitatem irritum tamen manet, nec per longam pacificamque conjugum cohabitationem convalidatur. Ita S. Congreg. Conc. 28 aug. 1864. Vide *Acta S. Sedis*, loc. cit.

Q. An valide assisteret Parochus, si sit publicus, ac declaratus haereticus?

R. Negative. Nam est privatus ipso jure Beneficio parochiali, ideo desiit esse Parochus. Idem dicendum si a parochiali officio depositus cognoscitur a legitima auctoritate. — Idem dicendum si esset intrusus, nempe sine titulo saltem colorato. Si vero adsit solus error communis sine titulo colorato, potest assistere. Ita Gury.

Q. An valide assistat matrimonio sacerdos quilibet cum licentia praesumpta Parochi?

R. Negative, quia non est vera licentia; sufficit tamen licentia tacita, aut etiam metu extorta.

Q. Quinam praeter Parochum potest assistere?

R. 1° Valide assistit Episcopus pro tota dioecesi. 2° Vicarius generalis habet facultatem assistendi, et delegandi. 3° Vicarius Capitularis, sede vacante; Abbates jurisdictione quasi episcopali pollentes, et Archiepiscopi in dioecesi suffraganeorum tempore visitationis, et appellationis. 4° Quilibet sacerdos tam propriae, quam alienae dioecesis, qui ab Ordinario, aut Parocho licentiam obtinuerit. — Ast Parochus non potest dare licentiam non sacerdoti ut assistat matrimonio, ut patet ex verbis Trid.: *Vel alius sacerdos de illius licentia.*

Q. In quamnam poenam incurrit sacerdos sine licentia Parochi matrimonio assistens?

R. Incurrit suspensionem ipso facto tamdiu duraturam, quamdiu

ab Ordinario illius Parochi, qui matrimonio interesse debet, absolvatur. Intellige suspensionem ab exercitio sacerdotali tantum.

Q. Delegatus sacerdos poteritne alterum subdelegare?

R. Si sit delegatus ad universalitatem causarum, idest ad cuncta parochialia munera obeunda; vel si Parocho dicat se discessurum a parochia, et Parochus annuit alium delegare, potest subdelegare. — Si vero agatur de delegato ad munus tantum speciale, v. gr. ad assistendum matrimoniis etc., non poterit subdelegare, quia tunc certum ministerium solum ei committitur, non vero jurisdictio.

Q. Coram quo debeant contrahere vagi?

R. Coram Parocho loci, ubi versantur, dum contrahunt; quia nullus alius est eorum proprius Parochus.

Verum ut Parochus licite assistat matrimonio vagorum debet praemittere diligentem requisitionem, et obtinere licentiam ab Episcopo ejusdem dioecesis uti ex Trid.; quod etiam est dicendum circa alienigenas alibi fixum domicilium habentes, quia pro istis viget eadem ratio ac pro vagis: si vero Parochus hoc non facit, peccat graviter, quia facit contra legem Ecclesiae in re gravi.

Q. In quo loco debeant contrahere qui habent duo domicilia?

R. Alterutrum eligere possunt.

Q. Quamdiu quis debeat in aliquo loco commorari, ut in eo sortiatur domicilium sufficiens ad contrahendum?

R. Domicilium acquiritur alicubi versando cum intentione ibi commorandi. Et acquiritur eo momento, quo habitatio collocatur. — Quasi-domicilium acquiritur tantum per tempus aliquod ratione officii, spatio saltem unius mensis habitationis in loco ubi matrimonium celebratur. Ita declaravit Benedictus XIV.

Verum si quis per mensem perseveret aliquo in loco solo animo, puta recreationis, vel sit coactus habitare in domo ratione custodiae etc., non censetur domicilium ad hunc effectum de quo agimus, contractum. Vide Benedict. XIV in celebri *instit.* 33, et Const. *Paucis*.

Hoc ipsum etiam verificatur in casu, in quo sponsi e propria paroecia, quae Tridentinis legibus subjicitur, transeuntes in aliam ab iis legibus solutam, ibi contrahant quin acquisiverint aliquod domicilium. — Vagi tamen seu sponsi, quorum unus nullum domicilium habet, hoc quasi-domicilio non indigent. Ita eadem S. Congreg. ibid.

Q. Qui metu ne impediatur eorum matrimonium, vel eo animo tantum ut ibi contrahant clandestine, alio migrant, praescripto tempore mansuri, an validum sit eorum matrimonium?

R. Affirmative. Quia eorum matrimonium secundum leges fuit celebratum: contra Gury, qui contrarium tenet. — Ast valide illi non contrahunt, qui solo animo proprium Parochum fraudandi ex una in aliam transeunt paroeciam, quin in hac quasi-domicilium saltem figant. Ita S. Congr. Conc. loc. cit.

Q. An valeat matrimonium eorum, qui discedentes ex loco ubi non viget Decretum Tridentinum, contrahunt clandestine in loco ubi viget?

R. Negative, etiamsi contrahant transeundo tantum, quia hic agitur de lege generali Ecclesiae. Nam juri communi subjiciuntur illi, qui alio commigrant ubi jus commune viget.

Q. An valide contrahant clandestine sponsi, quorum unus habet domicilium in loco ubi receptum est decretum Concilii Tridentini, et alius ubi non est receptum?

R. 1° Affirmative, si contrahant in loco ubi non est receptum Decretum Tridentinum. 2° Negative, si contrahant in loco ubi viget Decretum Tridentinum.

Q. An excuset ab impedimento clandestinitatis impotentia ad proprium Parochum, vel Episcopum recurrendi?

R. Affirmative, si illa impotentia sit communis in aliqua provincia, v. gr. durante perturbatione aliqua politica et religiosa; quia lex esset bono communi nociva. — Negative, si impotentia casus particulares respicit; quia lex irritans non cessat ob incommodum privatum.

Q. An fideles debeant coram alio sacerdote contrahere, si facile possint, quando ad proprium Parochum recurrere nequeunt?

R. 1° Debent petere licentiam Parochi vel Episcopi per litteras si fieri possit. 2° Si non possint hanc facultatem requirere, vel obtinere, valide contrahere possunt coram duobus testibus etiam sine ulla sacerdotis assistentia.

Q. An conjuges qui, deficiente Parocho, clandestine contraxerunt, ad benedictionem, facta opportunitate, accipiendam teneantur?

R. Non tenentur; sed ad hoc adhortandi sunt.

Q. Quid, si Parochus mitteret alicui assistendi licentiam, sed antequam delegatus licentiam acceperit, Parochus moriatur?

R. Si mortuus sit ante receptionem licentiae, invalide assistit.—

Si vero moriatur post acceptam licentiam, disputant Theologi; sed sententia negativa est valde probabilis, quam nos amplectimur, quia hic sacerdos repraesentaret defunctum, qui repraesentari non potest.

Q. An haereticorum matrimonia valida sint coram ministro haeretico, vel sine testibus celebrata?

R. Valida sunt ex tacita Ecclesiae dispensatione.

§ 9. *De impedimento impotentiae.*

Q. Quid est impotentia?

R. Est *inabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex incapacitate consummatam, et completam copulam exercendi.* — Unde sterilitas non est impotentia: quare si habeatur impotentia ad generandum non dirimitur, modo habeatur potentia ad coeundum, uti patet ex parentibus Joannis Baptistae, qui licet steriles, verum et validum conjugium habuerunt.

Q. Quotuplex est impotentia?

R. Multiplex, nempe alia est *ab intrinseco*, quae provenit ex frigiditate. — Alia *ab extrinseco*, quae provenit ex maleficio etc. — Alia est *perpetua*, quae absque miraculo, vel peccato, vel vitae periculo non est vincibilis. — Alia *temporalis*, quae est vincibilis.— Alia est *absoluta*, quae est inhabilitas ad omnes mulieres, et vicissim. — Alia *relativa*, quae est inhabilitas respectu quarumdam tantum personarum.

Q. Quaenam impotentia dirimit matrimonium?

R. Sola impotentia perpetua matrimonium antecedens, sive absoluta illa sit, sive relativa, matrimonium dirimit. — *Relativa* dirimit tantum respectu illius personae ad quam est.

Evidenter demonstrata in foro externo ejusmodi impotentia, non opus est, ut pontificia dispensatio interveniat, qua dissolvitur matrimonium ratum et non consummatum; nunquam enim fuit ratum quod ab initio nullum fuit. — At ostendi debet eam impotentiam matrimonio praecessisse, non supervenisse, et humano remedio vinci non posse. Ita S. Congreg. Conc. 24 jan. 1871. Vide *Acta S. Sedis*, vol. 6, pag. 117.

Diximus *antecedens*, quia si impotentia sit consequens, quamvis matrimonium non fuerit consummatum, non dirimitur; quia quod semel ratum fuit, licet non consummatum, nulla impotentia super-

veniente dirimitur juxta cap. *His qui*, 32, quaest. 7. — In dubio an impotentia praecesserit, an subsecuta fuerit matrimonium? praesumendum est eam praecessisse, ut habetur ex cap. *Fraternitatis eodem titulo.*

Q. Utrum invalidum sit matrimonium quando foemina per operationem possit fieri apta sine periculo mortis, sed cum gravis periculo morbi?

R. Affirmative, cum sententia probabiliori; quia non tenetur reddere corpus aptum cum tali periculo. Ita S. Ligorius.

Q. Quid facto opus sit, quando dubium est an impotentia sit temporalis, aut perpetua?

R. Lex canonica concedit conjugibus triennium experientiae. Sed nunc non amplius opus est ad impotentiam demonstrandam de hoc triennali experimento, quod in usu erat in dicto veteri jure, quando saltem suppetant tutiora media ad ejusmodi judicia ferenda. Ejusmodi tutiora media sunt dispositiones conjugis impotentiam alterius affirmantis testimoniis opportunis confirmatae, et peritorum, et obstetricum judicium post physicum examen rite peractum. Ita ex Sac. Congreg. Conc. 24 jan. 1871. Vide *Acta S. Sedis*, vol. 6, pag. 118.

Q. Si separatione facta postea appareat impotentiam non fuisse perpetuam, quid faciendum?

R. Conjuges restaurari tenentur, etiamsi a comparte aliud fuisset contractum matrimonium, quia prius celebratum fuit validum, et indissolubile.

Q. Si Cajus judicatus impotens duceret aliam uxorem atque ita ut potens ostenderetur: ex dictis hoc secundum matrimonium esset nullum, et valeret primum: 1° Possetne Romanus Pontifex dispensare super primo matrimonio rato, et non consummato? 2° Et dispensato primo matrimonio tantum rato convalesceret ne ipso jure matrimonium secundum?

R. Ad 1um Romanus Pontifex posset. Ad 2um opus esset ut sanaretur in radice, aut iterum celebraretur.

Q. Quid de sene, eunucho, et impotente ob maleficium?

R. 1° Vel senex est potens ad consummandum, vel non. Si primum, validum est matrimonium.— Si secundum, est invalidum ob impotentiam perpetuam.

R. 2° Eunuchus orbatus utroque testiculo non potest contrahere; quia non potest verum semen effundere, ut patet ex declaratione

Sixti V an. 1547, quae incipit: *Frequenter in istis regionibus.* Si orbatus sit uno tantum testiculo, valide contrahit; quia potest emittere verum semen.

R. 3° Si sit impotentia perpetua non potest valide contrahere; quia maleficiatus est impossibilitatus ad copulam respectu cujus maleficium patitur.

Si puer ante pubertatem contrahat matrimonium, valide contrahit si malitia suppleat aetatem ut patet ex cap. *De despons.;* si vero non supplet aetatem, invalide contrahit jure ecclesiastico. — Non dissolvitur matrimonium contractum a pubere impotente usque dum plenam pubertatem ipse adeptus fuerit, quam in viro constat advenire 18 anno; in foemina 14 anno, ut superius diximus.

Dissoluto matrimonio ob impotentiam absolutam perpetuam, si postea fiat potens per miraculum, non amplius tenetur redire ad primum matrimonium; quia erat absolute nullum.

Q. Quo jure impotentia matrimonium dirimit?

R. Jure canonico, et jure naturali; quia nulla est contractus matrimonialis materia.

§ 10. *De impedimento raptus.*

Q. Quid est raptus?

R. Est *foeminae abductio de loco in locum, vi, aut seductione facta, matrimonii ineundi, vel libidinis explendae causa.*

Idem est sive raptor per se, sive per alios raptum exequatur; itemque sive per se et penes se, sive per alios raptam personam in sua retineat potestate. Id eruitur ex declaratione S. Congr. Conc. 25 julii 1864. — Impedimentum autem incurrit qui pro se rapit, non vero qui rapiunt pro alio, quamquam hi alias poenas tum civili tum canonico jure in raptores decretas incurrere possunt. Vide Schmalzgrueber (lib. 5, tit. 17, n. 20), Ballerini not. Gury.

Q. Utrum raptus dirimat matrimonium?

R. Ex Concil. Tridentino matrimonium dirimit inter raptorem et raptam, licet jam sponsam, etiam post raptum consentientem, quamdiu manet in potestate raptoris.

Perinde est rapere vi puellam e propria domo, ac dolo eam circumvenire ut in manus meditantis rapinam inscia deveniat. Imo perinde esse videtur rapere puellam e propria domo, ac fraudibus eam circumvenire, ne ad suam redeat domum posteaquam libere exivit. Ita declaratio S. Congreg. Conc. 25 julii 1864.

Neque interest si puella his fraudibus assentiri videatur. Consensus enim fraudibus extortus, apertae violentiae aequiparatur. Itā eadem S. Congreg. Concil. loc. cit.

Q. Quot conditiones requiruntur, ut raptus sit impedimentum dirimens?

R. Tres: 1.ª Ut rapta educatur de domo in domum, vel alio modo, dummodo per illam translationem subducatur de potestate paterna. 2ª Ut abducatur causa matrimonii ineundi, non vero gratia explendae libidinis, ut verior, et communior docet sententia. 3ª Ut adsit violentia, idest ipsa muliere resistente.

Q. Quando raptor potest valide contrahere cum rapta?

R. Quando rapta a raptore separetur, et in loco tuto et libero constituatur, et apponat consensum, ut ex Tridentino. Secus puella ex jure inhabilis est ad contrahendum cum raptore.

Nota. Non censetur puella a potestate raptoris separata si raptor potius per alium, quam per se potestatem in puellam exercet.—Neque locus censetur tutus qui publicus sit, neque liber, quamvis in eo nonnulli actus libere exerceri posse videantur. — Neque valet matrimonium in hoc statu contractum etiamsi ante celebrationem prudenter praevideretur, quod puella in idem matrimonium consensisset, licet in loco tuto ac libero constitueretur. Quare ex indole loci, in quo rapta ponitur pendet. Ita declaratio S. Congreg. Conc. 25 julii 1864.

Quare adeo debet esse libera puella ut sine ullo obstaculo possit redire in domum propriam, et absque ullo metu disponere de se ipsa juxta proprium arbitrium.

Q. Utrum raptus seductionis non minus dirimat matrimonium, quam raptus violentiae?

R. Duplex est sententia: prima affirmat; secunda communior et verior, quam amplectimur, negat; quia preces, blanditiae, et seductio non sunt vere raptus: modo istae blanditiae, et seductio non contineant dolum; secus dicendum est ut supra.

Quare si parentes repugnent, sponsus ut contrahat, vel commodius contrahat matrimonium, abducat a propria domo puellam libere et ultro consentientem, valide contrahit; quia non est raptus, sed mera fuga.

Q. In quam poenam incidunt raptores?

R. De jure canonico in impedimentum dirimens, in infamiam, in excommunicationem nemini reservatam, et in poenam dotandi

illam arbitrio judicis, sive contraxit matrimonium, sive non; et si sit Clericus, decidit a proprio statu ut patet ex Conc. Trid. sess. 24, cap. 6.

In excommunicationem et infamiam incidunt non tantum raptores, sed etiam omnes consilium, auxilium, favorem praestantes ut patet ex Trid. loc. cit. — Ad has poenas incurrendas tres conditiones requiruntur, scilicet *violentia*, *abductio*, et *causa contrahendi.* — In impedimentum, et excommunicationem statim incidunt; in alias poenas post sententiam judicis.

Q. An valeant sponsalia contracta, dum mulier rapta sub potestate raptoris versatur?

R. Duplex est sententia: prima probabilis negat; quia sponsalia libertatem requirunt sicut ipsum matrimonium; lex enim poenalis extenditur, ubi eadem ratio militat. Ita Sanchez, Salmant. — Secunda affirmat, et hanc probabiliorem dicit S. Lig. cum Lacroix et aliis; quia sponsalia, utpote quae semper sunt rescindibilia, minorem libertatem, quam matrimonium requirunt. Hanc nos tenemus, sed in praxi melius est uti sententia cl. Ballerini dicentis, cum haec obligatio sit dubia, Confessarius eam urgere non potest.

Q. An ad hoc impedimentum contrahendum sufficiat raptus viri a foemina?

R. Negative. Quia Concilium Trid. loquitur de solo raptore.

ARTICULUS III.

DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Q. Quis potest dispensare ab impedimentis matrimonii?

R. 1° Ex consuetudine, Episcopus potest dispensare ab impedimentis impedientibus tantum. Excipe: 1° Sponsalia, quia obligant jure naturali. 2° Excipe votum castitatis perpetuae, et ingrediendi religionem, utpote Papae reservatum. Si tamen jam contractum sit matrimonium. in illis etiam potest Episcopus dispensare.

R. 2ª Nec Papa potest dispensare in impedimentis jure naturali et divino dirimentibus, ut sunt error, consanguinitas in primo, et probabiliter in quocumque gradu lineae rectae, ligamen, amentia, et impotentia. Potest tamen propter causas urgentissimas declarare, in casu particulari, validum esse matrimonium, non obstante tali impedimento.

R. 3° In impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus solus Papa, ex communi Ecclesiarum usu, habet jus dispensandi, saltem ordinarie loquendo.

Q. An Episcopi dispensare possint in impedimentis dirimentibus dubiis?

R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia licet dispensatio impedimentorum dirimentium sit Papae reservata, attamen cum reservatio sit odiosa stricte est interpretanda, et restringenda est tantum ad casus certos. — At si agatur de dubio juris, inutilis est dispensatio; cum in hoc casu Ecclesia censeatur supplere.

Q. An Episcopus possit dispensare aliquando ab impedimentis dirimentibus?

R. Distinguendum: vel matrimonium nondum est celebratum, vel jam celebratum est. Si primum, commune est posse dispensare suos subditos ex tacita Pontificis concessione, quando vera urget necessitas, et agitur de impedimento occulto; v. g. si alias immineat periculum mortis, aut si matrimonium necessarium sit ad legitimandam prolem, vel ad vitandam foeminae infamiam, aut alia mala. — Si secundum, etiam Episcopum dispensare posse, affirmat Benedictus XIV et sententia communis Theologorum, dummodo sint istae conditiones: 1° Ut matrimonium contractum sit cum ignorantia impedimenti. 2° Ut sit consummatum. 3° Ut sit occultum. 4° Ut non sit facilis ad Papam recursus. 5° Ut matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiae. 6° Ut immineat periculum infamiae, aut scandali.

Nota. Haec dispensatio Episcopalis prodest tantum pro foro conscientiae. Si postea detegatur impedimentum, erit ad Pontificem recurrendum. Excipe, nisi fidem facere possit Confessarius de dispensatione.

Q. An si sponsi sint diversae dioecesis, dispensatio obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque ex indulto speciali facultate dispensandi gaudeat?

R. Duplex est sententia: prima affirmat, quia Episcopus unius jurisdictionem non habet in subditum alterius. — Secunda negat, quia cum Episcopus auferat impedimentum a suo subdito, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito. Nos igitur sentimus cum Ballerini dicente: cum probabile sit, non opus esse altera dispensatione, licet sic contrahere ex generali principio quod Ecclesia supplet ubi opus forte fuerit.

Nota. Ut dispensatio sit licita requiritur justa causa, quae s desit, et Pontifex dispenset, peccat profecto saltem venialiter. Qui vero pro certo scit quod superior dispensaverit absque causa, et utitur dispensatione, peccat venialiter, modo non adsit scandalum, vel aliud damnum. Si vero non sit certus, potest uti absque peccato.

Invalida est dispensatio data a Pontifice sine justa causa si impedimenta sint de jure naturae; quia Deus dedit illam facultatem Pontifici in aedificationem Ecclesiae, non vero in destructionem. Si vero sint de jure ecclesiastico, tunc dispensatio est valida.— Invalida vero esset si haec dispensatio non a Papa, sed ab aliquo alio Praelato inferiore esset data.

Si aliquis exprimat, quod sit pius, doctus etc. falso, quod movet Summum Pontificem ad dispensandum, aut tacet quod sit vitiosus etc., quod prorsus averteret Summum Pontificem a concessione, non redditur rescriptum vitiosum, quia stylus curiae hoc non exigit. — Item valida est dispensatio, quam quis obtinet non exprimendo se illam antea petiisse, sed non obtinuisse.

Q. Quid requiratur ad valorem dispensationis?

R. Quatuor requiruntur: 1° Ut causa finalis dispensationis sit vera. 2° Ut subsistat dum conceditur dispensatio. 3° Ut existat tempore executionis. 4° Ut in petitione nihil omittatur eorum, quae jus et stylus curiae exigunt, et nihil reticeatur veri, ratione cujus dispensatio aut nullo modo daretur, aut non nisi cum certa conditione, vel limitatione.

§ unicus. *De causis dispensationis.*

Q. Quaenam sint causae justae, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?

R. Sunt sequentes: 1° *Angustia loci*, id est, si timeatur, ne ob loci angustiam, puella convenienter alteri non nubat: angustus autem reputatur omnis locus non habens 300 focos; et hoc valet, licet sponsa domicilium alio sit translatura. 2° *Defectus dotis competentis*, quae alioquin puellae a consanguineo offertur, vel ab extraneo; sed ea conditione ut consanguineo nubat. 3° *Aetas jam provecta seu superadulta foeminae*, nempe quando jam 24um aetatis annum excedit, et alium virum suae conditionis, cui nubere possit, non invenit. 4° *Copula carnalis* jam habita cum consanguinea, vel alia persona, impedimento laborante, et periculum caeteroquin

adest, ne infamia sequatur, etc. 5° *Nimia partium familiaritas*, ex qua timetur scandalum, nisi contrahant. 6° *Legitimanda proles* ex fornicatione nata, aut concepta. 7° *Sedatio gravium inimicitiarum*, vel litis extinctio inter oratorum parentes, consanguineos, vel affines. 8° *Virtutes christianae*, quae in altero viro probabiliter non invenirentur. 9° *Excellentia meritorum* erga Ecclesiam. 10° *Conservatio bonorum* in illustri familia. 11° *Larga eleemosyna* in pia opera refundenda. 12° *Paupertas viduae* filiis onustae, quos vir alere intendit et promittit.

Aliquando contingit ut una causa seorsim sumpta non sit sufficiens, sed cum altera juncta gravis reputetur, et proinde sufficiat.

Causae nunc admissae ut canonicae pro secundo et tertio gradu sunt: angustia loci, lites vitandae, copula habita, scandalum tollendum, et aetas superadulta mulieris. Bouvier.

Q. Quaenam sint necessario exprimenda de jure sub poena invaliditatis in petitione dispensationis?

R. Sunt sequentia: 1° Vera et legitima *causa movens* ad impetrandam dispensationem. 2° *Species* etiam *infima* impedimentorum, v. gr. affinitas ex copula licita, vel illicita; honestas ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato. 3° *Numerus impedimentorum*, v. gr. si praeter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex, aut multiplex consanguinitas, vel affinitas. 4° *Filiatio* aut *compaternitas* in cognatione spirituali. 5° *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato; imo si oratores sint in linea inaequali, exprimi debet etiam gradus propior. Hoc tamen non requiritur ad validitatem, nisi sint conjuncti in secundo gradu attingente primum. 6° *Copula incestuosa* habita inter oratores, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione. Evincitur ex Bulla Benedicti XIV *Pastor bonus*..... 7° *Variae circumstantiae* matrimonii cum impedimento celebrati, scilicet an clandestine; an cum debitis proclamationibus; cum bona, vel mala fide utriusque, vel alterutrius tantum; an cum spe facilius dispensationem obtinendi; et an matrimonium fuerit consummatum.

Nota. Sacrae Poenitentiariae propositum fuit dubium sequens: Utrum per Bullam Benedicti XIV Pastor Bonus *intelligatur canonice decisam fuisse quaestionem alias agitatam super validitate, vel nullitate dispensationum obtentarum reticita copula incestuosa, vel oc-*

culta, et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem?

Sacra Poenitentiaria sub die 20 julii 1869 *respondit: Post Constitutionem Benedicti XIV* Pastor Bonus *non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentae, reticita incestuosa copula, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda.*

Q. An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio, v. g. si mortua fuerit proles per matrimonium legitimanda?

R. 1° Affirm. si causa cesset antequam dispensatio expediatur, aut fiat ab Episcopo, vel ab alio, cui a Pontifice commissa fuerit. S. Lig. n. 1132.

R. 2° Neg. si causa cesset, dispensatione jam expedita et a delegato supplicantibus communicata, etiamsi cesset ante matrimonii celebrationem. Ratio est quia per dispensationem jam impedimentum sublatum est. S. Lig. ibid. Vide vol. 1, not. ad n. 120.

Q. Quid praescribat Concil. Tridentinum circa dispensationem in consanguinitate?

R. 1° Qui matrimonium contraxit et consummavit cum aliquo impedimento, cujus sibi conscius erat, ille separetur sine spe dispensationem obtinendi. 2° Ut qui contraxerit cum impedimento, quod revera ignorabat, iisdem poenis subjiciatur, si neglexerit observare solemnitates requisitas. 3° Ut facilius cum eo dispensetur, qui contraxit cum impedimento quod ignorabat, et qui observavit aliunde solemnitates in Ecclesia praescriptas.

Q. Quid, si dubitetur an causa allegata fuerit finalis, an impulsiva tantum, an fuerit causa vera, an falsa?

R. In omnibus his casibus, et similibus censenda est valida dispensatio, quia in dubiis standum est pro valore actus.

Q. Utrum sufficiat exponere gradum remotiorem consanguinitatis, vel affinitatis, reticendo propinquiorem?

R. Affirmative, modo gradus propinquior non sit primus, vel secundus. Sed ad liceitatem matrimonii opus erit obtinere litteras declaratorias super propinquiori. Ita communiter ex motu proprio S. Pii V *Sanctissimus.*

Nota. Adverte quod in primo gradu mixto exprimendus sit sexus, qui est in primo gradu, quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam, quam patruus neptem.

Q. An si plura sint impedimenta ejusdem gradus affinitatis, v. g. si cognoverit duas sorores, debeat in supplici libello utramque exprimere?

R. Affirmative, ut declaravit Benedictus XIV.

Q. An si concurrant plura impedimenta debeant omnia simul exponi in supplici libello?

R. Cum distinctione: si illa impedimenta disparate se habeant, et unum non augetur ex altero, v. g. votum, et consanguinitas, non est opus simul exponere, quia non reddunt difficiliorem dispensationem. Si secus, v. g. consanguinitas, et affinitas ex copula illicita, debent omnia simul exponi.

Nota. Si unum est publicum, et aliud occultum, prius solum est exponendum Datariae; sed utrumque ad S. Poenitentiariam aperiri debet.

Qui obtinuit dispensationem, et vult petere aliam, non tenetur exprimere antea receptam; quia per hoc non redditur difficilior dispensatio, modo non sit *ex crimine ortum;* tunc enim est exprimenda dispensatio antea recepta, quia ex repetito crimine redditur difficilior dispensatio, et per relapsum in illud redditur indignus benignitate Ecclesiae, uti patet ex lege *nemo* cod. *de Episcopi audientia.*

Q. An requiratur duplex dispensatio quando duo volunt inter se contrahere eodem impedimento irretiti?

R. Distinguendum: vel ista afficiunt dependenter utrumque, ut v. g. si quis velit contrahere cum consanguinea, sufficit quod unus petat dispensationem, quia dissoluto impedimento quoad unum, etiam quoad alium censetur ablatum quando utrumque afficit dependenter: vel afficiunt independenter, ut si aliquis v. g. irretitus voto castitatis, vult contrahere cum alia etiam irretita voto castitatis, non sufficit ut tantum obtineat dispensationem, quia obtenta dispensatio ab uno non valet pro dispensatione alterius, quando non habent connexionem.

Q. An si quis post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, in eundem incestum relabatur ante matrimonium, nova indigeat dispensatione?

R. Negative, sive ante, sive post fulminationem illum incestum commiserit. Excipe si dispensatio fuerit obtenta a Dataria in forma pauperum.

Q. Quid si post obtentam dispensationem super gradu prohibito, interveniat incestus inter sponsos ante fulminationem dispensationis?

R. Nova requiritur dispensatio juxta praxim Curiae Romanae.

Q. An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si oratores non sint pauperes?

R. Affirmative. Ratio est, quia obreptio cadit tantum in causam impulsivam, non autem in motivam, seu finalem : paupertas enim non est ratio, ob quam conceditur dispensatio, sed ob quam conceditur *gratis*. Unde debet semper adesse alia causa motiva. Ita S. Lig. in Hom. apost., n. 87.

In praxi autem licet peccent graviter illi, qui obtinent dispensationem in forma pauperum, cum non sint pauperes ; attamen, contracto matrimonio, videtur quod standum sit pro illius valore, saltem ob auctoritatem S. Lig. et S. Congreg., nisi probetur hanc declarationem authenticam non esse.

Q. Quinam censendi sint pauperes?

R. Ex jure canonico debent esse aliquo modo *miserabiles*, cum de stylo Curiae sic confici debeat petitio: *Oratores pauperes et miserabiles existunt, atque ex labore et industria sua vivunt.* In praxi exponendus est status fortunae, vel standum est regulis ab Episcopo datis.

Ex declaratione a Rectoribus Apostolicae Datariae anno 1841 data, illi reputandi sunt *pauperes*, quorum fortuna valorem 5000 fr. non excedit; illi vero quorum fortuna 10000 fr. valorem non excedit, *fere pauperes* dicuntur. Bouvier, dispens. imped., sect. 3, § 3.

Q. Quaenam sint clausulae, quae in dispensationibus a S. Poenitentiaria apponi solent?

R. Sunt sequentes, scilicet : 1° *Si ita sit.* Fides autem poenitenti adhibenda est, nisi delegatus certe sciat oppositum ex notitia extra confessionem accepta. 2° *Audita prius sacramentali confessione.* Juxta igitur hanc clausulam necessaria est confessio. 3° *Sublata occasione peccandi.* Intelligitur, si occasio sit voluntaria, quae de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media. 4° *Dummodo impedimentum sit occultum.* 5° *Injuncta ei gravi poenitentia.* Intelligitur juxta conditionem ac vires poenitentis. 6° *Praesentibus laceratis, sub poena excommunicationis latae sententiae.* Haec laceratio statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem executam. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi dispensatio debet a Parocho caute annotari

in libro, qui non possit a quopiam alio aspici, quo ipse scilicet, ubi opus fuerit, fidem facere de dispensatione impetrata possit. S. Lig., n. 1143.

Q. Quomodo taxa pecuniaria, quae oratoribus imponitur, conciliari possit cum decreto Conc. Trid. jubente, ut dispensatio gratis concedatur?

R. Si pecunia occasione dispensationum percepta in beneficium dispensantis vergeret, mandatum Conc. Trid. violaretur, et dispensatio simoniaca foret: verum non ita se res habet: pecunia enim accipitur tantum uti eleemosyna in opera pia impendenda.

Q. Quomodo exequenda sit dispensatio sacrae Poenitentiariae, si impedimentum sit utrique contrahenti notum et commune?

R. In hoc casu uterque a respectivo Confessario dispensandus est. Constat ex responsione *S. Poenitentiariae*, die 15 novem. 1748. — Idem autem Rescriptum duobus Confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo, qui posterius cum suo poenitente illud exequitur. Si vero impedimentum uni tantum notum sit, unica executio requiritur. Collet, *Traitè des dispenses.* Bouvier, etc.

Q. Confessarius recepit decretum absolutionis et dispensationis cum Petro et Fabia super impedimento primi affinitatis gradus in linea recta ex copula cum matre oratricis, ad quam dispensationem apposita fuit conditio *dummodo nativitas praecesserit copulam.* Praefatus Confessarius exponit copulam habitam esse ante nativitatem, sed cum mater jam utero gestaret Fabiam?

R. Clausula, dummodo copula habita sit post sponsae nativitatem, jure apponitur ad praecavendum ne quis vir ducat uxorem filiam, quae ipsius opera concepta sit. Quare dummodo copula a poenitente habita revera sit cum matre post certam conceptionem sponsae, quamvis ante hujus nativitatem, attamen non obstante apposita litterali clausula, dispensationis decretum executioni demandari potest, quia vera praeexistente filiae conceptione, cessat ratio praecavendi periculum, ne poenitens ducat filiam ejusdem opera conceptam.

Q. Quid sentiendum de clausula illa *remota prius occasione peccandi* apposita in dispensatione matrimoniali?

R. Clausulam illam *remota prius occasione peccandi*, quae apponitur in decretis dispensationis super impedimento affinitatis ex illicita copula proveniente, importare quod dispensatus culpabilis removeat occasionem vel phisice a complicis habitatione recedendo; vel quatenus graves causae impediunt hujusmodi recessum, pec-

candi occasionem moraliter et proxime removeat, juxta regulas a probatis Doctoribus traditas.

Q. In quibus impedimentis dispensat S. Poenitentiaria in foro interiori?

R. Ex Benedicto XIV in matrimoniis nondum contractis dispensat: 1° In impedimentis prohibentibus occultis. 2° In impedimentis occultis consanguinitatis et affinitatis ex copula illicita, et non in aliis.

In matrimoniis jam contractis dispensat: 1° Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita. 2° Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data, neutro machinante commisso. 3° In secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, si oratores publice contraxerint et per decennium maritaliter vivere legitime reputentur. 4° In tertio et quarto gradibus occultis imo et publicis, si matrimonium sit nullum ex causa subreptionis, vel obreptionis.

Q. Quid sit dispensatio in radice?

R. Est actus, quo Pontifex ex suprema sua potestate, de medio tollens impedimentum, si sit dispensabile, sanat matrimonium in radice sua, non quidem efficiendo ut matrimonium, quod ab initio fuit nullum, validum fuerit, sed ut, impedimento ecclesiastico ablato, priores consensus de jure naturali validi, virtualiter existentes una simul uniantur, et matrimonium validum efficiatur, quin necesse sit conjuges de novo praestare consensum.

Q. In quibus casibus petenda est sanatio in radice?

R. In sequentibus: 1° Quando etsi impedimentum utrique parti cognitum, una ex eis disposita est consensum renovare, altera recusat, etsi voluntatem persistendi in matrimonio manifestet. 3° Quando impedimentum uni tantum parti cognitum est, nec alteri manifestare potest sine gravi incommodo. 3° Quando nullitas matrimonii utrique parti est incognita, et neutri sine gravi incommodo manifestari potest. 4° Quando ob culpam Confessarii vel Parochi dispensatio ante impetrata, invalide, aut nullimode applicata fuit.

Nota. Sanatio in radice duplicem parit effectum, nempe legitimationem prolis susceptae, et effectus civiles in locis, quae legibus Ecclesiae circa temporalia reguntur.

—

ARTICULUS IV.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

Q. Quomodo matrimonium invalidum revalidari debeat?

R. 1° Si matrimonium sit nullum defectu praesentiae Parochi et testium, necessario debet coram ipsis renovari.

2° Si matrimonium sit nullum defectu consensus veri in utroque, debet uterque consensum novum elicere.

3° Si nullum fuerit defectu consensus unius partis tantum, quae ficte, vel ex gravi metu injuste incusso consensit, docent communiter Doctores sufficere, ut qui non consensit, postea vere consentiet, modo alter consensum non retractaverit.

In praxi tamen tutius est quod uterque consensum renovet, si fieri possit.

4° Si nullum fuit propter quodvis aliud impedimentum dirimens, non potest convalescere, nisi per dispensationem legitimam.

Q. Quomodo matrimonium prius irritum ex impedimento dirimente, convalescat dispensatione impetrata?

R. Cum distinctione: vel impedimentum est publicum, vel est occultum.— Si primum, novus praebendus est consensus coram Parocho et testibus; quia tunc urget ratio Tridentini. — Si secundum, et non sit periculum, ut aliquando innotescat, necesse non est ut contrahentes iterum coram Parocho se sistant; sed satis erit si secrete mutuo consentiant.

Q. Ut revalidetur matrimonium an necesse sit, ut pars conscia criminis occulti irritantis, invaliditatem matrimonii alteri parti aperiat?

R. Multae sunt sententiae Doctorum; sed nos eam tenemus, quae docet non esse necesse, ut pars conscia nullitatis etiam confuse detegat; sed sufficere ut compartem blanditiis delineat, et bene dispositam sic alloquatur, v. g.: *Ita te amo, ut si non esset inter nos matrimonium te in conjugem acciperem, et nunc ita te accipio: tu ne idem ex tua parte facis?* Si respondeat *facio*, vel aliis similibus modis novum consensum declaret, valet matrimonium. Sed si responderet *vellem*, *facerem*, non valet matrimonium; quia consensus non esset de praesenti absolutus.

—

FORMULAE PRO DIVERSIS DISPENSATIONIBUS OBTINENDIS

Pro matrimonio contrahendo, en formula verborum adhibita ad obtinendam dispensationem a S. Poenitentiaria :

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Titius cognovit Bertam ; postea gnarus (vel ignarus) *impedimenti, tractatum habuit de matrimonio contrahendo cum sorore ejusdem. Cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus vero sit publicus; et nisi matrimonium contrahatur, scandala timeantur, de praemissis, de quibus maxime dolet, cupit absolvi et secum dispensari.*

Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me

Humillimum servum

N. N.

Pro matrimonio vero jam contracto erit formula :

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Titius, conscius (vel ignarus) *impedimenti, contraxit in faciem Ecclesiae matrimonium cum muliere, cujus sororem carnaliter cognoverat. Quare, cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio.*

Dignetur, etc.... ut supra.

Si vero agatur de voto castitatis, sic ejus relaxatio petitur (ubi notamus cum Pontas et continuatore Tournely, sufficere pro legitima causa, si quis propter gravem tentationem sit in probabili periculo unius lapsus, quia vel per unum lapsum castitas amittitur):

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Titius, annos viginti natus, vovit castitatem perpetuam ; cum autem in gravi incontinentiae periculo versetur, supplicat pro commutatione aut dispensatione voti, ut inde valeat matrimonium inire.

Dignetur, etc... ut supra.

(Foris) Eminentissimo et Reverendissimo D. D.
D. Cardinali, Majori Poenitentiario.

Romam.

Exemplum ponimus cum Alasia pro impetranda dispensatione a Dataria :

Beatissime Pater,

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae, pro parte devotorum oratorum Petri Boschis, *dioecesis Astensis, et* Catharinae Rhodes, *dioecesis Taurinensis, ex oppido Avilianae, quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator, cum dicta dote minus competente, oratricem in uxorem ducere intendit : sed quia tertio gradu aequali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Ideo supplicant, quatenus dignetur cum ipsis, ut, impedimento hoc non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, ac in eo postmodum remanere libere, ac licite valeant, dispensare.*

Datum N., die N., mensis N., anno N.

En exemplum dispensationis obtinendae *in forma pauperum* cum Alasia :

Beatissime Pater,

Exponitur Sanctitati Vestrae humiliter pro parte devotorum oratorum (ponitur eorum nomina, dioecesis, civitas et parochia, ut supra), *quod dicti oratores orthodoxae fidei cultores, vere pauperes ac miserabiles, et labore suo et industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente conjunctos esse, se invicem, non quidem data opera ut, crimine admisso, Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliorem redderent; sed solum vesana libidine victi, carnaliter cognoverint, prolemque susceperint.*

Cum autem, Sanctissime Pater, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, innuptaque, et proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt supradicti oratores matrimonialiter copulari; sed quia, obstante impedimento ejusmodi, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione, ideo supplicant, etc... ut supra.

(Foris) Ad Summum Pontificem.

Romam.

Ponamus exemplum, de duobus impedimentis, uno publico, alio occulto; sic scribitur ad Poenitentiariam:

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Jacobus et Berta, consanguinei in secundo gradu, vesana libine victi, rem secum habuerant. Nunc vero Berta a Joanne fratre Jacobi in matrimonium requisita, ei nubere cupit: 1° *Quia aetate jam est provecta, nempe triginta annorum nata.* 2° *Quia sufficientem non habet dotem, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat.* 3° *Quia ex hac unione rixae familiarum probabiliter cessabunt. Ambo supplicant Sanctissimo Domino nostro in Dataria, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare.*

Eminentiae autem Vestrae humiliter supplicat oratrix, ut non obstante dicto affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite, ac valide matrimonium contrahere, atque in eo contracto manere valeat.

CAPUT V.

De matrimonio mixto, et civili.

—

ARTICULUS I.

DE MATRIMONIO MIXTO.

Q. Quid est matrimonium mixtum?

R. Est *illud matrimonium, quod contrahitur a parte catholica cum parte haeretica, vel schismatica.*

Q. Quid dicendum de matrimoniis mixtis?

R. 1° Diversitas religionis inter catholicum et haereticum non constituit impedimentum dirimens; quia nulla lege, aut consuetudine irrita declarantur matrimonia inter catholicos et haereticos. Ita unanimis consensus Theologorum.

2° Diversitas religionis inter catholicos et haereticos constituit impedimentum impediens. Eruitur tum ex praxi Ecclesiae, quae fideles ab istis matrimoniis semper maxima sollicitudine avertit;

tum ex Declaratione expressa Benedicti XIV, qui haec connubia vocat *detestabilia, quae Sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit* (Bulla *Matrimonia* etc. 4 novemb. 1741).

3° Certum est haec matrimonia mixta quamvis illicita (inita absque dispensatione) ob dictam prohibitionem, esse vero omnino valida, et rationem habere Sacramenti si serventur servanda; quia Christus elevavit matrimonium baptizatorum ad dignitatem Sacramenti; atqui isti sunt baptizati: ergo etc.

Q. Quis potest dispensare ad licite contrahendum hoc matrimonium mixtum?

R. Solus Romanus Pontifex potestatem habet dispensandi cum parte catholica, ut matrimonium ineat cum parte acatholica.

Conditiones, quibus conceditur dispensatio praefata, sunt tres, nempe: 1° Ut absit pro parte catholica seductionis periculum. 2° Ut infantes utriusque sexus ex matrimonio nascituri in Religione Catholica educandi sint. 3° Ut sit ratio gravis. De his constat ex praxi Ecclesiae. Vide Epist. Gregorii XVI ad Archiep. Friburgensem die 23 maji 1846. Unde patet error eorum, qui credunt se Deo, et Ecclesiae satisfacere si filios in religione patris, et filias in religione matris instituant.

Q. An valeat matrimonium inter catholicos et haereticos initum, si obtenta dispensatione pars haeretica nolit acquiescere conditioni ab Ecclesia impositae, nempe ut filii utriusque sexus in Religione Catholica educentur?

R. Affirmative. Agitur enim de impedimento mere impediente, et consequenter haec conditio validitatem matrimonii non afficit.

Q. Utrum Parochus possit assistere matrimonio mixto si intercesserit dispensatio?

R. Affirmative. Ita respondit S. Congreg. Inquisit. die 20 decemb. 1838: *Si altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis, et conditionibus, licere.*

Verum celebratio istius matrimonii fieri debet *coram Parocho, et duobus testibus, juxta praescripta a S. Conc. Trid. extra tamen ecclesiam, sub qua sacristia comprehenditur, et sine Parochi benedictione.* Sed post instructionem 15 novemb. 1858 jussu Pii Papae IX ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, et locorum Ordinarios de mixtis matrimoniis datam, judicio sacrorum Antistitum est caute remissa tolerantia adhibendi aliquam partem catholici ritus in eius-

modi nuptiis celebrandis, exclusa tamen Missae celebratio, ne forte haereticus conjux ad tanti Sacrificii fructus videatur admissus; verba enim instructionis sunt sequentia..... *Quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint (quin graviora exinde oriantur damna, ac mala), et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione.*

Neque insuper possunt fieri bannorum proclamationes; haec prohibitio confirmata fuit per Epist. Pii VI ad Card. de Frankenberg.

Q. Potestne matrimonio assistere Parochus, si uterque nolit consentire in catholicam educationem prolis, sed pars haeretica prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur?

R. Potest assistere materiali tantum praesentia, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut ajunt, qualificati, juxta instructionem, quae addita est Litteris Gregorii XVI ad Primatem, et Episcopos Hungariae 20 apr. 1841: *Tolerari posse (Sua Sanctitas) declaravit, ut quoties ex temporum, locorum, ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati, communique bono expedire videatur, si illud, quamvis vetitum, et illicitum, coram catholico Parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem catholicus Parochus, aliusve sacerdos ejus vice fungens, matrimonio ipsi materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut ajunt, qualificati, seu authorizabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre.*

Q. An catholicus has nuptias sine dispensatione contrahens, postea volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea admitti possit?

R. Affirmative. Constat ex citata epist. Pii VI ad Card. de Frankenberg., dummodo se poeniteat peccaminosae suae conjunctionis, et sincere declaret procuraturum se conversionem conjugis haereticae, et renovet promissionem de educanda prole in Religione orthodoxa.

Q. An sacerdos catholicus, salva conscientia, matrimonio as-

sistere possit, si sponsi ante vel post, matrimonium contrahant etiam in ecclesia protestantica, ritu protestantico?

R. Negative. Ita S. Congreg. Inquisit. die 21 apr. 1847.

Q. An calvinistae, et lutherani degentes in locis, ubi Baptisma dubium, et suspectum est, tamquam infideles habendi sint ita, ut inter catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?

R. Sic ad hanc quaestionem respondit Congregatio S. Officii die 17 novembris 1830, et eadem S. Congr. innovavit die 20 julii 1840. 1° *Quoad haereticos, quorum sectae Ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae, et formae essentialis, debet examinari casus particularis.*

2° *Quoad alios, qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est Baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.*

3° *Si autem certo cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.*

Quare 1° in dubio de valore Baptismi, validitas matrimonii in genere tenenda est. 2° Si agatur de matrimonio inter catholicos celebrando, et una pars certo Baptismo caret, hoc Sacramentum, ut patet, ante matrimonium conferendum ipsi est. Si vero matrimonium jam celebratum sit cum hoc defectu, post Baptismum collatum revalidandum erit. 3° Si sermo sit de haeretico invalide baptizato respectu matrimonii mixti, recurratur ad S. Sedem. Nam si separari conjuges nequeant, nec baptismum alter velit recipere, superest, ut quaeratur dispensatio. Ita Gury, Ballerini etc.

ARTICULUS II.

DE MATRIMONIO CIVILI.

Q. Quid est matrimonium civile?

R. Est *matrimonium initum coram auctoritate civili.*

Q. Quid dicendum de matrimonio civili?

R. 1° In locis, in quibus Tridentinum Decretum *Tametsi* viget, hoc matrimonium est civile contubernium, et est verus concubinarius qui vi tantum hujus civilis actus in matrimonio persistere praesumeret; atque uterque absolutione est indignus donec haud

resipiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subjiciens ad poenitentiam convertatur. Ita Sac. Poenitentiaria die 15 januarii 1866.

2° Filii ex hoc matrimonio civili nati, illegitimi reputantur, tanquam ex concubinatu progeniti. Ita Sac. Congregatio Conc. 31 julii 1867.

3° Licitum, et expediens est ad vexationes, poenasque vitandas ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, actum lege decretum exequantur se sistendo Gubernii officiali, ea tamen intentione sistendo se dictae auctoritati nihil aliud faciant, quam ut civilem coeremoniam exequantur. Ita eadem Sac. Poenitentiaria.

4° Si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, ejusmodi ordinis invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant. Ita eadem Sac. Poenitentiaria.

5° Parochi non ita facile ac promiscue admittant ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui a lege non haberentur ut legitimi conjuges. Hac in re multa uti debent cautela, ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic non sit facilis ad annuendum : sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat. Ita eadem Sac. Poenitent.

Q. Quomodo se gerere debent Parochi cum mulieribus civiliter tantum nuptis, et rite dispositis ad contrahendum coram Ecclesia, quarum tamen mariti id facere renuunt ratione confessionis ad quam eos ipsi obligant ?

R. Injuncta prius separatione, mulieres monendae sunt ut respective viros inducant ad matrimonium rite ineundum. Si viri renuant, quia Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae recipere nolunt, nihilominus Parochi poterunt praefatos matrimonio jungere, ut consulere possint parti innocenti, prout accidit in matrimoniis cum persona acatholica. Si autem adsit etiam aliquod canonicum impedimentum, obtineatur dispensatio. Ita colligitur ex instruct. S. Poenit.

Q. Utrum mulier, quae post civiles formas impletas virum, cui sic unita est, et cum quo conjugaliter vivit, adducere non potest ad contrahendum in facie Ecclesiae, licet id vel a principio in votis habuerit, vel hinc et nunc sincere exoptet : utrum, inquam, mulier

haec ad Sacramentorum participationem admitti possit? Quodnam insuper remedium huic malo afferri potest?

R. Ad 1um mulier si cum eodem mortaliter vivat ad Sacramentorum participationem admitti non potest, quia ex civilium formarum implemento, seu ut ajunt ex civili contractu, matrimonii vinculum non exsurgit, ut Benedictus XIV docuit Missionarios foederati Belgi in epist. *Redditae sunt nobis.*

Ad 2um infelici mulieri, de qua in casu, consulendum est cum matrimonii sanatione in ejus radice.

Nota. Quando una pars est omnino disposita, altera non vult se disponere ad rite ineundum matrimonium per confessionem sacramentalem, potest admitti ad matrimonii celebrationem; quia in hoc Sacramento confessio non exigitur. Si haec confessio esset praecepta per synodalem constitutionem, vel per episcopale mandatum; tunc Parochus obtinebit ab Ordinario dispensationem ab hoc mandato, deinde, etiamsi, v. g. vir esset publicus peccator, potest venire ad matrimonii celebrationem caute procedendo ut innocenti parti petenti, et jus habenti provisum sit, praecavendo tamen ne aliquod scandalum exsurgat. Ita juxta instruct. S. Poenit.

Q. An matrimonium mere civile haberi possit instar sponsalium?

R. Distinguendum: affirmative, si contrahentes intentionem habeant recurrendi postea ad Ecclesiam, et coram Parocho contrahendi; quia tunc non contrahunt matrimonium, sed tantum praescripto legis civilis satisfaciunt, et simul se obligant, saltem implicite, ad verum matrimonium coram Ecclesia contrahendum. Negative, si talem intentionem non habeant; quia si illa desit intentio, jam non promittitur matrimonium, quod nullum inter Christianos datur extra matrimonii *Sacramentum;* sed sub nomine matrimonii promittitur conjunctio mere concubinaria.

Sunt propositiones damnatae a Pio Papa IX in Syllabo: 1a *Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est, aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.* 2a *Causae matrimoniales, et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.*

TRACTATUS VIGESIMUS SECUNDUS

DE CENSURIS

CAPUT I.

De natura, et divisione censurae.

Q. Quid est censura?

R. Est *poena medicinalis, et spiritualis ab Ecclesiastica Potestate inflicta, hominem viatorem, baptizatum, adultum, delinquentem privans usu bonorum Ecclesiae spiritualium et communione, donec a contumacia resipiscat.*

Dicitur: 1° *Poena;* censura enim supponit praecedentem culpam. 2° *Medicinalis;* quia fertur eo fine, ut anima ad meliorem frugem sese recipiat. 3° *Spiritualis;* quia ligat in coelo, et animas obligat, uti constat ex Bulla *Auctorem fidei*, qua contraria doctrina damnatur ut *falsa, perniciosa*, etc. 4° *Ab Ecclesiastica Potestate inflicta;* idest ab iis, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent. 5° *Hominem viatorem, baptizatum;* quia qui baptizati non sunt, Ecclesiae potestati non subduntur; potestas autem exercetur in subditos. 6° *Adultum;* quia infantes non sunt capaces peccati. 7° *Delinquentem;* quia poena nonnisi delinquenti infligitur. 8° *Privans usu bonorum spiritualium*, nempe bonorum quae sunt in potestate Ecclesiae, ut sunt preces publicae, Sacramenta etc.; et quando privat fructibus beneficiorum, et communione fidelium etiam in civilibus, id non est nisi secundarie et indirecte, in ordine videlicet ad bona spiritualia. 9° *Donec a contumacia resipiscat;* finis enim censurae est, ut delinquens resipiscat; et quantumvis resipiscat, ligatus manet donec absolvatur.

Nota. Etsi de correctione delinquentis desperetur, potest censura ferri tum in ultionem delicti, tum ne pravorum communicatione caeteri inficiantur. Ita Salmant. de cens. l. 1, n. 10. Unde cessante correctionis fine, non cessant eo ipso alii fines.

Q. Quotuplex est censura?

R. 1° *Ratione specierum* dividitur in excommunicationem, suspensionem, et interdictum.

2° *Ratione modi* quo ferri solet, dividitur in censuram a jure, et in censuram ab homine. — Censura *a jure* est ea, quae per canones, seu statutum perpetuum generaliter fertur in omnes subditos. — Censura *ab homine* est ea, quae per sententiam judicis, aut praeceptum transitorium fertur propter factum particulare.

3° *Ratione effectus* dividitur in censuram latae sententiae, et ferendae sententiae. — *Latae sententiae* est ea, quae incurritur ipso facto, seu ipsa criminis admissione absque ulla ulteriori judicis sententia. — *Ferendae sententiae* est ea, quae non contrahitur, nisi accedente judicis sententia.

4° *Ratione ministri*, ad quem pertinet facultas absolvendi, dividitur in reservatam, et non reservatam. — *Reservata* est illa, quae non potest absolvi, nisi a ferente. — *Non reservata* est illa, quae potest ab omnibus absolvi.

Q. In quo differt censura a jure ab illa, quae dicitur ab homine?

R. In hoc, quod prima seu *a jure* non expirat per mortem legislatoris: *ab homine* si nondum sit contracta, cessat per mortem, aut amotionem illius, qui illam tulit; si vero sit contracta, manet etiam post mortem legislatoris, donec tollatur per absolutionem. — Differt insuper in hoc, quod censura lata *a jure* nunquam ferri potest pro delictis praeteritis; censura vero *ab homine* non solum pro futuris, sed etiam pro praeteritis ad eorum satisfactionem, et emendationem fertur. Ita Schmalzgr. lib. 5, tit. 39, n. 9.

Nota. S. Alphonsus (lib. 7, n. 6) latas per modum *statuti* habendas esse putat censuras, quas Episcopus fert in Synodo Dioecesana, ideoque tamquam latas *a jure* perseverare post mortem Episcopi; latas vero *ab homine*, quae ferantur extra Synodum, quae idcirco per mortem ferentis cessent.

Q. Quomodo discernitur censura latae sententiae a censura ferendae sententiae?

R. Quando est aliqua particula hujusmodi: *Ipso facto*, *ipso jure*, *eo ipso*, *ex tunc*, *mox*, *illico*, *sine alia sententia*, tunc est censura *latae sententiae*. Pariter si verba sint temporis praesentis, vel praeteriti, v. gr. *Excommunicamus*, *excommunicavimus*, etc. Item si verba sint modi imperativi, v. g. *Incidat in excommunicationem*, *maneat suspensus*, *interdictus*, etc. Ita S. Lig. n. 7.

Censura autem *ferendae sententiae* habenda est: 1° Si verba, qui-

pus fertur, alterius operam et ministerium expostulent, v. gr. *Excommunicetur per Episcopum.* 2° Si sint comminatoria tantum, v. g. *Praecipimus sub interminatione anathematis*, nisi aliud ex adjunctis colligatur. 3° Si tempus futurum exprimant, v. gr. *Excommunicabitur, erit excommunicatus.*

Q. An judicandus sit incurrisse censuram, qui dubitat utrum eam incurrerit?

R. Cum distinctione: negative, si dubites an graviter deliqueris, vel an casus sub censura cadat; quia odia sunt restringenda. Ita communiter. — Affirmative vero, si dubium versetur circa gravitatem ipsius materiae tum in se spectatae, tum habita ratione finis; quia ex judicio Superioris materia haec ut gravis reputanda est. Ita S. Lig., Salmant. et alii.

Q. An quis ligetur censura, quam manifeste injustam esse novit?

R. Negative, sive Superior falsa praesumptione nixus innocentem pro reo damnaverit, sive omiserit formas legales, aut limites jurisdictionis excesserit. Attamen hallucinationis periculum in propria causa sedulo vitandum est. — Si tamen publice non constet censuram esse nullam, haec ratione scandali servanda est. Ita S. Lig. lib. 7, n. 68.

Nota. In dubio utrum censura sit latae, vel ferendae sententiae, censenda est ferendae. Ita communis sententia.

ARTICULUS I.

DE AUCTORE, ET SUBJECTIS CENSURAE.

Q. An Ecclesia habeat potestatem ferendi censuras?

R. Affirmative; est de fide ex Concil. Constantiensi (sess. 8). Prob. ex verbis Christi: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

Q. Quinam in Ecclesia possunt ferre censuras?

R. Omnis et solus Superior ecclesiasticus habens in foro externo, seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam. Ratione jurisdictionis ordinariae: 1° Papa respectu totius Ecclesiae. 2° Archiepiscopi in dioecesibus sibi subjectis tempore visitationis. 3° Episcopi in sua dioecesi. 4° Episcoporum Vicarii generales. 5° Generales Provinciales, et Superiores locales respectu suorum subditorum. Item Concilia provincialia Episcoporum; Capitula provin-

cialia, et Congregationes quorumdam Religiosorum. 6° Vicarii Capitulares. 7° Omnes, qui per communem errorem cum titulo praesumpto tamquam Superiores habentur. 8° Potestas ferendi censuras acquiri potest etiam 1° praescriptione quadraginta annorum, si adsit titulus coloratus; sin autem, tempus immemorabile. 2° Consuetudine. 3° Privilegio.

Nota 1ª. Parochi non possunt ferre censuras, quia non habent jurisdictionem in foro judiciali.

Nota 2ª. Saeculares non possunt ferre censuras, nisi ex delegatione Pontificis hanc facultatem obtinuerint: multo minus possunt mulieres. Imo probabiliter neque ex delegatione Pontificis.

Q. Quid requiritur, ut quis possit ferre censuras?

R. Septem: 1° Ut sit masculus. 2 Ut sit baptizatus. 3° Prima saltem tonsura insignitus. 4° Ut sit compos rationis, et libere agat. 5° Ut habeat jurisdictionem expeditam, nempe non sit impeditus excommunicatione, et suspensione. 6° Ut ferat in subditos servando formalitates a jure praescriptas. 7° Ut non feratur in propria causa.

Q. An Episcopi haeretici, excommunicati, et suspensi possint valide censuras ferre?

R. Affirmative, si sint occulti: illicite tamen agunt, quoties censuras ferunt. Ita communiter. — Negative, si sint excommunicati vitandi, seu non tolerati; quia tunc omni ecclesiastica jurisdictione privantur.

Q. An Episcopus possit ferre censuram, si sit extra dioecesim?

R. Affirmative, si feratur per modum praecepti, aut statuti. Etiam affirmative, si feratur per modum sententiae, dummodo non fiat cum strepitu judiciali, vel licentiam non neget Ordinarius.

Nota. Si Episcopus vi sit pulsus a propria dioecesi, sufficit licentia petita, quamvis ab Ordinario non fuerit obtenta.

Q. An viceversa Episcopus in sua dioecesi existens ferre possit censuram in subditum extra dioecesim existentem?

R. Affirmative, si agatur de crimine in propria dioecesi commisso; pariter potest ferre censuram in subditum delinquentem extra dioecesim, si agatur de re ad suam dioecesim pertinente. Excipe censuram latam per modum praecepti specialis contra quempiam ad crimen praecavendum, ut probabilius docet S. Alphonsus. Ita Gury.

Q. An Episcopus possit censura ligare subditum alienum in sua dioecesi delinquentem?

R. Affirmative; quia delinquens sortitur forum loci in quo delinquit. Requiritur tamen: 1° Ut delinquens non sit exemptus. 2° Ut, si delinquens sit discessurus, Episcopus eum citatione praeveniat.

Q. An Praelati Regulares possint ferre censuram in subditos in quocumque loco existentes?

R. Affirmative, juxta sententiam communiorem. Quia jurisdictio Superiorum non est tantum territorialis, sed magis personalis.

Q. An quis possit pluribus censuris simul innodari?

R. Affirmative, ex consensu omnium, post D. Thomam.

Q. Quomodo se gerere debet dubitans circa censuram?

R. Cum distinctione: vel dubitat an censuram incurrerit; vel an a censura absolutus sit, aut appellationem interposuerit. Si primum, post debitam inquisitionem, et praeciso scandalo, se liberum a censura considerare potest, quia *in dubio melior est conditio possidentis.* — Si secundum, tamquam censura innodatum se habere debet, quia praesumptio est apud Superiorem. Idem dicendum ut si dubium versetur circa potestatem Superioris.

Q. An reges et reginae ligari possint censuris ab Episcopis?

R. Negative; ex privilegio non possunt ab ipsis censura plecti, sed a solo Papa.

Q. An Episcopi et Cardinales censuris subjiciantur?

R. Subjiciuntur tantum censuris papalibus. Attamen ex privilegio juris non ligantur neque interdicto, neque suspensione, nisi in decernendis censuris mentio de iis expresse fiat.

Q. An Religiosi exempti ab Episcopo loci, censuris episcopalibus ligari possint?

R. Affirmative probabilius, si Regulares delinquant circa ea, in quibus vi canonum et constitutionum subjiciuntur Episcoporum jurisdictioni. — Negative, si sermo sit de illis Regularibus, qui non solum generali exemptionis privilegio, sed gaudent etiam privilegio specialiori, ut sunt Mendicantes, et Societas Jesu. Ita Gury, cui subscribimus, licet alii contradicant.

Q. An appellatio legitima excuset ab incurrenda censura?

R. 1° Appellatio legitima excusat a censura conditionali, modo fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi. 2° Appellatio legitima a censura jam lata, eam generatim non suspendit.

Q. An subjectum censurae possit esse integra communitas?

R. Negative: 1° Quoad *excommunicationem*, nisi constet omnes esse participes criminis per contumaciam. 2° Affirmative quoad *suspensionem*, ita tamen, ut innocentes feriat solum quoad functiones communes, non vero quoad jura et officia privata. 3° Affirmative etiam quoad *interdictum*.

Q. An depositio, degradatio, irregularitas, cessatio a divinis sint censurae?

R. Negative, quia non sunt poenae medicinales.

Q. Utrum Summus Pontifex possit ligari censuris?

R. Negative.

ARTICULUS II.

DE CONDITIONIBUS, ET CAUSIS EXCUSANTIBUS A CENSURA, EJUSQUE CESSATIONE.

Q. Quam ob causam potest ferri censura?

R. In poenam peccati.

Q. Quaenam est materia censurae, seu quodnam peccatum est materia censurae?

R. Est peccatum mortale, externum, consummatum, non mere praeteritum, conjunctum cum contumacia.

1° *Mortale;* censura enim, cum sit poena gravissima, mortalem culpam requirit. Quare ob culpam levem ferri non potest. Levis tamen intelligi culpa debet, quae talis sit tum *in se*, tum *ratione finis;* quia ratio finis graviter intenti, aut scandali, aut periculi etc. efficere potest, ut res per se levis, capax tamen sit gravis praecepti. Ita Suarez, Lessius, Lugo, Sanchez et alii.

Nota. Si aliquod personale interdictum, vel suspensio ad breve tempus detur ob culpam levem, non erit proprie censura, sed inhabilitatio quaedam.

2° *Externum;* Ecclesia enim judicat in foro externo. Intellige quod non solum exterius debet esse peccatum, sed etiam grave in ratione actus externi.

3° *Consummatum opere in genere suo;* idest si verba diligenter inspecta significent prohiberi ultimum effectum, v. gr. homicidium, censura non incurritur, nisi effectu illo ultimo sequuto, scilicet morte. Quando vero sub censura prohibetur principaliter ipsa actio, vel conatus; tunc ea posita, statim incurretur censura, etiam effectu non sequuto. Ita Bonacina, Croix et alii.

4° *Non mere praeteritum;* quia censura est poena medicinalis, quaeque proinde ferri non potest in eos, qui jam ad meliorem frugem sese receperunt. Ut praeteritum dicatur, necesse est, ut ita prorsus cesset, ut nullo modo conjunctum sit cum aliqua inobedientia et contumacia praesenti.

Nota. Ex probabiliori sententia censuram non incurrit, qui consilium, vel mandatum revocaverit ante executionem. Ita S. Alph., Suarez, et alii. — Controvertitur autem, an incurrat censuram si poenitentiam agat, et licet conetur revocare mandatum, non potest tamen id mandatario significare, ac proinde effectum impedire. Nos vero sentimus cum S. Ligorio et Salmant. quod non incurrat; quia censura datur directe propter contumaciam praesentem, et non praeteritam, nec propter effectum actionis. Qui contrarium sentit, sibi contradicit.

5° *Conjunctum cum contumacia* contra Ecclesiae legem, seu praeceptum; quia finis praecipuus censurae est pertinaciam frangere. Non ergo sufficit, ut peccatum juri naturali, aut divino repugnet, nisi alicui quoque legi Ecclesiae repugnet. Per censuras enim punitur contumacia contra legem Ecclesiae, et quidem Ecclesiae comminantis contumaci censuram. Ita Ballerini.

Unde qui a gravi culpa excusatur ob aliquam circumstantiam, etiam a censura excusatur, licet materia sit in se gravis. — Si quid omnino leve sub censura praecipiatur, haec non incurritur. — Imprudenter et illicite, sed valide tamen ageret Superior, qui ob quamlibet gravem culpam censuram ferret; finis enim Ecclesiae est graviora tantum crimina punire. Conc. Trid. monet... *sobrie tamen, magnaque circumspectione* (gladius excommunicationis) *exerendus est; cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem* (sess. 25, cap. 3 *De Reform.*).

Quando dicuntur *mortui excommunicari*, id intelligendum, quod absolutio impertita excommunicatis, qui cum signis poenitentiae decesserint, directe non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus solvuntur obligatione ne cum defunctis sepultura et publicis precibus communicent. Ita Schmalzgr. (lib. 5, tit. 39, n. 39).

Q. Quae conditiones, seu formalitates in ferenda censura servari debeant?

Nota Conditiones et solemnitates requiruntur vel ad validitatem censurae, vel ad liceitatem. Unde:

R. 1° Ut censura *ab homine* sit valida, requiritur: 1° Jurisdictio in ferente. 2° Ordo substantialis judicii, v. g. ut una saltem praecedat monitio, quae absolute requiritur; sed in censura *a jure* nulla alia requiritur monitio, quam ipsius legis promulgatio. 3° Requiritur culpa mortalis.

Diximus *in censura a jure nulla alia requiritur admonitio etc.* Unde saltem una, in qua exprimitur eam valere pro triplici, requiritur pro censuris *ab homine* ferendis; quia non est contumax qui ante non fuit admonitus de praecepto et de poena adnexa. Excipe si agatur de censura *ab homine* per sententiam generalem, vel etiam specialem respectu actus futuri; tunc enim non est necessaria admonitio, cum decretum de ferenda censura admonitionis locum teneat.

Insuper ad validitatem non requiritur ut haec sit in scriptis. Ita communis sententia contra nonnullos.

R. 2° Ut censura *ab homine* sit licita requiritur: 1° Ut trina praecedat monitio. 2° Ut sententia scripto authentico feratur, persona, et causa censurae exprimatur. 3° Ut denuntiatio fiat publice in ecclesia, vel scripto ad valvas ecclesiae affixo. 4° Ut non feratur monitio diebus feriatis.

Q. Quaenam causae a censuris excusant?

R. Sunt quinque, nempe: 1° Ignorantia sive juris, sive facti, sive antecedens, sive concomitans. 2° Impotentia sive physica, sive moralis. 3° Excusat metus gravis, v. g. mortis, mutilationis etc. 4° Consensus illius, in cujus favorem lata est censura. 5° Appellatio legitime interposita.

Diximus *ignorantia sive juris*, idest juris ecclesiastici praecipientis, vel prohibentis aliquid sub censura: non enim dici potest contumax in Ecclesiam, qui ejus legem ignorat, ut patet ex jure canonico. *Sive facti*, idest quando quis ignorat se ponere actum sub censura prohibitum; quia censura debet esse nota peccanti, ut sit contumax. Ita in jure can., cap. *Si vero aliquis.*

Nota. Quod ignorantia invincibilis excuset a censura est certum apud omnes. Adest vero quaestio, an excuset ignorantia vincibilis graviter culpabilis. Nos dicimus si in decreto censurae dicatur: *Qui hoc fecerit scienter, consulto, temere, qui praesumpserit ausu temerario etc.;* tunc ignorantia crassa aut supina excusat a censura, et ad eam incurrendam sufficit ignorantia affectata; haec enim verba postulant voluntarium perfectum ac directum, et ex

certa scientia censurae, et ignorantia affectata aequivalet huic voluntario perfecto et scientiae. Si vero in decreto censurae ita non dicatur, tunc sufficit ignorantia crassa, aut supina, dummodo haec ignorantia crassa, aut supina virtualiter, vel saltem interpretative conjunctam habeat contumaciam; secus per hanc ignorantiam non incurritur censura; hoc modo intelligendus est textus juris: *Ligari nolumus ignorantes, modo tamen ignorantia crassa non fuerit, ac supina* (Sexti lib. 1, tit. 2 de Const., cap. 2); nam omnes Canonistae et Theologi, nemine excepto, in censuris requirunt contumaciam; ergo hic textus juris non debet destruere hoc generale principium. Nobiscum sentiunt Layman et alii.

Quare potest dari ignorantia graviter culpabilis, quin per ipsam incurratur censura, cum in re incerta adhibendum generale principium, quod quis possideat jus fruendi bonis spiritualibus, ubi oppositum non evincitur. Ita Diana, Salmant., Bonacina et alii.

Diximus *excusat metus gravis;* cum enim leges ipsae ecclesiasticae, ubi metus urget valde gravis, cessent obligare, et ipsa poena illis adnexa corruat necesse est. — Sed difficultas est quando agitur de praeceptis juris naturalis a lege ecclesiastica etiam imperatis sub poena excommunicationis, quia ab implendis praeceptis naturalibus metus gravis excusare nequit. Sed nos dicimus cum Reinffenstuel (lib. 5, tit. 39, n. 34): *Quando observatio legis humanae moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cedat in contemptum fidei, vel legis, vel potestatis ecclesiasticae, transgrediens ex gravi metu etiam vitae legem sub censura positam, non excusatur ab illa... quia cum in talibus casibus nullus metus excuset ab observatione legis ecclesiasticae... ita etiam non excusat a censura.*

Q. Quot modis censura cessare potest?

R. Sex modis; nempe: 1° Per abrogationem, cum lex ferens censuram, nova lege, vel legitima consuetudine contraria abrogatur. 2° Per revocationem. 3° Per mortem ferentis, si sit *ab homine.* 4° Per cassationem. 5° Per lapsum temporis, si ad tempus fuerit inflicta. 6° Per absolutionem.

Nota. In tribus primis casibus non agitur de censura jam contracta, cum semel ligatus non liberatur nisi per absolutionem.

ARTICULUS III.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

Q. Quinam possint absolvere a censuris?

R. A censuris non reservatis potest absolvere quilibet Confessarius, etiam extra confessionem, quia haec absolutio magis forum externum respicit.

Item quilibet Confessarius absolvere potest a censuris reservatis in articulo mortis. Moribundus tamen sic absolutus tenetur sub poena reincidentiae recurrere ad Superiorem, vel ejus delegatum, non ut iterum absolvatur, cum valide fuerit absolutus, sed ut ejus mandata suscipiat. Confessarius debet imponere moribundo hoc onus, etiam sub juramento.

Episcopi possunt absolvere ab omnibus censuris Papae reservatis: 1° Cum casus sint occulti: exceptis specialiter reservatis, prout constat ex Constitutione Pii IX. 2° Cum rei sunt impuberes, vel senes, vel debiles, vel quando non sunt sui juris, vel quando sunt legitime impediti ut Papam possint adire, ut diximus pag. 122.

Episcopi extra confessionem nequeunt absolvere a censuris papalibus occultis, ut declaravit Gregorius XIII.

A censura *ab homine* per sententiam particularem lata nullus potest absolvere, nisi qui eam tulit, vel ejus superior.

A censura *a jure* vel per statutum lata, quam sibi auctor reservavit, nemo potest absolvere praeter auctorem, vel ejus delegatum, vel successorem, vel superiorem.

Q. Quis sit modus absolvendi a censuris?

R. Vel absolutio datur in foro externo; vel in foro conscientiae. Si primum, servandum est Rituale.— Si secundum, sufficit forma generalis: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti in quantum possum, et tu indiges.*

Q. An possit absolvi absens?

R. Affirmative, saltem valide. Ratio est, quia sicut poena potest statui in absentem, ita et tolli potest.

Q. An Episcopus absens absolvere possit existentem in dioecesim?

R. Affirmative juxta omnes; quia ad absolutionem non requiritur cognitio causae, nec strepitus judicialis. Secus tamen, si judicialis strepitus quandoque requiratur.

Q. An possit absolvi invitus?

R. Affirmative. Nam sicut poena in absentem et invitum ferri

potest, sic etiam ab eo auferri. Tamen id fieri non expedit sine ratione valde gravi.

Q. An ille, qui est obstrictus pluribus censuris, possit absolvi ab una, remanentibus aliis?

R. Affirmative. Quia inter eas non est necessaria connexio.

Q. Utrum absolvi possit a censuris ille, qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censurae subjacebat?

R. Negative, saltem per se, et generatim loquendo.

Q. Quonam modo debeat reparari scandalum publicum ab iis datum, qui absolvi petunt a censuris, in quas his temporibus inciderunt, quibus talis reparatio difficilis est, et periculis obnoxia?

R. *Reparationem scandali esse necessariam de jure divino, eamque faciendam esse meliori modo quo potest, prudenti judicio Ordinarii, seu Confessarii.* Ita S. Poenit. 10 dec. 1860.

Q. An ii, qui absolutionem petunt, debeant antequam absolvantur, ea damna resarcire, quae Pontificium Gubernium praesentibus rerum vicissitudinibus est passum?

R. *Sufficere, ut animo parati sint stare mandatis S. Sedis desuper ferendis.* Ita eadem S. Poenit. die dicta.

Nota 1ª. Concessa facultate ab Episcopo absolvendi a casibus reservatis, non intelligitur de iis peccatis, quibus adnexa est censura reservata. Secus si talis concessio fiat a Romano Pontifice; quia omnes casus papales, exceptis duobus, sunt reservati cum censura, et propter censuram.

Nota 2ª. Facultas concessa in Jubilaeo absolvendi ab omnibus reservatis, intelligitur ex communi usu etiam a reservatis ab Episcopis.

Q. An valida sit absolutio extorta per metum?

R. Distinguendum. Si ille metus juste incussus sit, valida est; quia cogitur Superior ad quod jam tenetur. Si metus sit injuste incussus, erit invalida.

Nota. Pariter nulla est absolutio data ob falsam causam, quae sit principalis.

Q. Quid, et quotuplex est absolutio censurae ad cautelam?

R. 1º Est illa, quae indirecte absolvit censuram, seu suspendit ipsam censuram, ut rite fiat quidquid secus fieri non posset.

R. 2º Duplex est: prima est ea, quae excommunicato appellanti ad Superiorem datur provisionaliter in ipso litis limine, ut fiat capax prosequendi litem in tribunali ecclesiastico. Unde solvit in-

directe a vinculo censurae sive occultae, sive notoriae. Lite vero expleta, vel si non potest a crimine purgari, censura reviviscit; ideoque directa absolutio obtinenda est.

Secunda est ea, quae poenitenti datur ante absolutionem a peccatis ad evitandam irreverentiam, si forte poenitens occulta et incognita censura affectus sit. Haec absolutio est indirecta; unde si poenitens peracta confessione, agnosceret se aliqua censura revera irretitum fuisse, deberet directam absolutionem accipere vel a Confessario etiam simplici, vel a competenti Superiore, prout dicta censura esset, vel non esset reservata.

Nota. Per censuram incognitam intelligimus censuram omnino oblitam, vel quae incurritur per dictam ignorantiam crassam.

Q. Quamnam vim habet absolutio, quae confertur propriis subditis a Superioribus Regularibus ante, vel post Capitulum, et in sacra visitatione, et in aliqua majori anni solemnitate?

R. 1° Illa quae datur a Superioribus in Capitulis ante electiones solvit indirecte, seu ad effectum tantum electionis, a vinculo cujuscumque censurae occultae sive cognitae, sive incognitae, quae a Superiore Regulari potest relaxari; quia finis hujus absolutionis est, ut rite fiant electiones, et habilitentur eligendi. Unde peracta electione, si censura cognoscatur, reviviscit; et hinc directe relaxanda est vel a Superiore Regulari, vel ab alio tribunali competenti.

R. 2° Illa quae confertur a Superioribus, expleto Capitulo, et in sacra visitatione, et in aliqua majori anni solemnitate directe solvit a vinculo cujuscumque censurae occultae, et incognitae, quae ab ipso Superiore absolvi possunt, et habilitat ad valide ac licite Ordines, ac officia exercenda. Diximus *directe*, ideoque censuratus non indigeret nova absolutione, dato quod postea censuram agnosceret; secus enim nullum scopum haberet haec absolutio. Quare ita absolutus a Superiore debet tantum confiteri culpam apud quemcumque Confessarium; quia a censura fuit jam absolutus.

Q. Si in aliquo Ordine sit etiam Papae reservata aliqua notoria censura, quae non sit ex numero censurarum generalium, potestne absolvi a Superiore illius Ordinis?

R. Affirmative: quia per Constitutionem *Apost. Sedis* non fuit revocata Superioribus haec absolvendi facultas, sed solum fuit ipsis revocata facultas absolvendi a censuris generalibus in sensu jam exposito in privileg. Regular. pag. 193; et in privileg. Episcop. pag. 121.

APPENDIX

Conditiones servandae in impertiendo absolutionem invadentibus, et retinentibus bona Ecclesiae.

Nota. S. Poenitentiaria 1 junii 1869 annuente Pontifice, sequentibus responsis praebuit instructionem Confessariis absolvendi causa usurpantes, invadentes, et retinentes bona Ecclesiae ad jubilaeum lucrandum.

Q. « Se i Confessori approvati ecc. dagli Ordinarii possono as« solvere coloro, che effettuarono la invasione, o ribellione dei do« minii della Santa Sede, i loro mandanti, aderenti, e cooperatori, « e coloro che promossero leggi inique, e prestarono mano all'ese« cuzione delle medesime?

R. Affirmative, dummodo poenitentes exhibeant verae resipiscentiae signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint illud reparare quamprimum meliori modo quo poterunt, atque obedientiam S. Sedi, ejusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium actibus a S. Sede reprobatis importare, seu legibus divinis et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur nisi prius dimisso officio, et quatenus illud dimittere nequeant, ipsi officiales consulant loci Ordinarium, qui decernat, et provideat juxta litteras S. Poenitentiariae die 26 julii 1867, quibus quidem litteris standum est.

Q. « Se, e come possono dai Confessori assolversi quegli Eccle« siastici, i quali formarono, o sottoscrissero indirizzi contro il Do« minio temporale della S. Sede?

R. Affirm.: facta prius ac sufficienter publica retractatione juxta Litteras S. Poenitentiariae die 28 maji 1863.

Q. « Se possono assolversi dai Confessori i violatori dell'immu« nità ecclesiastica personale e locale, e della clausura?

R. Affirm.: satisfacta parte laesa, ac reparata, meliori modo quo potest, injuria Ecclesiae facta.

Q. « Se, e come possono assolversi coloro, che acquistarono e pos« seggono beni ecclesiastici immobili alienati dal Demanio?

R. Poenitentes qui tenent hujusmodi bona non esse absolvendos nisi prius loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per dioecesim designandis, consignaverint syngrapham ab iis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam, caute in Cancellaria dioecesana, aut alibi cu-

stodiendam, qua sequentibus obligationibus, seu conditionibus se, suosque haeredes, et successores subjicere declarent:

1° *Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi.*

2° *Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.*

3° *Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.*

4° *Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis, seu locis piis, ad quae de jure pertinent.*

5° *Monendi haeredes, et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

Q. « Se possono assolversi, e sottò quali condizioni, coloro che « acquistarono beni ecclesiastici immobili, e poi li vendettero ad « altri, e che cooperarono a contratti sopra i medesimi beni?

R. Affirm.: deposito lucro exinde injuste recepto in manibus Ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus ut propriae consulant conscientiae, et imposita sibi obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.

Q. « Se, e con quali condizioni possono assolversi coloro che com« prarono beni mobili ecclesiastici?

R. Affirm.: imposita illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum, ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerint praetio, quod judicio Ordinarii, seu Confessarii fuerit minus justo. At si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, ut de supellectilibus, et vasis sacris, imponatur poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem bonis provideat juxta indultum ipsi Ordinario jam a S. Poenitentiaria concessum.

Q. « Se, e come possono assolversi coloro, che presero in affitto « beni ecclesiastici occupati, od alienati dal Demanio?

R. Affirmative: imposita poenitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad loci Ordinarium ad hoc, ut super bonis conductis provideat juxta indultum jam pariter ipsi Ordinario a S. Poenitentiaria concessum.

Q. « Se, e come possono assolversi coloro che presero in enfiteusi « dal Governo beni ecclesiastici?

R. Hujusmodi poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario loci, seu aliis viris ecclesiasticis, ut supra in dubio 4°, ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque

haeredes, et successores subjicere sequentibus obligationibus, et conditionibus:

1° *Conservandi eadem bona, et rem utilem in eis gerendi.*

2° *Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrancationem.*

3° *Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde ferendis quoad eorumque bonorum restitutionem.*

4° *Adimplendi pia onera quae iisdem bonis sint adnexa quatenus aliunde non adimpleantur.*

5° *Solvendi interim annuum canonem, illumque augendi ad tramites iustitiae et juxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus fuerit impositus.*

6° *Monendi haeredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

Q. « Se, e come possono assolversi coloro, che non solo presero « in enfiteusi dal Governo beni ecclesiastici, ma ancora li affran« carono?

R. Hujusmodi poenitentibus providendum prouti in responso superiori ad dub. ut supra.

Q. « Se, e come possono assolversi coloro che hanno redento censi « e diritti ecclesiastici di natura redimibili?

R. Affirm., dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum ad quem census, seu jura redempta pertinebant.

Q. « Se, e come possono assolversi coloro che affrancarono ca« noni, livelli, prestazioni e diritti ecclesiastici di natura non re« dimibili?

R. Posse absolvi dummodo prius prout in responso ad dub. ut supra ad 4m quaesitum syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque successores subjicere sequentibus obligationibus:

1° *Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi.*

2° *Conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi.*

3° *Servandi indemnia quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, livelli, ac praestationibus, ac super quibusvis aliis juribus, quae ad ipsa loca pia exinde spectabant; nec non adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa quatenus aliunde non adimpleantur.*

4° *Monendi haeredes, et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

DE MONITORIO

Q. Quid sit monitorium?

R. Est *mandatum Ecclesiae, seu judicis ecclesiastici, quo sub excommunicatione praecipitur manifestatio auctorum criminis gravis reipublicae, vel privato perniciosi.*

Q. Utrum monitorium obliget?

R. Affirmative, et sub gravi, cum res sit gravis. — Si delictum vergat in damnum commune, est revelandum, nisi adesset firmissima emendationis spes corrigendo delinquentem. Si vergat solummodo in damnum tertii, tantum est revelandum, si crimen probari possit. Si tandem non vergat in ullius damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi praecedat infamia, sive rumor de illo.

CAPUT II.

De natura, et divisione excommunicationis.

Q. Quid sit excommunicatio?

R. Est *censura, per quam homo baptizatus privatur ex toto, vel ex parte, bonis spiritualibus communibus ex Ecclesiae dispositione pendentibus.*

Nota. Ante Const. *Apostolicae Sedis* excommunicatio latae sententiae dividebatur in majorem, et minorem. *Minòr* erat censura, qua quis privabatur communione passiva seu receptione Sacramentorum, et electione passiva ad Beneficia ecclesiastica; et incurrebatur tantum propter illicitam cum excommunicato vitando conversationem. Hodie vero est abrogata.

Q. Quotuplicis generis sunt excommunicati?

R. Duplicis generis, dividuntur nempe in excommunicatos non toleratos et vitandos; et in toleratos non vitandos.

Q. Quinam sunt non tolerati et vitandi?

R. Ex Constitutione Martini V sunt vitandi, qui per sententiam judicis ecclesiastici nominatim sunt excommunicati, ac specialiter, et publice denuntiati. Non adest ergo obligatio evitandi excommunicatos etiam notorios, licet haereticos, nisi isti nominatim sint

excommunicati, expressis nomine, et circumstantiis personae, et insuper nisi sint publice denuntiati scripto, aut voce.

Q. Ipse toleratus poteritne cum fidelibus communicare?

R. Vel ab ipsis fidelibus rogatur; vel nullimode rogatur. Si primum, tunc non peccat communicando cum ipsis. — Si secundum, non potest communicare sine gravi peccato neque in divinis, neque in humanis.

Similiter dicendum de suspenso, et interdicto.

ARTICULUS I.

DE COMMUNICATIONE CUM EXCOMMUNICATO VITANDO.

Q. Quot sunt actus, in quibus fideles tenentur vitare excommunicatos non toleratos?

R. Sunt quinque, idest: *Os*, *orare, vale*, *communio*, *mensa negatur.*

1° *Os:* et significat communicationem per colloquium, aut litteras (probabilius enim neque licet taliter excommunicato rescribere); item quodcumque benevolentiae signum etiam privatim, ut esset osculum, missio, vel acceptatio munerum, etc.

2° *Orare:* et significat omnem communicationem in divinis, uti assistere publicis functionibus Missarum, processionum, funerum etc.

3° *Vale:* et significat quamlibet salutationem et honoris exhibitionem verbo, signo, vel amplexu; sed probabilius et communissime permittitur resalutatio ad fugiendam inurbanitatis et contumeliae notam; modo fit sine ulla expressione verborum et sine animo honorandi.

4° *Communio:* et significat omnem unionem, contractum, et cohabitationem per modum mutuae societatis. Ideo non licet cum illo laborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire; at intellige semper per modum societatis, nam cubare tantum ad quiescendum etiam in eodem lecto, ut si in diversorio concurrerent, et non essent pro singulis lecta, non vetatur ut probabiliter dicunt cum Suarez.

5° *Mensa:* et significat societatem in eadem mensa, quod ipse vetat Apostolus: idque accidit quando excommunicatus invitat illum ad prandium; aut quando aliquis vitam communem agit cum excommunicato, esto non vescatur eisdem cibis, ut evenire solet in monasteriis, in seminariis, in quibus tametsi diversae sint mensae in eodem refectorio, tamen omnes censentur communicare in eadem

mensa. Secus autem, si id casu eveniat: nam mensae communionem nemo diceretur habere, qui ederet cum excommunicato in publico diversorio, ubi quisque sibi intendit, etiamsi in eadem mensa cum illo sedeat.

Q. In quibus casibus jura permittunt communicare cum excommunicato vitando?

R. Sunt quinque, idest: *Utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*.

1° *Utile:* utilitas nempe tam ipsius excommunicati, v. g. ut aliquid spirituale auxilium recipiat; quam aliorum, v. g. ut ipsi ab eo recipiant opem vel spiritualem vel temporalem. Ideo licet excommunicatum monere verbis vel litteris ut resipiscat, et hac de causa ipsum salutare et signa praebere benevolentiae. Item licet ab eo consilium pro lite petere si desit alius aeque idoneus; societatem prius initam cum eo continuare; medicinas, aut eleemosynam ab ipso petere, ut communiter docent.

2° *Lex:* intelligitur lex matrimonialis, ob quam conjuges possunt invicem communicare, et debitum conjugale petere et reddere, ut periculum incontinentiae vitetur, et in aliis omnibus mutuo conversari.

3° *Humile:* intelligitur subjectio debita majoribus, quae nempe adhuc licite eis exhibetur, etsi excommunicatis vitandis. Hanc igitur debent filii, etiamsi jam emancipatione donati, erga proprios parentes; item etiam adoptivi, vel illegitimi: quod extenditur usque ad pronepotes atque in eodem genere affines, uti est nurus, privigna, etc. Idem dicatur de Religiosis et Clericis erga Praelatos, de militibus erga duces, de servis erga dominos, et vicissim; sed in iis rebus, quae ex famulatu debentur. Excusantur pariter omnes servientes, etiam gratis, et tota familia excommunicati. At peccant famuli si de novo veniant in familiam excommunicati scienter et sine gravi necessitate. Famuli autem si ipsi sint excommunicati vitandi, et in eadem domo viventes, inter se nonnisi per accidens possunt communicare, quatenus nempe obligantur simul cohabitare, et aliunde inserviunt impulsi necessitate se sustentandi.

4° *Res ignorata:* intelligitur quando quis ignorat aliquem esse excommunicatum, sive ignoret ipsum deliquisse, sive ignoret tali delicto adnexam censuram. Est autem satis probabile cum Suarez, Hurtado, et aliis, contra Bonacinam, et Salmanticenses, excusare etiam ignorantiam crassam, uti eruitur ex jure cap. *Quoniam multos* 11, q. 3.

5° *Necesse:* intelligitur gravis necessitas tam spiritualis, quam temporalis, tam ipsius communicantis, quam excommunicati et aliorum; nam Ecclesiae leges de se non obligant cum gravi incommodo. Hinc sequitur me posse sine peccato eleemosynam tradere excommunicato vitando, qui ea indigeat; vel ei equum tradere ad iter faciendum, cum alioquin non soleat iter pedetentim facere: sicuti etiam possum petere equum, aut hospitium sic excommunicato. Item posse communicare si vi, vel etiam gravi metu ad id cogar, dummodo agatur de re, quae non sit intrinsece mala, neque id praecipiatur in contemptum Religionis, aut ecclesiasticae potestatis, et amoto scandalo. Ita Bonacina.

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS.

Q. Quinam sunt effectus excommunicationis?

R. Sunt octo: 1° Nempe privatio activa usus Sacramentorum, idest privatio facultatis ea conficiendi, et ministrandi. 2° Privatio passiva ejusdem usus, idest privatio facultatis ea suscipiendi. 3° Privatio participationis publicorum suffragiorum, et precum in Ecclesia communium. 4° Privatio usus divinorum officiorum. 5° Privatio communionis forensis, et civilis. 6° Privatio jurisdictionis. 7° Privatio sepulturae ecclesiasticae. 8° Inhabilitas ab obtinenda Beneficia, officia ecclesiastica, et rescripta.

Q. An excommunicatus valide conficiat, et ministret Sacramenta?

R. Affirmative, excepto Sacramento Poenitentiae pro excommunicato vitando, dummodo non sit casus gravis necessitatis, aut nisi error communis cum titulo colorato suppleat jurisdictionem.

Q. An licite excommunicatus conficiat, et ministret Sacramenta?

R. Cum distinctione: vel est toleratus, vel non toleratus. Si toleratus, licite potest Sacramenta conficere, et administrare, dummodo rogetur a fidelibus. Imo potest etiam celebrare Missam die festivo, si non adsit alius sacerdos, etiamsi non expostuletur. — Si non sit toleratus, nequit ne rogatus quidem Sacramenta conficere, aut administrare.

Excipe circumstantiam, in qua non administrans passurus sit gravem jacturam famae, aut bonorum. — Item excipe necessitatem proximo subveniendi.

Q. Quid de illo, qui a vitando recipit Sacramentum?

R. Graviter peccat, si scienter, et sine necessitate recipiat. Si Clericus recipiat ab excommunicato nominatim a Papa, incurrit excommunicationem Papae reservatam. Si autem suscipiat Ordinem ab Episcopo vitando, incurrit etiam suspensionem ab illius exercitio.

Q. An excommunicatus possit Sacramenta suscipere?

R. Sive sit toleratus, sive non, valide suscipit omnia Sacramenta, excepto Sacramento Poenitentiae. Imo si invincibiliter ignoret id sibi prohiberi, nec caetera desint requisita in excommunicato, valide recipit etiam Sacramentum Poenitentiae.

Nota. Semper illicite suscipit, sive vitandus, sive non; nisi eum excuset ignorantia invincibilis, vel metus gravis, qui non sit incussus in contemptum censurae.

Q. Quid, si minister conferat Sacramentum excommunicato?

R. Peccat mortaliter si scienter faciat cum excommunicato vitando; incurrit interdictum ab ingressu ecclesiae, et etiam excommunicationem Pontifici reservatam. — Si scienter conferat excommunicato non vitando peccat tantum graviter.

Q. Quid, si dubium sit, an quis absolutionem ab incursa censura jam sit consecutus, nec ne?

R. Est administrandum ei Sacramentum.

Q. An possint fieri suffragia pro excommunicatis?

R. Si sermo sit de precibus et suffragiis privatis etc., affirmative. — Si sit sermo de precibus ac suffragiis publicis factis nomine Ecclesiae, negative.

Q. An sic dicendum etiam de excommunicatis non vitandis?

R. Quaestio est inter Theologos. Nonnulli affirmant posse pro ipsis fieri orationes, et publica suffragia etiam nomine Ecclesiae.— Alii probabiliter negant. Haec secunda videtur rationabilior.

Q. In quamnam poenam incurrit excommunicatus illicite Sacramenta administrans?

R. Incurrit irregularitatem sive sit vitandus, sive non. — Quod vero pertinet ad Baptismum, et nuptiarum benedictionem irregularitas non tenet, si privatim tantummodo haec fiant.

Q. An excommunicatus possit divinis officiis interesse?

R. Excommunicatus prohibetur sub mortali his interesse, quia censura privat eorumdem usu, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandalum. Excipitur auditio concionis, et usus sacramentalium; quia in prima, nulla est communicatio proprie dicta:

secundus, idest usus, inter officia divina non recensetur; et permittitur, ut ea veneretur, non ut percipiat fructum, quem producunt.

Nota. Officia divina sunt Missa, publicae processiones, Horae solemniter decantatae, solemnis benedictio, consecratio chrismatis, benedictio candelarum, et similes caeremoniae, quae fiunt ex instituto Christi, vel Ecclesiae; sic etiam sepulturae ecclesiasticae benedictio.

Q. Quid faciendum, si excommunicatus publicus intersit officio publico?

R. Si sit toleratus, non debent intermitti officia divina.—Si vero sit nominatim denuntiatus, monendus est a celebrante, ut exeat; quod si noluerit discedere, vi expellendus est; quod si nequeat expelli, nisi cum gravioris mali periculo, tunc: 1° Adstantes exire tenentur, alias graviter peccarent communicando cum excommunicato. 2° Sacerdos ab altari recedere debet, si Canonem nondum inceperit; quod si inceperit, debet cum unico ministro Sacrificium perficere usque ad Communionem inclusive, et reliqua liturgiae in loco decenti et secreto, puta in sacristia, absolvere.

Nota. Excommunicatus, qui sic ab ecclesia non vult discedere, peccat graviter. Idem dicendum de interdictis denuntiatis, sicut et de aliis, qui prohibent, ne exeant.

Q. An obligatus ad Horas per excommunicationem liberetur?

R. Negative. Nam nemo debet reportare commodum a propria iniquitate. Sed si sit beneficiarius sub mortali non potest eas recitare cum aliis in choro, sed privatim debet recitare, et in loco *Dominus vobiscum*, debet dicere *Domine exaudi orationem meam.* Quae ultima obligatio est tantum sub veniali quoad levitatem materiae. Idem dic si privatim adhibeat socium.

Q. An ecclesiastici possint officia sacra peragere, et fideles iis interesse una cum excommunicato?

R. Affirmative, si excommunicatus sit toleratus.— Negative, si sit excommunicatus vitandus.

Nota. Si vero fideles in eadem ecclesia cum ipso concurrant, at non eandem, sed diversam ab illo Missam audiunt, recedere non tenentur, nec sacerdos Sacrum relinquere; quia non est communicatio in eodem divino.

Q. Quid de privatione communionis forensis, et civilis?

R. Privatur omni actu ad judicium pertinente in foro sive civili, sive ecclesiastico adeo ut nequeat esse judex, scriba, testis, no-

tarius, advocatus, procurator; neque tutor, curator, neque executor testamentarius (si repellatur a parte cujus interest), neque licite inire contractus, neque licite testari, etsi valide.

Q. Quid dicendum de privatione jurisdictionis?

R. Valide nequit eligere, neque praesentare ad Beneficium; tanto minus illud conferre; et qui recipit est intrusus. Item neque leges condere, aut sententias dare, quae essent nullae: hoc de excommunicato vitando. Excommunicatus toleratus si haec omnia faceret, quamvis illicite, tamen valide faceret.

Q. Quid dicendum de privatione sepulturae ecclesiasticae?

R. Excommunicatus vitandus privatur jure canonico sepultura ecclesiastica ita, ut nequeat in loco sacro ejus cadaver tumulari: secus erui debeat, et locus sacer reconciliari. — Excipe, si mortuus esset cum signis poenitentiae, quo in casu absolvendus est si pro eo veniam petant haeredes (Clem. I, de sepul.).

Nota. Id quod dictum fuit de sepultura, dicendum erit etiam de coemeterio.

Q. Quid de inhabilitate ad Beneficia, officia, ac rescripta?

R. Excommunicatus etiam non vitandus fit prorsus inhabilis ad Beneficia ecclesiastica obtinenda. Excipe, si Beneficia ab ipso Papa conferantur.

Nota 1ª. Excommunicatio non privat Beneficiis obtentis, nisi in casu haeresis; ideo dicitur inhabilis ad obtinenda.

Nota 2ª. Si officia non sint praestanda in commodum conferentium Beneficium, omnis Beneficii collatio, electio, praesentatio, institutio facta in favorem ejus, qui actu excommunicationis illaqueatur, nulla est, et invalida. Imo conferentes ipsi graviter peccant, nisi sit ipse Summus Pontifex. — Diximus *actu;* quia si ante illatam censuram facta fuerit praesentatio, et electio valida tunc est, et valida erit etiam Beneficii acceptatio, et possessio, etiamsi tempore illius acceptationis, et possessionis excommunicatio existat. Ita Scavini.

Q. Quid si ex adverso quis esset excommunicatus tempore praesentationis, et tempore acceptationis sit absolutus?

R. 1° Distinguendum: si non constet quod collator sciens, et volens perseveret in sua prima voluntate, nova collatio requiritur; nam possidet nullitas. Si constet, probabile existimant Salmantic. eandem minime requiri; censetur enim qualiter de novo ipsa repraesentatio fieri.

Nota. Communius docent etiam fieri inhabilem illum, qui invin-

cibiliter hic et nunc ignorat, se esse excommunicatum; quia ignorantia tollit culpam, non inhabilitatem, nisi collatio fiat a Superiore cum absolutione ad cautelam, ut solet fieri.

R. 2° Quoad officia, et pensiones dicendum id quod est dictum de Beneficiis.

R. 3° Excommunicatus sive vitandus, sive non, fit etiam inhabilis ad obtinenda quaecumque rescripta tam gratiae, quam justitiae, ita ut quidquid fuerit impetratum ipso jure nullum est, ac invalidum.

Q. Quid debet excommunicatus circa fructus sui Beneficii?

R. Vel beneficiatus excommunicatus fuit ante Beneficii receptionem, vel post. Si primum, non potest suos facere fructus perceptos tempore excommunicationis etiamsi postea absolvatur, et rite Beneficium obtineat. Ad summum si bona fide recepit Beneficium, poterit tantum fructus retinere, qui servitio praestito correspondeant; dignus enim est operarius mercede sua. Si secundum, debebit quidem fructus Beneficii restituere, sed non ante sententiam judicis, casu quo vel per se, vel per alium onera impleverit.

Q. An excommunicatus teneatur curare absolutionem ad adimplendum praeceptum Missae, confessionis, et Communionis?

R. Quoad Missam negant communiter, nisi agatur de impedimento levi; quia nemo tenetur ad impedimenta extraordinaria auferenda, ut se reddat habilem ad praeceptum ecclesiasticum adimplendum. Secus dicendum quoad confessionem, et Communionem cum radicaliter sit unum ex praeceptis divinis.

ARTICULUS III.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS LATAE SENTENTIAE IN PARTICULARI.

Q. Quotuplicis generis sunt excommunicationes latae sententiae de jure?

R. Triplicis generis, quarum aliae reservantur Pontifici, aliae Episcopo, aliae nemini.

Nota. Pius Papa IX per Constitutionem, quae incipit *Apostolicae Sedis*, censuras latae sententiae limitavit ad quemdam determinatum numerum.

Q. Quid dicendum de Constitutione *Apost. Sedis?*

R. 1° Per hanc Constitutionem nihil est innovatum, nihil im-

mutatum quoad censuras ferendae sententiae ; ideoque quoad eas procedendum secundum veteres canones.

2° Censurae, quae in hac Constitutione non sunt primum latae, sunt intelligendae juxta veterem earumdem censurarum traditionem, ita tamen ut temperatae maneant prout temperatae sunt per hanc Constitutionem. Quod si sensus veterum canonum non videatur congruere cum sensu hujus Constitutionis, praeferendus est Constitutionis sensus, non secus ac si primum canones illi ab ea editi fuerint.

3° Nihil est immutatum quoad alias poenas canonicas; ac proinde in suo vigore permanserunt sicut erant ante hanc Constitutionem.

Q. Quot excommunicationes remanserunt post Constitutionem *Apostolicae Sedis?*

R. Praeter illas expresse notatas in dicta Constitutione remanserunt omnes excommunicationes directe inflictae a Concilio Tridentino, et omnes aliae particulares excommunicationes, quas unusquisque particularis Ordo Religiosus, sive Institutum, sive Societas, sive Locus Pius, sive Collegium, et locus particularis cujuscumque generis prius habebat.

Ex hoc sequitur: 1° Illae excommunicationes, quae ante hanc Constitutionem erant in vigore in unoquoque Ordine Religioso, Instituto, vel Societate et Loco etc., sunt etiam nunc in vigore: illae vero, quae jam in desuetudinem abierant, non sunt per hanc Constitutionem innovatae. Quod satis indicatur in ipsa Constitutione per verba: *Atque hactenus in suo vigore perstiterunt.*

2° Excommunicationes tantum a Concilio innovatae, et non directe inflictae sunt omnino abrogatae, colligitur ex Constitutionis scopo, qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura evitanda incommoda haberetur; et ex ejusdem verbis: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum... excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus...* et non dicit *innovavit.*

Q. Quomodo cognosci possit quaenam excommunicationes sunt a Concilio Tridentino tantum indirecte inflictae, idest innovatae?

R. Censurae, quas Concilium Tridentinum indirecte inflixit, illae sunt, quae indicuntur sive per generalia verba, ut v. g. *Et qui secus fecerint... poenas a jure inflictas ipso facto incurrant*, vel his verbis: *Antiquorum Canonum poenas super his innovando.* Sive per

speciales allegationes, ut v. g. *Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam*, etc.; vel *Juxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis*, etc.

Q. Quot sunt excommunicationes a Concilio Tridentino inflictae?

R. Sunt sex, quas infra exponemus.

Q. Quotuplicis generis sunt excommunicationes reservatae Pontifici post Constitutionem *Apostolicae Sedis?*

R. Sunt duplicis generis, aliae nempe speciali modo reservatae Pontifici, aliae eidem simpliciter tantum reservatae.

§ 1. *De excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatis.*

Q. Quot, et quaenam sunt excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatae?

R. Sunt duodecim, quae ita enuntiantur:

I. Omnes a Christiana Fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

Explanatio.

1° Per *apostatas a Fide Christiana*, intelliguntur omnes illi catholici, qui evaserunt Liberi cogitatores (vulgo *Liberi pensatori*), vel quovis alio nomine nuncupati; qui prius catholici modo nullam religionem profitentur. Isti enim sunt christiani saltem per susceptum Baptismum, et a Christiana Fide penitus abscesserint in quo proprie consistit apostasia a Christiana Fide; revera in Bulla *Coenae* insertum fûit nomen apostatae a fide, et significabantur illi, qui a fide deviarunt, quin transivissent ad aliquam superstitionem jam notam, ut Hebraismum, Gentilitatem etc. — Item intelliguntur omnes, qui prius catholici modo professionem faciunt Naturalismi, vel Rationalismi absoluti, vel Spiritismi, vel Pantheismi. — Item omnes qui a Fide Catholica transeunt vel transierint ad superstitionem sive Judaeorum, sive Mahometanorum, sive Ethnicorum. — Item omnes illi catholici, qui factum divinae Revelationis sive ex toto, sive ex parte repudiant.

2° Per *omnes et singulos haereticos quocumque nomine censeantur*, *et*

cujuscumque sectae existant, intelliguntur omnes illi christiani, qui aliquem errorem in fide profitentur quocumque appellentur nomine, et nunc sunt Veteres Catholici (vulgo *i vecchi cattolici*), seu Antinfallibilistae, Evangelici, Societates-Biblicae, Indifferentistae in materia religionis, Latitudinaristae, Ariani, Jansenistae, Pelagiani, Semipelagiani, et omnes alii haeretici. — Item omnes schismatici moderni, qui cum schismate haeresim profitentur. — Item omnes sectae protestanticae quocumque nomine appellentur.

3° Per *credentes*, intelliguntur illi, qui adhaerent damnatis haereticorum erroribus, quamquam ad sectas haereticorum formaliter non pertineant. Isti sunt veri haeretici, si actio externa credendi sit conjuncta cum animi pertinacia in erroribus; tunc pari haereticorum poena mulctantur, sicut mulctantur etiam receptatores, fautores, defensores haereticorum; quia ob suas actiones externas in haeresi sunt impliciti. — Si vero actio externa credendi non sit conjuncta cum animi pertinacia in erroribus, sed sunt simpliciter haereticorum sequaces, tunc credentes mulctantur solum hac excommunicatione.

Q. Quid requiritur ut peccatum apostasiae, vel haeresis sit censura mulctatum, ac proinde reservatum?

R. Requiritur ut aliquo modo haeresis, vel apostasia fuerit in re per se gravi externata; quodvis enim peccatum usquedum in mente et corde lateat, nec in re gravi externatum non est censura ecclesiastica affectum, neque reservatum; proindeque talis haereticus, vel apostata a fide a quovis Confessario posset absolvi.

Q. An Liberi cogitatores afficiuntur omnibus poenis canonicis haereticorum?

R. Affirmative, in Constit., enim Pauli III: *Cum ex Apostata* edita 15 febr. 1559, *devii a Fide* collocantur in eodem sensu, quo sunt haeretici.

Q. Utrum haereticus, vel apostata saltem principalis debeat esse nominatim ab auctoritate declaratus, ut ei credentes, receptatores, fautores, et defensores hanc excommunicationem incurrant?

R. Negative, sed sufficit ut cognoscatur ut talis; hac excommunicatione enim actiones credendi, recipiendi, favendi, defendendi haereticum per se primo puniuntur, et sunt ecclesiastica sanctione prohibitae, quia per se malae.

Q. An necesse sit ut haeretici, vel apostatae a fide sint notorii,

ut eis credentes, receptatores, aliique in hanc excommunicationem incurrant?

R. Negative: non enim in hoc articulo distinguuntur haeretici notorii ab haereticis occultis. Quoties utique certo aliquo modo constet homines esse haereticos, eorum errorum sequaces, aliique indicati hanc excommunicationem incurrunt.

Nota. Poenitens haereticus, qui erat excommunicatione ligatus, et ob haeresim irregularis, remanet irregularis, quamquam jam per absolutionem sit a vinculo excommunicationis solutus. Hinc posito quod talis poenitens sit sacerdos, ab irregularitate nequit illum Confessarius liberare. Irregularitas per dispensationem tollitur, quae proinde non aufertur per absolutionem a censuris, cum in facultate absolvendi ab his non includatur facultas dispensandi super illa. Ita Thesaur. *De poenis eccl.*, part. 1, cap. 1. Alia vide in Tract. *De Virtutibus Theolog.* c. II, art. 2, *De haeresi et apostasia*, pag. 287 et sequentibus.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

Nota. In hoc articulo continetur duplex species librorum prohibitorum: prima species sunt libri dictorum apostatarum et haereticorum; secunda species sunt libri per Apostolicas litteras nominatim prohibitos.

Libri primae speciei ut cadant sub excommunicatione tres praeseferre debent conditiones, nempe: 1ª Ut sint apostatarum, vel haereticorum. 2ª Ut haeresim contineant. 3ª Ut eamdem haeresim propugnent.

Libri prohibiti per *Apostolicas litteras* ut cadant sub excommunicatione, debent 1° prohiberi vel in forma Brevis, vel in forma Bullae, vel per epistolas encyclicas, vel alia quavis extrinseca forma, quando in ipsis litteris legitur: *De Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine*, vel *Apostolica auctoritate;* haec enim omnia generico nomine appellantur *Litterae Apostolicae.* 2° Debent nominatim prohiberi.

Q. Utrum libri eorum, qui credunt apostatis et haereticis, de quibus sermo est in primo articulo, vel fautorum et defensorum, si haeresim propugnent, sint sub hac censura comprehensi?

R. Negative; quia prohibentur libri eorum haeresim propugnantium, qui pertinent ad primam classem, idest eorum, qui duces sunt apostatarum et haereticorum, vel qui ad eorum sectas formaliter pertinent, seu ad veros certosque haereticos.

Q. An libri apostatarum et haereticorum, in quibus haeresis simpliciter traditur, quin propugnetur, sub hac censura comprehendantur?

R. Negative; quum requiratur haeresis propugnatio.

Q. An ephemerides, seu diaria eorumdem haeresim propugnantia sub hac censura sint prohibita?

R. Non videntur; quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.

Q. An sufficiat indicatio librorum hac ratione facta, ut dici possint nominatim prohibiti?

R. Negative; sed necessarium est, ut libri nominentur per suos proprios titulos, ut *nominatim prohibiti* et comprehensi censeantur sub hoc articulo. Requiritur enim expressio nominis libri, sicut quando agitur de excommunicato vitando.

Nota. Haec dispositio non solum respicit libros futuros prohibendos, sed etiam comprehendit praeteritos per litteras Apostolicas jampridem nominatim prohibitos; quia jamdiu praxis invaluit prohibendi nominatim certos quosdam libros per litteras Apostolicas.

Q. Cum libri per Apostolicas litteras nominatim prohibiti, alii fuerint prohibiti sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservata; alii nulli reservata, alii sine censura: quaeri ergo potest an omnes libri per litteras Apostolicas nominatim prohibiti, vi articuli de quo agimus, evaserint pari modo prohibiti sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae?

R. Illi tantum libri per *litteras Apostolicas* nominatim prohibiti comprehenduntur sub dicto articulo, qui prohibiti fuerint sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservata. Id ostenditur ex Constitutionis scopo et ipsius articuli, qui est limitandi censuras. Ita Avanzini.

Libri autem per *Apostolicas litteras* nominatim prohibiti, sed laicis sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae; Clericis vero sub poena suspensionis pariter reservatae, amittunt

censuram suspensionis, et retinent pro omnibus excommunicationem; quia nulla alia censura pro libris prohibitis vi Constitutionis manet, praeter *excommunicationem* Romano Pontifici speciali modo reservatam.

Quare excommunicatio Regulae X Indicis cessavit, sicut ceterae censurae in aliis constitutionibus latae. Nam haec censura Regulae X Indicis non fuit lata a Conc. Trid., sed judicio et auctoritate Pii IV in Constitutione *Dominici gregis*.

Unde reliqui omnes libri in dictum Indicem relati sine gravi culpa legi quidem non poterunt, non tamen legentes, ceterique, quibus prohibitio extenditur, in censuras incurrent.

Nota. Confessarius, qui facultatem obtinuit absolvendi retinentes istos libros prohibitos, non potest ipsos absolvere nisi prius libros prohibitos consignaverint sibi, vel Ordinario loci. Quod si debeant (evitandi causa grave malum) restituere domino, qui non habet facultatem legendi istos libros, Sacrae Inquisitionis ministris illum denuntient.

III. Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

Explanatio.

1° Per *schismaticos* intelliguntur illi, qui pertinent ad schisma perfectum, nempe illi, qui sibi arrogant auctoritatem a Romano Pontifice independentem, et ita erigentes se in auctoritatem, novas constituunt ecclesias, conventicula faciunt, de rebus Ecclesiae disponunt ad similitudinem supremae independentis auctoritatis.

2° Per *eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt*, *vel recedunt*, intelliguntur illi, qui pertinent ad schisma imperfectum, nempe qui plena malitia et obstinatione nolunt obedire personae Romani Pontificis, se habentes solutos a suprema ejus divina auctoritate.

Nota. Qui renuit subesse proprio Episcopo, quia non vult eum habere ut proprium ac legitimum Pastorem, idem est ac nolle se subjicere Romano Pontifici, qui eum misit.

Quare omnes isti comprehenduntur sub hac censura : quia non est necessarium ut sint rebelles ab auctoritate S. Sedis universim

sumpta; sed sufficit, ut sint rebelles ab obedientia ejus personae, quae actu B. Petri Sedem legitime occupat.

3° *Pertinaciter se subtrahunt.* Quare non comprehenduntur sub hac censura illi, qui simpliciter non obediant, quum, ut comprehendantur, esse debeant pertinaciter rebelles ab obedientia.

Q. Utrum comprehendantur sub hac censura illi catholici liberales, ut aiunt, qui, repulsa data legibus, et mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tamquam solutos ab ejus obedientia, quamvis nulli alii ecclesiasticae auctoritati adhaereant, vel nullam ecclesiasticam auctoritatem constituere conentur?

R. Videntur comprehendi: quia et hi sunt vero sensu rebelles ab obedientia existentis Romani Pontificis. Ita Avanzini, cui nos subscribimus.

Item sub hac censura comprehenduntur societates *clerico-liberales;* et omnes promotores ecclesiarum nationalium ab auctoritate Romani Pontificis subductarum, planeque divisarum.

IV. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus, seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

Explanatio.

1° Hic articulus est ampliatio articuli praecedentis de pertinaci recessione ab obedientia Romani Pontificis quatenus amplectitur omnes personas sive Cardinales, sive Episcopos, sive principes, sive Regulares, sive saeculares cujuscumque status et gradus; nec non illos, qui auxilium, consilium, vel favorem praestiterint.

2° Indicat exemplum in specie consideratum, nempe appellationem ad universale futurum Concilium tollendi causa omnem praetensionem, et falsam opinionem, quod Concilium universale sit supra Pontificem.

3° Per *ordinationes, seu mandata* hic non intelliguntur ordinationes, seu mandata quoad res, quae ad vitam temporalem, et civile gubernium pertinent; sed tantum ordinationes, quae respiciunt gubernium Ecclesiãe universalis, vel particularis, et quae ad auctoritatem ejus spiritualem pertinent.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Explanatio.

1° In hoc articulo praecipue indicantur ministri, seu executores horum delictorum, quia in secunda parte ipsius indicantur etiam mandantes.

2° Quando mandans revocat suum mandatum, vide art. 2 *De conditionibus et causis excusantibus a censura in nota.*

3° Ut *rata habentes* comprehendantur sub hac censura, non sufficit ut animo approbent indicata delicta, Praelatorumque Ecclesiae vexationes, et persecutiones; verum etiam requiritur ut aliquam gravem actionem externam faciant, v. gr. scripturam, congratulationem, applausum, laudem etc. etiam verbis significatam, per quam actionem cognoscatur, quod ille ea omnia rata habeat.

VI. Impedientes directe, vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes.

Explanatio.

1° Materia hujus articuli sunt causae ecclesiasticae, et plectuntur hac excommunicatione qui exercitium jurisdictionis circa ipsas sive in foro interno, sive externo impediunt.

2° In hoc articulo sunt omnino distincti illi, qui impediunt jurisdictionis ecclesiasticae exercitium, et illi, qui eludunt effectum ejusdem jurisdictionis per recursum ad laicum tribunal. Ideo particula et (*ad hoc recurrentes*) habet vim disjunctivam, ita ut significet alteram classem eorum, qui pariter sub eadem censura sunt

comprehensi. Unde plectuntur hac excommunicatione tam *impedientes*, quam *recurrentes* solum.

3° Ad incurrendam hanc censuram non requiritur, ut mandatum, seu prohibitio contra judices ecclesiasticos obtineatur, sed sufficit ut solum recurratur; dicit enim Constitutio: *Recurrentes ad forum saeculare.*

4° Per *edentes* intelliguntur judices, et omnes alii saecularis fori, qui mandata edant, quae impediunt jurisdictionis ecclesiasticae exercitium.

Quare hic articulus comprehendit tres veluti classes personarum, nempe: 1° Impedientes. 2° Recurrentes. 3° Edentes, seu superiores saecularis fori, qui vel decernunt, vel auxilium, patrocinium etc. praestant.

5° Clerici recurrentes ad forum saeculare non solum afficiuntur hac excommunicatione, sed etiam Constitutiones Martini V et Innoc. VIII beneficiis privatos eos denunciant.

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges, vel decreta contra libertatem, aut jura Ecclesiae.

Explanatio.

Q. Utrum judices laici, qui ex officio imposito per leges sive regni, sive imperii, quae sunt contra ecclesiasticas sanctiones, ad suum tribunal personas ecclesiasticas trahant, ut dicto suo officio fungantur, in ejusmodi censuram incurrant?

R. Negative juxta authenticam responsionem, quae data est in Instructione Congreg. S. U. Inquisitionis 1 febr. 1871, qua declaratum fuit: *Excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti, vel talia, vel alios ad agendum cogant.*

Nota. Dicti cogentes nullam merentur indulgentiam.

Per verba *praeter canonicas dispositiones* alluditur ad Concordata regni, vel imperii cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant. — Alluditur etiam ad casum, quo aliqua persona ecclesiastica rite degradata fuerit, et laico judici punienda tradita. — Item ad caeteros casus: quando, ex. gr., persona ecclesiastica trahat in judicium laicas personas; namque persona ecclesiastica sistere se potest in

laico judicio in causa non ecclesiastica *tamquam actor;* sed ipsa trahi non potest *tamquam reus.*

Per verba *edentes leges, vel decreta* indicantur leges *de Regio placito, de Regio exequatur*, aliaque vincula quocumque appellentur nomine; nec non decreta omnia, quae libertatem Ecclesiae laedant, vel jura Ecclesiarum.

Verum sub hoc articulo comprehenduntur, idest excommunicantur tantum *edentes*, seu auctores legum et decretorum, et non alii.

Q. Quomodo Ordinarii circa Regium placitum et Exequatur, quod Gubernium sibi arrogat super Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis, se gerere debeant?

R. S. Poenitentiaria 10 dec. 1860 respondit: *Non esse inquietandas privatas personas, quae, ut se servent indemnes, ad Gubernium pro* Regio placet, *seu* Exequatur *recurrunt; verum Ordinarii hac in re, quantum poterunt, passive se habeant; et, si a Gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiae et ad formam Ss. Canonum sententiam suam patefaciant.*

Q. An Ordinarii, Parochi, Beneficiarii, caeterique bonorum ecclesiasticorum administratores, si gravibus sub poenis expostulentur, reddituum respectivorum inventarium Gubernio tradere possint?

R. Eadem S. Poenitentiaria die dicta respondit: *Permitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis actibus a respectivis administratoribus super necessitate traditionis ad evitanda majora mala, et pro tuitione jurium Ecclesiae. Mens autem est SS. Domini, ut Ordinarii ante, vel post traditionem, si fieri possit, super praemissis collectivam faciant protestationem reverenter quidem, sed cum evangelica libertate.*

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras, vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis, aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem, vel executionem directe, vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

Explanatio.

Hic articulus triplex personarum genus complectitur: 1° *Recurrentes* ad laicam potestatem ad impediendas litteras, vel acta quae-

libet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Sedis Apostolicae Legatis, ac Delegatis quibuscumque profecta.

2° *Prohibentes* directe, vel indirecte eorumdem actorum promulgationem, vel executionem.

3° *Laedentes*, vel *perterrefacientes* partes ipsas, idest personas, quae Rescriptum aliquod sive gratiae, sive justitiae a S. Sede, vel ejus Legatis obtinuerint, aut sententiam aliquam sibi favorabilem etc., vel laedentes aut perterrefecientes *alios*, puta patrocinatores earumdem partium causa actorum obtentorum, aut executores, vel personas ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur.

IX. Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices praedictorum.

Nota. Hic articulus explanatione non indiget, cum sit per se clarus.

X. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

Explanatio.

Pius Papa IX per Congreg. S. U. Inquisitionis 17 junii 1866 decreto generali declaravit quod Episcopi obtinentes facultatem absolvendi a censuris Papae, etiam speciali modo reservatis, non intelligeretur posse absolvere ab hac excommunicatione; haec sunt verba: *In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quae incipit:* Sacramentum Poenitentiae.

Duo sunt casus reservati in hac Constitutione, idest casus *sacerdotis attentantis absolutionem* personae complicis in materia turpi, et casus personae cujuscumque sexus *falso denuntiantis* sacerdotem aliquem de sollicitatione. — Verum primus casus in superiori articulo commemoratur propter censuram adjectam; secundus autem casus reservatus manet sine censura, et fere unicus hodie dici potest casus S. Sedi reservatus sine censura.

Haec exceptio facienda ipsis Missionariis in concessione facultatum absolvendi a censuris etiam speciali modo Papae reservatis decreta denuo fuit a S. Congreg. U. Inquisitionis 4 aprilis 1871.

Quare haec excommunicatio lata in attentantem absolutionem complicis est hodie *specialissimo modo* reservata.

XI. Usurpantes, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut Beneficiorum pertinentes.

Explanatio.

Q. Utrum illi, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus accipiant per aliquem contractum, comprehenduntur sub hac censura ?

R. Negative. Legislator quod voluit expressit; quod autem non expressit, noluisse censendus est.

Item sub hac censura per eandem rationem non comprehenduntur illi, qui usurpant, vel sequestrant bona quidem ecclesiastica, quae tamen non pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut Beneficiorum, ut, ex. gr., sunt bona piorum locorum, idest nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium. Attamen videntur comprehendi sub censura Tridentina, de qua inferius.

Q. An comprehendantur illi, qui usurpant, aut sequestrant bona monasteriorum ?

R. Affirmative; pertinent enim ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum.

Q. An comprehendantur usurpantes, et sequestrantes bona, vel redditus cappellaniarum laicalium ?

R. Videntur non comprehendi; quia cappellaniae laicales non appellantur, nec sunt vero sensu Beneficia, et resolvuntur in pias fundationes, vel pia legata.

Q. An usurpantes, aut sequestrantes bona, vel redditus juris patronatus laicalis, sub hac censura comprehendantur?

R. Videntur comprehendi; ejusmodi enim bona ad ecclesiasticas personas pertinentia, sunt bona Beneficiorum stricto sensu acceptorum, quamquam haec Beneficia sint obnoxia alicui servituti patronorum, qui jus habent praesentandi beneficiatum quum vacaverint.

Q. Sub nomine *usurpantes* comprehenduntur ne fures, qui furantur beneficiariis fructus suorum Beneficiorum?

R. S. Congreg. Univers. Inquisitionis 4 aprilis 1861, respondit non *comprehendi*.

Q. An exactores, et cursores possit mandata exequi contra Ecclesiasticos, et Loca Pia morosa quoad exactiones Dativarum tum Cameralium, tum Municipalium, et quibus normis, quibusque cautelis?

R. S. Poenitentiaria 10 dec. 1860 respondit: *Omnibus et singulis locorum Ordinariis... ad sex menses duraturam concedit facultatem... habilitandi cursores et exactores ad exequenda mandata tum contra Loca Pia, tum contra personas ecclesiasticas, petita, et obtenta prius in singulis casibus venia a respectivo Ordinario, et remoto prudenter scandalo: contrariis quibuscumque non obstantibus.*

XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se, vel per alios civitates, terras, loca, aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

Explanatio.

Ut incurrant excommunicationem auxilium, consilium, favorem praebentes, et qui adhaerent, debet intervenire formalis eorum cooperatio, et realis adhaesio, quae non consistit solum in intentione, sed in actione; non ex ignorantia, aut timore, sed ex deliberata voluntate.

Q. An liceat cooperari functioni religiosae legibus Subalpinis expostulatae die anniversaria Statuti?

R. *Negative* Sacra Poenitentiaria 10 decemb. 1860 respondit.

Q. An liceat propriam domum externis luminibus ornare occa

sione inaugurationis novi Gubernii, aut alio simili eventu; item an liceat uti insignibus novi Gubernii, cujusmodi sunt *coccardae*, *vittae tricolores*, et alia id genus?

R. Negative, dummodo non immineant gravia damna, et absit scandalum. Ita eadem S. Poenit. die dicta.

Q. An a Clero invitari possint gubernativae Auctoritates ad ecclesiasticas functiones: et si forte nec invitatae intersint, an Clerus possit iis honoris actus in Coeremoniali praescriptos tribuere?

R. Negative: et quatenus non invitati interveniant, Clerus passive se habeat; hoc est abstineat ab actibus honorificis in Coeremoniali praescriptis. Ita eadem S. Poenitentiaria.

Q. An excipi in ecclesia possint Magistratus Municipales, iisque tribui honoris actus ut supra?

R. Affirmative, dummodo tamen Magistratus non peregerint actus reprobatos per Litteràs Apostolicas diei 26 martii 1860. secus ut in praecedenti. Ita S. Poenit.

Q. An in Missa, aliisque sacris functionibus recitari possit Collecta *pro Rege* quando ab invasore Gubernio edicatur?

R. Negative. Ita S. Poenit.

Q. An liceat civicae, aut nationali militiae nomen dare, quae ab intruso Gubernio suae defensioni ac conservationi in provinciis usurpatis est constituta?

R. Negative. Ita S. Poenit.

Q. Quid de iis dicendum, qui inviti conscribuntur, et ad eandem militiam ineundam adiguntur?

R. Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno, seu incommodo deserere nequeunt; dummodo tamen animo parati sint eam deserere quam primum poterunt, et interim abstinere ab omnibus actibus hostilitatis in subditos, et milites legitimi Principis, et ab actibus contra bona, jura, et personas ecclesiasticas. Ita eadem S. Poenit. die dicta.

Q. An liceat Parochis elenchos dare a Gubernio intruso pro militia nationali, et militari delectu habendo in usurpatis provinciis expostulatos?

R. Negative, et quatenus per vim libri auferantur, passive se habeant. Ita S. Poenit.

Q. An liceat dare suffragia ad componenda Consilia et Municipales Repraesentativas Personas; et an electi possint officio fungi Consiliarii et Magistratus Municipalis?

R. Dummodo Municipales non adigantur ad ea, quae adversantur legibus divinis, et ecclesiasticis, et se abstineant a praestando juramento juxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari. Ita S. Poenit.

Nota. Exoptandum, ut boni communis gratia omnes viri Christiano-Catholici ad urnam concurrant, et nemo hoc munus acceptare dedignetur.

Q. An liceat ad Magisteria concurrere, eaque suscipere oblata ab aliqua Communitate, vel etiam a Gubernio, si qui suscipiunt ab adhaesione abstineant Gubernio intruso exhibenda, et ab omni actu, qui ad illud ratum habendum suapte natura dirigatur?

R. Affirmative, remoto scandalo, si adsit, et sub conditionibus in quaesito expositis; praesertim vero sub conditione, ut in docendo sint omnino conformes doctrinae catholicae. Ita S. Poenit.

Q. An juxta Indultum jam a S. Poenitentiaria transmissum administratoribus Locorum Piorum ab invasore Gubernio occupatorum, possint ab Ordinariis habilitari non modo ad administrationem prosequendam, sed et ad suscipiendam, ii, qui ab illegitima auctoritate denuo eligerentur?

R. S. Poenitentiaria die 10 decembr. 1860 *ad sex menses duraturam facultatem concedit praefatis personis, ut officium administratoris, dummodo exinde non requiratur adhaesio Gubernio invasori, aut juramentum fidelitatis juxta formam ab eodem Gubernio propositam, et ad effectum, et sub conditione curandi utilitatem Locorum Piorum, et abstinendi omnino ab alienatione bonorum, et cum dependentia ab Episcopo, seu ab Ordinario loci, cui rationem reddere teneantur, retinere, et de novo assumere, et exercere licite valeant Apostolica expressa Auctoritate indulgendi.*

Q. An retineri, et suscipi possint sub intruso Gubernio officia?

R. Dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum, et ecclesiasticarum posse tolerari; in praxi vero quilibet ex dictis officialibus, aut personis ditionis Pontificiae, qui paratus sit stare mandatis S. Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum, seu loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet juxta mentem SS. Domini. Ita S. Poenitent. die dicta.

Q. An Confessarii debeant eos existimare in censuras incidisse, qui suffragium pro Italiae sub uno rege unione, sive timore, sive

dolo, sive ignorantia ducti dedere; tum eos, qui idem suffragium dederunt aliis in provinciis extra Pontificiam ditionem, aut dederunt suffragium negativum, aut nullum, aut nihil significans; tum eos, qui non timore gravi permoti domos suas luminibus ornarunt, usi sunt *coccardis* etc., aut levitate ducti cantui hymni *Te Deum* interfuerunt; tum denique mulieres, et minorennes, qui votorum sive honoris protestationes (vulgo *indirizzi*) subscripserunt, vexilla consuerunt etc.?

R. Censuras ecclesiasticas juxta Litteras Apostolicas diei 26 martii 1860 incurri S. Poenitentiaria respondit, ab iis, qui formaliter cooperantur, vel adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in foro conscientiae utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscujusque conscientia. In praxi vero satis provisum per facultates locorum Ordinariis transmissas sub die 16 novembr. 1860.

Q. An Episcopus praedicatores approbare possit, qui ab actualibus Municipalibus Auctoritatibus offeruntur?

R. Posse Episcopum tamquam ex se eligere praesentatos, dummodo in eis concurrant omnes qualitates necessariae. Ita eadem S. Poenit.

Q. Quomodo sciscitanti, an oblatum Deputati munus in nationali conventu, quem *Parlamento* Itali vocant, excipi possit, respondendum sit?

R. Eadem S. Poenitentiaria die 1 decemb. 1866 respondit: *Affirmative sub sequentibus conditionibus:* 1° *Ut Deputati electi in emittendo juramento fidelitatis et obedientiae a lege praescripto adjiciant limitationem:* Salvis legibus divinis et ecclesiasticis. 2° *Ut hujusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius juramenti, audientibus saltem duobus testibus.* 3° *Ut ipsi Deputati electi animo comparati sint, et declarent se nunquam legibus improbis, et injustis favorem, et suffragium esse laturos; imo hujusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos.*

Q. Qua ratione se gerere possint Episcopi rogati, ut bonorum Deputatorum electioni faveant?

R. Nihil obstare, quominus Episcopi, et Ordinarii occasione electionum, quoties ad id requisiti fuerint, in mentem populi revocent, quemque fidelium pro suis viribus teneri ad impedienda mala, et ad promovenda bona. Ita eadem S. Poenit.ª die dicta.

Nota. Advertendum, quod S. Poenit. quoad munus Deputati ita respondit anno 1866, idest antequam reliquas Pontificiae ditionis provincias, et Urbem usurpatores invaderent.

Q. Potestne Episcopus dioecesim primo ingrediens provinciae Praesides constitutos invisere?

R. Eadem S. Poenitentiaria die 14 decemb. 1866 respondit: *Nihil obstare, quominus expleantur urbanitatis officia.*

Q. Potestne Episcopus rogatus jusjurandum proferre? aut saltem quamnam novo rerum ordini observantiam promittere potest?

R. Negative; tum quia a SS. Canonibus prohibitum est Ecclesiasticis juramenta emittere coram auctoritatibus laicis; tum quia juramentum prout proponitur, est illicitum, uti constat ex responso S. Poenit. in Litteris 10 decemb. 1860.

Q. Regressus in suam dioecesim Episcopus potestne cum viris auctoritate publica praeditis epistolarum commercia habere; itemque cum Syndicis, qui id temporis ex sui muneris officio ad Episcopos scribunt?

R. Rem dijudicandam esse in casibus particularibus ex objecto et fine, habita prae oculis sacra Episcopi dignitate, et necessitate, utilitateque Ecclesiae. Ita S. Poenit.

Q. Potestne Episcopus, aliive ex Clero, hymno *Te Deum* politicam ob causam canendo dare operam, cum S. Poenitentiaria post bellum Venetum ejus hymni cantum licere declaraverit?

R. Prout exponitur non licere ex pluribus S. Poenitentiariae responsis et ex Litteris 10 decemb. 1860, neque ad rem facere responsum datum ab ipsa S. Poenitentiaria circa cessationem belli, quo declaratum fuit licere cantum hymni Te Deum *sub sequentibus conditionibus;* dummodo, scilicet, cantus Hymni Ambrosiani fiat solo fine gratias agendi Deo pro cessatione belli, et hic finis sit publice notus, et inde recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione, omisso quocumque alio versiculo et oratione.

Q. Quanam agendi ratione uti debet Episcopus in bonorum Ecclesiae invasione, ac venditione; dum et loqui gravis periculi causa esse possit, et silentium tanquam probantis, seu adsentientis indicium suscipi? Quanam item ratione se gerere debet Episcopus, Gubernio eorumdem bonorum titulos postulante, ac nisi sibi obtemperetur sequestra minitante? Poteritne praeterea Episcopus ad Parochos et ad caeteros, qui Ecclesiae beneficiis potiuntur, encyclicas, quas ipsemet hac super re a Gubernio accipit, remittere?

R. Silendum, vel loquendum, prout prudentia et fructus inde speratus dictaverit. Titulos vero violenter requisitos posse in casu necessitatis et ad evitandum grave damnum exhiberi; praevia tamen protestatione, qua declaretur se cedere coactioni, neque ullo modo coope-

rari pravis Gubernii intentionibus. Similiter posse Episcopum notas facere, per interpositas praesertim personas, hujusmodi Gubernii violentias Parochis, aliisque beneficiatis ad finem eos docendi modum, quo sibi consulere possint, exigendo, praevia eadem protestatione, titulos sub gravibus poenis, seu damnis requisitos. Ita eadem S. Poenit.

Q. Juxta hodiernas in Italia vigentes leges Presbyteri officiis civilibus funguntur, uti Syndici (jurejurando prolato), Consiliarii, quos vocant, charitatis etc. : potestne Episcopus eosdem in officiorum suorum exercitio tolerare?

R. Ex SS. Canonibus non licere Clericis absque legitimae Potestatis Ecclesiasticae licentia assumere, et exercere officia civilia, seu laicalia. Juramentum, prout a Gubernio proponitur, esse illicitum, et eos, qui illud emiserint, teneri ad retractationem; quoad Consiliarios charitatis provisum per Litteras S. Poenit. 10 decemb. 1860. Quoad vero Clericos in praemissis delinquentes, agendum ut infra.

Q. Onera Missarum, legata pia, cappellaniae laicales etc. per viros a Gubernio electos unice praesenti tempore administrantur; qui etiam Cappellanos ecclesiasticis officiis in templis gerendis nominant : poteritne id Episcopus tolerare?

R. Dummodo nominati, seu electi habeant necessarias qualitates, neque laedatur jus quaesitum tertii, posse Ordinarium illos tolerare; etiam tamquam ex se, quatenus institutio requiratur, illis conferre cappellaniam, seu legatum, nulla facta mentione nominationis, seu electionis illegitime peractae. Ita eadem. S. Poenit.

Q. Plerique Presbyterorum ecclesiasticas vestes exuerunt; ac nonnulli novo rerum ordine tecti ac freti Ordinario vocanti ac jubenti non auscultant : quanam agendi ratione erga eosdem uti Episcopus debet?

R. Praemissis admonitionibus, agendum prout prudentia dictaverit juxta S. Canones contra eos, qui non incedunt habitu et tonsura. Si autem Ordinarium non audierint, recurrendum esse ad S. Concilii Congregationem. Ita S. Poenit.

Q. Provinciarum Praefecti sibi jus adrogarunt constituendi quinam festi dies exteriori pompa sint celebrandi, quaenam *processiones* peragendae : poteritne id tolerari?

R. Affirmative, attenta violentia, et exclusis semper novis festis ab auctoritate civili incompetenter institutis. Ita eadem S. Poenit.

Q. Seminariorum Magistris poteruntne testimoniales litterae ab Episcopo tradi, ut a Gubernio tanquam publici professores ratihabeantur?

R. Nihil obstare, quominus Ordinarius concedat Seminarii Magistris litteras testimoniales, quibus generice comprobetur eorum in docendo exercitium, et in scholis regendis peritia. Ita eadem S. Poenit.

Notandum. 1° Quando a Pontifice obtinetur generalis facultas absolvendi a casibus, et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, non intelligitur quod sit concessa etiam facultas absolvendi etiam ab istis excommunicationibus speciali modo Papae reservatis. Sed debet haec facultas esse specialiter expressa. Ita eadem Constitutio.

2° Revocatum est omne privilegium, et indultum concessum sub quavis forma omnibus personis sive sint Episcopi, sive Regulares cujuscumque Ordinis, Societatis, et Instituti, sive sint constituti in quavis dignitate. Ita eadem Constit.

3° Praesumentes absolvere a dictis excommunicationibus sine debita facultate, etiam quovis praetextu, incurrunt excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam.

4° In nullo casu, etiamsi casus sit occultus, absolvi possit a recensitis excommunicationibus sine dicta speciali licentia, excepto mortis articulo, in quo tamen firma esse debet quoad absolutum obligatio, si denuo sanus factus fuerit, se praesentandi Sedi Apostolicae.

Q. Utrum Episcopi absolvere possint ab istis censuris, etiamsi casus sint notorii et publici, proprios subditos, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt?

R. Affirmative: quia Pontifex per hanc Constitutionem non revocavit quod Episcopis communiter ex jure competebat. Vide privilegia Episcop. pag. 121.

Idem possunt Praelati Regulares in proprios subditos.

§ 2. *De excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis.*

Q. Quot, et quaenam sunt excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatae?

R. 1° Sunt duodeviginti. Quia excommunicatio *De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum* etc. inflicta a Concilio Tridentino, et Papae reservata, partim comprehenditur in articulis XI, et XII excommunicationum speciali modo Papae reservatarum; et partim in articulo III excommunicationum nemini reservatarum.

R. 2° Sunt sequentes:

I. Docentes, vel defendentes sive publice, sive privatim

propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes, vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Constitutione *Suprema*, 7 julii 1745; *Ubi primum*, 2 julii 1746; *Ad eradicandum*, 28 septembris 1746.

Explanatio.

Nota. Qui docet, vel defendit propositiones damnatas ab Apostolica Sede absque poena excommunicationis, quamvis sint illicitae, et omnino reprobandae, non incurrit hanc excommunicationem.

Quoad complicem vide Tract. de Poenitentia, *De manifestatione complicis*, pag. 704.

II. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure, vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat

Explanatio.

Nota. In hoc articulo continetur celebre illud privilegium Clericorum, quod ex Canone Conc. Lateran. sub Innocentio II, *Si quis suadente diabolo*, appellatur privilegium Canonis. Verba hujus Canonis ampla ratione tum Romani Pontifices, tum explanatores SS. Canonum in titulo Decretalium, *De sententia excommunicationis*, interpretati sunt: hic autem articulus Constitutionis est expressio dicti Canonis, ipsis fere verbis facta. Quare in hac re non valet principium: *Legislator quod expressit voluit, quod non expressit noluisse censetur:* sed articulus intelligendus est juxta traditionem Canonis, ex quo est desumptus. Ita Avanzini.

Q. Quinam sunt, qui incurrunt hanc excommunicationem?

R. Praeter ipsos percussores (cujuscumque sexus, conditionis, status, licet impuberes, modo ratione compotes, et doli capaces, item licet Clerici) ex jure excommunicationem incurrunt: 1° Omnes mandantes, consulentes, vel in percussionem consentientes, dummodo graviter, et efficaciter influant in ipsam percussionem. 2° Qui ratam habent percussionem ipsam. 3° Qui percussionem non impediunt, si ex justitia, vel ex officio impedire tenentur.

Nota. Debent in hoc tria concurrere ut ratihabens incurrat excommunicationem: 1° Nomine ipsius percussio fieri debet, et in favorem ipsius, qui id postea ratum habeat. 2° Si ratihabitio pate-

fiat aliis externe. 3° Si ratihabens actu, quo percussio contingit, aptus fuerit ipse ad mandatum, vel consilium saltem habitualiter.

Q. Quinam huc veniunt nomine Clerici, vel Monachi?

R. 1° Nomine Clerici venit omnis Clericus prima saltem tonsura initiatus, licet excommunicatus, suspensus, interdictus, dummodo deferat habitum, et alicui ecclesiae inserviat; nec non solummodo verbaliter degradatus.

2° Clerici sunt etiam illi, qui solum prima tonsura sunt initiati, et habitum clericalem deferunt, et alicui ecclesiae sunt addicti, quamvis sint conjuncti cum unica virgine.

3° Regulares sive clerici sive laici, sive professi, sive novitii, hoc privilegio gaudent.

Eremitae, qui ex voto, aut pacto addicuntur alicui loco sacro cum subjectione ab Episcopo, ut docet Suar. D. 22, sect. 1, n. 22; Fagnan. l. c., Cont. Tourn. l. 2, pag. 493, Roncaglia pag. 102, q. 2, et Bonac. l. c. — Communiter vero docent praefati AA. minime gaudere Eremitas vagos, qui habitum singularem gestant, licet inserviant alicui ecclesiae, etiam ex commissione Episcopi, ut Fagnan. l. c. n. 50, ex decis. Rotae Rom.

Verum debent Clerici gaudentes privilegio canonis, cognosci uti tales ab injiciente in eos violentas manus, quare percutiens Petrum clericum, putans esse Franciscum saecularem, licet peccet, non tamen propterea excommunicationis vinculo innodatur.

Omnes realiter degradati, et solemniter depositi, et qui, dimissis tonsura et habitu clericali, implicant se negotiis saecularibus, si per tres vices ab Ordinario admoniti non resipiscant, non gaudent hoc privilegio.

Q. Quid significant ea verba, suadente diabolo?

R. Significant ad excommunicationem requiri, ut percussio sit mortaliter peccaminosa. Unde: 1° Eximitur a censura, qui non peccat graviter percutiendo Clericum ex defectu advertentiae, aut consensus, ut qui percutiunt ex ira subitanea, quia talis irae motus impedit, quominus plene advertatur ad id quod tunc fit. 2° Qui percutit jocose, vel casualiter, licet percussio sit gravis, et sanguis effundatur. 3° Qui percutit ad defensionem sui, aut suorum, vel contra Clericum turpiter agentem cum sua matre, sorore, filia, aut etiam uxore, vel etiam ad defensionem propriorum bonorum temporalium. 4° Qui auctoritate potitur, modo percutiat moderate, atque ad correctionem.

Q. Quid indicant verba, violentas manus?

R. Indicant violentam percussionem manibus, pedibus, sive baculo, sive alio quocumque modo factam. Pariter indicant hanc incurrere censuram, qui expuit in faciem Clerici, vel eundem luto contaminat, vel aqua per contemptum perfundit: qui Clericum in carcerem, vel in locum carceri similem conjicit: qui eum insequitur, ut in foveam cadat, vel ut ab equo excutiatur; fur, qui rebus Clerico adhaerentibus vim infert, puta vestes, quas indutas habet, lacerando etc.

Nota. Qui desaevit in Clericum mortuum incurrit excommunicationem, quia haec percussio est adhuc injuriosa statui clericali. Scavini contra Ferraris.

Q. Quid si Clericus in suimet percussionem, vel actionem injuriosam assentiatur?

R. Percutiens adhuc incurrit excommunicationem.

Q. Quid dices de illo, qui Clerico venenum praebet?

R. Duplex est sententia. Croix cum nonnullis aliis docet excommunicationem statim incurrere. Verum communior opinio, quae nobis probabilior videtur, docet eam non incurri, nisi actu quo venenum laedere inceperit.

Q. Quid requiritur, ut Clericorum percussores sint vitandi?

R. Requiritur ut crimen notum sit non solum notorietate juris, sed etiam notorietate facti. Quare requiritur semper sententia judicis declaratoria, idest ut sint nominatim declarati excommunicati.

Ad plenam intelligentiam verborum: *Exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure, vel privilegio permittitur...* vide privilegia Episcoporum pag. 121.

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam, aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis, vel imperialis.

Explanatio.

Comprehenduntur sub hoc articulo *simpliciter provocantes*, quamquam alter non acceptet duellum: item *acceptantes* duellum, sive inde duellum sequatur, vel non sequatur: item *patrini*, *duces*, *reges*, *magistratus*, *aliique superiores*, qui permittunt, vel possunt

impedire, et non impediunt. Item *de industria spectatores*, nempe non qui casualiter in loco conflictus invenitur, et videt; sed qui consulto, seu dedita opera concurrit ad assistendum, etiamsi hoc faciat curiositatis gratia.

Qui obtinent facultatem absolvendi duellantes, possunt eadem facultate absolvere patrinos, et spectatores, et alios; siquidem cui facta est facultas absolvendi magis reos, non videtur negata facultas absolvendi minus reos.

Alia vide in § *De duello*, pag. 324.

IV. Nomen dantes sectae *massonicae*, aut *carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos corypheos, ac duces non denuntiantes, donec denuntiaverint.

Explanatio.

1° Secta massonica, et carbonaria dividuntur in multas alias clandestinas et manifestas sectas diversis nominibus nuncupatas, et omnes tendunt ad eundem scopum, idest contra Ecclesiam Catholicam et civiles legitimas potestates; ideo comprehenduntur sub hac excommunicatione secta Fenianorum, ut declaravit S. Congreg. U. Inquisitionis 12 januarii 1870; secta Mazziniana, societas emancipatrix ab Ecclesia Romana Catholica, et aliae hujus generis.

2° Quamvis non sit obligatio denuntiandi sub hac excommunicatione complices seu simplices sectarios; attamen adest praeceptum eos denuntiandi. Leo enim XII, epist. *Quo graviora mala*, ait: *Nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denuntiatis antea complicibus, vel saltem juramento emisso de iis quamprimum denuntiandis.*

Q. An ille, qui culpabiliter denuntiare neglexerit, atque proinde excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam incurrit, absolvi possit a quovis Confessario, postquam, licet excommunicatione incursa, oneri denuntiandi tandem satisfecerit?

R. Affirmative: quia excommunicatio reservata durat *donec denuntiaverit* juxta verba articuli: ergo facta denuntiatione, ipso facto cessat reservatio excommunicationis incursae.

In locis Missionum hujusmodi denuntiationes debent fieri Vicario, vel Praefecto Apostolico, vel alteri, qui vices Episcopi gerit.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

Explanatio.

1° Per *immunitatem* intelligitur localis ecclesiastica immunitas quatenus refertur ad asylum reorum ad eam confugentium.

2° Ut incurratur haec excommunicatio duo simul requiruntur, nempe violatio immunitatis asyli, et ausus temerarius; ideoque si alteruter terminus deficiat, censura non incurritur.

3° In hoc articulo pari modo comprehenduntur tum jubentes violare, tum violantes. Sed S. Congreg. 15 junii 1870 declaravit *eum tantum excommunicationem incurrere*, *qui ab aliis minime coactus*, *prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici*, *aut violare jubet*, *aut exequendo violat.* Quare milites, qui nollent violare immunitatem asyli, tamen contra, vel praeter voluntatem cogantur a suis ducibus eam violare, hanc censuram non incurrunt.

Q. Utrum qui jubeant reum extrahere ex aliquo loco, quem Episcopus judicaverit immunitate ecclesiastica gaudere, tamen illi jubeant, quod certum aliunde habeant, locum illum immunitate ecclesiastica non gaudere, incurrant in hanc excommunicationem?

R. Non videntur incurrere in hanc censuram: quia deesset violatio juris asyli.

4° Jus asyli favore fugientis e militum manibus ad locum immunem, non cessat; quamvis a militibus ligatus in possessionem eorumdem jam devenisse videtur. Sacrum enim jus asyli maxime favorabile est. Ita declaratio S. Congreg. Immunitatis Ecclesiasticae, 9 aug. 1842.

Unde Judex ecclesiasticus faciat restituere captum in locum immunem a quo fuerat extractus. Vide *Acta S. Sedis in comp. redacta*, vol. 2, pag. 51.

5° Si agatur de captis pro causa criminali, vel quasi-criminali si confugiant ad externum seu quoad murum loci immunis possunt ad carcerem trahi a militibus etc., certiorato dein quolibet in casu Ordinario. Ita Pius VIII 1829, et ita declaratio dictae Congreg. Immun. Vide *Acta S. Sedis* loco cit.

Q. Quaenam sunt loca, quae hac immunitate gaudent?

R. Sunt illa, quae ritu, et speciali benedictione publico Dei cultui perpetuo dicantur, vel fidelium cineribus condendis sacrantur. Caetera alia loca pia, ut xenodochia, nosocomia, seminaria et coenobia, palatium Episcopi, et quae auctoritate Ecclesiae erecta, aut fundata, immunia etiam sunt, et fruuntur privilegiis immunitatis. Item immunia sunt sodalitia, aedes canonicales, domus parochialis, quae non longe distat ab ecclesia et a Paroco inhabitata.

VI. Violantes clausuram Monialium cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo: pariterque eos introducentes, vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam.

Explanatio.

1° Sub hoc articulo non comprehenditur illa clausura, cui identidem alligantur illae mulieres in communitate viventes, quae vota simplicia emittunt: quae clausura imponitur sive ab Episcopo, sive vi suarum constitutionum, sive etiam vi voti specialis. Sed tantum ea intelligitur clausura, quae vi generalium legum Ecclesiae praescripta est Monialibus vota solemnia emittentibus. Ita S. Congregatio Episc. et Reg. 1 aug. 1839.

2° Si Episcopus clausuram vel restituerit, vel ex propria auctoritate statuerit, in excommunicationem episcopalem tantum incurrit qui eam violat. Ita eadem Sac. Congreg. die dicta. — Verum eadem S. Congr. statuit, quod si ab Episcopo imposita fuisset haec clausura in monasteriis votorum simplicium, et proinde contra eam reclamatum esset, *solitum* debeat *servari*.

Alia vide Tract. De obligationibus, *Quoad clausuram Monialium*, pag. 188.

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores, aliosve eas admittentes.

Explanatio.

1° Sub hoc articulo comprehenditur tantum clausura virorum Regularium, et sub hoc nomine non comprehenduntur Congregationes ecclesiasticae eorum, qui emittunt vota simplicia.

2° Ante hanc Constitutionem pro sanctione hujus articuli erant suspensio ipso facto incurrenda, et privatio officiorum, et inhabilitas in posterum ad illa, et alia omnia obtinenda. Modo pro certo illa suspensio commutata est in hanc excommunicationem. Num autem cessent aliae poenae dubitatur. Sed quia per hanc Const. non sunt ablatae aliae poenae canonicae, ideo rectum videtur dicere esse in vigore usquedum Legislator contrarium non exprimat.

Alia vide Tract. De oblig. § 4 *De egressu e relig.* pag. 180.

VIII. Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

Explanatio.

Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur ut saltem executio conventionis ex utraque parte sit incepta. Si hoc simoniae genus locum habeat in ecclesiasticis Beneficiis sive haec sint saecularia, sive regularia, sive altioris ordinis, ut Episcopatus, Dignitates; sive inferioris ordinis, ut Beneficia simplicia, sive juris patronatus, sive liberae collationis, talis simoniae tum rei, tum complices sub hoc articulo comprehenduntur.

Alia vide Tract. V, § 2 *De poenis sim.* pag. 161.

IX. Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

Explanatio.

Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, ut sit certa obligatio, idest pactum expressum, vel tacitum, vel conditio ut tamquam ex debito beneficium sibimet vel alteri, ut fratri, nepoti, amico, certo tempore iterum cedat seu resignet.

Alia vide in cit. Tract. pag. 162, 163.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in religionem.

Explanatio.

Vide quae dicta fuerunt in dicto Tract. loc. cit.

XI. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2 januarii 1569.

Explanatio.

Sub hoc articulo comprehenduntur tantum Episcopis inferiores juxta verba Constitutionis Pii V: *Inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrunt.* — Omnes alii superiores, dignitates, etiam Cardinales ab eadem Constitutione erant suspensi ab ingressu, et perceptione fructuum suarum Ecclesiarum. Modo haec poena videtur ablata, quia Pius IX in hoc articulo afficit tantum illos, qui per dictam Constitutionem Pii V plectuntur censura excommunicationis.

XII. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent

Explanatio.

1° Hic articulus comprehendit Clericos, et laicos. Insuper per *colligentes* excluditur parvus numerus Missarum.

2° Intelliguntur manuales eleemosynae Missarum ut patet ex eodem verbo *colligentes.*

3° In hoc articulo non dicitur *faciendo* celebrare Missas *ibidem*, sed *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Exemplum esset si quis in America colligerēt Missarum stipendia, et in Italiam translata faceret celebrare juxta synodales plurium italicarum dioecesium taxas, vel consuetudines, hic innodaretur hac censura.

4° Quare ille, qui in eodem loco colligeret eleemosynas Missarum et ibi eas daret alteri celebrandas stipendio minori illo, quod ipse recepit, retinens sibi partem illarum eleemosynarum, non incurreret hanc excommunicationem, etsi ob hoc turpe lucrum a Pontificibus prohibitum graviter peccaret.

Q. An sub hoc articulo comprehendantur, qui superfluas eleemosynas manuales propriae ecclesiae cumulantes, ad negotiatores mittant (ex quibus utile aliquod percipiant) ut iidem negotiatores iisdem utantur ad vendendas merces iis Presbyteris, qui indigeant Missarum stipendiis, lucrum non capientes ex stipendiis, sed ex frequentiori negotiatione; ita ut commodum, et utile negotiandi medium mercatoribus stipendia Missarum evadant?

R. Non videntur comprehendi, quamquam illicite agant, qui ad pu

blicos negotiatores stipendia mittant; quia mittere deberent ad Episcopum, ut a caeteris Presbyteris celebrare faciat; et quia adest periculum, quod negotiatores obligationi susceptae non faciant satis.

XIII. Omnes, qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, quarto kalendas aprilis 1567; Innocentii IX *Quae ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592; et Alexandri VII *Inter caeteras*, nono kalendas novembris 1660, aliênationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

Explanatio.

Constitutio S. Pii V, *Admonet nos*, comprehendit Saeculares et Clericos, Episcopos et Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, Cardinales et omnes alios, qui per se, vel per alios agere studeant sive insinuare, vel suadere Romano Pontifici alienationem, vel infeudationem civitatum, seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis, vel evidentis utilitatis. Quare hi omnes hac excommunicatione mulctantur.

Innocentius IX, Clemens VIII, Alexander VII cum propriis Constitutionibus confirmarunt, innovarunt, explicarunt dictam Constitutionem S. Pii V.

XIV. Religiosos praesumentes Clericis, aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

Explanatio.

Q. Utrum hic articulus comprehendat quoque Instituta votorum simplicium?

R. Non videtur comprehendere. Nam in odiosis ejusmodi Instituta, neque Regularia, neque Religiosa appellantur. Quod autem illicite agerent non est quaestio.

Alia vide in Append. *De privileg. Reg.*, pag. 195, et in Tract. de Eucharist.

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis urbis Romae, ejusque territorii, eisque auxilium, vel favorem praebentes.

Explanatio.

Q. Utrum qui cryptas (*catacombe*) visitans, memoriae, vel devotionis causa sibi assumeret aliquid ex his ossibus, vel cineribus, in hanc censuram incurreret?

R. Non videtur incurrere, ideo quia de his jam constat non fuisse corpora Martyrum; secus esset dicendum si de reliquiis ageretur, de quibus non adhuc constaret an sint Martyrum, vel tantum fidelium.

Nota. Romana Sedes pro certissimo signo tolerati martyrii, reportatique triumphi jugiter habuit phialas vitreas, vel figulinas cruore tinctas, aut crustas saltem sanguineas occludentes, quae vel intra, vel extra loculos sepultorum effixae sunt. Ita S. Congreg. Indulgentiarum 16 februarii 1852, et Pius Papa IX 15 martii eodem anno approbavit. Vide *Acta S. Sedis*, vol. 2, pag. 171.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium, vel favorem.

Explanatio.

1° Per communicationem in *crimine criminoso* intelligitur quando quis consilium, aut opem, vel favorem suppeditat excommunicato ut prosequatur crimen, vel non desistat a contumacia ob quam ille fuit excommunicatus, v. g. si quis fuisset nominatim excommunicatus ob furtum, qui ei daret consilium, vel favorem ne restituat, vel ne ab excommunicatione resipiscat, communicaret cum isto in crimine criminoso.

2° Communicare cum *excommunicato nominatim a Papa*, vel *cum nominatim excommunicatis* utrumque indicant excommunicatum vitandum; vitandi enim sunt illi, qui sine praeexistente excommunicatione latae sententiae prima vice excommunicantur, sive illi, qui jam ex praeexistente excommunicatione latae sententiae excommunicati nominatim denuntientur. Unde excommunicati fiunt vitandi sive cum verbis *excommunicati nominatim*, sive cum verbis *denuntiati nominatim;* quia quoad legis effectus in idem recidunt.

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Explanatio.

1° Per communicationem *in divinis* cum personis nominatim excommunicatis intelligitur quando quis in divinis in re gravi communicat, ut esset cum excommunicato solemniter recitare Horas, eum ritu Ecclesiae sepelire, ipsum ad sacra admittere, illius sacrificio assistere, ab eo beneficium obtinere, scienter ipsum ad Sacramenta admittere etc. Pariter ipsos in officiis recipientes, idest in officiis, quae ad munus ecclesiasticum pertinent.

2° Post Constitutionem *Apostolicae Sedis* videtur cessasse excommunicatio minor tam pro illis, qui communicant cum notorio Clericorum percussore, quam pro illis, qui communicant cum quocumque alio excommunicato vitando; exceptis tantum duobus praedictis casibus nempe ille, qui communicat *in crimine criminoso*, et Clericus communicans in divinis cum *nominatim excommunicatis*, eosque in officiis recipiens. Omnes isti incurrunt excommunicationem majorem.

3° Igitur qui modo communicarent cum excommunicatis vitandis tantum peccarent; sed in excommunicationem minorem non amplius incurrerent.

Q. Utrum ille, qui denuntietur ab Episcopo, vel a quovis alio Ordinario nominatim excommunicatus vi praeexistentis Papalis sanctionis, seu excommunicationis, habendus sit tamquam *nominatim excommunicatus a Papa*, ita ut comprehendatur sub his duobus articulis?

R. Negative; quamquam sanctio excommunicationis sit a Papa lata; non enim Papa ipsum excommunicavit nominatim, ideoque talis ab Episcopo nominatim denuntiatus non comprehenderetur sub his articulis XVI, XVII: sed comprehenderetur sub articulo Interdicti II, ut infra videbimus.

XVIII. Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant.

Explanatio.

Q. Quid dicendum de illo, qui absolveret sine facultate ejusmodi

poenitentes, non ex inobedientia, sed ex persuasione pertinaci R. Pontificem, vel Episcopos non habere jus reservandi peccata?

R. Hic Confessarius esset haereticus ex can. 2 Conc. Trid., sess. 14 de Poenit., in quo legitur: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

§ 3. *De excommunicationibus latae sententiae Episcopis, sive Ordinariis reservatis.*

Q. Quot, et quaenam sunt excommunicationes latae sententiae Episcopis, sive Ordinariis reservatae?

R. 1° Ex vigore Const. *Apostolicae Sedis* sunt tres, quae dicuntur de jure.

R. 2° Sunt sequentes:

I. Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares, aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

Explanatio.

1° Sub hoc articulo comprehenduntur Clerici in sacris constituti, Regulares, et Moniales habentes votum solemne castitatis adeo, ut si habeant votum simplex castitatis non comprehenduntur sub hac excommunicatione.— Item comprehenduntur omnes saeculares sive masculi, sive foeminae, praesumentes cum ipsis contrahere matrimonium.

2° Ad incurrendam hanc censuram requiritur et matrimonii celebratio, et scientia de ejus nullitate ob legem, vel votum solemne castitatis, quae scientia cum celebratione conjuncta exprimitur per verba *praesumentes contrahere.*

3° Si praedictae ecclesiasticae personae tantum sponsalia contraherent, non incurrerent in hanc censuram; quia juridica verba *praesumentes contrahere matrimonium* non significant *constituentes contrahere matrimonium.*

Q. Si dictae personae ecclesiasticae matrimonium tantum civile

contraherent, ubi publicatum est Trid. Decretum *Tametsi* c. 1, sess. 24 de Reform. matr., incurrerentne in ejusmodi censuram?

R. Affirmative; quia praesumerent contractum illum inire, qui matrimonii habeat figuram: nunquam enim possunt verum matrimonium contrahere.

Q. Quid dicendum si haec praesumptio non oriretur ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione, quod matrimonium sit validum, quia Ecclesia non posset reddere irrita ejusmodi matrimonia?

R. Esset haereticus, et puniendus quoque poenis in haereticos inflictis ob Trid. Canonem 9, sess. 24 de Ref. matr.: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares... posse matrimonium contrahere... anathema sit.*

II. Procurantes abortum, effectu sequuto.

Explanatio.

1° In hoc articulo non fit distinctio inter foetum animatum, et inanimatum, atque ideo neque nos distinguere debemus.

2° Sub hoc articulo comprehenduntur omnes abortum procurantes, idest sive foemina in se abortum procuret, sive alii procuraverint *percussionibus*, *medicamentis*, *venenis*, *potionibus*, *oneribus*, *laboribusque mulieri praegnanti impositis*, *ac aliis etiam* incognitis, vel maxime exquisitis rationibus ita, ut reipsa abortus inde sequutus fuerit. Ita Constit. Sixti V.

3° Quare si esset tantum ex accidentali causa, et non ex causis studiose adhibitis, non incurrerent hanc excommunicationem. Item dicendum si abortus non sit sequutus.

III. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Explanatio.

Crimini ea in re cooperantes intelliguntur omnes illi, qui scienter cooperantur, et non ignoranter, vel cum dubio, vel aliquo tantum suspecto.

§ 4. *De excommunicationibus latae sententiae nemini reservatis.*

Q. Quot sunt nunc excommunicationes latae sententiae nemini reservatae?

R. Sunt quatuor vigore Constitutionis *Apostolicae Sedis;* et alia quatuor sunt vigore Conc. Tridentini ; quia excommunicatio contra *Magistratum, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae Monialium, in desuetudinem abivit.* Idcirco excommunicationes nemini reservatae sunt octo, nempe:

I. Mandantes, seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos.

Explanatio.

1° Haec excommunicatio nunc afficit tantum *mandantes, et cogentes tradi*, non vero alios, qui associant, crucem, et luminaria deferunt; neque qui in sepulturam mittunt: odia enim sunt restringenda.

2° In hoc articulo est vetita sub poena excommunicationis sepultura pro haereticis notoriis, seu publicis; item pro excommunicatis nominatim ; item pro interdictis nominatim. — Sub nomine *haeretici* veniunt etiam apostatae notorii a fide.

II. Laedentes, aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

Explanatio.

Intellige impediendi causa, quominus ad sacrum Tribunal causas deferant, vel ad impediendam sententiam, vel in odium ipsius sacri Tribunalis: quia si non eos cognoscant ut tales, incurrent forte aliam censuram, sed non censuram hujus articuli.

III. Alienantes, et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de reb. Eccl. non alienandis.

Explanatio.

Constitutio *Ambitiosae* ita se habet: *Omnem rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum do-*

minium transfertur, *concessionem*, *hypothecam*, *locationem*, *et conductionem ultra triennium*, *nec non infeudationem*, *vel contractum emphyteuticum*, praeter quam in casibus jure expressis. Vide App. *De bonis Ecclesiae non alienandis*, pag. 153, 154.

IV. Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios, sive sacerdotes, a quibus solicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV Constit. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV Constit. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 junii 1741.

Explanatio.

Vide Tract. de Poenit. App. *De solicitatione*, pag. 769.

§ 5. *De excommunicationibus latae sententiae a Concilio Tridentino inflictis, et nemini reservatis.*

Q. Quot, et quaenam sunt excommunicationes latae sententiae a Conc. Tridentino inflictae?

R. 1° Sunt novem; sed post Constitutionem *Apostolicae Sedis* quatuor tantum remanserunt. Revera excommunicatio contra *Usurpatores* comprehenditur partim in articulis XI et XII excommunicationum speciali modo Papae reservatarum, partim in articulo III excommunicationum nemini reservatarum. Excommunicatio contra *violantes clausuram Monialium* convertitur in articulum VI excommunicationum simpliciter Papae reservatarum. Excommunicatio contra *Duellantes* etc. comprehensa est sub articulo III excommunicationum simpliciter Papae reservatarum. Excommunicatio contra docentes: *Contritos, etiamsi habeant copiam Confessarii, posse absque sacramentali confessione peccatorum mortalium recipere Eucharistiam;* et contra docentes: *Matrimonia clandestina facta libero contrahentium consensu non esse vera et rata matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*, comprehenditur in articulo I excommunicationum simpliciter Papae reservatarum. Tandem excommunicatio contra *Magistratum, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae Monialium*, in praesenti societatis statu in desuetudinem abiit.

R. 2° Sunt sequentes:

I. Excommunicationi illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Explanatio.

Haec excommunicatio a Concilio Tridentino inflicta in sess. 4 *de editione et usu sacrorum librorum*, est a Pio Papa IX per Const. *Apostolicae Sedis* cohibita ad eos tantum, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, vel imprimi faciunt.

Q. Quinam libri veniunt sub nomine librorum de rebus sacris tractantium ?

R. Intelligendi sunt libri sacrae Scripturae, et eorumdem librorum adnotationes, et expositiones : quia Tridentinum hos tantum intellexit, ut patet legenti sess. 4.

II. Excommunicantur raptores mulierum, eorumdemque consocii.

Vide impedimentum raptus.

III. Excommunicantur qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Explanatio.

Haec excommunicatio in suo vigore permanet, quamquam minores admodum aetate nostra sint ejusmodi casus, qui frequentissimi erant Tridentini Concilii tempore.

Vide quae dicta sunt de Matrimonio.

IV. Excommunicantur qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediant.

Explanatio.

Hic articulus admittit exceptionem, ait enim *praeterquam in casibus in jure exceptis.* Duo sunt casus, nempe : 1us Quando mulier formaliter consentit ut vir religionem ingrediatur, et profiteatur, et ipsa quamvis votum continentiae fecerit, nihilominus rationabiliter potest haberi suspicio de ejus continentia, debet compelli religionem intrare. 2us *Quando mulieres, relicto maritali toro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad fru-*

gem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, ***in*** *claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare*, *ut perpetuam poenitentiam ibi agant.* Ita Gregorius IX in cap. 18 et 19, ***de*** *Convers. conjugatorum.*

Alia vide *Quoad educandas*, pag. 192.

CAPUT III.

De natura, et divisione suspensionis.

Q. Quid est suspensio?

R. Est *censura, qua Clericus privatur usu officii ecclesiastici*, *vel Beneficii, vel utriusque simul.* Ergo solus Clericus potest esse subjectum suspensionis.

Q. Quotuplex est suspensio?

R. Praecipue duplex est, nempe totalis, et partialis. Suspensio *totalis* est ea, qua Clericus privatur usu ecclesiastici officii, et Beneficii simul. — Suspensio *partialis* est ea, qua Clericus privatur usu, vel Ordinis tantum, vel jurisdictionis tantum; vel officii tantum ad quod pertinet potestas Ordinis, et jurisdictionis; aut usu Beneficii tantum.

Diximus *praecipue;* quia ratione causae ob quam infligitur, alia est medicinalis, si ad emendationem; alia poenalis et impropria, si detur ad vindictam; alia denique ad cautelam, et datur illi Clerico, contra quem fama publica male refert, vel jam criminis publici accusatio, aut inquisitio judicialiter fuerit instituta.

Ex dictis sequitur hanc ultimam suspensionis speciem (idest ratione causae): 1° Esse partialem, scilicet a solo exercitio Ordinis, non a Beneficio. 2° Eandem stricte censuram appellari non posse; ideo non requiri ad eam formulas canonicas pro censuris infligendis praescriptas: nec irregularitatem incurri, si violetur. 3° Eam graviter obligare, cum lata sit ob gravem causam.

Nota 1ª. Suspensio non potest infligi sine scriptura, ita ut si Superior oretenus Clericum suum judicat dicendo: *Ego te suspendo*, haec loquendi formula habenda est potius uti simplex celebrandi prohibitio, quam veri nominis suspensio: et qui eam violaverit, gravis inobedientiae reus evadet, sed irregularitatem non incurret.

Nota 2ª. Suspensio diuturna non incurritur, nisi ob peccatum

mortale. Partialis vero, aut totalis, sed ad breve tempus, puta per hebdomadam, poterit incurri ob culpam venialem.

Q. Quid importat suspensio *a divinis* sine alio addito?

R. Importat suspensionem ab omni officio ecclesiastico, sive illud ab Ordine, sive à jurisdictione dependeat.

Nota 1ª. Poterit sic suspensus divinis officiis interesse, ut laicus: an vero eo in casu possit distributiones accipere, est quaestio inter Theologos; sed sententia negativa videtur rationabilior.

Nota 2ª. Sacra Congreg. Concilii 1625 declaravit irregularitatem contraxisse Parochum, qui a proprio Episcopo *ex informata conscientia* ab omni suae paroeciae exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione, et curae exercitio manebat.

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS SUSPENSIONIS, ET AB EA ABSOLUTIONE.

Q. Quinam sunt effectus suspensionis?

R. Sunt: 1° Quod suspensus peccet graviter, et irregularitatem incurrat, si ejusdem Ordinis officium scienter et solemniter exercet. 2° Suspensus *ab officio* est inhabilis ad acquirenda Beneficia. 3° Suspensus non toleratus et publicus exercet invalide actus jurisdictionis, cum jure illa privatus existat.

Diximus *jurisdictionis*, quia non exercet invalide actus Ordinis.

Q. Incurritne irregularitatem Clericus exercens actum, a quo erat suspensus, si suspensio lata sit pro tempore determinato?

R. Tres sunt sententiae. Prima absolute negat cum Avila. — Secunda absolute et communius affirmat cum Viva, si suspensio in scriptis lata sit. — Tertia, quae videtur absolute probabilior, distinguit cum Roncaglia: vel suspensio lata est ob crimen futurum, aut etiam ob crimen praeteritum, quod tamen tractum habeat successivum; vel suspensio lata est hic et nunc ab homine ob meram punitionem criminis omnino praeteriti. In primo casu incurritur irregularitas; quia haec revera habet rationem censurae. In altero non incurritur ob rationem contrariam.

Q. Quisnam absolvere potest a suspensione?

R. Si suspensio rationem habeat censurae, tollitur ut excommunicatio. — Si autem sit imposita in perpetuum propter praeteritam culpam, tollitur ut mere poena per solam Praelati, vel ejus delegati dispensationem; quia tunc non est vera censura.

Q. Utrum sacerdos poterit absolvi a simplici Confessario a peccatis antequam solvatur a censura per Superiorem?

R. Affirmative; quia effectus suspensionis non est privare receptione Sacramentorum. Sed requiritur, ut sit dispositus ad curandam liberationem suspensionis.

Nota. Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem illa generali forma: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* etc., ut adhibetur in Sacramento Poenitentiae. — Si sit publica, in foro interno eodem modo; in foro externo cum forma Ritualis Romani.

ARTICULUS II.

DE SUSPENSIONIBUS LATAE SENTENTIAE.

Q. Quotuplicis generis sunt suspensiones post Constitutionem *Apostolicae Sedis?*

R. Duplicis, nempe aliae sunt Papae reservatae; aliae Ordinariis reservatae.

§ 1. *De suspensionibus latae sententiae Summo Pontifici reservatis.*

Q. Quot, et quaenam sunt suspensiones latae sententiae Papae reservatae?

R. Post Constit. *Apostolicae Sedis* sunt septem, et ita enuntiantur:

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum, et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum, seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos, aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

Explanatio.

1° Per *Litteras Apostolicas* intelliguntur litterae, quae exprimant promotionem, confirmationem, et destinationem ad regendam illam Ecclesiam vel monasterium etc.

2° Capitula et Conventus, et omnes illi, qui recipiunt, obediunt, et illi, qui admittunt ad regimen, vel administrationem propriae Ecclesiae, vel monasterii etc. Episcopos, vel Abbates, vel Priores etc. quin prius hi ostenderint dictas Litteras, remanent suspensi a perceptione Beneficiorum suorum.

Hujusmodi vero vel Episcopi, vel Abbates, vel Priores etc. nihil possunt percipere de ipsarum Ecclesiarum, et monasteriorum proventibus; et irritum, et nullum est quidquid per ipsos interim actum fuerit.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo Beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

Explanatio.

Hic articulus cohibuit suspensionem a Gregorio IX inflictam, et nunc afficit tantum Episcopos ordinantes. Intellige, Episcopi non possunt conferre per triennium Ordines; sed possunt facere pontificalia, et omnia alia munia ad Episcopum pertinentia.

Q. Quid hodie sentiendum post Const. *Apostolicae Sedis* de iis Clericis saecularibus, qui fortasse conficto titulo ordinari se fecerint?

R. Videntur nulla censura esse irretiti, tum quia suspensio ab Urbano VIII inflicta cessavit, tum quia Tridentina expressio: *Antiquorum canonum poenas super his innovando* quoque cessavit, quum Constitutio *Apostolicae Sedis*, renovans Tridentinas censuras, non renovavit eas ab ipso Tridentino indirecte inflictas.

III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

Explanatio.

Q. Si Beneficium sit tenue adeo, ut non sufficiat ad constituendum ordinationis titulum, poteritne suppleri per patrimonium ordinandi?

R. Negative; et si Episcopus ordinaret ejusmodi Beneficiarium cum supplemento patrimonii sine litteris dimissorialibus ejus Episcopi, ordinaret alienum subditum, et in suspensionem incideret ipso jure in hoc articulo declaratam: ordinaret enim *alienum subditum sub praetextu Beneficii jam collati, sed minime sufficientis.*

Q. Utrum Episcopus in eandem suspensionem incurrat, si Beneficio sufficienti collato subdito alieno eundem ordinet, quin habeat litteras testimoniales alterius Episcopi, vel aliorum Ordinariorum, quibus ordinandus quoque subsit ex aliis titulis?

R. Affirmative, si violata maneret haec pars ejusdem articuli: *Vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* — Negative si secus, puta Episcopus confert Beneficium alieno Clerico, qui a prima juventute in suo seminario degerit. Ast ejusmodi Episcopus violaret legem ecclesiasticam in Const. *Speculatores.* Ideo, quamvis censuram non incurrat, nihilominus peccat.

Per verba *ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit* intelligitur possibilitas juridica: unde tutissime ad hoc potest inservire regula, quae viget de litteris testimonialibus de *statu libero* pro matrimonio contrahendo ab illis exhibendis, qui commorati fuerint tantum temporis in variis locis, ut documentum liberi status existimaretur necessarium.

Alia vide in Tract. de Ordinatione.

IV. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii, vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo.

Explanatio.

Per verba *vel etiam Religioso nondum professo* non solum intelliguntur novitii, qui sunt in anno probationis; verum etiam, imo

principaliter, illi qui post Decretum Pii IX 19 martii 1857, absoluto tyrocinio, vota simplicia emiserunt saltem ad triennium. Hi ut valide haec vota solemnia emittant, requiritur professio expressa; et ideo pro istis, et pro aliis omnibus profitentibus nunc per decretum ejusdem Pontificis die 12 julii 1858 est omnino abrogata professio tacita. Intellige, non est abrogata professio tacita, quam admittit Conc. Tridentinum in causis quoad nullitatem professionis solemnis expresse factae, de qua pertractavimus in Tract. de Obligat. pag. 170, 171, sed tantum illa professio abrogata est, quae olim fieri poterat induendo habitu professo etc., ut ibi diximus, quae reputabatur vera solemnis professio, et dicebatur tacita.

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

Explanatio.

1° Haec verba deprompta sunt ex decretis S. Congr. Concilii editis sub Urbano VIII die 21 septemb. 1624: et in 6 eorumdêm Decretorum S. Congregatio statuit ordinem judicialem servandum esse ad expellendos Regulares; qui expelli non possunt nisi sint incorrigibiles.

Q. Utrum illi, qui injuste ejiciantur e religione, in hanc perpetuam suspensionem incurrant?

R. Videntur incurrere saltem in foro externo; quatenus tenentur obedire huic mandato Pontificis; proindeque qui ejecti sunt et extra religionem degunt, sive juste, sive injustê fuerint ejecti, quousque extra religionem degunt, sive extra suam, quam professi sunt, sive extra aliam, in quam possint canonice transire, suspensi manent ab exercitio Ordinum.

Qui autem putent, se injuste extra religionem ejici, habent juris remedia per recursum ad S. Sedem, a qua tamen neque audiuntur si extra religionem degant juxta c. 19 Conc. Trid. sess. 25 de Reg., nisi forte prius obtineant facultatem reclamandi extra religionem degentes.

2° Canonica ratio hujus articuli est, quia ille, qui a sua religione ejicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, imo et Ecclesia cui sit adscriptus. Ideoque nullum aliud remedium remanet, nisi ut ad suam redeat religionem, si forte in aliam non transeat,

vel nisi forte valeat obtinere a S. Sede saecularizationis indultum, quo, substantia votorum incolumi manente, possit reperire benevolum Episcopum, qui eum recipere velit.

3° Apostatae a religione, et fugitivi Regulares non comprehenduntur sub hoc articulo : quia in jure satis distinguuntur apostatae et fugitivi ab ejectis: et articulus loquitur tantum de ejectis.

4° Pro dictis fugitivis, et apostatis sunt aliae poenae, nempe possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carcerem conjici etc. Praeterea nullo privilegio sui Ordinis juvantur; atque subjiciuntur aliis poenis juxta peculiares singulorum Ordinum constitutiones statutis, in quibus communis fere dicitur esse excommunicatio ipso facto inflicta.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico, vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

Explanatio.

1° Ut quis incurrat in hanc suspensionem debet *scienter*, ita enim indicat verbum *praesumpserunt*, recipere Ordinem ab excommunicato nominatim denuntiato, idest vitando, vel a suspenso nominatim denuntiato, vel ab interdicto nominatim denuntiato, vel ab haeretico, vel schismatico notorio : si vero recipiat ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto haud nominatim denuntiatis, vel ab haeretico, vel schismatico occulto, non incurrit in hanc suspensionem.

Suspensi itaque manent, qui praesumpserunt, idest *scienter* receperunt Ordinem ab uno ex dictis, et haec suspensio est Romano Pontifici reservata.

Q. Utrum reservata quoque sit Romano Pontifici suspensio eorum, qui bona fide Ordinem ab eis receperunt ob verba articuli : *Qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus?*

R. Non videtur reservata ; ita ut verba indefinita *donec dispen-*

setur, contineant clausulam prout *de jure*. In jure autem haec dispensatio non est reservata, uti constat ex allegatis juris capitibus.

Q. In quo differunt in hoc articulo ejusmodi rationes dicendi: *Suspensio ab Ordine, et suspensio ab exercitio Ordinis?*

R. Differunt in hoc, ut ait Thesaurus in doctissimo opere *De poenis eccles.* p. 2, verb. *Ordo* cap. 24: « Limita quod si promotus ignoraverit totaliter vitium (seu *excommunicationem* etc.) ordinantis, tunc *non est proprie suspensus*, neque irregularis, sed improprie, quatenus ante dispensationem peccat ministrando in susceptis. » Differentia igitur est, quod suspensio *ab Ordine* sit vera et propria suspensio, et praesefert irregularitatem; suspensio *ab exercitio Ordinis* est improprie suspensio, et qui est sic suspensus, peccat si exerceat Ordinem susceptum, antequam dispensetur.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Explanatio.

Nota. Haec lex non est lata ad coercendam potestatem Ordinariorum in suos subditos, sed praecipue ad reprimendos abusus illorum, qui, obtentis litteris dimissorialibus a proprio Ordinario, post aliquod domicilium Romae contractum, neglectis praestitutis sacrae ordinationi legibus specialiter Romae servandis, alium extraneum

quaerunt Episcopum, a quo etiam facilius sacram ordinationem obtineant. His notatis dicimus :

1° Nomine exterorum Clericorum veniunt omnes illi Clerici, qui non pertinent ad Romanam Dioecesim, neque pertinent ad sex Dioeceses suburbicarias.

2° Qui postquam in Urbe ultra quatuor menses commoratus fuerit, negotiis, seu studiis absolutis, patriam revertitur, poterit ordinari a proprio Ordinario ; modo petat ab Emo Vicario Urbis litteras testimoniales quod canonicum impedimentum ille Clericus non contraxerit : commoratio enim in Urbe quatuor mensium et amplius aestimatur quidem sufficiens ad canonicum impedimentum contrahendum.

3° Si proprius Ordinarius esset impeditus, modo ipse non sit Ordinarius alicujus Dioecesis suburbicariae, cum litteris dimissorialibus poterit eum mittere ad alium Ordinarium, quem maluerit.

4° Insuper neque Ordinarius, neque Clericus ordinandus incurrit in poenam hujus articuli, etsi Clericus reversus sit ad proprium Ordinarium, ut examen Romae declinaret. Nam dici non potest, quod fraude agat ille, qui ad declinandum aliquem legis effectum jure suo utitur; jus autem quisque habet suam petendi Dioecesim, recipiendique Ordines a suo Ordinario, aut ab eo, a quo ex facultate Ordinarii recipere eosdem potest, cum non amplius loco illi sit specialiter subjectus, unde impedimentum oriebatur. Vide *Acta S. Sedis in comp. red.* vol. 2, pag. 587.

5° In suspensionem vero incideret Clericus, qui in examine Romae exhibito reprobatus, nulla dein obtenta venia, nulloque examine Romae renovato, in suam dioecesim revertens, ibi Ordinibus initietur.

6° Qui per quatuor menses Romae commorati, si, litteris dimissorialibus quamvis amplissimis a proprio Ordinario obtentis, ad Ordines promoveri cupiant, non possunt declinare examen Romae subeundum, neque sacram ordinationem sine licentia in scriptis obtinenda ab Emo Urbis Vicario. Possunt tamen reverti ad proprium Ordinarium, et sic rite ordinari.

Q. An Clerici exteri, qui completis Romae quatuor commorationis mensibus, obtentisque dimissoriis litteris a suo Ordinario ex Urbe discedant animo non redeundi Romam, possint ab alio Episcopo ordinari sine licentia Emi Urbis Vicarii, vel sine examine Romae subeundo, quin locum habeant hujus articuli censurae?

R. Videntur ejusmodi censurae locum non habere ob verba articuli : *In Urbe commorantes ordinati ab alio:* quae verba significant commorationem perdurantem, et in ejus perduratione ordinationem ab alio factam. Haec verba conveniunt cum edicto Emi Urbis Vicarii: *Pro tempore in Urbe commorantibus*, et in altero: *Pro tempore commorati fuerint.* Ita Avanzini, cui nos adhaeremus.

7° Qui prima tonsura insigniti non sunt, etiamsi in Urbe ultra quatuor menses, et per quodcumque aliud tempus permanserint, hoc articulo non afficiuntur.

8° Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis possunt mitti cum litteris dimissorialibus tantum ad Emum Vicarium Urbis, si proprius Episcopus ordinationem non habeat; si igitur ab alio extra Urbem ordinentur, incurrunt suspensionem, et Episcopus ordinans remanet suspensus ab usu Pontificalium per annum.

9° Regulares sub hoc articulo nullo modo comprehenduntur sive Romae commorentur, sive in aliquo loco ex sex Dioecesibus suburbicariis; quia articulus de Clericis Regularibus nullam mentionem facit. Quare possunt mitti a propriis Superioribus ad Ordinarium, quem malunt, modo habeant litteram testimonialem, quod Episcopus illius Dioecesis ordinationem non teneat.

§ 2. *De suspensionibus latae sententiae a Concilio Tridentino inflictis.*

Q. Quot, et quaenam sunt suspensiones latae sententiae a Concilio Tridentino inflictae?

R. Sunt duae, quae ita enuntiantur :

I. Suspensio contra illos, qui variis modis violant canones de sacra ordinatione.

Explanatio.

Modi, quibus violatur haec censura, comprehendunt duplicem classem suspensionum. Suspensiones primae classis afficiunt Episcopos, et sunt Papae reservatae. Suspensiones alterius classis afficiunt alios, et sunt Ordinariis reservatae. Quae Episcopos afficiunt, et Papae reservantur, tres numerantur, nempe:

1° Ordinantes non subditum absque licentia sui Episcopi, suspenduntur a collatione Ordinum per annum. Sess. 23, c. 8.

2° Facientes pontificalia in alterius dioecesi sine Ordinarii loci expressa licentia, suspenduntur ab exercitio pontificalium. Sess. 6, cap. 5 de Ref.

3° Episcopi titulares etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae absque sui Praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis aliquem ad Ordines, vel primam tonsuram promoventes, suspenduntur per annum ab exercitio pontificalium. Sess. 14 ex cap. 2 de Ref.

Q. Quot, et quaenam sunt suspensiones a Conc. Trid. inflictae, quae alios afficiunt, et sunt Ordinariis reservatae?

R. Sunt sex, et ita enuntiantur:

1° Ordinatus ab alieno Episcopo sine dimissoria proprii Episcopi est suspensus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. Sess. 23 ex cap. 8 de Ref.

2° Ordinatus per saltum, si non ministraverit, Episcopus ex legitima causa potest dispensare. Sess. 23 ex cap. 14 de Ref.

Nota. Ordinatus per saltum non est irregularis, sed suspensus ipso jure ab exercitio Ordinis sic male suscepti tantum, nec potest ulterius promoveri nisi cum eo dispensetur. Ita Thesaurus, *De poenis eccles.* verbo *Ordo*, c. 13. Revera post Trid. Decretum, ob verba: *Si non ministraverint... Episcopus possit dispensare;* declaratum satis videtur, ordinatum per saltum non esse irregularem, sed esse ipso facto suspensum, ita ut si ministraverit irregularis evadat, proindeque indigeat Apostolica dispensatione.

Quum haec suspensionis censura non solum sit a Tridentina Synodo indirecte innovata, sed potius declarata, facta quoque Episcopis facultate eam absolvendi, in suo vigore permanet.

3° Ordinati per litteras dimissorias Capituli, seu Vicarii Capitularis infra annum a die vacationis Sedis, si in minoribus Ordinibus, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudere possunt; si in majoribus, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sunt ipso jure suspensi. Sess. 7, c. 10 de Ref.

4° Abbates tonsuram, vel minores Ordines conferentes non subditis suis; pariter alii exempti non mittentes dimissorias pro ordinatione suorum subditorum ad Episcopum intra cujus dioecesis fines existant; et omnes alii concedentes dimissorias contra

formam Decreti Pauli III, ab officio et Beneficio per annum sint ipso jure suspensi. Sess. 23, c. 10 de Ref.

Nota. Concilium Tridentinum Abbatibus quovis modo exemptis facultatem dumtaxat reliquit primam tonsuram, minoresque Ordines conferendi suis subditis Regularibus, et Abbates saeculares quantacumque gaudeant exemptione, et mitra et baculo utantur, Regularibus non praesunt, necessario inde consequitur, eos non posse ullum, quamquam suae jurisdictioni subjectum, ad primam tonsuram, minoresque Ordines promovere, nisi hanc potestatem a Sede Apostolica impetraverint. Ita ex declaratione S. Cong. Episc. et Reg., 8 aprilis 1859.

5° Ordinati ab Episcopo proprio, sed extra suam dioecesim absque licentia Episcopi illius dioecesis, ab executione Ordinum sunt ipso jure suspensi. Sess. 6, c. 5 de Ref.

6° Ordinati ab Episcopo titulari etiam praetextu continuae commensalitatis suae absque sui proprii Praelati consensu, ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso jure sunt suspensi. Sess. 14 ex cap. 2 de Ref.

II. Suspenduntur, qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt.

Explanatio.

Haec suspensio extenditur in omnes sacerdotes sive Regulares, sive saeculares, qui absque licentia Parochi sponsorum proprii, vel Episcopi, matrimonio conjungere, vel benedicere ausi fuerint.

Q. Utrum in locis, in quibus publicatum non sit Tridentinum Decretum *Tametsi*, in quo haec censura reperitur, locum habeat eadem censura?

R. Locum non habere videtur. Nam Tridentinum peculiari ratione *decernit, ut hujusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.* Itaque ubi hoc Decretum publicatum non fuerit, neque censura Tridentina suspensionis locum habere dicenda est, nisi forte aliunde haec poena jam viguerit.

Diximus *nisi aliunde viguerit;* vigere enim potest per consuetudinem, etsi Decretum non sit publicatum.

CAPUT IV.

De natura, et divisione interdicti.

Q. Quid est interdictum?

R. Est *censura privans hominem, vel locum, vel utrumque simul, publica divinorum officiorum celebratione, aliquorum Sacramentorum administratione, et usu ecclesiasticae sepulturae.*

Q. Quotuplex est interdictum?

R. Triplex: *Personale*, quo quibusdam personis ubique prohibetur divinorum officiorum auditio, aliquorum Sacramentorum participatio, ac sepultura ecclesiastica. — *Locale*, quo prohibetur, ne in aliquo loco celebrentur officia divina, administrentur aliqua Sacramenta, neque quisquam in eo sepeliatur. — *Mixtum*, quod conflatur ex locali et personali, omnesque illorum producit effectus.

Nota 1ª. Tempore interdicti licet administrare Sacramenta Baptismi, Confirmationis, et Poenitentiae, quae tamen (excepto mortis articulo) non potest administrari iis, qui causam interdicto dederunt, nisi prius satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem dederint. Item permittitur Eucharistia morituris, atque Extrema Unctio. Et probabilius etiam Matrimonium, sed omittitur solemnis benedictio.

Nota 2ª. Interdicto populo, non intelliguntur interdicti Clerici, studiosi, peregrini. Item interdicto Clero, non interdicuntur laici, neque Religiosi, imo neque alii Clerici, qui ibi nullum habent officium, ita ut cum Clero unum corpus constituant.

Nota 3ª. Quando interdictum est generale-locale, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia, et ecclesiae exemptae Regularium; et omnes illud tenentur servare, etiam Episcopus qui tulit, uno excepto Pontifice.

Nota 4ª. Si interdictum est generale-personale, excipiuntur: 1° Episcopi, qui eximuntur etiam a suspensione generali. 2° Innocentes, si alibi domicilium collocant. 3° Exteri. 4° Infantes, et amentes doli incapaces, qui tamen adhuc privantur sepultura ecclesiastica.

Nota 5ª. Quando ecclesia est interdicta, Canonici non amittunt distributiones, si non dederint causam interdicto. Item quando ecclesia est polluta. Secus tamen est in occasione divinorum officiorum.

Q. Quas poenas incurrunt, qui violant interdictum?

R. Qui violant interdictum *locale*, incurrunt in poenam interdicti ab ingressu ecclesiae reservati Superiori, qui dictum interdictum inflixit. Si Clerici violent idem interdictum admittendo nominatim excommunicatos ad divina officia, et ad ecclesiasticam sepulturam, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Pontifici reservatam. Item Clerici si exerceant actum proprium Ordinis, fiunt irregulares.

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS INTERDICTI, EJUSQUE ABOLITIONE.

Q. Quinam sunt effectus interdicti?

R. Sequentes: 1° Prohibitio divinorum officiorum, eorum quippe *quae solemniter a Clericis exercentur* in loco designato, excepta concione. — Excipiuntur autem nonnullae Ecclesiae solemnitates, in quibus permittuntur divina officia solemniter celebrari, admissis etiam personis interdictis.

2° Prohibitio administrandi quaedam Sacramenta.

3° Prohibitio ecclesiasticae sepulturae, cum hoc discrimine, quod laici sepeliendi sint in loco non sacro; Clerici, si non sint nominatim interdicti, possint sepeliri in ecclesia etiam cum Missa, sed sine pompa. Si vero ecclesia illa sit nominatim interdicta, adhuc poterunt in ea sepeliri, sed sine Missa.

Nota 1ª. In ecclesiis specialiter interdictis, in quibus Eucharistia servatur, fas est tantum semel in hebdomada Sacrum facere ad renovandam Eucharistiam.

Nota 2ª. Clerici, qui non cadunt sub interdicto, celebrare possunt, sed januis clausis, et sine campanarum sonitu. Ita S. Ligorius, n. 333.

Q. Quam ob causam ferri possit interdictum?

R. Propter culpam gravem propriam bono publico oppositam potest ferri interdictum speciale-personale. — Pro interdicto personali autem generali et locali sufficit culpa illius, qui est caput communitatis, vel praecipuorum ejus membrorum, ex jure can. etc.

Q. A quonam interdicta possunt tolli?

R. Interdicta localia et personalia generalia, quae jure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in foro externo. — Interdicta generalia lata *ab homine* non possunt tolli, nisi ab eo, qui illa tulit,

vel a Papa etc. — Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non sit, quivis Confessarius potest absolvere.

Nota. Per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale communitatis; quia illud privilegium respicit forum internum.

Q. Quid de iis, qui tantum interdicti sunt ab ecclesiae ingressu?

R. Isti neque possunt sepeliri in ecclesia, vel ejus coemeterio. Sed possunt audire Missam in oratoriis privatis. Imo juxta plures possunt ingredi in ipsam ecclesiam extra tempus divinorum officiorum, ut ibi preces fundant privatim.

ARTICULUS II.

DE INTERDICTO IN PARTICULARI.

Q. Quot, et quaenam sunt interdicta latae sententiae, quae post Constitutionem *Apostolicae Sedis* in vigore remanserunt?

R. Quatuor, quorum duo sunt vigore ipsius Constitutionis *Apostolicae Sedis*, et alia duo sunt inflicta a Concilio Tridentino

§ 1. *De interdictis latae sententiae per Constitutionem* Apost. Sedis *a Pio IX inflictis.*

I. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia, et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

Explanatio.

1° Hoc interdictum respicit tantum communitates, idest Universitates, Collegia, Capitula, et aliae communitates quocumque nomine nuncupantur.

2° Singulares personae subjiciuntur excommunicationi Romano Pontifici speciali modo reservatae, de qua loquitur articulus IV hujus Constitutionis, ut supra exposuimus.

Quare in hoc articulus hujusmodi interdicti differt ab articulo IV excommunicationum speciali modo Papae reservatarum; nempe

hic afficit tantum personas singulares, ille seu tale interdictum afficit communitates etc.

3° Hoc interdictum est speciali modo Papae reservatum.

II. Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Explanatio.

1° Hic articulus comprehendit Clericos per verba *scienter celebrantes... ad divina officia admittentes.* — Comprehendit laicos cujuscumque status, sexus, et conditionis per verba *celebrari facientes.*

2° Indicat loca, quae sunt interdicta vel ab Ordinario, vel a delegato judice, vel a jure.

3° Per verba *nominatim excommunicatos* intelliguntur excommunicati ab Episcopo vel aliis Ordinariis, qui jurisdictione, et potestate polleant excommunicandi, vel declarandi in foro externo excommunicatos.

4° *Loca a jure interdicta* post Const. Martini V, *Ad evitanda*, non censentur talia, nisi accedat declaratio; proindeque, qui violaret loca a jure quidem interdicta, sed non declarata talia ab Auctoritate ecclesiastica, non evaderet interdictus ab ingressu ecclesiae.

Q. Verba articuli XVII excommunicationum Papae simpliciter reservatarum ita se habent: *Clerici scienter, et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.* Verba hujus articuli sunt: *Scienter . . . admittentes nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta.* Unde apparet aliquod discrimen per verba *Clerici sponte communicantes*, quae desunt in hoc articulo II: quaeritur igitur an hoc verborum discrimen aliquem effectum diversum inducat?

R. Videtur non inducere; quia non agitur de diversa Constitutione vario tempore, variisque de causis lata, sed de una eademque

Constitutione, quae, quantum fieri potest, armonice est intelligenda: eo magis, quod discrimen reale jam adest in discrimine poenae. Ita Avanzini.

Q. An Clerici *scienter et sponte communicantes in divinis* incurrentes in dictam excommunicationem Papae simpliciter réservatam, incurrant etiam simul hoc interdictum ?

R. Clerici sive saeculares, sive regulares etc. non videntur incurrere in utramque poenam : quia hic articulus reliquit illa verba Decretalis Bonifacii VIII (a qua desumptus est): *Praeter alias poenas in jure statutas.* Poenae insuper non sunt multiplicandae pro eadem causa, nisi constet esse multiplicandas : ideo incurrunt tantum in dictam excommunicationem.

Q. Quodnam est discrimen inter articulum I, quo excommunicationi nemini reservatae subjiciuntur *mandantes, seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos;* et inter hunc articulum II per verba *admittentes ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos ?*

R. Magnum est discrimen. Nam alii sunt *mandantes, et cogentes,* alii sunt *scienter admittentes :* nomine *admittentium* intelliguntur illi, qui possent non admittere, nempe Parochi, Rectores ecclesiarum, seu coemeteriorum, vel alii, qui in singulis casibus melius dignoscentur. Poena autem interdicti ab ingressu ecclesiae lata est in admittentes nominatim excommunicatos ; non autem in admittentes haereticos notorios, vel nominatim interdictos: his tamen manet prohibita ecclesiastica sepultura juxta sacros Canones, neque admitti possunt, quamquam, qui eos admittant, censura non amplius plectuntur.

Q. Quandonam hoc interdictum est reservatum Papae, et quandonam Episcopis, seu Ordinariis ?

R. 1° In duobus tantum casibus hoc interdictum est Papae reservatum, nempe: 1° Quando quis scienter celebrat, vel celebrari facit divina in locis a jure interdictis, modo haec loca sint a Papa declarata ut talia, idest nominatim interdicta; quia verba hujus articuli sunt: *Donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.* Modo jus est sententia Pontificis; sed sicut loca a jure interdicta post Constit. Martini V, *Ad evitanda,* non censentur talia, nisi accedat declaratio, ut supra diximus; ideo haec loca a jure interdicta non habent hanc censuram, nisi sint a Papa declarata ut talia. 2° Quando laicus per officium, vel privilegium,

vel consuetudinem habens custodiam ecclesiae, vel coemeterii, et auctoritate pollens admittendi, vel non ad sepulturam, scienter admittit ad ipsam nominatim excommunicatum a Papa.

R. 2° Hoc interdictum est reservatum Ordinario: 1° Quando quis scienter celebrat, vel celebrari facit in locis ab Ordinario interdictis; vel si illa loca sint interdicta a jure; non enim Papa ipsa interdixit nominatim. 2° Quando Clericus sive saecularis, sive regularis admittit ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatum ab Ordinario; quia iste contemnit *sententiam ejus*, idest Ordinarii. Item laicus, si sit in sua potestate admittere ad ecclesiasticam sepulturam, et ad eam admittit nominatim excommunicatos ab Episcopo.

Nota. Si vero loca sunt interdicta a delegato judice per auctoritatem propriam ipsi collatam, tunc hoc interdictum in recensitis tribus casibus est ipsi reservatum, sicut Ordinario reservabatur. — Si vero judex delegatus vices tantum gerit Episcopi, vel Papae, et nomine Episcopi, vel Papae interdicit, tunc Papae, vel Episcopo est reservatum.

Quare ex duobus interdictis contentis in Constitutione *Apostolicae Sedis*, primum est speciali modo Papae reservatum, secundum tantum in jam exposita parte est reservatum, sed non speciali modo, bene vero simpliciter.

§ 2. *De interdictis latae sententiae a Conc. Tridentino inflictis.*

Q. Quaenam sunt interdicta latae sententiae a Concilio Tridentino inflicta?

R. Sunt sequentia :

I. Capitulum, sede vacante, dimissorias ad Ordines recipiendos infra annum concedens ecclesiastico subjaceat interdicto. Sess. 7, cap. 10 de Ref.

Explanatio.

Poena interdicti lata est in Capitulum controveniens, quia juxta sacros Canones haec poena consuevit ferri in communitates. Hodie tamen quum Capitulum, sede episcopali vacante, non possit sibi reservare auctoritatis partem in electione Vicarii Capitularis, et tota auctoritas ad dioecesis administrationem necessaria, devolvatur per Capitulum in Vicarium Capitularem, hic solus erit interdictus, si fecerit contra Tridentinum Decretum.

II. Interdicuntur Episcopi, qui non denuntiant Episcopos illegitime absentes, et a crimine (concubinatus) non se abstinentes. Sess. 6, cap. 1; Sess. 23 ex cap. 14 de Ref

Ita exponitur hoc interdictum: *Crescente vero contumacia* (Episcopi absentis ultra semestre tempus) *ut severiori SS. Canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses, per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denuntiare teneatur.*

Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine (concubinatus) *non abstinuerint, et a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.*

COROLLARIUM

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

Q. Quinam privandi sint sepultura ecclesiastica?

R. De jure communi sunt sequentes:

1° Infideles omnes, etiam infantes sine Baptismo mortui. 2° Apostatae a Christiana Fide. 3° Haeretici, qui errores suos palam profitentur, eorumque fautores notorii, nec non schismatici publici. 4° Excommunicati publici, et notorii, et interdicti nominatim, si nullum votum reconciliationis cum Ecclesia manifestaverint. 5° Suicidae, qui sibi mortem intulerunt ira, aut desperatione impellente, dummodo signa poenitentiae, aut amentiae non dederint. 6° Duellantes, licet absoluti fuerint, etiamsi extra locum conflictus cum signis poenitentiae decesserint, juxta Bullam Benedicti XIV. 7° Peccatores publici et notorii, qui in impoenitentia mortem oppetierunt; tales sunt latrones, et fures interfecti in actu criminis. — Pariter qui publice vitam degunt in adulterio, vel concubinatu: dummodo impoenitentia sit omnino certa, et omnino publica.

Q. An sepeliendi sint in loco sacro rei, qui morte plectuntur?

R. Affirmative, si confessi fuerint ante mortem etc. Sed sepeliendi sunt sine solemnitate.

Q. Quid agendum in dubio, utrum deneganda sit sepultura ecclesiastica, nec ne?

R. Episcopus est interrogandus, si facilis sit recursus. Secus debet concedi sepultura; quia odia restringenda.

Q. An sit deneganda sepultura, si sacerdos solus testis fuerit repulsae, et impoenitentiae moribundi?

R. Negative, nisi aliunde ipsi denegari debeat ob aliquam causam de illis supra expositis. Et sacerdos debet tacere, et sinere, ut credatur eum fuisse Sacramentis rite expiatum.

Q. An deneganda sit sepultura mimis, et comoediarum actoribus?

R. Negative; dummodo Sacramenta Ecclesiae non recusarint.

Nota. Quando benedicitur coemeterium, pars aliqua extrema illius sine benedictione relinquenda est, ut inserviat pro sepultura infantium, qui sine Baptismo moriuntur, et pro infidelibus etc. Sed non est necesse, ut per sepem separetur.

APPENDIX

De cessatione a divinis, depositione, et de degradatione.

Q. Quid sit cessatio a divinis?

R. Est *prohibitio celebrandorum officiorum divinorum, administrandorum aliquorum Sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae, ab homine, vel a jure facta, ob justam causam,* v. gr. ob pollutionem ecclesiae etc. Ex hoc patet, quod producat eosdem effectus, ac interdictum; ejus tamen violatio non inducit irregularitatem, quia non est censura.

Q. A quibusnam cessatio a divinis imponi potest?

R. Imponi potest ab iisdem, qui possunt ferre censuras, praecedentibus debitis monitionibus. — Pariter ab ipsis Abbatissis in propria ecclesia.

Q. Quid sit depositio?

R. Est *poena ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum privatur omni Beneficio, et officio clericali, retento solo privilegio canonis, et fori.*

Q. Quid sit degradatio?

R. Est *poena ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum et solemniter privatur, non solum omni officio, et Beneficio clericali; sed etiam privilegio canonis, et fori, retento solo charactere.*

TRACTATUS VIGESIMUS TERTIUS

DE IRREGULARITATIBUS

CAPUT I.

De irregularitate in genere.

Q. Quid sit irregularitas?

R. Est *impedimentum canonicum*, *quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines, et Beneficia licite suscipienda*, *et eorum functiones obeundas.*

Q. Utrum irregularitas sit censura?

R. Negative, juxta communiorem, et probabiliorem sententiam; quia potius est impedimentum, seu inhabilitas, quam poena; et si quando feratur etiam per modum poenae, non est tamen medicinalis, sed mere punitiva.

Q. Quid requiritur, ut irregularitas incurratur?

R. Requiritur, ut in jure expressa sit. — Nomine *juris* venit solummodo jus canonicum et commune, quod a solis Romanis Pontificibus, vel a generali Concilio constitui potest.

Nota. Hinc: 1° Irregularitas *ab homine* non admittitur. 2° Irregularitas incurritur ipso facto ante omnem judicis sententiam, et etiam ob defectum, vel crimen occultum.

Q. Utrum aliquis in dubio sit judicandus irregularis?

R. Negative, si dubium adhuc, adhibita diligentia, perseveret, sive dubium sit negativum, sive sit positivum: sive sit juris, sive sit facti; quia odia sunt restringenda; et nemo in dubio expoliandus est jure suo.

Excipitur dubium de homicidio (non de mutilatione), quia est expresse hic casus declaratus in jure. Intellige, si quis certus sit de homicidio secuto, et solum dubitet, an actione sua fuerit illius causa. Imo observant nonnulli Theologi id valere tantum pro Cle-

ricis; et juxta plures pro solis sacerdotibus, et solum quoad Missae celebrationem.

Q. Quotuplex sit irregularitas?

R. Duplex est: alia, quae provenit *ex delicto;* alia, quae provenit *ex defectu* aliquo inculpabili. Prima contrahitur propter peccatum grave. — Secunda sine peccato. Utraque subdividitur in totalem, vel in partialem; in temporalem, vel in perpetuam.

Totalis est illa, quae omnium Ordinum receptionem, et usum impedit, ut irregularitas ex homicidio.

Partialis, quae Ordinis suscepti aliquem tantum usum impedit; sic, v. gr. Sacerdos caecus est irregularis ad Missam celebrandam, non ad audiendas confessiones.

Temporalis, quae impedit ad tempus susceptionem Ordinum, ut minor aetas in puero.

Perpetua, quae amplius non potest auferri, ut esset amissio oculorum.

Q. An qui in irregularitate exercet functiones Ordinis, incurrat aliquam poenam?

R. Peccat graviter, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi ad religionem pertinente, sed nullam poenam canonicam ipso facto incurrit, quia nulla in jure decernitur.

Q. Quinam sunt irregularitatis effectus?

R. Irregularitatis, licet occultae, effectus sunt sequentes: 1° Inhabilitas ad suscipiendos Ordines, etiam primam tonsuram.

2° Inhabilitas ad Ordines susceptos exercendos, ita ut irregularis illicite absolvat, etiamsi valide. *Illicite*, quia exercet Ordinem a quo prohibitus est; *valide*, quia absolvere est actus jurisdictionis, quam irregularitas per se non prohibet.

3° Inhabilitas ad recipienda Beneficia. Unde communius, et probabilius ipso facto provisio Beneficii nulla esset; cum irrita dicatur a Tridentino. Excipe Beneficium simplex.

Q. Quid sentiendum est de Beneficio ante irregularitatem obtento, si exercitium Ordinis sacri requirat?

R. Si irregularitas proveniat ex defectu infirmitatis, potest retineri, dummodo onera per alium impleantur. — Si proveniat ex delicto, debet privari per judicis sententiam.

ARTICULUS I.

DE IRREGULARITATE EX DELICTO.

Q. Quid requiritur ut incurratur irregularitas ex delicto?

R. Actus humanus esse debet: 1° Externus, sive occultus, sive publicus. 2° Mortaliter malus. 3° Plene consummatus.

Dicitur *mortaliter malus;* est enim poena gravis, cui non congruit culpa levis: hinc si actus potest ob aliam circumstantiam excusari a mortali, excusabitur etiam ab irregularitate.

Q. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto, praeter scientiam legis divinae requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis?

R. Duplex est sententia. Prima, cum Suarez docet, quod sufficiat scire tantum illud esse peccatum; quia lex Ecclesiae intendit etiam punire transgressionem legis divinae. — Secunda sententia probabilior docet, semper requiri etiam scientia prohibitionis ecclesiasticae; quia irregularitas haec rationem poenae habet. Ita S. Ligorius n. 350. — Excipe homicidium ob particularem indecentiam. S. Ligorius ibid.

Q. An requiratur, ut quis sciat etiam poenam, seu irregularitatem inflictam ab Ecclesia propter illud factum?

R. Duplex est sententia. Prima probabilis negat, quia irregularitas non est poena medicinalis, sed poena mere punitiva. Ita Layman, et Lacroix etc. — Secunda sententia affirmat, quia irregularitas ex delicto est vera poena, et quidem extraordinaria. Ubi tanta poena infligitur non censetur Ecclesia cum tanto rigore procedere, ut incurratur ab illo, qui eam ignorat. Sat probabilem vocat S. Ligorius n. 351, et hanc tenemus cum Sylvio, et aliis.

Q. Undenam oritur irregularitas ex delicto?

R. Septem sunt capita, ex quibus oritur irregularitas ex delicto:

1° *Mala susceptio Baptismi*, nempe: 1° Qui sciens suscipit Baptismum ab haeretico declarato extra casum necessitatis. 2° Qui illud differt usque ad periculum mortis. 3° Qui *publice*, aut *solemniter* rebaptizat: item qui scienter rebaptizatur: item assistens Clericus: item ex Benedicto XIV, qui culpabiliter sub conditione rebaptizat.

2° *Violatio censurae.* Intellige, debet fieri *scienter*, *solemniter*, *et in Ordine sacro:* unde non fit irregularis, qui exercet Ordinem minorem, et si solemniter et ex officio, ut colligitur ex Bulla *Etsi* Benedicti XIV. — Neque qui exercet actum jurisdictionis.

Nota 1ª. Irregularis est sacerdos, qui ab Ordine suspensus sacramentaliter absolvit: etiam absolvere est actus potestatis Ordinis. Ita Gury. — Irregularis est etiam sacerdos, qui cogeret censuratum ad celebrandum.

Nota 2ª. Duplicem, vel triplicem etc. incurrit irregularitatem, qui duplici, vel triplici etc. censura ligatus Ordinem sacrum exercet: et haec in postulatione dispensationis exprimi debent. — Idem dicendum est de eo, qui cum eadem censura pluries celebrat. Sed sufficit, ut in numero plurali exprimatur postulatio.

Nota 3ª. Item neque irregularitatem incurrit, qui celebrat in ecclesia polluta: incurrunt tamen illam Episcopi, vel sacerdotes censurati, si alium cogant ad celebrandum coram se.

3° *Exercitium Ordinis sacri non suscepti.* Intellige tantum de Clerico, contra Concinam, qui affirmat etiam de laico. — Hinc irregularis est presbyter, qui sacras functiones exercet, et benedictiones exclusive reservatas Episcopo, v. gr. consecrationem calicis, ecclesiae etc., quia exclusive attribuuntur Episcopis canonico jure, ut actus proprii Ordinis episcopalis.

Nota. Sacerdos simplex excipiendo confessiones non fit irregularis; quia exercet actum Ordinis, quem habet; tantum gravissime, ac sacrilege peccat, ac nulliter agit.

4° *Furtiva Ordinis susceptio.* Unde irregularis est qui suscipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, uxore invita. Item qui suscipit Ordines ab Episcopo non habente jurisdictionem.

Nota. Qui confictis ex industria litteris dimissorialibus, vel alia fraude, Episcopum decipiunt, non censentur furtive ordinati, etsi gravissime peccent.

5° *Haeresis, et apostasia a fide;* et incurrunt etiam horum criminum fautores, receptatores, defensores.

Nota. Si pater fuit haereticus, filii usque ad secundam generationem sunt irregulares. — Si fuit mater, usque ad primam generationem. Sed non sunt irregulares filii nati ante haeresim parentum, vel postquam ipsi abjuraverint errorem. — Idem dicendum de apostasia a religione.

6° *Injusta membri mutilatio*, sive physice instrumentum adhibendo, sive moraliter abscissionem jubendo, consulendo, consentiendo etc.

Nota. Nomine *membri* communissime et probabilius venit pars, quae habet officium per se distinctum, ut manus ad agendum etc. Hinc

non fit irregularis, qui amputaret auriculam; quia non tollitur omne officium audiendi.

7° *Homicidium injustum directe volitum vel in se, vel in causa inseparabiliter cum homicidio conjuncta.* — Item eam incurrunt consulentes, mandantes, ac quoque modo efficaciter cooperantes: item probabilius in rixa occidentes. Item abortum animatum procurantes, effectu secuto.

Nota. Pro homicidio justo irregularitas non incurritur, quia tunc non habetur culpa. Item cum communiori et probabiliori sententia non incurrit ille, qui occidit ad defensionem libertatis, pudicitiae, honoris, et bonorum temporalium; cum id jure licitum sit; modo fiat cum moderamine inculpatae tutelae.

Q. An incurratur irregularitas pro homicidio casuali?

R. Distinguendum: vel venit dando operam rei licitae, vel illicitae. Si primum, irregularitas non incurritur, si adhibita sit diligentia sufficiens, quae nempe a quolibet prudenti adhibetur juxta facti qualitatem. — Si secundum, neque pariter ea incurritur, nisi sit actio periculosa mortis. Secus si mors non esset voluntaria, licet actio peccaminosa sit.

Q. An fiat irregularis qui occidit alium ob innocentis vitae defensionem?

R. Negative: quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur, nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex cap. *Ex litteris, de homicidio.* Ita S. Ligorius.

Q. An habendus sit veluti irregularis, qui dubitat, an homicidium patraverit nec ne?

R. Negative quando non constat homicidium esse patratum, seu si dubitetur de ipso homicidio, an fuerit secutum, nec ne; quia poena non est infligenda, nisi de ipso delicto constet. Ita communiter. — Affirmative autem, si constet de homicidio patrato, et tantum dubium sit, utrum tua actione fueris causa illius.

Q. An sit irregularis, qui dubitat utrum in alterius mutilationem influxerit, posito mutilationis facto?

R. Negative: quia pro solo dubio homicidii lex irregularitatem imposuit. Ita S. Ligorius n. 347.

Q. An habendus sit tamquam irregularis, qui abortum procuravit, dubitans an foetus animatus esset, nec ne?

R. Negative. Ratio est, quia tunc non constat proprie de homicidio. Ita S. Lig. ibidem.

ARTICULUS II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

Q. Quot sunt species irregularitatum, quae ex defectu proveniunt?

R. Sunt octo his versiculis contentae:

Natales, animus, libertas, corpus, et aetas.
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

§ 1. *De defectu animae, et corporis.*

Q. Quotuplex est defectus animae inducens irregularitatem?

R. Est triplex, nempe: 1° Defectus *usus rationis;* et veniunt amentes, furiosi etc.

Nota. Si epilepsiae aggressio raro sacerdoti contingat, v. g. semel in mense, potest celebrare, modo id privatim agat; habeat assistentem sacerdotem jejunum, et non consuescat in terram subito cadere. Idem dicendum de energumenis, et lunaticis.

2° Defectus *scientiae*, quae requiritur ad susceptionem Ordinum.

3° Defectus *fidei obfirmatae.* Hinc veniunt neophyti.

Q. Quinam sunt irregulares ex defectu corporis?

R. Irregularitas ex defectu corporis oritur ex duplici capite, nempe: 1° Si quis sit ineptus ad exercitium Ordinis. 2° Si aliis notabilem horrorem afferat, aut indecentiam praeferat. Hinc veniunt mutilati, caeci, surdi, muti, balbutientes, claudi, carentes naso, manu, pollice, digitis omnibus, monstruosi, gibbosi, leprosi etc.

Q. An sit irregularis qui uno oculo caret?

R. Negative, si careat tantum oculo dextero. — Affirmative, si careat oculo sinistro. Excipe nisi Canonem oculo dextero sine deformitate legere possit. Hoc judicio Episcopi subjiciendum est. Ita communiter.

Q. An possit celebrare, et Eucharistiam administrare, qui jam ad sacerdotium promotus, habet pollicem, vel indicem impeditum?

R. Negative absolute quoad Missae celebrationem juxta communem sententiam. Negative etiam quoad Eucharistiae administrationem, exceptis tamen casibus necessitatis. Sed jam ordinati possunt in celebratione digitos posteriores adhibere dispensatione obtenta.

Nota. In dubio, an defectus corporis inducat irregularitatem, Episcopus potest pronuntiare judicium.

§ 2. *De defectu natalium, et Sacramenti.*

Q. Quinam sint irregulares ex defectu natalium?

R. Omnes illegitimi, sive spurii, sive naturales etiam occulti; et qui nascuntur ex matrimonio civiliter tantum contracto; vel ex matrimonio legitimo, sed cujus usus erat illicitus per solemne castitatis votum in religione approbata, aut per Ordinis sacri susceptionem.

Nota 1ª. Non sunt irregulares nati ex soluto et soluta, qui per matrimonium subsequens ab istis contractum legitimati sunt. Habentur vero irregulares quoad promotionem ad Cardinalatum.

Nota 2ª. Qui fuerunt expositi, habendi non sunt ut illegitimi ex Benedicto XIV Epist. *Redditae.* — Non habentur illegitimi nati ex infidelibus, quamvis in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxerint.

Q. Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium?

R. Tollitur: 1° Per legitimum subsequens matrimonium parentum, ut modo dictum est. 2° Per professionem religiosam, sed quoad Ordines, non vero quoad Praelaturas, aut dignitates. 3° Per legitimam dispensationem.

Nota. Episcopus potest concedere hanc dispensationem tantum quoad primam tonsuram, quoad Ordines minores, atque Beneficia simplicia.

Q. Quinam sunt irregulares ex defectu Sacramenti?

R. Bigami, idest plurium uxorum viri; quia isti non amplius valent significare unionem hanc unius Christi cum Ecclesia ejus unica sponsa.

Bigamia triplex est: 1° *Vera;* et est quando legitime cum duabus conjugium successive contrahitur, et consummatur. Non est bigamus ille, qui cum pluribus est fornicatus.

2° *Interpretativa;* et est quando quis ex interpretatione juris ut bigamus habetur, licet unicam duxerit uxorem. Hoc contingit quadrupliciter: 1° Quando duxit viduam jam cognitam, etiamsi duxerit invalide. 2° Quando duxit mulierem jam corruptam, sed ab alio, quamvis id ipse ignoraverit. 3° Quando cognovit suam uxorem post illius adulterium, licet occultum, licet extortum, aut ignoratum. 4° Quando demum duo contraxit matrimonia ex aliquo impedimento invalida, et consummaverit.

3° *Similitudinaria;* et est quando quis contrahat et consummet

matrimonium post votum solemne religionis, aut Ordinem sacrum susceptum, licet nullum sit matrimonium.

Nota. Pontifex non solet dispensare hanc irregularitatem, nisi raro ob reverentiam Apostolici praecepti. — Episcopi non possunt dispensare, nisi in bigamia similitudinaria, et tantum quoad Ordines suscipiendos, et exercendos, et quidem post diuturnam poenitentiam.

§ 3. *De defectu bonae famae, et libertatis.*

Q. Quinam sunt irregulares ex defectu bonae famae?

R. 1° Omnes infames, vel ex infamia facti, quae contrahitur ante quamlibet sententiam ex notorietate alicujus criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosae. 2° Ex infamia juris, quae triplici modo contrahitur, idest ex crimine in jure notato, ex judicis sententia, et ex crimine parentum.

Q. Quaenam sunt crimina, quibus ex jure adnexa est infamia?

R. Sunt sequentia: nempe homicidium, perjurium factum in judicio, simonia, sodomia, adulterium, haeresis, crimen laesae majestatis, proditio, rapina, lenocinium, idest turpis quaestus ex adulterio uxoris, invasio Episcoporum, vel Cardinalium, raptus mulierum, duellum, armorum paratio in parentes. — Non incurritur tamen irregularitas, nisi haec crimina sint vere notoria; secus enim fama non deficit. Ita S. Lig. n. 362. Excipe homicidium, propter quod incurritur, quamvis occultum.

Q. An sint irregulares innocentes, qui ex falsis testimoniis ad poenas infamantes damnati fuere?

R. Affirmative, donec sententia fuerit revocata, vel legitimam dispensationem obtinuerint; quia de facto sunt infames. — Sunt etiam irregulares damnati ad poenam infamantem, uti triremes, exilium etc. Pariter qui exercent artem ignominiosam, ut esset ars comica cum turpibus repraesentationibus, vel similia, ait S. Antoninus. Pariter filii damnatorum ob delictum laesae majestatis, et filii haereticorum.

Q. An sint irregulares filii carnificum?

R. Negative proprie per se; convenit tamen, ut ad sacros Ordines non promoveantur, nisi in aliena dioecesi, ne dedecus in Ecclesiam redundet.

Q. Quomodo cessat haec irregularitas?

R. 1° Si sit ex infamia juris, per solam legitimam dispensationem, aut per aliam sententiam, qua reo fama restituatur.

R. 2° Si sit ex infamia facti aufertur per longam et sinceram vitae emendationem ; et videtur posse, generatim loquendo, sufficere triennium.

Q. Quinam sint irregulares ex defectu libertatis ?

R. Ex triplici vinculo oritur libertatis defectus, scilicet ex vinculo servitutis, matrimonii, et officii. Hinc :

1° Omnes servi (idest mancipia) irregulares sunt, donec plenam libertatem consequantur.

2° Conjugati, nec Ordines suscipere possunt, nisi de consensu uxoris castitatem voventis, et religionem ingredientis ; vel nisi ob uxoris adulterium divortium actum sit juridice.

3° Irregulares sunt qui ex officio, et juramento negotiis saecularibus implicantur, ut sunt judices, et advocati, magistratus etc. quamdiu in officio perdurant, nisi licentiam a Pontifice obtinuerint; vel legitima sit consuetudo. Ita S. Lig. l. 7, n. 456.

Quibus adjunguntur etiam milites, et reipublicae administratores, donec iidem officio, consentiente principe, non valedixerint.

§ 4. *De defectu lenitatis, et aetatis.*

Q. Quinam dicuntur irregulares ex defectu lenitatis ?

R. Irregularitatem hanc contrahunt quicumque *voluntarie*, *active*, *efficaciter*, *et proxime* ad necem, vel mutilationem alicujus concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam. Ita S. Lig. n. 457. — Hinc

1° Sunt irregulares carnifices, judices, et omnes, qui hujusmodi judicio cooperantur. Excipe: 1° Testes coactos. 2° Accusatores, damnorum suorum simpliciter compensationem petentes.

2° Non tamen sunt irregulares medici, et chirurgi, licet membra abscindant, aut mortem remediis bona fide datis accelerent, nisi gravis negligentia intercedat. Ita S. Lig. n. 385.

3° Nec Clerici medicinam, aut chirurgiam exercentes citra incisionem, et adustionem. Imo nec si incisionem, aut adustionem in casu necessitatis adhibeant ; necessitas enim nulla lege regitur. Imo etiam extra necessitatem, si Clerici non sint in sacris constituti, modo mors, aut mutilatio non sequatur. Ita S. Lig. n. 384.

4° Non sunt irregulares, qui aggressorem occidunt in justa de-

fensione; quia non censetur defectus lenitatis vitam propriam, servato moderamine inculpatae tutelae, defendere etiam cum morte injusti aggressoris.

5⁰ Milites non fiunt irregulares in bello justo defensivo, nec justo offensivo, nisi propria manu mutilaverint, vel occiderint. — In bello autem injusto totus exercitus fit irregularis, etiam si unus tantum pereat. Ita S. Lig. n. 474.

Nota 1ª. Irregulares habentur assessores, scribae primo exarantes sententiam sanguinis, et caeteri eam exequentes. — Item testes voluntarii, licet protestentur. — Item voluntarii advocati, et procuratores accusatoris. — Item accusatores criminis capitalis petentes vindictam capitalem : qui si essent Clerici in sacris, vel beneficiati, etiam graviter peccarent. Ita Scavini.

Nota 2ª. Clerici in minoribus per se non peccant interessendo hujusmodi suppliciis; et quoad alios Clericos commune est, id non excedere venialem culpam citra scandalum. Ita S. Lig. l. 7, n. 463.

Nota 3ª. Nec duces, nec milites, nec alii etsi Clerici assistentes, consulentes, hortantes milites ad strenue pugnandum in bello justo incurrunt irregularitatem. Ita communiter. Imo probabiliter, nec fiunt irregulares, qui eo in bello hortarentur ad occidendum particularem inimicum; quia in jure nulla mentio de hortatoribus. Ita S. Lig. l. 7, n. 460. Scavini etc.

Nota 4ª. Clerici, qui sponte sine debita superioris auctoritate militant in bello offensivo et justo, peccant leviter, si in minoribus Ordinibus; lethaliter, si in Sacris constituti. — Si autem Clericus neminem interfecerit, neque mutilaverit, irregularitatem non contraxit. Secus si interfecerit etc.

Q. Quinam sunt irregulares ex defectu aetatis?

R. 1° Irregulares habentur, qui aetatem canonicam non attigerunt. Sed non est irregularitas stricta, cum cesset, completa requisita aetate.

2° Qui scienter Ordinem suscipiunt ante canonicam aetatem, peccant graviter, et ipso facto suspenduntur.

3° Si suspensionem violent, novam incurrunt irregularitatem, a qua etiam adepti aetatem, absque dispensatione non solvuntur. Ita S. Lig., l. 6. n. 799.

ARTICULUS III.

DE IRREGULARITATIS CASSATIONE.

Q. Quomodo tolli potest irregularitas?

R. 1° Omnes irregularitates ex delicto, et omnes ex defectu, qui non remanent post Baptismum, tolluntur per Baptismum. 2° Irregularitas ex defectu temporali tollitur per cessationem defectus. 3° Irregularitas ex defectu natalium, tollitur per solemnem religionis professionem, sed quoad Ordines tantum, non quoad praelaturas, et dignitates. 4° Tollitur per dispensationem.

Q. Quis dispensare possit in irregularitate?

R. 1° Summus Pontifex potest dispensare in omni irregularitate jure humano inducta. 2° Episcopus per se, vel per Vicarium, ex Conc. Trid., sess. 24 de Ref. cap., n. 6, potest dispensare in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario. Sed nullo modo potest dispensare in irregularitate ex defectu, excepta ea, quae provenit ex defectu natalium, et in bigamia similitudinaria, in quibus potest dispensare ad tonsuram, minores Ordines, et Beneficia simplicia, non requirentia susceptionem Ordinis sacri. 3° Superiores Regulares, seu generales, et provinciales possunt dispensare sicut Episcopi ex privilegio quoad subditos suos. 4° Major Poenitentiarius dispensat in cunctis fere casibus occultis pro foro interno ex Bulla *Pastor* Benedicti XIV.

Q. An, si quando conceditur facultas absolvendi a censuris reservatis, intelligenda sit etiam quoad irregularitatem?

R. Negative; irregularitas enim non est censura. Imo secundum stylum Romanae Curiae nunquam censetur concessa facultas dispensandi super irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio; neque ipso Jubilaei tempore, nisi ea proveniat ex censurae violatione.

Quilibet tamen Confessarius absolvere potest a peccatis habentibus adnexam irregularitatem, seclusa peculiari prohibitione, et reservatione. Irregularitas enim adjuncta non impedit effectum absolutionis; quia non pugnat cum statu gratiae, neque arcet a susceptione Sacramentorum, excepto Ordine. Ideo potest quis liberari a peccato, et simul remanere ligatus irregularitate eidem peccato adnexa.

TRACTATUS VIGESIMUS QUARTUS

DE INDULGENTIIS

CAPUT I.

Q. Quid est indulgentia?

R. Est *relaxatio poenae temporalis, pro peccatis jam quoad culpam remissis debitae, a legitimo ministro facta, per applicationem thesauri Ecclesiae.*

Q. Quae, et quot sunt indulgentiae?

R. Multiplices, nempe: 1° *Plenaria*, quae totam remittit poenam. — *Partialis*, quae tantum partem remittit poenae debitae.

2° *Personalis*, quae est annexa personae. — *Localis*, quae est annexa loco. — *Realis*, quae est affixa rei, v. g. imagini, cruci etc.

3° *Temporalis*, quae est ad tempus determinatum. — *Perpetua*, quae sine ullo termino praefixo conceditur.

Q. Unde oriatur pretium indulgentiarum?

R. Ex thesauro Ecclesiae.

Q. Ex quibus coalescat thesaurus Ecclesiae?

R. Primario ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis; secundario ex satisfactionibus Deiparae et Sanctorum, ut definivit Clem. VI, et constat ex articulo fidei de *Communione Sanctorum*.

Q. Utrum Ecclesia habeat potestatem a Christo concedendi indulgentias?

R. Est de fide, ut definiere Conc. Constantiense sess. 16 contra Wicleffitas, et Conc. Trid. adversus Lutheranos; quia Christus dixit: *Quaecumque alligaveritis etc., et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* Matth., c. 18.

Q. Quinam possunt dare indulgentias?

R. Possunt: 1° Summus Pontifex in tota Ecclesia, et Episcopus in sua Dioecesi *secundum limitationem sacrorum Canonum*, ait Martinus V, nempe non possunt *ordinarie* concedere nisi indulgentias 40 dierum, et die consecrationis ecclesiae, unius anni.

2° Delegatus easdem indulgentias concedere potest, ac ille a quo fuit delegatus; quia actus jurisdictionis per delegatos exerceri possunt.

3° Cardinales possunt concedere indulgentias 100 dierum in ecclesiis suorum titulorum. — Nuntii vero 100, vel 200. aut 300 dierum, sed minus quam unius anni, subditis suis. Ita Lacroix n. 1322, Gury.

Nota. Praelati Episcopo inferiores non possunt ullas indulgentias concedere, neque Vicarii generales, nisi ex delegatione expressa Episcopi, neque Vicarii capitulares, sede vacante; multo minus Parochi. Lacroix n. 1323, Gury et alii.

Q. Quot requiruntur in subjecto ad indulgentias lucrandas?

R. 1° Ut sit baptizatus. 2° Ut sit subditus concedentis. 3° Ut opera injuncta tempore praescripto impleat; quia sub hac conditione conceduntur indulgentiae. 4° Ut sit in statu gratiae, saltem quando ultimum opus praescriptum ponit; quia non remittitur poena, nisi dimissa culpa. Ita S. Lig., n. 433.

Nota. In iis, quae requiruntur ad indulgentias lucrandas, aliud sunt dispositiones, aliud sunt opera injuncta, quibus operibus indulgentia adnectitur. Inter dispositiones primum locum tenet status gratiae. Ita S. Cong. Indulg., 17 decemb. 1870.

Q. An aliqua requiratur causa ad concedendam indulgentiam?

R. Requiritur causa pia et justa, ait Martinus V; quia Papa et Episcopi dispensatores sunt tantummodo, non domini Ecclesiae thesauri. Quare concessio indulgentiae facta sine causa non est valida. Ita S. Lig., lib. 6, n. 532.

Nota 1ª. Peccatum veniale non est obex ad lucrandam indulgentiam, nisi agatur de indulgentia omnino plenaria; quia non repugnat deleri poenam venialium, aut mortalium remissorum, quamvis solvenda remaneat poena pro uno, aut pluribus venialibus. Ita S. Lig. lib. 6, n. 534. Gury.

Nota 2ª. Indulgentia, quae conceditur ut plenaria, potest partialiter saltem obtineri, si adsit obex impediens, quominus integre obtineatur, v. g. affectus ad aliquod veniale. Secus enim indulgentiae plenariae plerumque nihil prodessent, cum raro fideles affectum omnem vel minimum erga quodlibet veniale exuant; et sic potiores essent indulgentiae partiales, quam plenariae, quod sensui communi repugnat. Ita S. Lig., l. 6, n. 534.

Q. Quid intelligitur per indulgentias 10, vel 15 dierum, annorum, quadragenarum etc.?

R. Intelligenda est juxta communem sententiam remissio tantae poenae, quanta olim remittebatur, vel remissa fuisset per poenitentiam canonicam ejusdem temporis.

Q. An indulgentias lucretur, qui opus pro eis praescriptum non integre perficit?

R. Negative, si partem operis notabilem omittat. — Affirmative, si minimam partem praetermittat. Pars autem minima respective sumenda est. Ita S. Lig., n. 534, Gury et alii.

Nota. Defunctis indulgentiae applicari possunt, si in Rescripto Pontificis specialiter concedantur tanquam illis applicabiles: et si adsit intentio talem applicationem faciendi. Ita omnes. — Indulgentia tamen nequit applicari defunctis per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii.

Q. An indulgentia infallibiliter prosit animabus Purgatorii, quibus applicatur?

R. Duplex est sententia: prima affirmat, quia adest Christi promissio: *Quodcumque solveris.* — Secunda sententia negat; quia non adest divina acceptandi promissio. Sed quidquid sit, certum est indulgentias defunctis saltem ut plurimum prodesse; secus enim inutile quid ageret Ecclesia eas illis applicando; quod sane absque impietate dici nequit.

Nota 1ª. Sufficit applicatio generalis facta omnibus animabus in Purgatorio degentibus, quia suffragia sunt divisibilia.

Nota 2ª. An requiratur status gratiae ad lucrandam indulgentiam pro defunctis, duplex est sententia. Prima communior affirmat; quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi eam prius suam fecerit. — Secunda negat; quia opus ponitur tantum tanquam conditio, qua posita S. Pontifex applicat defuncto indulgentiam, sive satisfactiones Christi et Sanctorum. Ita Billuart, Suarez, Navarrus, Toletus et alii. Quamvis in praxi prima sit consulenda, secunda videtur probabilior.

Q. In Litteris in forma Brevium, aut Rescriptis indulgentiarum juxta hodiernum stylum duae clausulae legi solent: 1º Quando agitur de plenaria indulgentia adhiberi solet formula: *Vere poenitentibus, confessis* etc. 2º Quando agitur de partiali indulgentia plerumque praecipi solet, ut opera injuncta fiant *corde contrito*, vel

corde saltem contrito, aut *contriti*. Quaeritur quid significant haec quae recensitae formulae?

R. Prima significat, quod ad lucrandas indulgentias plenarias debeat fieri confessio peccatorum, non obstante statu gratiae; quia requiritur tanquam opus praescriptum. Ita Decretum S. Congreg. Indulg. a Clem. XIII approbatum, 19 maji 1759. Non requiritur autem absolutio; patet ex declaratione S. Congreg. Indulg., 15 decembris 1841.

Secunda formula, seu *corde contrito*, significat, quod ad lucrandas indulgentias partiales debeat excitari in nobis contritio cordis, quae est medium veluti subsidiarium loco sacramentalis confessionis, quae peragi actu non possit, ad statum gratiae obtinendum. Ideoque dicta formula indicat necessitatem prospiciendi eo modo quo possit, gratiae statui, sine quo indulgentiae lucrifieri non possunt. Illis ergo, qui jam in statu gratiae reperiantur, opus non est, ut actum contritionis emittant, ad indulgentias partiales lucrandas. Ita S. Congregatio Indulg., 17 decemb. 1870. Vide *Acta S. Sedis*, vol. 6, pag. 389.

Q. Si in indulgentiis plenariis lucrandis aliquis satisfecerit sacramentali confessioni tamquam operi injuncto, attamen intra utile tempus pro caeteris conditionibus adimplendis committeret gravem culpam; deberetne necessario sacramentalem confessionem iterare ad consequendam indulgentiam, an satis esset, ut actum perfectae contritionis eliceret?

R. Videtur satis, ut actum contritionis eliciat, dummodo inter opera injuncta, quibus non satisfecerit, non reperiatur sacra Communio; quae ex urgentiori ratione sacramentalem confessionem postularet. Nam Confessori, ut operi injuncto satisfactum est, superest tantum, ut in statu gratiae peccator se collocet, quem consequi potest per perfectam animi contritionem votum continentem confessionis sacramentalis quamprimum peragendae.

Q. An requiratur toties confessio, quoties lucranda est indulgentia plenaria?

R. Ex indulto speciali in perpetuum concesso, fideles, qui semel in hebdomada confiteri solent, omnes indulgentias plenarias in hebdomada occurrentes lucrari possunt (dummodo in statu gratiae permaneant). Sic ex Decreto Clementis XIII, 9 sept. 1763, et confirmatur etiam ex Decreto S. Congr. Indulg. 15 novemb. 1841.

Item ex Decreto S. Congreg. Indulg. a Pio VII approbato die

12 junii 1822, fideles qui singulis hebdomadis confiteri non solent, confessionem ad lucrandam indulgentiam die festo necessariam, octo diebus ante festum facere possunt.

Q. An quis possit eadem die diversas, aut pluries easdem indulgentias lucrari?

R. Quoad indulgentias *diversas*, generatim eas possunt fideles lucrari, saltem si sint partiales, et annexae operibus diversis, vel eisdem operibus, quae pluries in die repeti possunt. Ita communiter Theologi. — Quoad indulgentias *easdem*, ad litteras concessionis attendendum est: unde si dicitur *toties*, *quoties*, possunt lucrari etc.

Q. An quis eodem actu, seu opere, plures indulgentias lucrari queat?

R. 1° Affirmative, si repeti non possit opus praescriptum, aut non soleat eodem die, ut jejunium etc., et concurrunt diversae indulgentiae lucrandae, ex diversis titulis, et eodem die concessae.

R. 2° Negative, si concurrant indulgentiae eodem titulo; quia opera injuncta iterari possunt. Ita Voit, Gury, et alii.

Nota 1ª. Nemo eodem die potest lucrari secundam indulgentiam plenariam, si post primam nulla poena luenda amplius remaneat. Secus affirmative ex decisione S. Congregationis Indulgent.

Nota 2ª. Communiter admittunt, sufficere intentionem mane habitam ad lucrandas indulgentias per diem occurrentes. — Hinc in praxi potius suadenda videtur prima sententia Theologorum quae requirit intentionem positivam saltem virtualem; quam alia, quae docet nullam requiri intentionem.

Q. Utrum si concedatur facultas commutandi opera injuncta ad lucrandas indulgentias, commutatio necessario in confessione fieri debeat?

R. Affirmative, quando in concessione facultatis ejusmodi talis conditio espresse cavetur. Standum enim est regulae, quam tradit Bened. XIV Const. *Inter praeteritos*.

Nota. Surdo-mutis lucrandi causa indulgentias orationes privatae a Confessario commutandae sunt in alia quaevis opera pia. Si publicae preces debeant recitari, tunc requiritur ut surdo-muti fidelibus adunatis pia mente conjungantur. Ita Papa Pius IX declaravit die 15 mart. 1852.

Q. An amittantur indulgentiae, si res mobilis, cui adnexae sunt, alteri tradatur?

R. Affirmative, si dominium rei illius in alium transferatur. Ita statuit Ecclesia. — Negative si per traditionem non transferatur rei dominium; modo tamen commodans non intendit beneficium indulgentiae commodatario concedere. Ita decisio S. Congr. 26 novemb. 1714.

Nota 1ª. Applicari possunt indulgentiae quibuslibet solidis, etiam vitro solido, quod faciliter non frangitur.

Nota 2ª. Quilibet potest lucrari indulgentias pro alio christiano vivente per modum *solutionis,* seu *satisfactionis;* quia fructus satisfactionis applicabilis est, modo ille sit in statu gratiae; quamvis id ignoret, non petat, et sit absens. Ita Suarez, Lugo, Lacroix, Gury, et alii.

Nota 3ª. Non amittuntur indulgentiae rei alicui adnexae, nisi res illa omnino mutata fuerit, ita ut res eadem amplius dici nequeat. Ita Gousset n. 905, Gury, et alii.

Nota 4ª. Indulgentiae non expirant morte concedentis, cum sint gratiae, nec ante notitiam revocationis. — Censendae sunt perpetuae, si datae sint sine temporis restrictione. Ita S. Lig. n. 524.

CAPUT II.

De Jubilaeo.

Q. Quid est Jubilaeum?

R. Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis, idest absolvendi a censuris etc.

Jubilaeum est quadruplex, nempe *Majus*, quod regulariter occurrit omni anno vigesimoquinto, qui *annus sanctus* vocatur. — *Minus*, quod solet concedi a singulis Summis Pontificibus post uniuscujusque exaltationem, et in aliis peculiaribus circumstantiis.— *Generale*, quod conceditur universo orbi. — *Particulare*, quod conceditur alicui Provinciae.

Nota. Annus integer ordinarie conceditur Romae ad lucrandum Jubilaeum majus; et anno sequenti concedi solet per extensionem omnibus aliis Orbis Christiani regionibus.

Q. Quot sunt conditiones ad Jubilaeum requisitae?

R. Sunt quinque: 1ª Jejunium trium dierum feria IV, VI et Sabbato. 2ª Eleemosyna aliqua juxta cujusque facultatem. 3ª Visitatio ecclesiarum, pie orando ad Summi Pontificis intentionem.

4° Confessio peccatorum cum sincero dolore peracta. 5° Communio in statu gratiae facta. Ita Benedict. XIV, Bulla *Inter praeteritos*.

Nota. Pueri, senes, infirmi, et alii, qui jejunare non possunt, nequeunt lucrari Jubilaeum, nisi commutationem jejunii in aliud opus obtineant: quia jejunium est expressa conditio. Ita Layman, Voit, Gury, et alii.

Q. An possit satisfieri jejuniis injunctis per jejunia alias debita, v. gr. si Jubilaeum fit tempore Quadragesimae, aut quatuor Temporum etc.?

R. Negative per se, cum S. Ligorio lib. 6, n. 536, quia una solutione nequit satisfieri duplici oneri.

Q. An confessio, et Communio commutari possint?

R. Negative generatim loquendo (exceptis pueris). Ita Bened. XIV.

Q. An pueri nondum Communione refecti, ea omissa, Jubilaeum lucrari possint?

R. Negative; nisi commutationem obtineant. Ita Benedict. XIV in Bulla cit., et Leo XII.

Nota. Confessio facta in vigilia primae diei Jubilaei non sufficit; quia debent opera praescripta fieri inter intervallum temporis statuti ad lucrandum Jubilaeum. Excipe si confessio facta fuerit in primis Vesperis, quia jam intravit dies ecclesiasticus.

Nota 1ª. Si in Bulla dicatur: *Qui dederit eleemosynam*, sufficit quantitas quaelibet, modo non sit ita parva, ut fere nihil esse videatur.

Religiosi, et filii-familias satisfaciunt, si ab eorum superioribus aliqua eleemosyna erogetur ipsorum nomine, et ipsis scientibus: vel ipsis debet in aliud opus commutari. Item dicendum de uxoribus, et famulis etc.

Nota 2ª. Jejunia in una hebdomada debent omnia perfici, alia opera possunt fieri diversis hebdomadis.

Q. An Jubilaeum pluries lucrifieri possit?

R. Negative: nisi hoc in Bulla, aut rescripto concessionis specialiter est expressum.

Q. An per confessionem invalidam in Jubilaeo tollantur censurae, et reservatio peccatorum?

R. Affirmative probabilius, si confessio fuit inculpabiliter nulla. Imo probabiliter etiamsi culpabiliter; dummodo poenitens non omiserit sacrilego silentio ipsa peccata reservata. Ita Salmantic., Lugo, Gury, et alii.

Q. An peccet graviter, qui postquam absolutus est a reservatis, non implet caetera opera praescripta?

R. Negative, cum sententia communi.

Q. An qui confessus est tempore Jubilaei, et oblitus fuerit confiteri peccata sua reservata, possit deinde a quocumque Confessario absolvi?

R. Affirmative, si Confessarius habuerit intentionem expressam ab omnibus peccatis etiam reservatis absolvendi. Imo affirmative etiam probabilius, si Confessarius de hoc non cogitavit; quia poenitens vi Jubilaei jus acquisivit, ut a quolibet Confessario absolvi posset. Ita communius cum S. Ligorio n. 537, Lacroix. — Si quis autem confessionem intra Jubilaeum incoeperit, ab omnibus peccatis reservatis deinde absolvi poterit. Ita Layman, Navarrus etc.

Nota. Confessarii omnes facultatem habent *absolvendi a quibuscumque peccatis*, etiam Sedi Apostolicae reservatis; etiam a peccatis reservatis Episcopo, etsi id non exprimatur.

Q. Potestne Confessarius absolvere ab omnibus censuris reservatis?

R. Affirmative, sive sint censurae a jure, sive ab homine, quovis modo, et quavis causa latis. Ita S. Lig. etc.

Q. Utrum Confessarius possit dispensationes votorum concedere?

R. Negative: quia facultas dispensandi non includitur in facultate commutandi. Ita Benedict. XIV.

Q. Utrum facultas absolvendi a censuris includat facultatem absolvendi ab irregularitatibus?

R. Negative. Ita communis sententia contra nonnullos

OMNIA SINT AD MAJOREM DEI GLORIAM
AC B. MARIAE SEMPER VIRGINIS, ET IMMACULATAE

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi
Sacerdos MOLINARI FRANCISCUS
Theologorum Collegii socius, et professor.

EX SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

FACULTATES REGULARIBUS IN ITALIA VIOLENTIA SUPPRESSIS

CONCESSAE AUT DECLARATAE

Plurimi locorum Ordinarii, ac Religiosorum Ordinum, Congregationum, et Institutorum Moderatores noscentes quot, et quantae conscientiarum angustiae, ac animarum pericula obventura sint ex infandis legibus a laica potestate in Italia nuper sancitis, quibus Ecclesiae jura proteruntur, Regulares utriusque sexus propriis bonis expoliantur, et ex claustris exturbantur, ad Apostolicam Sedem confugerunt petentes tutam agendi normam, ac salubria remedia, quibus gregi sibi commisso consulere possint. Hujusmodi autem postulationes a Sanctissimo Domino Pio PP. IX huic S. Poenitentiariae commissae fuerunt ea mente, ut iisdem locorum Ordinariis, ac praefatis Moderatoribus eas communicaret declarationes, ac facultates, quibus, quantum in tanta temporum iniquitate fas est, malis ingruentibus occurri possit.

Quare S. Poenitentiaria mandatis SS. Domini libentissime obsequens de speciali et expressa Apostolica Auctoritate omnibus et singulis locorum Ordinariis, quorum territoriis jugum praefatarum legum impositum fuerit, ac Religiosis Viris Superioribus Generalibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, cui suppressionis lex indicta fuerit, sequentes communicat Declarationes, ac concedit Facultates, quibus ad annum, si tamdiu iniquae temporum circumstantiae perduraverint, cum suis respectivis Subditis uti licite, ac libere valeant.

Declarat primo non esse relinquenda monasteria, ac domos religiosas nisi adsit coactio, et proximum periculum violentiae, et a Superioribus, quatenus expedire videatur, praemittendam esse protestationem.

Secundo : maximo studio, ac animi constantia esse custodiendam legem clausurae contra eos, qui illam, spretis ecclesiasticis censuris, violare non reformidant; verum permitti Ordinariis Monasteriorum, ut eandem legem facili ratione relaxare valeant favore Monialium ad eas liberandas quibuscumque anxietatibus in casibus, in quibus Gubernii officiales, et Legis executores clausuram ad inventaria conficienda, aliosque actus civiles peragendos violenter intrare minitentur, adhibitis tamen per eosdem Ordinarios omnibus cautelis, quae prudentia, ac rerum adjuncta suggesserint, ac praevia protestatione sive per eosdem Ordinarios, sive per ipsas Moniales facienda meliori modo quo potest, et qua declaretur se cedere violentiae.

Tertio : licere Regularibus utriusque sexus suppressis titulo compensationis pro damnis illatis sibi a Gubernio debitae, percipere pensiones, ab eodem Gubernio assignatas; ea tamen lege, ut quandiu in communione cum aliis Regularibus vixerint, pensionem apud Superiores suos pro bono totius communitatis deponere teneantur.

Quarto : ad evitanda gravia damna, et ne Regulares utriusque sexus incurrant periculum amittendi eandem pensionem tolerari, ut inventaria rerum, ac status Monasteriorum conficere, et subscribere valeant, ita cogente eodem Gubernio, et praevia protestatione facienda pariter meliori modo quo potest, et

qua declaretur se cedere coactioni, nulloque modo cooperari pravis ipsius Gubernii intentionibus: verum caute et prudenter curandum esse ut res Monasteriorum, ac praesertim suppellectiles, ac vasa sacra a direptione subtrahantur.

Quinto: curandum esse pro viribus, ut Regulares expulsi a propriis Conventibus in alios Conventus collocentur, ac recipiantur.

Sexto: quatenus vero Regulares expulsi praesertim ob defectum domorum alibi collocari nequeant, concurrentibus gravibus, justisque causis, super quibus conscientia Superioris Generalis graviter onerata remaneat, ipse Superior Generalis Apostolica Auctoritate eisdem indulgere poterit, ut manere valeant extra claustra sub obedientia Ordinarii loci tanquam saecularizati ad tempus, et ad nutum S. Sedis, ac ipsius Superioribus, et in habitu religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu Presbyteri saecularis quoad Sacerdotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad Laicos, seu Conversos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, servatis quantum fieri potest substantialibus votorum, ac relaxatis regulis, quae cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles.

Septimo: quoad vero Moniales, quae propria Monasteria deserere coguntur, curandum esse pro viribus per illarum Ordinarios, ut aliud Monasterium sui Ordinis, sive aliam domum a respectivo Ordinario designandam ingredientes ab invicem non separentur, sed vivant simul in unum collectae, et regulam quam professae sunt, quantum fieri potest, observare non omittant. Quod si id obtineri nequeat, et Moniales cogantur ingredi Monasteria diversi Ordinis, Ordinarius Monasteriorum, a quibus, et ad quae ipsae Moniales transferantur, Apostolica Auctoritate indulgere poterit, ut dictae Moniales in Monasteria designata recipi, in iisque manere, seque regulis ibi existentibus dispensando super regulis proprii Ordinis, easque moderando accomodare licite valeant, monitis eorumdem Monasteriorum Superioribus, caeterisque personis, ut illas qua par est charitate suscipiant, atque pertractent. Si vero aliquae ex dictis Monialibus justis de causis per Ordinarium examinandis in Monasterium seu domum novae collocationis se recipere nequeant, Ordinarius iisdem Monialibus indulgere poterit, ut extra sui Monasterii claustra in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, apud suos consanguineos, vel honestas matronas, firmo voto castitatis, et servatis substantialibus aliorum votorum quantum respective ad votum paupertatis et similia in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus et piis precibus etiam loco recitationis Horarum Canonicarum ab eodem Ordinario discrete praescribendis, sub obedientia Ordinarii, in cujus Dioecesi commorabuntur, ad beneplacitum S. Sedis vivere, ac remanere licite valeant.

Octavo: de speciali Indulto permitti Regularibus expulsis, ut de intelligentia Ordinarii loci, ac respectivi Superioris Generalis inter se dividere, et pro suis necessitatibus applicare valeant pecunias in capsa communi fortasse existentes, nec non suppellectiles domesticas, aut alias res usu consumptibiles, sub lege tamen, ut, si ad Claustra redierint, pecunias et alias res, quas non consumpserint, Superioribus restituere teneantur.

Nono: facultatem concedit indulgendi Regularibus, ut bona propriae Religionis, Congregationis, seu Instituti a Gubernio occupata in administrationem suscipere, et etiam conducere valeant, dummodo id cedat in sui Ordinis, Congregationis, seu Instituti utilitatem, et absit scandalum.

Decimo: similiter facultatem concedit, ut bona quaecumque proprii Ordinis, Congregationis, seu Instituti a Gubernio usurpata acquirere valeant per inter-

positas personas quascumque etiam Religiosas, sibi morum integritate ac fide probatas, quae per syngrapham bonae fidei caute custodiendam declarent emptionem licet proprio nomine factam, attamen perfecisse pecuniis et favore Ordinis, Congregationis, seu Instituti, ad quod eadem bona de jure pertinent, aliisque adhibitis cautelis in casu necessariis et opportunis, et sub conditione adimplendi pia onera forsan dictis bonis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur, ac remoto scandalo.

(*Nota*. Articuli VIII et IX nunc conceduntur tantum Superioribus Ordinum Generalibus; sed hi debent toties, quoties petere de iis facultatem a S. Poenitentiaria. Ita recentissima ejusdem S. Poenitentiariae dispositio.)

Caeterum in concedendis Indultis pro recensitis contractibus sive administrationis, sive conductionis, aut emptionis Bonorum ecclesiasticorum, tum locorum Ordinarii, tum Superiores Generales de mutua intelligentia, quantum fieri poterit, procedere non omittant.

Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 28 junii 1866.

A. M. CARD. CAGIANO M. P.

L. PEIRANO S. P. SECRETARIUS.

II.

Quamvis per Litteras die 28 junii anni proximi elapsi datas, a S. Poenitentiaria plures editae fuerint declarationes, atque concessae facultates, quibus utriusque sexus Regulares in tota ferme Italia degentes, ab angustiis, et calamitatibus, in quas ob suppressionis legem conjecti sunt, aliquo modo levari possent: compertum tamen est, alias inde obortas esse animorum anxietates, aliasque enatas necessitates, quibus nonnisi Apostolica Auctoritate occurri potest. Cum enim praefati Regulares propriis domibus exturbati, hac illac, votis solemnibus obstricti, peregrinari cogantur, multis agitantur dubiis circa obedientiam propriis Superioribus, et locorum Ordinariis debitam. Accedunt non leves animi perplexitates circa privilegia, ac bona spiritualia, quibus in religiosis claustris abunde fruebantur. Tandem bonis omnibus expoliati in misero, quo versantur, statu facilem non vident rationem, qua suis necessitatibus consulere possint.

Quapropter SS. Dominus Noster Pius PP. IX, tot Regularium utriusque sexus calamitates commiserans, mandavit, ut S. Poenitentiaria novis declarationibus, novisque Apostolicis gratiis ipsis Regularibus subsidio veniret.

Sacra itaque Poenitentiaria mandatis Sanctitatis Suae libentissime obsequens haec quae sequuntur decernit:

I. Curandum est, prout jam monitum fuit quoad Moniales in praefatis Litteris diei 28 junii 1866 sub n. 7, ut Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero Clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant, ibique regulam, quam professi sunt, meliori quo fieri potest modo, observare non omittant, facta cuique absque debita licentia discedendi prohibitione.

II. Pariter curandum, ut etiam Regulares, qui extra claustra, et praefatas domos, tamquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter quo fieri possit modo, persolvant. Unde omnibus Superioribus Regularibus S. Poenitentiaria declarat, ipsorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam, et disciplinam ecclesiasticam a

jurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem, et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo ejus statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse, eisque obedire tenetur.

III. Decernit, praefatas domos, dummodo in eas tres saltem, ad ibi degendum, convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per peculiarem Su Sariorem ibi constituendum.

V. Indulget, ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes, Regulares, erigi possit, servatis de jure servandis, privatum Oratorium, a Ministro Re Provinciali, sive ab alia idonea persona, ab eo deputanda, visitandum prius, et approbandum, ita, ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari, et a Religiosis, atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi, et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit.

V: Indulget pariter, ut in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis concessis et assignatis domibus, seu ecclesiis, a quibus exturbati fuerunt; juxta tamen formam et juxta tempus in concessionibus et indultis Apostolicis expressum ac definitum; ita tamen, ut memoratae Indulgentiae in ipsius Ordinis Ecclesiis quibus affixae, et assignatae fuerunt. quandiu iisdem Ecclesiis aliquis Sacerdos ejusdem Ordinis legitima auctoritate propositus fuerit, perdurare, ut antea, omnino censeantur.

VI. Declarat insuper, Superioribus Regularibus integra manere privilegia, quibus hactenus quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones usi sunt, ac similiter integras omnibus et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam in saeculo de legitima licentia viventibus, manere SS. Indulgentias personales a S. Sede eisdem concessas, et non revocatas.

VII. Mulieres vero Regulares a propriis claustris expulsas, quantumvis exemptas, et etiam in novas domos juxta Litteras 28 junii 1866 translatas, decernit, jurisdictioni Ordinari loci, in quo commorantur, omnino subesse.

VIII. Ordinariis autem locorum facultatem concedit, eisdem Mulieribus Regularibus in novis domibus commorantibus Indultum Oratorii privati pro sua prudentia impertiendi, adeo, ut, servatis de jure servandis, Missa in ipso Oratorio quotidie celebrari et SS. Eucharistia asservari possit, ibique ipsae Religiosae, Conversae, Novitiae, et Educandae, si quae sint, aliaeque Mulieres iisdem domibus addictae, praeter Missae inservientem, S. Communione refici, ac praecepto de audiendo Sacro satisfacere valeant.

IX. Ipsis praeterea Mulieribus Regularibus concedit privilegium, ut supra sub n. V. Religiosis viris impertitum; fruendi scilicet in memoratis Oratoriis omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis, quae Ecclesiae, seu Monasterio, a quo expulsae fuerunt, affixae aut assignatae erant.

X. Declarat, ac decernit, Regularibus suppressis, etiam extra praefatas domos degentibus, licere persolvere Horas canonicas juxta proprii Ordinis Calendarium, et non obstante defectu tituli sacri, suos Ordines exercere, Missamque in quacumque Ecclesia, de licentia Ordinarii loci, celebrare juxta ritum Ecclesiae, in qua celebrare contigerit; servato tamen proprii Ordinis ritu, si celebrent in propria Ecclesia, cujus custodia alicui saltem ex suis Confratribus legitime demandata sit, aut in aliquo ex praefatis sui Ordinis Oratoriis.

XI. Declarat insuper, nihil obstare, quominus ipsi Regulares suppressi uti valeant facultate, sibi jam ab Ordinario loci concessa, audiendi sacramentales Christifidelium Confessiones; dummodo tamen eadem facultas expirata, aut ab

ipso Ordinario revocata non fuerit, ac dummodo ea utantur iis tantum in locis, pro quibus approbati fuerunt.

XII. Superioribus tum Generalibus, tum Provincialibus facultatem concedit, sive per se, sive per alios idoneos Viros Religiosos, ab ipsis deputandos, indulgendi Regularibus sui Ordinis suppressis, ut, durantibus praesentium temporum circumstantiis, quemcumque sive Regularem, sive Saecularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, Confessarium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus, et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi, et super irregularitate, ex violatione earumdem censurarum quodcumque contracta, dummodo occulta remaneat, dispensationis gratiam recipere in foro tantum conscientiae possint.

XIII. Declarat insuper, quibuscumque Regularibus suppressis, sive in aliqua domo, prout n. I, commorantibus, sive extra domos religiosas tamquam saecularizatis ad tempus degentibus, licere Confessiones suas sacramentales apud Confessarios proprii Ordinis, legitime a suo Praelato approbatos, peragere.

XIV. Iisdem Superioribus Generalibus indulget, ut perdurantibus pariter praesentium temporum circumstantiis, et usque dum aliter S. Sedi visum fuerit, expleto Superiorum inferiorum officio, eos de consilio Definitorum suorum in ipso denuo confirmare, iisdemque alios substituere valeant, prout magis in Domino expedire judicaverint.

XV. Clericis Regularibus jam solemniter professis concedit, ut ad titulum paupertatis, aut ad alium titulum proprii Instituti ad S. Ordines ab Ordinario Loci, in quo domicilium habent, aut ab alio Episcopo cum dimissoriis litteris ab eo datis, de consensu proprii Superioris Regularis, et servatis de jure servandis, promoveri, et in Ordinibus sic promoti ministrare valeant, donec a proprio Ordine, seu Instituto legitima ex causa dimissi non fuerint.

XVI. Concedit pariter Regularibus solemniter professis, ut Cappellanias, aut unum dumtaxat Beneficium Ecclesiasticum, etiam residentiale, vel cum cura animarum de consensu, et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus Superioribus suis, in administrationem assequi, et retinere legitime possint, quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint.

XVII. Facultatem concedit locorum Ordinariis quoad Moniales, et Superioribus Generalibus quoad Viros Regulares, indulgendi sive per se, sive per idoneas personas ab eis subdelegandas respectivis subditis in Italia suppressis, ut attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, non obstante solemni paupertatis voto, bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam hereditates, salvo tamen jure tertii quaesito, recipere, adire, ac retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios, honestosque usus, ac praesertim in favorem sui Ordinis, aut Instituti, nec non in grati animi significationem per actus sive inter vivos, sive causa mortis disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii, aut Superioris, vel alterius per eum Deputati, aut saltem, in casu necessitatis, Confessarii consilio, et approbatione; ita tamen, ut rerum suarum administrationem ac reditus, quamdiu vixerint in Communitate, quae temporalia bona possidere possit, eidem Communitati tradere, et quidquid ex bonis propriae Religionis eisdem provenerit, ipsi Religioni, adhibitis cautelis, relinquere teneantur. Quod si Communitas sit ex iis, quibus possessio bonorum temporalium permissa non sit, administrationem hoc in casu committant alicui tertiae personae ita, ut absque licentia Ordinarii, aut Superiorum Regularium nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque modo disponere possint.

XVIII. Omnibus et singulis utriusque sexus Regularibus suppressis indulget, ut pecunias legitimo titulo acquisitas de licentia Superiorum suorum, et, quatenus agatur de Monialibus, de licentia Ordinarii loci, in honesto et licito investimento, sive nomine proprio, sive per interpositas personas caute collocare possint; ea tamen lege, ut Regulares in Communitate viventes titulos, ac reditus earumdem pecuniarum eidem Communitati, aut alicui tertiae personae, ut supra, tradere teneantur, neque de iis pariter ullo modo absque licentia eorumdem Superiorum, aut ipsius Ordinarii disponere valeant.

XIX. Declarat denique praemissa censenda esse concessa sine ullo praejudicio cujuscumque generalis, seu specialis Indulti alicui Ordini, seu personae a S. Sede impertiti, iisdemque praemissis cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti Constitutiones ac caetera quaecumque, etiam speciali mentione digna, in contrarium facientia, minime obstare.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 18 aprilis 1867.

A. M. CARD. PANEBIANCO M. P.

L. PEIRANO S. P. SECRETARIUS

Loco ✠ Sigilli

Concordat cum originali.

BEATISSIME PATER

Infrascriptus Minister Generalis Capuccinorum, bono spirituali ac temporali subditorum suorum prospicere cupiens, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus suppliciter expostulat ut, intuitu anormalium circumstantiarum, in quibus illi versantur, qui a Gubernio Italico e suis Coenobiis expulsi fuerunt, benigniter concedere digneris eosdem favores, quos Generali Ministro Minorum Observantium eadem Sanctitas Tua largiri dignata est. Sunt autem:

I. Privilegium Oratorii privati pro Sacerdotibus Ordinis, qui absque gravi incommodo publicam Ecclesiam, pro Sacro faciendo, adire nequeunt, et quorum Missa valeat ad ecclesiastici praecepti adimplementum pro ipso Missae inserviente et persona altera de familia.

II. Privilegium Oratorii item privati Sacerdotibus Ordinis nostri qui, tres saltem numero, simul convenerint in eadem domo, quorumque Missa valeat ut supra pro Laicis vel Tertiariis cohabitantibus, quibus insuper liceat in eadem Missa sacram Communionem recipere.

III. Indultum lucrandi omnes et singulas Indulgentias Ordini nostro concessas publicam Ecclesiam visitando; et si quis gravi incommodo detineatur Ecclesiam adeundi, id consequi possit proprium invisendo Oratorium, dummodo omnia ad id praescripta adimpleat.

IV. Facultas erigendi stationes *Viae Crucis* cum adnexis Indulgentiis in loco decenti habitationis Religiosi.

V. Indultum confitendi, etiam quoad in Ordine reservata, cuicumque Confessario ab Ordinario approbato, quamvis adsint duo ex Confessariis Ordinis.

VI. Indultum tempore *Quadragesimae Adventus* utendi cibis saecularibus permissis; tempore vero Ecclesiae Universalis Quadragesimae se accommodandi Indulto Dioecesano; facta quoque Generali Ministro dispensandi facultate cum illis, qui in communitate vivunt, prout opus fuerit

VII. Facuitas donandi *causa mortis* aut testandi inter Fratres de bonis omnibus apud Religiosum exstantibus, ita tamen ut res donata, aut per testamentum relicta intra Ordinem remaneat.

VIII. Indultum accipiendi et retinendi pecuniam, etiam aliorum Religiosorum, nec non saecularium, eamque, debitis cautelis, impendere prout res postulaverit; quod valeat non tantum pro his, qui extra communitatem degunt, nisi aliter fieri possit, verum etiam pro Superiore respectivae communitatis, facta ipsimet quoque facultate pecuniam accipiendi, data occasione, etiam per proprium subditum, qui eam impendat juxta circumstantias.

IX. Indultum iter instituendi vaporifero, aut curru, aut equo quacumque de causa, justificata tamen et rationabili.

X. Facultas Ministro Generali commutandi et dispensandi per seipsum, vel per subditos, licet suppressos, super quocumque reliquo casu in praedictis articulis minime expresso circa Ordinis Regulam.

XI. Quod ut omnes et singulae Indulgentiae jam nostris Ecclesiis concessae perdurent ut ante suppressionem in omnibus Ecclesiis domorum Ordinis nunc in Italia suppressarum, dummodò earumdem Ecclesiarum custodia demandata sit alicui ex Ordine Sacerdoti.

XII Indultum asservandi SS. Eucharistiae Sacramentum his in domibus, ubi Sacerdotes saltem quinque simul cohabitent.

Die 14 februarii 1867.

Fr. Nicolaus Min. Generalis.

Benigne annuimus ad duos annos.

PIUS PP. IX.

INDEX

COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS

TRACTATUS SECUNDUS

DE CONSCIENTIA

TRACTATUS TERTIUS

DE LEGIBUS

TRACTATUS QUARTUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

TRACTATUS QUINTUS

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS

TRACTATUS SEXTUS

DE PECCATIS

TRACTATUS SEPTIMUS

DE VIRTUTIBUS IN GENERE

TRACTATUS OCTAVUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

TRACTATUS NONUS

DE VIRTUTE RELIGIONIS

TRACTATUS DECIMUS

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

TRACTATUS UNDECIMUS

DE JUSTITIA ET JURE

TRACTATUS DUODECIMUS

DE CONTRACTIBUS

TRACTATUS TERTIUS DECIMUS

DE INJUSTITIA ET RESTITUTIONE

TRACTATUS QUARTUS DECIMUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

TRACTATUS QUINTUS DECIMUS

DE BAPTISMO

TRACTATUS SEXTUS DECIMUS

DE CONFIRMATIONE

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

DE EUCHARISTIA

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

DE POENITENTIA

TRACTATUS DECIMUS NONUS

DE EXTREMA UNCTIONE

TRACTATUS VIGESIMUS

DE SACRAMENTO ORDINIS

TRACTATUS VIGESIMUS PRIMUS

DE MATRIMONIO

TRACTATUS VIGESIMUS SECUNDUS

DE CENSURIS

TRACTATUS VIGESIMUS TERTIUS

DE IRREGULARITATIBUS

TRACTATUS VIGESIMUS QUARTUS

DE INDULGENTIIS